


DIONYSII
HALICARNASSEI
Antiquitatum Rom.
Libri XI.

AB ÆMILIO PORTO
recens & post aliorum interpretationes Latinè redditi.

Huic editioni accesserunt, Argumenta seu breuiaria singulis libris præfixa: Gnomologia noua, id est Sententiarum Selectarum, quæ in toto Halicarnassei opere occurrunt, alphabetica tabula: Rerum item & verborum copiosus index.



EX OFFICINA
Iacobi Stœr, Anno M. D. X C.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
13915

ARGVMENTVM RERVM, quæ in vniuersa Dionysij historia continentur.

VT certam antiquitatum Romanarũ à Dionysio scriptarum notitiam habeamus, Dionysiũ ipsum de se verba facientem audiamus. Postquã enim historiæ laudes vniuersè celebrauit, & P.R. res, imperium, dominatus, amplitudinẽ, magnificentiam, ac diuturnitatem cum cæterarum gẽtium rebus & principatu collatam nominatim explicauit, postquam etiam paucis aperuit qua de causa, quóue consilio ad huius historiæ scriptionem animum appulerit, hæc tandem ex ipsius historia collecta sunt.

Ego in Italiam nauigio profectus, statim post ciuile bellum ab Augusto Cæsare confectũ circiter CLXXXVII. Olympiadem iam mediam, & ab illo tempore ad hanc vsque diem annos XXII. Romæ commoratus, linguã Romanam didici, & illius regionis literarum cognitionẽ adeptus, hoc toto temporis spatio res, quę ad opus à me susceptum faciebant, accuratè mihi parare non cessaui. Has autem partim, à celeberrimis, doctissimísque viris, in quorũ cõgressum, colloquiúmque veni, edoctus accepi. Partim verò ex commentariis collegi, quos ab ipsis indigenis laudati scriptores Romani conscripsę

runt, quo in numero sunt Porcius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antiâs, Licinius Macer, Aelij, Gellij, & Calphurnij, aliíque multi præter istos viri non ignobiles. Horum igitur commentariis vsus (sunt autē Græcis chronographiis similes) ita demum ad hanc historiam scribendā sum aggressus. Atque hæc quidem de me ipso dixi. Nunc verò mihi reliquum est, vt & de ipsa historia præmoneam, ac declarē à quibus tēporibus initium scribendi faciam, quas res narrē, & qualem operi dem formam. Historiam igitur ordior ab antiquissimis fabulis, quas silētio præterierunt scriptores, qui antè me vixerunt, quòd non sine magno negotio inueniri possent. Narrationem autē deduco vsque ad primi belli Punici principium, quod incidit in annum tertiū CXXVIII. Olympiadis. Narro autem tum omnia P. R. externa bella, quæ temporibus illis gessit, tum etiam omnes ciuiles seditiones, quibus laborauit, & quibus de causis fuerint exortæ, & quibus rationibus, verbísque fuerint sedatæ, omnésque reipublicæ administrandæ formas recenseo, quibus vsus est P. R. dum regio dominatu gubernaretur, & post regiæ dominationis abrogationem: quin etiam declaro quænam esset vniuscuiusque formæ disciplina, & ciuitatis regendæ ratio. Ipsius etiam mores præstantissimos, & præcipuas leges narro, & in summa totam P. R. priscam viuendi rationem demonstro. Formam autem operi do, nec qualem bellorum scriptores suis historiis dederunt, nec qua

lem

lem suis scriptis dederunt, qui singulas respub. seperatim descripserunt, nec annalibus similem quos in lucem ediderunt, qui res Atticas scripserunt. Nam hæ formæ sunt vnius generis, ac simplices, & auditores satietate, fastidióque celeriter afficiunt. Sed formam operi do ex quolibet genere mixtam, tam ex eo, quod res gestas continet, quàm ex eo, quod in sola rerum contemplatione versatur, vt satisfacere possit & iis, qui rerum ciuilium studiis operā nauant, & iis, qui philosophicis contemplationibus animos suos oblectant, & si quibus est opus tranquillo vitæ genere, vt historiarum lectioni vacent.}

Hæc sunt quæ Dionysius de Romanis antiquitatibus memoriæ prodidit. Nunc tamē x i. tantùm eius libros habemus, qui res omnes memoratu dignas comprehendunt, quas P. R. tam pacis quàm belli tempore, tam domi quàm foris, ab V. C. ad tyrannidis Decemuiralis euersionem vsque sub variis magistratibus gessit.

ALIVD ARGVMENTVM.

ANTIQVITATVM Romanarum libri xx. quos vsque ad primum bellũ Punicum pertexuit, soli superstites. *Eam historiam in duas partes secuit. Priori exponit τὸ Ρωμαίων ἔθνος, Romanæ gentis originem, à Græcis, non à Barbaris populis, Oenotris scilicet, (qui post Aborigines dicti sunt) Pelasgis, Palantinis, Arcadibus, Euandri ducẽ secutis. Herculis sociis, ac demum Troianis cum Aenea in Italiam profectis. Altera historiæ parte tractat περὶ τῆς Ρωμαίων πολιτείας, De republica Romana. Eam primò tradit fuisse μοναρχικὴν sub VII. regibus per annos ab vrbe condita CCXLIIII. Deinde quũ vltimus rex Tarquinius superbia & licentia nimia regnum vertisset in tyrannidem, regium imperium in ἀναρχίαν fuisse transmutatum, certisque legibus & certo temporis spatio limitatum, ac pro regibus ad rempublicæ administrationem assumptos esse consules annuos, regia potestate præditos: & horum ductu primum Tarquinij diuturnas ac varias machinationes planè fractas esse: deinde è finitimis gentibus Latinos & Hernicos prorsus deiectos & tandem in societatis fidem receptos, Aruncos in totum profligatos, Sabinos verò, Volscos, Aequos, Etruscos, etsi non planè subiugatos, ita tamen post multiplices conatus identidem retusos, vt populi Romani vires illis oppugnandis magis ac magis creuerint. Tum per quietem ab externis bellis, partim optimatium quorundam insolentia, partim vulgi malitia exortis do-*

mi

mi turbis, usque nec raris nec leuibus: semper eas fraternis animis fuisse compositas: ac post concessos plebi è suo corpore magistratus annuos, quum tribunorum ædilium que collegium perpetuò id agerent, vt & plebis potentiã augerent, & patriciorum vires enervarent, patres nunc lenitate, nunc seueritate vsos, ita plebeios nonnunquam cessisse, vt interim prístinam sui ordinis autoritatem asseruerint: ac si vel externa vel domestica seuerius imperium requirerent, dictatorem cum absoluta rerum gerendarum potestate ad semestre dixisse. Quúmque plebeij tãdem etiam iuris & honorum æqualitatem affectarent, anno vrbis CCCXII pro consulibus creatos esse decemuiros, & leges ab illis tum de publico ac priuato iure, tum etiam de iure sacrorum conscriptas: qui quum posterioribus duobus annis licentiùs dominarentur, iterum è patricijs creatos esse consules. Tandem quum etiam cõsulatum plebeij appetissent, patres suspensa consulari potestate, ad tribunatus militaris consortium eos admisisse anno vrbis CCCXI. quem magistratum quum signa diuinitus edita improbarent, eo ipso anno rursum consules ex ordine patricio ad rerum gubernacula fuisse adhibitos. Hæc XI librorũ qui supersunt, summa est, CCC, & XII annorum historiam complectens. Ceteri nouẽ qui ad primum bellum Punicum, seu ad annum vrbis CCCCLXXXVIII. sunt deducti, temporum & hominum iniuria perierunt.

GNOMOLOGIA,

SEV

SENTENTIARVM EX DIONYSII HALICARN. XI. Lib. selectarum,

INDEX ALPHABETICVS.

Numerus arithmeticus paginam denotat.

ADVERSARII.

Quoties res alicui est cum iniquis aduersariis, siue multas siue paucas rationes ad sui iuris defensionem adferat, idem est. 358.

ADVERSARII.

Ad extremorum periculorum necessitatem non sunt adducendi aduersarij: ob quam sæpe præter omnem expectationem nonnulli audaces & supra vires pugnaces efficiuntur. 530.

ADVLATIO.

Ex plebis adulatione omnis tyrannus fit. 577.

AMBITIO.

Insatiabilis est, illa dominandi cupiditas. 112.

AMICITIA.

Administratio & cura Reipublicæ ad patricios pertinet, amicitia & pax ad bonos ciues. 563.

AMICVS.

Nullus amicus firmus esse potest ei cui est exosus. 219

Amicus ab hoste neque ipsis faciei notis neque nomi-

nis

nis impositione discernitur, sed vsu & factis. 757

ANIMVS.

Cuiusuis hominis animus, dū verbis ad ipsas res quasi manu ducitur, & dum non solùm audit quæ dicuntur, verùm etiam quæ geruntur videt, voluptate afficitur. 1011.

ARMA.

Quæ oratione dirimi non possunt, de his decerni solet armis. 225.

ARROGANTIA.

Rerumpub. principes qui arrogantes fuerunt, vnà cum cæteris vitis bonis ipsi se quoque perdiderunt. 570.

AROGANTIA.

Arrogantia victoriam sæpe comitari solet. 579.

AVARI.

Ingenia pluris habendi cupiditati dedita, si à consuetis exercitiis prohibeātur, difficile tolerari possunt. 819.

AVARITIA.

Turpe est homini ob rerum alienarum cupiditatem bellum non necessarium sustinere, in quo & omnes suas fortunas in periculum sit adducturus. 759.

AVDACIA.

In periculis non par audacia solet esse in iis, qui pro suis fortunis dimicant, & iis qui alienas inuadunt. Nisi enim istis res feliciter succedat, leuem cladem accipiunt: illis verò si rem malè gerant, nihil fit reliqui. Atque hinc potissimum fit vt sæpe maiores copiæ à minoribus, & præstantiores à deterioribus clade afficiantur. Vehemens enim est necessitas, & extremum periculum potest audaciam inferere vel in eo in quo antea innata non erat. 748.

AVXILIVM DIVINVM.

Diuinum auxilium præsto est illis qui fortiter pugnant, & iis qui totas suas vires omni animi alacritate exerunt, vt victoriam adipiscantur: non iis quipe,

ricula fugiunt, sed iis qui pro salute sua quæuis mala perpeti non dubitant. 515.

BELLA.

Bella plerunque pecuniarum copia sustentantur 580.

BELLA CIVILIA.

Qui nunquam experti sunt calamitates bellorum ciuilium, mirum non est, si nec præteritis malis offendantur, nec futura multo ante prouideant. 670.

Omnibus rebus Dij adsunt, præcipuè verò bellicis, idque tantò magis quantò hæ rebus aliis sunt maiores, & quantò harum alea incertior & periculosior esse solet. 720.

BELLA.

Facillimum cuiuis est verbis bella administrare. 876.

BELLI DVX.

Vide, Imperator.

BELLI EVENTVS.

Duces belli deum aliquem sponsorem non habent vitæ eorum omnium qui sunt pugnaturi: nec certis conditionibus verbisque conceptis imperia accepimus vt omnes hostes deuincamus & nullos de nostris amittamus. Quis enim mortalium omnes tam consilij quàm fortunæ euentus in seipsum recipere auderet? Sed semper magna facinora magnis emimus periculis. 874

BELLO ACQVISITA.

Quæcunque quis sua virtute hostibus ademit, & sibi comparauit, eas suis posteris tanquam res proprias relinquit. 516.

BELLVM.

Ea omnium bellorum pessima & molestissima ducebat quæ homines coacti contra cognatos & amicos susciperunt: atque aliqua æquitate potius quàm summo iure

re hæc finienda existimabat. 514.

BELLVM CIVILE.

Grauem cladem nos accepturos arbitramur, si sanguine & cæde controuersias inter cognatos ortas diriмere ac finire cogamur. 218.

Nihil ciuili bello est peius: in quo victos sequitur miseria, victores iniuste faciunt: & accidit illis quidam vt ab amicissimis perdantur, istis verò vt amicissimos perdant. 599.

CALAMITAS.

Ipsa calamitas omnisque laudis cõuenientis priuatio, quanuis nihil aliud accedat præterea, belli ducibus est magna & grauis mulcta. 875.

CAVSÆ RERVM.

Vnusquisque dum audit res nouas & inauditas, causam scire cupit, & in hac sola fidē suā collocat. 702.

CIVITAS.

Omnem ciuitatem, quæ ex multis familiis constat verisimile est tunc florere quum priuatorum res florent: & contra magnis tempestatibus agitari, quum res vniuscuiusque priuati se malè habent: & oportet eum qui mente sit præditus, peritúsque Reipu. administrandæ, siue is sit legislator, siue rex, eas leges ferre quæ iustam & temperantem priuatorum vitam efficiant. 143. 144.

CIVITAS.

Nulla alia re æquè ac hominum frequentia opus est illi ciuitati quæ ad imperium aspirat, & quæ res magnas affectat. 338.

CIVITAS INFELIX QVÆ.

Pudor, modestia, iustitia, quibus omnis ciuilis societas conseruatur, ab ciuitate exulant in qua paupertas & necessitas ab vna parte regnant: altera, satietas & superbia. 550.

CIVITAS.

Optimè administratur Ciuitas quæ se pro rerum statu fortunæ accommodat. 996.

CIVITATVM POTENTIA.

In armorum vi sita est ciuitatum potentia: hæc autem multorum hominum beneficio comparatur. 224.

CONCORDIA.

In externis bellis ipsa armorum potentia, quæ audacia & exercitatione comparatur, vrbes seruat & magnas ex paruis facit. At in ciuilibus perturbationibus ciuium concordia. 122.

CONCORDIA.

Concordia est infirmis potentiæ causa. 344.

CONSILIARIVS.

Optimus consiliarius ille est, qui non priuatis inimicitiis impulsus aut gratia adductus, sed publica vtilitate commotus, suam sententiam dicit. 996.

CONSVETVDO.

Nulla peior est consuetudo aut ipsis rebus pub. aut familiis, quàm si vnusquisque semper pro sua libidine viuat, & si omnia à potentioribus concedantur inferioribus, siue id sponte, siue coacti faciant. 491.

CONSVLTATIO.

Optimè de rebus futuris consultant qui rerum futurarum exempla ex præteritis sumunt. 996.

CONTENTIO.

Contentio est perniciosissima omnium humanarum ægritudinum. 584.

CONVENTIONES.

Conuentiones quæ inter imperandi cupidos & suæ libertatis conseruandæ studiosos contra voluntatem fiunt, tandiu durant quandiu necessitatis vinculo retinentur. 599.

CORONA.

Patriæ conseruatio & incolumitas, corona pulcherrima. 555.

CVPIDITAS.

Cupiditas sine ratione, res est leuis, & quæ confestim in alteram partem inclinat. 180.

CVPIDITATES.

Potiri malis cupiditatibus non eximit eas ex animo, sed auget eas & peiores reddit. 902.

CVPIDITATES.

Nequeunt expleri hominum amentium cupiditates etiamsi quæcunque petierint consequantur: sed continuò alia maiora appetunt, & in infinitum progrediuntur, quòd præcipuè multitudini accidit. Quæ enim vnusquisque solus aut pudore proprio, aut ab alio impeditus facere veretur, ea si more publico recipiantur ab eo in sua voluntate aliorum exemplo & consuetudine confirmato facilius & audacius patrantur. Quum igitur cupiditates stulti vulgi sint inexplebiles & infinitæ, earum principiis obstandum est quandiu sunt adhuc infirmæ, non autem quando iam ita sunt corroboratæ & auctæ, vt euelli nequeant. Omnes enim iniquiore animo ferunt si rebus sibi concessis priuentur, quàm si rebus speratis frustrentur. 492.

DEMOCRATIA.

Dominatus popularis est pessimus omnium earum Reipub. formarum quibus homines vtuntur. 577. 579.

DII.

Deorum beneuolentia præsente omnes res hominum in melius cedunt. 137.

Deorum indignatio omnibus superbis imminet. 256.

DII.

Deorum beneficio omnes res præclarè & bene gestæ acceptæ ferendæ sunt. 255.

Diis & geniis curæ sunt res mortalium. 326.

DII.

Omnibus rebus dij adsunt, præcipuè verò bellicis idq; tantò magis quantò hæ rebus aliis sunt maiores, & quantò horum alea incertior & periculosior esse solet. 720.

Deorum beneuolentia humanis viribus est præstantior. 747.

DII.

Ipsi dij qui condonandi morem primi constituerunt, nobisque tradiderunt, facilè hominibus (quibus peccata condonant) reconciliantur: & iam multi quum grauiter in eos deliquissent, precibus tamen & sacrificiis eorum iram placarunt. 778.

DII.

Dij ad honesta & iusta fœdera, non autem ad turpia & iniusta, testes adhiberi solent. 1024.

DILATIO.

Multis in rebus dilatio est vtilis & minimè periculosa: & tempus multa vnius diei spatio mutat. 810.

DISCORDIA.

Discordia potentissimos quosque deprimit, & eorum vires debilitat. 344.

DISCORDIA.

Discordia Rempublicam conficit ac perdit: & sine vllo labore victoriam tradit hostibus. 550.

DOMINATIO.

Vide, Imperium.

DONA.

Voluntaria dona & donantibus sunt iucundiora quàm ea quæ extorquentur, & ipsis accipientibus firmiora, quàm illa contraria. 877.

DVX BELLI.

vide, Imperator.

EVENTVS RERVM.

Humanarũ actionũ felicitas infelicitásve nõ ex singulis.

lis rebus quæ gerũtur, licet multæ & variæ sint, sed ex earum euentu iudicanda videtur. Et si is ex animi sententia successerit, licet interea multa fiant quæ nobis minimè sunt grata, nihilominus tamen eæ ab omnibus laudantur, omnésque earum sunt æmuli & bonæ fortunæ eas adscribunt. Quoties verò malus earum fuerit finis, quamuis omnia quæ finem præcesserunt feliciter successerint, tamen haud felicitati, sed infelicitati eorum qui eas gesserunt, tribuuntur. 875.

EXPERIENTIA.

Experientia' omni oratione est præstantior. 225.

Vbi ipsa experientia nos docet quid conducat, quid ibi opus est coniecturis? 1032.

FELICITAS.

Homines iusti & temperantes felicitatem non fædissimis voluptatibus, sed honestate metiuntur. 137.

Nimia felicitas homini est periculosa & detrimentosa. Hæc enim multis insanæ superbiæ est causa. 801.

FIDES.

Fide mutua potissimum opus est iis qui ex hostibus victoriam sunt reportaturi. 515.

Optimum in vita contra omnes iniurias remedium, & quod in omnibus ciuitatibus concordiam seruat, contractuum videlicet fides. 542.

Fidem nullum vnquam tempus tollet, eam scilicet quæ iureiurando interposito & fœderibus ictis ipsos deos sponsores conuentionum facit, quæ multas & graues priuatorum hominum inimicitias & multa bella inter populos coorta composuit ac finiuit. 606.

Fides sacra res est, per quam omnes ciuitates tutò habitantur. 578.

FORTES.

Omnes viri fortes humanitus & æquo animo calamitates ferunt. 777.

FORTITVDO BELLICA.

Efficit fortitudo bellica vt & aliæ virtutes earum possessoribus sint fructuosæ. 137.

FORTVNA.

Maxima bona hominibus maximè indignis fortuna temerè largitur. 6.

Instabilis & mutabilis admodum est fortunæ felicitas; & difficile est, vel in quantumuis beatis hominibus asserere quandiu hæc ipsis sit duratura. 338.

Fortunæ non est fidendum, quum homines sæpè eam sint experti in suis malis & bonis, quàm sit variabilis & incerta. 530.

FVRIÆ.

Furiæ à Diis geniisque immittuntur impiis & facinorosis hominibus, à quibus & anima & corpore excruciati vitam miseram perpetuo tolerant, & tristem vitæ finem expectant. 750.

FVTVRA.

Nulli mortalium Dii certam futurorum scientiam dederunt, nec post homines natos inuenias quenquam cui omnia ex animi sententia successerint, ita vt nulla in re fortuna ei sit aduersata. 748.

Non ita facilè de rebus futuris, quænam illæ futuræ sint, vt de præteritis, iudicari potest: Sed illas quidem sensibus & cladibus percipimus, has verò diuinationibus & coniecturis coniicimus in quibus plurimum inest fallaciæ. 876.

Optimè de futuris consultant, qui rerum futurarum exempla ex præteritis sumunt. 996.

GLORIÆ CVPIDITAS.

In iis qui pro paribus præmiis certant, par studium & gloriæ cupiditas ad ipsas res gerendas innasci solet: in iis verò, ad quos nullus inde fructus & emolumentum redit, nunquam innascuntur generosi Spiritus. 488.

GRA-

GRATITVDO.

Non cum ipsis corporibus hominū de nobis bene meri torum ipsam beneficiorum acceptorum memoriam defodere decet. 321.

HEROES.

Diuina quædam indignatio viris illustribus aduersatur, aut quædam hominum inuidia illis bellum facit 780.

HISTORIA.

In Historiis veritatem, prudentiæ & sapientiæ instrumentum, reconditam esse existimamus. 2.

Ex historia accuratè scripta hæc duo, quæ sunt optima & æquissima eueniunt, vt viri fortes, qui fatū suū impleuerūt gloriā immortalem adipiscantur, & à posteris laudentur: vtque Diuinorū illorū virorū & præsens & futura progenies, non iucundissimū & facillimū, sed generosissimum & laboriosissimum vitæ genus sequatur: dum secū reputat debere eos qui generis præclara primordia ceperunt, magnifice de se sentire, & nulli rei maiorum institutis indignæ operam dare. 8.

Veritatis & æquitatis studium præcipuum debet esse omnis historiæ scopus. 9.

Historiæ lectores non satis capiunt vtilitatis si ipsum solum rerum exitum audiant. Nam vnusquisque vult ipsas etiam rerū causas quærere, & modos quibus res peracta sit, & mentem eorum qui rem pere gerunt & varios fortunæ casus: denique nullas rerum circumstantias præterire, sed omnes audire cupit. 478.

HISTORICI.

Historicis eligenda sunt argumenta præclara & magnifica, & quæ magnam vtilitatem lectoribus afferant. Deinde cum magna diligentia & industria idonea subsidia ad argumentum scribendum paranda. 2.

Quicquid omnibus videre, aut ab iis quì viderunt audire nefas est, ne scriptis quidem prodendum censeo. Quinetiam aliis succenseo, qui curiosius quæ rere aut cognoscere volunt plura quàm legibus est concessum. 84.

HOMINES.

Eos hortabantur ne, quum homines essent, quicquam præter humanam naturam sentirent, néve immortales iras in mortali corpore gererent. 418.

Quæ prosunt & quæ obsunt homines facillimè cognoscunt, quando ea ex multorum exemplis vident, iisque qui se ad hæc hortantur prudentiæ magnæque sapientiæ testimonium dicunt. 1012.

HOMINVM INGENIVM.

Homines, ob cætera quidem delicta admissa, solent irasci: sed quando est aliqua proditionis suspicio existimât magnæ esse prudentiæ, si vano metu territi potius sibi ab ea caueant quàm ob eius contemptionem se funditus euerti patiantur. 427. 428.

Homines quum audiunt ea quæ in aliqua ciuitate gesta sunt non satis habent ipsa rerum capita & earum euentum cognoscere. Sed etiam & quænam fuerunt necessitates quibus ciuitas pressa tunc hæc atrocia & miseranda mala pertulerit, & quibus rationibus ciues adducti, & quorum oratione impulsi, id fecerint, & omnia quæ res ipsas comitantur scire volunt. 1011.

HOMINVM GENVS.

Prolis humanæ portio res est diis omnium longè charissima. 27.

HONESTVM.

Quum quis res alienas non appetit, sed suas tantùm reposcit, & passus repulsam armis ius suum persequitur.

quitur, hoc omnium confessione honestum est. 727.

IGNAVIA.

Non est ptudentum neque generosorum hominum res alienas fortitudine quærere, & pati suas per ignauiam amitti. 1060.

IMPERATOR.

In bono imperatore inter cæteras artes hæc requiritur vt seuerè imperare sciat, & molliter contumacibus cedere. 497.

Prudentiũ est imperatorũ nõ solùm res suas corroborare, sed etiã res hostiũ debilitare, præcipuè verò sine vllo prælio & labore bella cõficere: sin minus, saltẽ cũ minimo militaris multitudinis detrimẽto. 504.

IMPERATORES.

Egregij imperatores quamuis exiguas habeãt copias, tamen celeriter eas augent. 583.

IMPERIVM.

Iis qui in alios imperium sunt habituri hæc duo adesse oportet, in bello vires & in cõsilio prudẽtiã. 224.

Nulla alia re æquè ac hominum frequentia opus est illi ciuitati quæ ad imperium aspirat, & quæ res magnas affectat. 338.

Longè optimum ac firmissimum id est imperiũ, quod beneficiis non suppliciis subditos in officio cõtinere solet. Illorum enim benevolentia, hostũ verò timor est comes. Quicquid autem est formidabile, id necessitate naturali omnibus est maximè exosum. 531.

IMPRVDENTIA.

Non est prudentum neque generosorum hominum res alienas fortitudine quærere, & pati suas periguiam amitti. 1060.

INCONSTANTIA RERVM.

Res omnes sunt mutabiles, & nihil vnquam in eodem statu permanere solet: quicquid enim excellit, quando ad summum claritatis fastigium euasit, indignationẽ deorũ effugere nequit, & rursus ad nihilũ

redigitur. Hoc autem potissimum accidit sæuis ac superbis ingeniis, quæ humanæ naturæ terminos transgrediuntur. 745. 746.

INOPES.

Nonnulli inopes ex aliorum detrimentis maiorem voluptatem capiunt quàm ex suis commodis. 809.

INOPIA.

Inopia miseratione potius quàm odio est digna. 490.

INSANIA.

Insani est dedecori ita cupidum esse, vt propriam salutem negligas. 567.

INVIDIA.

Vnum est doloris, quæ homines ex aliorum bonis capiunt remedium, si animum qui inuident aliorũ bonis, non putent ea esse amplius aliena. 219.

Eos quos in sua potestate tenet inuidia sapere non sinit. 1031.

IRRITATIO.

Omnes qui irritati sunt, præsertim verò si sint infimæ conditionis homines, solent aduersus superbos exasperari, & mites ac faciles se præbere iis à quibus comitate officiorum fouentur.

IVDICIVM HVMANVM.

Omnes hoc natura comparatum habent, vt ex suis rebus domesticis iudicium faciant de iis quæ de aliis dicuntur, & quod credibile est non credendum existiment. 424.

IVS.

Tum in priuatis, tum in publicis disceptationibus à iure deducenda sunt orationis exordia. 592.

IVS BELLI.

Quæcunque quis sua virtute hostibus ademit, & sibi comparauit, eas suis posteris tanquam res proprias relinquit. 546.

IVS GENTIVM.

Commune omnium gentium ius vetat quenquam can-

sæ dictione aut iudicio fraudari. 418.

IVSTITIA.

Ob temperantiam & iustitiam homines, se minùs mutuò lædentes, magis sunt concordes, & felicitatem non fœdissimis voluptatibus, sed honestate metiuntur. 137.

Pudore modestia ac iustitia omnis ciuilis societas cõseruatur. 550.

Omnes res mortalium inspicit iustitia. 1042.

Inter virtutes Iustitia mediocritatis nomen obtinere debet. Nam non solùm si infra modum sit, verum etiamsi modum excedat, ipsis hominibus conducere nõ solet: & interdum magnas illis calamitates adfert, eósque in mortes miserabiles & lues insanabiles coniicit. 790.

LEGES.

Bonis legibus & honestorum studiorum æmulatione, pia, temperans, iusta & re bellica præstans ciuitas redditur. 137.

Legum scripta transgredi, & vim iure potiorem facere, cettè hoc non est amplius populare, sed (si veritatem audire vultis) tyrannicum. 658.

Ex qua ciuitate iura & leges expelluntur in eam seditio bellúmque ingredi solet. 670.

LENITAS.

Græciæ ciuitates intempestiua lenitate, quam res ipsæ non requirebãt, prauorum studiorum principia admiserunt, quæ postea neque impedire, neque tollere potuerunt, ob quæ in fœdas & insanabiles calamitates coactæ sunt venire. 492.

LEX NATVRÆ.

Hæc lex naturæ apud omnes gentes recepta est, quam nullum tempus delebit, vt superiores inferioribus imperent. 7.

Hoc communi naturæ lege apud omnes gentes est receptum, vt qui iniuriam est passus, ei sit infensus à quo eam accepit. 743.

LIBERTAS.

In omnibus mortalibus libertatis desiderium est innatum: & iis qui inuiti & coacti miserias perferunt quæuis vel leuissima occasio ad res nouandas idonea videtur. 409.

In omnibus libertatis desiderium innatum est. 531.

Omnium humanorum bonorum libertas maximum putatur. 1048.

LVXVRIOSI.

Qui ventri & fœdissimis voluptatibus indulgentes propterea patrimonium absumpserunt, dedecus & detrimentum Reipub. sunt existimandi, & Respub. magnum factura est quæstū, si ipsi vltro ex vrbe excedant. 493.

MAGISTRATVS.

Omnibus grauis est magistratus cui nullum certum tempus est præfinitum, & qui nullis actorum suorū reddēdis rationibus obnoxius est: vnde tyrannis nascitur. 400.

Hominibus rempublicam tractātibus puto valde necessariam esse præteritarum rerum cognitionem, vt in similibus casibus exempla in promptu habeant quæ sequantur. 478.

Iis qui de repub. consultant omnia quæ verisimiliter accidere possunt sunt prospicienda. 689.

Viris ciuilia negotia tractantibus quemadmodum cæteris hominibus illud commune est, vt omnium eorum quæ rebus adhærent contemplatione plenissima delectentur. 1011.

METVS.

Omnes qui inter se dissident communis periculi metus conciliare solet. 774.

METVS INANIS.

Multos exercitus eósque ingentes ob nullum alium formidabilem casum magis quàm ob inanem metū iam funditus deletos scimus. 246.

MISE-

MISERICORDIA.

Misericordia non parum confert ad leuandas communes mortalium miserias. 156.

MODERATIO.

Maxima laus est, vt vnius viri, ita etiam totius ciuitatis secundis successibus non corrumpi, sed æquo & moderato animo bona sua ferre. 530.

Rerumpub. principes qui moderatè se gesserunt patrias suas seruarunt. 570.

Non vi sed mansuetudine humilioris fortunæ homines vincendi sunt: neque indecora sed necessaria existimanda est moderatio, præsertim verò si animo beneuolo vtamur erga ciues qui nobiscum viuunt. 653

MODESTIA.

Pudore, modestia ac iustitia omnis ciuilis societas conseruatur. 550.

MORES HVIVS SECVLI.

In omnium nostrûm moribus non amplius habitant prisci animi: sed à nonnullis grauitas superbiæ, iustitia stultitiæ, fortitudo insaniæ, prudentia fatuitatis nomine appellatur. Contrà verò quæ apud illos prisco odiosa erant, hæc nunc extolluntur, & hominibus corruptis, admiranda bona videntur, & ignauia scurrilitas, malignitas & versutia pro sapientia habetur, & qui omnibus in rebus sunt impudentes, & qui in nullo bono proposito sunt constantes, dociles ac tractabiles censentur: quæ vitia iam multas potentes ciuitates funditus euerterunt. 904.

MORS.

Mors omnibus mortalibus est fatalis, ignauis æquè ac fortibus: sed præclara & gloriosa mors solis virtutibus contingit. 119.

MVNIMENTA VRBIVM.

In bellis externis profundæ altæque fossæ non sunt Munimenta satis idonea ad certam securæ salutis spē hominibus inclusis afferendam: sed hoc tantùm

pollicentur, oppidanos repentina hostium incursione obsessos cladem nullam accepturos: neque si intestini tumultus in Repub. exorti fuerint priuatæ ædes cuiquam refugium satis tutum præbent. Aduitam enim tranquillè degendam hæc subsidia & solati a ab hominibus inuenta sunt, quæ neque insidias quæ vicinis tenduntur ita arceant vt illi miseri non sint: neque etiam faciant vt qui insidiis appetuntur, quamuis in tuto sint, tamen confidant. Nec vlla vnquam vrbs his solis ornamentis felicitatem & amplitudinem diurnam sibi quæsiuit: neque contra vlla vnquam ciuitas, quod sumptuosis ædificiis priuatis publicisque caruisset, prohibitum fuit quominus & ampla & fortunata euaderet. Sed aliud est quod vrbes seruat & magnas ex paruis facit. In externis bellis ipsa armorum potentia, quæ audacia & exercitatione comparatur. At in ciuilibus perturbationibus ciuium concordia. 121. 122.

NATVRA.

Hæc lex Naturæ apud omnes gentes recepta est, quam nullum tempus delebit, vt superiores inferioribus imperent. 7.

NECESSITAS.

Hominibus quotidiani victus inopia laborantibus Necessitas audaciam facile præbere potest. 29.

Necessitas est humana natura potentior. 488.

NOBILITAS.

Humanam nobilitatem in nulla alia re quàm in ipsa virtute positam censemus. 224.

NOMEN.

Neque existimabant nomen inuidiosum & molestum imponendum magistratui qui ciuitatis liberæ administrationem haberet, tum ipsorum subditorum causa, ne odiosis appellationibus perturbarentur, tum etiam vt cauerent ne iis qui magistratus acciperent vel per imprudentiam ab aliis iniuria fieret, vel ipsi aliis facerent. 300.

OFFICIVM.

Præstat serò incipere officium quàm nunquam 842.

ORATIO.

Fermè omnes Orationem animi vniuscuiusque imaginem esse existimant.3.

Quæ oratione dirimi non possunt, de his decerni solet armis.225.

OPINIO.

Grauis est ac perniciosa in bellis vel proditionis socio rum vel nouorum hostium aduentus inanis opinio quæ animos militum occupat.246.

PAVPERES.

Qui fortunæ iniquitate suæ patrimonia amiserunt, iis de bonis priuatis est benefaciendum.495.

PATRIA.

Patriam existimo non eam ciuitatem quæ me in ciuē abnegauit, sed eam à qua ciuis sum factus licet sim peregrinus: & regionem amicam puto non eam in quā affectus sum iniuria, sed in qua tutò manere possum.726.

PAX.

Equidem censeo eam pacem quæ fit inter cognatos & amicos esse præstantissimam & honestissimam quū omnis ira extincta & omnibus malis obliuioni mandatis, omnes sibi inuicem sine dolo, vltrò citróq. illatas & acceptas iniurias condonant. Minus verò honestam eam esse iudico in qua ipsa quidem populi multitudo criminibus liberatur, sed illi soli qui se mutuis iniuriis affecerunt coguntur iudicium subire, causam dicere & iure disceptare.217.218.

PECCATVM.

Eum qui semel vel precibus adductus, vel vi coactus peccauit, in cæteris eodem modo se gerere nō oportet: sed memorem prioris peccati cauere ne in poste rum in aliud simile incidat.682.

PERFIDI.

Isti longè deteriores sunt vel ipsis manifestis hostibus, & longè grauiori pœna digni. Nam facilè est cuiuis ab istorum insidiis sibi cauere, & eos quiuis hostiliter congressos repellere potèst: sed ab amicis qui hostiliter se gerunt, illi qui iam sunt præuenti neque facilè sibi cauere, neque eos propulsare possunt. 254.

PHILOSOPHI.

Veri Philosophi philosophiam non verborum sed præclarorum facinorum exercitationem putant. 1011.

PLEBS.

Plebi ingratæ res iniustas ac nefarias expetenti non ob temperandum est. 578.

Plebs est tyrannis ex multis capitibus constans. 579.

Amentiæ vulgus maximè est obnoxium. 579.

POENÆ.

Pœnæ leues non possunt refrenare iuuentutis insaniam & ingenij ferocitatem: neque possunt rerum honestarum contemptores ad temperantiam reducere. 147.

POPVLVS.

Reliqua turba (populus) est ciuitatis corpus, vim ac robur ad virorum præstantissimorum consilia exequenda ministrans. 224.

PRODITIO.

Homines ob cætera quidem delicta admissa solent irasci: sed quando est aliqua proditionis suspicio, existimant magnæ esse prudentiæ, si vel vano metu territi potius sibi ab ea caueant quàm ob eius contemptionem se funditus euerti patiantur. 427. 428.

PROSPERITAS.

Omnis prosperitas maximè inuidiosa est, præsertim ea in qua est contumelia & asperitas in homines afflictos ac miseros, ac in nostrâ potestatè redactos. 550.

PRO-

PROVIDENTIA.

Prouidentia præstantior est quàm pœnitentia, & improbis fidem non adhibere est maioris prudentiæ, quàm fide illis antè habita, eos postea accusare. 1034.

PROVIDENTIA DIVINA.

Diis curæ sunt res mortalium. 326.

Diuina prouidentia semper & aliàs vrbem Romam ex periculis eripuit, & ad mea vsque tempora incolumen etiam tuetur. 475.

PRVDENTES.

Hominum est prudentia præditorum amicis inimicitias condonare: contra, stultorum & barbarorum est, amicos cum inimicis tollere. 418.

Homines, qui alios antecellunt prudentia, quam longa ætas & longa adfert experientia, antequam rem aggrediantur euentum eius spectandum putant, non alterum tantùm quem sibi optant, sed eum etiam qui præter omnem expectationem accidere potest. 748.

Prudentes, & Reipubl. administrandæ periti, publica commoda priuatis simultatibus potiora ducunt. 1030.

PSEVDOHISTORICI.

Qui de rebus obscuris, aut prauis, aut nullius momenti historias conscribendas suscipiunt, siue quod cupiant innotescere & qualecumque nomen adipisci, siue quod copiam & vim in dicendo ostentare velint, eos ob hanc cognitionem posteri neque æmulantur, neque ob eloquentiam laudant, quia in animis eorum, qui historias ipsorum legendas suscipiunt, opinionem relinquunt se tale vitæ genus sequutos, qualia sunt scripta quæ in lucem ediderunt. Fermè enim omnes orationem animi vnius cuiusque imaginem esse existimant. At illi qui præstantissima argumenta eligunt, sed temerè ac negligenter ea ex quibuslibet rumoribus componunt ex tali proposito nullam laudem referunt. Indignum enim cẽsemus, si qui de claris ciuitatibus & viris am-

pla potentia præditis historias conscribunt, sint inconsiderati aut socordes. 2.3.

PVDOR.

Pudore, modestia ac iustitia omnis ciuilis societas conseruatur. 550.

PVSILLANIMITAS.

Talibus acceptis responsi Romani non abiecerunt animos, id quod solet accidere iis qui magnum aliquod bellum suscipiunt, & qui nullam auxiliorum spem habent. 486.

REGES.

Reges olim & quotquot à Patre traditum regnum accepissent, & quos ipsa plebs sibi principes constituisset, consilium habebant quod ex Optimatibus constabat, vt Homerus & antiquissimi poetæ testantur. Neque (vt nostro seculo) regnum ptiscorum dominatus erat nimium sui iuris, neque ab vnius sententia pendebat. 132.

REPREHENSIO.

Aliena facta reprehendere, vel cuilibet facillimum est. 976.

RESPVBLICA.

Reipublicæ summa in publicorum & priuatorum ædificiorum ornatu & splendore sita non est. Neque enim in bellis externis profundæ altæque fossæ sunt munimenta satis idonea ad certam securæ salutis spem hominibus inclusis afferendam: sed hoc tantum pollicentur, oppidanos repentina hostium insurtione obsessos cladem nullam accepturos. 121.

Bonis legibus & honestorum studiorum æmulatione, pia, temperans, iusta & re bellica præstans Respubl. redditur. 137.

RESPVBLICA BENE INSTITVTA.

Apud nos imperat, & Senator est, ac Reipub. consulit, aliisque honoribus fruitur, non qui multum opibus pol-

pollet, neque qui longâ suorum maiorum indigenarum seriem potest ostendere, sed quicunque his honoribus fuerit dignus. 223. 224.

REmpublicam similem esse vni homini dicebat in quo per quandam proportionem ac similitudinem animus senatum, corpus verò plebem refert. Si igitur patiantur plebem dementem imperare Senatui; ita illos facturos dicebat, vt qui animum corpori subiiciunt, & qui non ex rationis præscripto, sed pro sua libidine viuunt. Quod si assuefecerint plebem vt patiatur se regi & duci à Senatu, ita facturos vt qui animo corpus subiiciunt, vitæque genus degunt & sectantur quod est optimum, non autem quod est iucundissimum. 492.

Reſpubl. quodammodo humano corpori similis videtur. Vtrumque enim est compositum, & constat ex multis partibus, quarum singulæ nec eandem vim habent, nec vsus pares exhibent, &c. 608.

Quodnam maius infortunium REipublicæ accidere potest, quàm si optimi quique viri excindantur? 996.

SEDITIO.

Omnis Seditio in quauis ciuitate curari potest, si diffidiorum causæ tollantur. 605.

SILENTIVM.

Quæ multi sciunt, ea ne per minimum quidem temporis spatium tegi solent. 256.

SOCIETAS CIVILIS.

PUdore, modestia ac iustitia, omnis ciuilis societas conseruatur. 550.

SOCIETAS HVMANA.

Quicquid ex multis partibus constat, ita natura comparatum est, vt aliqua eius pars laboret? Præterea neque sempet pars quæ in humano corpore laborat resecanda est. Ita enim reliquum corpus aspectu turpe esset, nec ipsa natura diutius

duraret, neque etiam ciuilis societatis pars ægra expellenda est: hoc enim pacto corporis ciuilis partibus paulatim depereuntibus totum corpus exiguo temporis spatio interiret. 571.

STVDIA.

Qualia sunt publica ciuitatum studia, talis est etiã priuatorum vita. 491.

STVLTI.

Omnium stultorum id semper est ingenium, vt quum quis ipsis assentatur, magnificè de se sentiãt: at quum terror illis incutitur sapiant. 494.

Scitis omnes stultos (præsertim verò vulgus) in humiles arroganter, erga superbos demisse solere se gerere. 583.

SVPERBI.

Deorum indignatio omnibus superbis imminet. 156.

Omnes qui superbi sunt, & qui supplicum preces eum contumelia repellunt, in deorum indignationem incurrere, & tandem in miseras calamitates incidere animaduerti. 778.

TEMPERANTIA.

Ob temperantiam & iustitiam homines se minus mutuò lædentes, magis sunt concordes, & felicitatem non fœdissimis voluptatibus, sed honestate metiuntur. 137.

TEMPVS.

Tempus omnes res præclaras delet. 123.

Ipsa tempora multas res innouant. 501.

TYRANNI.

In tyrannis nulla est fides. 1060.

Tyrannorum cupiditates sunt infinitæ, vt verisimile est, quippe quæ metu non cohibentur. 161.

TYRANNIS.

Tyrannis omnibus studiosis libertatis est inuisa. 409.

Animi inconstantia, vel victus inopia, vel desiderium

rium licentiæ & commodorum tyrannidē comitari solent.420.

Vnius viri dominatus si fuerit crudelis & insolens & tyrannica studia insectari cœperit, à paucis iisque bonis viris euertitur: at paucorum dominatus qui ex optimis quibusque viris constat, quum diuitiis & sodalitiis elatus iustitiam cæteráque virtutes contemnit, à prudenti populo tollitur: populus verò quum à modestia recedere & ad iniuriam transire incipit, ab optimo viro ad suum officium vi retrahitur.688.

In vulgo tyrannis nasci solet.869.

TYRANNVS.

Nullus est qui non videat manifestè ex plebis adulatione omnē tyrannū fieri: & compendiosissimam esse viam iis qui ciuitatis libertatem opprimere vōlunt eam quæ per fauorem pessimorum ciuium ducit ad potentiam.577.

VERITAS.

Veritas prudentiæ & sapientiæ initium, in historiis est recondita.2.

VIR.

Pro viro eū non habuerim, qui nec hostibus est infensus, nec suæ salutis autores beneuolentia prosequitur.726.

Equidem existimo indignum viro, cui virtus quantulæcunque curæ est, si sine vllo discrimine inimicos & amicos occidat, & grauem atque implacabilem iram gerat in eos à quibus aliqua iniuria fuerit affectus præsertim verò si sæpius pœnas de illis, eásque acerbas sumpserit.745.

Nullus vnquam è mortali & caduco semine vir absolutè bonus nascetur, 789.

VIR MALVS.

Absurdum est putare eum qui ab aliquibus ex bono malus fuerit factus, eundem ab illis iterum ex malo bonum fieri posse.1026.

VIRTVS.

Res præclaras aggredi arduum paucísque datum. 876.

VIRTVTES.

Videtur verum esse quod ab antiquis philosophis dictum est, morales virtutes esse mediocritates, non autem extremitates: præcipuè verò iustitiam.

VITA.

Vita affert multa, eáque contra expectationem nostram. 246.

Qualia sunt publica ciuitatũ studia, talis est etiam priuatorum vita. 491.

VRBES.

In bellis externis profundæ altæque fossæ non sunt munimenta satis idonea ad certam securæ salutis spem hominibus inclusis afferendam: sed hoc tantùm pollicentur, oppidanos repentina hostium incursione obsessos cladem nullam accepturos. 121.

Vrbes exiguæ & infrequentes, ac propterea infirmæ, neque alias, neque seipsas regere possunt. 224.

Vrbem in periculis deserere, omnibus publicæ salutis studiosis id est metuendum. 488.

VSVS RERVM.

Omnia honesta & vtilia videntur vtentibus, quando quis rectè illis vtitur: turpia verò & detrimentosa, quando malos patronos & defensores sunt nacta. Huius autem rei causa est ipsa natura, quæ addit omnibus bonis quasdam etiam insitas pestes. 506.

VTILIA.

Res honestæ & vtiles semper apud homines potius quàm nusquam opportunè dici possunt. 1026.

VVLGVS.

Vide, Plebs.

FINIS.

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI,

ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER PRIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Authoris præfatio, in qua, post necessarium exordium de veri historici ingenio & officio, historiæ Romanæ præstantiam, consilij sui in ea scribenda rationes, & adminicula quibus, ad opus inchoandum & absoluendum, sit vsus, ostendit.

2 De priscis primisque Romæ incolis Siculis, quos Aborigines sequuti sunt, & horum migrationibus ac sedibus.

3 Aboriginibus Pelasgi & Tyrrheni succedunt, hi Arcades.

4 Græcorum aliorum in Italiam, duce Hercule, aduentus.

5 Herculis in Italia res gestæ, & post eius discessum quæ in Italia contigerint.

6 Aduentus Æneæ in Italiam, & variæ eius peregrinationes, antequam cum Latinis fœdus iniret, firmámque in Latio obtineret stationem.

7 Æneæ maiores, regnum, successor Ascanius, cuius gesta recensentur.

8 Syluius Ascanio succedens, Æneam filium reliquit, post quem Latinus, Alba, Capetus, Capys, Calpetus, Tiberinus, Agrippa, Allades, Auentinus, Procas, Amulius, Numitor, sceptrum regni Latini tenuerunt

9 Roma, quando, à quibus & quoties fuerit cõdita.
10 Postremorum Romæ conditorum, Rœmi videlicet ac Romuli origo & natales.
11 Quæ acciderunt dum Roma conderetur à Remo & Romulo. Potrò, à Troia capta & Æneæ aduentum ad Romam postremò conditam & primum Romuli (Remo fratre cæso) numerantur anni 437. vt ter Dionysius annotat, qui Romam septima Olympiade exstructam esse asserit.

PROOEMIVM.

RATIONES *quæ in historiarum proœmiis reddi solent*, licet *minimè velim*, tamen de me *præfari cogor*: *sed nec in propriis laudibus, quas auditoribus molestas esse scio, diutius immorari, nec in alios scriptores inuehi (quemadmodum Anaxilaus & Theopompus in suæ historiæ proœmiis fecerunt) at mea consilia aperire decreui, quibus impulsus fui quum animum ad istud opus componendum appuli, & rationem reddere facultatum per quas rerum scribendarum cognitionem sum adeptus. Persuasum enim habeo iis qui volunt sui ingenij monumenta posteritati relinquere, quæ vnà cum suis corporibus à vetustate minimè deleantur, præcipuè verò iis qui scribunt historias, in quibus veritatem, prudentiæ & sapientiæ initium, reconditam omnes existimamus, primùm eligenda esse argumenta præclara & magnifica, & quæ magnã vtilitatẽ lectoribus afferãt: deinde cum magna diligentia & industria idonea subsidia ad argumentum scribendum paranda. Qui enim de rebus obscuris, aut prauis, aut nullius momenti, historias conscribendas suscipiunt, siue quòd cupiant innotescere, & qualecunque nomẽ adipisci, siue quòd copiam*

& vitæ

& vim in dicendo ostentare velint, eos ob hanc cognitionem posteri neque æmulantur, neque ob eloquentiam laudant: quia in animis eorum qui historias ipsorum legendas susciperunt, opinionem relinquunt se tale vitæ genus sequutos, qualia sunt scripta quæ in lucem ediderunt. Fermè enim omnes orationem animi cuiusque imaginem esse existimant. At illi qui præstantissima argumenta eligunt, sed temerè ac negligenter ea ex quibuslibet rumoribus componunt, ex tali proposito nullam laudem referunt. Indignum enim censemus, si, qui de claris ciuitatibus & viris amplæ potentiæ præditis historias conscribunt, sint inconsiderati aut socordes. Quũ igitur historicis hæc necessaria & in primis spectanda existimarem, magnáque diligentia in his præceptis obseruandis usus essem, eæ neque silentio præterire, neque in alio quopiã loco potius quàm in ipso operis proœmio collocare volui. Quòd igitur præclarum & magnificũ multísque vtile argumentũ sumpserim, haud longa oratione (credo) probandum erit, iis saltem qui historiæ communis non sunt penitus imperiti. Siquis enim animum aduertens ad populorum gentiumque imperia, quæ à superioribus vsque seculis memoriæ sunt prodita, & separatim vnumquodque considerans, & inter se collata examinans, velit dignoscere quódnam ex iis maximum dominatum quæsierit, & pace bellóque res clarissimas gesserit: is comperiet quomodo imperium Romanũ cætera omnia quæ ante ipsum memorantur, lõgè superarit, non solùm imperij magnitudine & rerum gestarum splendore, quas nulladum oratio pro earum dignitate ornauit: sed etiam longitudine temporis, quod ipsum ad nostram vsque ætatem propagauit. Nam per-

uetustum illud Assyriorum imperium, & quod ad fabulosa usque tempora reuocatur, exiguam quandã Asiæ partem obtinuit. Medicum verò imperium euersos Assyrios, & parta maiore potentia, eam diu non retinuit, sed quarta ætate euersum est. At Persæ qui Medos debellarunt, tota fere Asia tandem sunt potiti sed Europæas etiam gentes aggressa paucas sibi adiunxerunt, imperiumque non multo amplius quam ducentos annos retinuerunt. Imperium verò Macedonicum, fractis Persarum opibus, imperij amplitudine omnia quotquot ante fuerant superauit: sed ne ipsum quidem diu floruit, at post Alexandri obitum in peius cæpit ruere. Statim enim in multos principes à successoribus distractum, & post illos ad secundam usque tertiamue ætatem progressum, ipsum per se debilitatum est, tandémque à Romanis deletum. Verum, ne ipsum quidem omnes terras omniáque maria in suam ditionem redegit. neque enim Africæ, quæ late patet, nisi partis Aegypto proximæ, potitum est: neque totam Europam subegit, sed ab eius septentrionalibus partibus ad Thracium usque processit, ab occidentalibus verò usque ad Adriatium mare descendit. Superiora igitur imperia, quæ clarissima fuerunt, vt ex historia accepimus tãtum incrementum tantúmque robur adepta, euersa sunt. nam Græcorum opes nequaquam cum his sunt conferendæ: quia neque tãtam imperij amplitudinem, neque tam diuturnum splẽdorem habuerunt. Athenienses enim annos duodecim & uaginta ipsi tantùm oræ maritimæ, atque ne huic quidem toti, sed ei quæ est intra Euxinum mare & Pamphylium pelagus; quo tẽpore maximum maris imperium habuerunt, imperarunt. Lacedæmonij verò, quũ Peloponnesi & reliquæ

liquæ Græciæ essent domini, ad Macedoniã vsque imperiũ propagarunt: sed à Thebanis eo spoliati fuerunt, quũ ne trigintà quidem integros annos id retinuissent. At resp. Romana totius terræ, quæ nõ est deserta, sed ab hominibus incolitur, imperiũ habet: & totius maris est domina, non solùm eius quod est intra columnas Herculis sed & Oceani quacunque nauigari potest, primáque & sola post hominum memoriam ortu & occasu fines imperij sui terminauit: eiúsque potentia non ad exiguum tempus durauit, sed quantum nulli alij vel reipub. vel regno contigit. Statim enim ab initio post vrbem conditam finitimas gentes, quæ multæ & bellicosæ erant, sibi adiunxit, omnésque aduersarios semper subigendo progressus fecit. Ab his autem rebus vsque ad Cl. Neronẽ iterum & Calpurnium Pisonem coss. qui CXCIII. Olympiade creati fuerunt, iam sunt septingenti quadraginta quinque anni. Ex quo autem totam Italiam subegit, & totius orbis terræ imperium affectare est ausa, exturbatis è mari Carthaginensibus qui opibus naualibus plurimum pollebant, & Macedonia in suam potestatem redacta, quæ eo tempore terrestribus copiis plurimum posse existimabatur, nullum amplius habens aduersarium, aut barbaram gentẽ aut Græcam, septimam iam etatem ad meam vsque omnium locorum domina permanet. Nec vlla gens est (vt ita dicam) quæ de vniuersi orbis principatu cum ea contendat, aut eius imperium detrectet. Sed enim, quod neque leuissimum argumentum (vt dictum est) delegerim, neque in rebus futilibus & obscuris immorari statuerim, verùm de ciuitate maximè illustri scribã, & de rebus gestis, quibus splendidiores à nullo ostendi possent, non video cur pre-

lixiore oratione sit probandum. QVOD autem non sine consilio & matura prouidentia ad narrandum priscas de ea historias animum aduerterim, sed mei cõsilij probabiles rationes habeam, quas reddam, pauca præfari volo: ne qui eorũ, qui in omnibus rebus ad criminandum sunt propensi, nondum auditis iis quæ sum declaraturus, mihi succenseãt, quòd ciuitatis nostra ætate celeberrimæ, ab initijs valde obscuris & humilibus, atque indignis quæ historiæ mandentur, profectæ, nec multis ante seculis splendorem & gloriam adeptæ, (ex quo Macedonicum imperium euertit, & bella Punica feliciter confecit) quum illustre aliquod argumentũ mihi suscipere liceret, ad antiquitates parum illustres, scribendum declinarim. Adhuc enim omnibus ferè Græcis vetus Romanæ ciuitatis historia est ignota, & quædam opiniones non veræ sed ex quibuslibet ac vanis rumoribus natæ multos deceperunt, quosdam sine laribus, & errones ac barbaros, eósque minimè liberos, eius conditores fuisse: ipsam verò non pietate & iustitia, cæterisq; virtutibus ad omnium imperium tẽporis progressu prouectã. sed casu quodam & iniquitate fortunæ, quæ maxima bona hominibus maximè indignis temerè largitur. atque homines maligni fortunam apertè incusare solent, quòd nequissimis barbaris bona Græcorum dederit. Sed quid opus est alios memorare? quando etiam scriptores nonnulli ausi sunt hæc in suis historiis scripta relinquere barbaris regibus, qui imperium oderant quibus ipsi perpetuò inseruientes, & ad voluntatem loquentes, historias, neque iustas neque veras in eorum gratiam composuerunt. Quum igitur has falsas opiniones (vt dixi) ex animis meorum ciuium velim euellere,

& veras

& veras in earum locum inſerere, de vrbis conditoribus, quinam fuerint, & quibus ſinguli temporibus conuenerint, & quibus acti caſibus patrias ſedes reliquerint, in hoc libro declarabo: in quo polliceor me demonſtraturum eos & Græcos fuiſſe, & ex gentibus non minimis aut viliſſimis conueniſſe. Res verò quas ſtatim ab vrbe condita geſſerunt, & ſtudia quibus eorum poſteri ad tantam imperij amplitudinem progreſſi ſunt, ſacto initio ab inſequenti libro narrabo: nihil, quantum in me erit, omittens eorum quæ digna ſunt quæ hiſtoriæ mandentur: vt hominibus tunc demum veritate cognita, in mentem veniat quæ decet etiam de hac ciuitate ſentire, niſi animo penitus ſæuo & hoſtili in eam ſint: neque iuſtam ſeruitutem moleſtè ferre: (hæc enim lex naturæ apud omnes gẽtes eſt recepta, quam nullum tempus delebit, vt ſuperiores inferioribus imperent) neque fortunam incuſare, quaſi indignæ ciuitati tantum imperium & tam diuturnũ gratis dederit, hoc ſaltem ex ipſa hiſtoria edocti, quòd hæc vrbs ſimul atque primùm eſt condita protulit ſexcentas virtutes virorum, quibus nec pietate, nec iuſtitia, nec perpetua per omnem vitam temperantia præſtantiores, ac ne rebus quidem bellicis certatores excellentiores vlla vnquam ciuitas aut Græca aut barbara tulit: ſin minus, ab oratione abſit inuidia: polliciationem enim rerum quæ omnem penè fidem ſuperant, & quæ ſunt admirandæ, neſcio quid eiuſmodi comitatur, neque omnes qui eam ad tantam imperij amplitudinem prouexerunt, à Græcis ignorantur quòd hiſtoricum celebrem nacti non fuerint. Nulla enim de iis Græca hiſtoria accuratè ſcripta ad noſtra vſque tempora in lucem prodijt, præter quædam compẽdia in ſumma re-

dacta, eáque perbreuia. Ac primùm quidem Hieronymi Cardiani historici, qui Romanas antiquitates in historia de Epigonis breuiter perstrinxit: deinde Timæi Siculi, qui res quidem priscas vniuersali historia complexus narrauit, at bellis cum Pyrrho Epirota gestis proprium volumen seperatim dicauit. his adde Antigoni, Polybij, Sileni, & sexcentorum aliorum qui res eas dē sed diuersa ratione, sunt aggressi. Quorū vnusquisq; exiguū opus, ac ne id quidem debitā cura & diligentia, sed ex quibuslibet vanis rumoribus compositum scriptis mandauit. His autem similes, & nulla in re discrepantes historias in lucē ediderunt Romani homines quotquot res priscas suæ ciuitatis sermone Græco scripserūt: quorū vetustissimi sunt, Q. Fabius, L. Cincius qui ambo bellis Punicis floruerunt. Horum virorum vterque res quibus ipse interfuit, vtpotè probè sibi notas, diligēter scriptis mandauit: res verò priscas, quæ post vrbem conditam gestæ sunt summatim percurrit. Has igitur ob causas præclaram historiam superioribus intactam visum est mihi silentio non præterire: ex qua accuratè scripta hæc duo, quæ sunt & optima & æquissima, euenium: vt viri fortes qui fatum suum implerunt, gloriam immortalem adipiscantur, & à posteris laudentur (quæ faciunt vt mortalis natura ad diuinam proximè accedat, nec rerum gestarum memoria vnà cum ipso corpore pereat) vtq; diuinorum illorum virorum & præsens & futura progenies non iucundissimum & facillimum, sed generosissimum & laboriosissimum vitæ genus sequatur: dum secum reputat debere eos qui generis præclara primordia ceperunt, magnificè de se sentire, & nulli rei maiorum institutis indignæ operam

dare

dare. Ego verò qui non assentationis causa ad hoc opus animum appuli, sed veritatis & æquitatis studio, (qui præcipuus debet esse omnis historiæ scopus,) primùm qui den vt consilium meum omnibus viris bonis, & honestarum magnarúmque rerum cognoscendarũ cupidis fructuosum esse demonstrem: deinde verò gratiam quã possum referam ciuitati, meæ educationis, & aliorum commodorum quibus in ea degenti mihi frui contigit. QVVM autem consilij mei rationem iam reddiderim, volo adhuc verba facere de adiumentis quæ habui quib hoc opus scribendum aggressurus essem. Fortasse enim qui prius legerunt Hieronymum, aut Timæum, aut Polybium, aut aliquem ex aliis scriptoribus, de quibus paulò antè mentionem feci, quòd sua scripta in summam redegerunt, breuiterque perstrinxerũt, quum multa quæ à me scribuntur apud illos non inuenerint, hæc à me fingi suspicabũtur, & vnde ego hanc rerum cognitionem adeptus fuerim scire volent. Nequis igitur talẽ de me opinionem concipiat, præstat vt quibus rationibus impulsus, & quibus commentariis adiutus fuerim explicem. Ego quum in Italiam nauigassem, statim post finem bello ciuili ab Augusto Cæsare impositum, circa mediam Olympiadem centesimam octogesimam septimam, & ab illo tempore ad hanc vsque diem annos viginti & duos Romæ mansissem, & sermonem Romanum edidicissem, literarúmque illius regionis cognitionem adeptus fuissem, toto hoc tempore in curam eorum, quæ ad huius mei operis argumentum spectabant, perpetuò incubui: & quum alia à doctissimis viris, in quorum consuetudinem me insinuaram, edoctus accepissem, alia ex historiis decerpsissem, quas Romani autores ab ipsis lauda-

ti composuerunt, Porcius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antias, Licinius Macer, Aelij, Gellij, Calpurnij, & præter istos multi alij viri non ignobiles, quorum cõmentarijs usus (sunt aũt Græcis annalibus similes) tunc demum hãc historiam sum aggressus. Atque hæc de me ipso dixerui. RELIQVVM est vt & de ipsa historia illud præroneam, quæ tẽpora & quas res sim narraturus, & quam formam operi daturus. Historiã aũt ordiar ab antiquissimis fabulis, quas superiores scriptores prætermiserunt, quòd non sine difficultate & magno negotio reperiri possent. deducam autem narrationẽ vsq; ad initiũ primi belli Punici, quod fuit anno tertio octuagesimæ octauæ supra centesimam Olympiadem: narrabo autem & omnia bella externa, quæ P.R. illis temporibus gessit, & intestinas seditiones quibus laborauit, quibúsque ex causis ortæ fuerint, quibúsve modis & rationibus sedatæ. Persequar ẽt omnia genera status ciuitatis, quibus est vsus & sub regibus & post exactos reges, & quis ordo ac disciplina eorũ vniuscuiusq; esset: mores ẽt optimos & leges clarissimas narrabo, & in summa, totã illius populi priscam viuendi rationem demonstrabo. Operi verò formam dabo, nec qualem bellorum scriptores suis historiis dederunt, nec qualem qui rerum publicarũ status separatim narrarunt, neque annalibus similẽ, quos ediderunt qui res Atticas scripserunt. (illi enim sunt simplices, & auditores citò offendunt) sed mixtam ex quolibet genere rerum cùm earum quæ in ipsa actione, tum earum quæ in sola contemplatione versantur, vt satisfiat, & iis qui ciuilibus negotiis vacant, & iis qui philosophicæ contemplationi dant operam, & siquibus quieta oblectatione in historiarum lectione opus erit.

Mea

Mea igitur historia de hisce rebus aget, & talem formam sortietur. Autor verò eius sum ego, DIONYSIVS ALEXANDRIF. *Halicarnasseus. Atque hinc exordior.*

2 VRBEM *terræ marisque totius dominam, quã nunc Romani incolunt, primi omnium qui memoriæ sunt proditi, feruntur tenuisse barbari Siculi, gens indigena. antè verò aliósne colonos habuerit, an inculta fuerit, nemo potest certò dicere. sed postea eam longo bello antiquis dominis ereptam occuparunt Aborigines, qui antè in montibus sine mœnibus vicatim & passim habitabant. Sed postquam Pelasgi & alij quidam Græci admixti eos inuerunt in bello contra finitimos populos, Sicula gente inde expulsa, multas vrbes mœnibus cinxerunt, & in suam potestatem redegerunt totum illum agrum, quem amnes duo, Liris & Tiberis, terminant, qui suos habent fontes ad radices Apenninorum montium, à quibus tota Italia bifariam in longitudinem diuiditur: &* DCCC. *fermè stadiorum inter vtriusque ostia interstitio in mare Tyrrhenum erumpunt. atque à septentrione Tiberis prope vrbem Ostiam se exonerat: à meridionali plaga Liris Minturnam alluit. Ambæ autem hæ ciuitates sunt Romanorum coloniæ: atque ijdem homines, mutatis tantùm appellationibus, in ijsdem sedibus à nullis aliis amplius expulsi, perpetuò remanserunt, vetúsque Aboriginum nomen vsque ad bellum Troianum adhuc seruarunt, & à Latino rege, qui belli Troiani temporibus regnauit, Latini dici cœperunt. Quum autem Romulus sextadecima ætate post bellum Troianum vrbem sibi cognominem*

condidisset, nomine quod nunc habent sumpto temporis progressu in gentem maximam ex minima, & ex obscurissima in clarissimam euaserunt: dum larum egenos apud se comiter recipiunt, & viris fortibus bello deuictis ciuitatem impertiuntur, & suis libertis ius ciuium concedunt, & nullam hominum conditionem, quæ rempub. iuuare posset, aspernantur: sed præcipuè pulcherrimis reip. administrãdæ institutis, quæ variis casibus elabibusque, ex qualibet occasione aliquam vtilitatem capientes, constituerunt. Cæterùm, Aborigines Romani generis autores, alij indigenas Italiæ gentem ipsam ex se oriundam asserunt, (Italiam autem voco totam illam oram quam Ionius & Tyrrhenicus sinus, & Alpes tertiæ à continente ambiunt) nomenque primùm illis inditum, quòd posteris suis generis autores fuissent, quemadmodũ nos Græci diceremus γενάρχας aut πατροβούους. Alij verò aiunt quosdam sine laribus, & errones, qui ex variis locis conuenerant, fortè fortuna sibi inuicem occurrisse, & sedes in locis munitis posuisse, & latrocinio ac re pecuaria vixisse. Horum autem nomen detorquẽt in id quod casibus ipsorum magis conuenit, Aberrigines appellantes, vt errones eos fuisse demonstrent. Quamobrem secundum istos nullum fere discrimẽ erit inter Aboriginum gentem, & eos qui à veteribus Leleges appellabantur. Illi enim hominum generi quod laribus carebat, quodq; ex mixta variarum gentium colluuie cõstabat, & quod nullas certas sedes vt patriam habebat, hoc nomen sæpe imponebant. Alij verò fabulãtur eos fuisse colonos Ligurum, qui Vmbris sunt finitimi. Ligures enim multas Italiæ partes habitant, Galliæ etiam quasdam incolunt. Vtra autẽ sit eorum patria incertiõ

est (nihil enim certi de iis præterea dicitur.) sed doctissimi Romanorum scriptorum inter quos est Porcius Cato, qui Italica uim urbium origines accuratissimè collegit, & C. Sempronius, & multi alij, aiunt eos esse ex iis Græcis qui quondam in Achaia habitarunt. & multis ante bellum Troianum ætatibus inde migrarant. Verumtamen verbis disertis non scribunt aut ex qua Græca natione fuerint, aut ex qua urbe migrarint, aut quo tempore, aut quo coloniæ duce, aut quibus acti casibus antiquam patriam reliquerint: & fabulam Græcam sequuti, hoc nullius autoris Græci testimonio confirmarunt. Rei igitur veritas quomodo se habeat incertū est. Quòd si istorum sermo est sanus ac verus, non possunt coloni esse ullius alterius generis quàm Arcadici. Nam hi primi Græcorum, duce Oenotro Lycaonis filio, Ionico sinu traiecto, Italiam habitarunt. hic autem quintus erat à Pelasgo & Phoroneo, qui primi in Peloponneso regnarunt. Ex Phoroneo enim Niobe: ex hac & Ioue (ut fertur) Pelasgus natus. Pelasgi verò filius Lycaon: huius filia Deianira: ex Deianira & Pelasgo, Lycaon alter genitus: ex hoc, Oenotrus septēdecim ætatibus ante Troianam expeditionem. Hoc igitur est tempus quo colonia à Græcis in Italiam missa fuit. Oenotrus autem è Græcia migrauit sui patrimonij portione non contentus. Quum enim XXII. filij Lycaoni essent, in totidem partes agrum Arcadicū diuidi oportebat. Hanc igitur ob causam Oenotrus, relicta Peloponneso, classéque parata, Ionium mare traiecit, vnáque Peucetius, vnus è fratrum numero: multíque populares eos sunt sequuti: (hæc enim gens olim frequentissima fuisse fertur) & ex aliis Græcis quotquot agrum habebant minorem quàm satis esset.

Peucetius igitur ad quam Italiæ partem primùm appulit supra Iapygiæ promontorium suus expositus, ibi consedit, & ab eo horum locorum incolæ Peucetij sunt appellati. Oenotrus verò cum maiore exercitus parte ad aliũ sinum appulit, ab occidente Italiæ latus alluentem, qui tunc Ausonius ab accolis Ausonibus dicebatur. sed postquam Tyrrheni imperio maris sunt potiti, nomen mutauit in illud quod nunc retinet. Nactus autem amplam regionem pascuis amplam arationi aptam, sed maxima ex parte desertam, ac ne illam quidem quæ incolebatur, magno hominum numero frequẽtatam, quadam eius parte à barbaris purgata, vrbes paruas & crebras in montibus condidit: qui mos condendi veteribus familiaris fuit. Tota autem illa ampla regio quam tenuit, OEnotria vocata est, omnésque quibus imperauit, tertio hoc nomine assumpto, OEnotri sunt appellati. Pelasgo enim regnante, Pelasgi appellabantur: sed quum Lycaõ imperium à patre sibi relictum accepisset, ab illo rursus Lycaones sunt dicti: quum autem Oenotrus eos in Italiam transportasset, OEnotri aliquandiu vocati sunt. Meæ autem orationi Sophocles tragicus in Triptolemo fidem facit. In illa enim fabula inducitur ab eo Ceres, docens Triptolemum quantum terrarum seminandis à se acceptis frugibus peragrare necesse habeat: primùm facta mentione orientalis Italiæ, quæ ab Iapygiæ promontorio vsque ad fretum Siculum extenditur: deinde Siciliæ oppositæ facta leuiter mentione, ad occidentalem Italiam redit, & gẽtes maximas, quæ oram istam incolunt recensens, initio ab OEnotrorum sedibus facto. Satis autem erit hos solos iambicos versus afferre, in quibus ait, A tergo ad dextram OEnotria omnis

& Tyr-

& Tyrrhenicus Sinus & Liguria te excipiet. *Antiochus aũt Syracusanus, anti, uissimus historicus, ubi de Italia cõdita agit, veteres colonos recensens, & quam eius partem singuli occuparint, ait OEnotros primos post hominum memoriam in ea habitasse: sic aũt ille,* Antiochus Xenophanis F. hæc de Italia scripsit, ex veterũ monumentis ea quæ maximè probabilia & certissima erant [excerpens.] Hanc regionẽ quę nũc Italia vocatur, olim tenuerũt OEnotri. *Deinde, post quam cõmemoravit reip. formã qua utebantur, & Italũ ad tempus regem eorũ fuisse, à quo mutato nomine, dicti sunt Itali: huic aũt Morgetem successisse, à quo Morgetes appellati: & Siculum à Morgete hospitio exceptũ, dũ propriũ sibi imperiũ struit gentẽ dimisisse: hæc subjecit,* Ita igitur Siculi, & Morgetes, & Itali fuerunt, qui erant OEnotri. *Sed age, & quantũ esset OEnotrorũ genus demonstremus, allato ex priscis scriptoribus alius viri testimonio, Phexecydis inquã, qui nulli Athenien-siũ in scribendis genealogiis secundus fuit. Ille. n. de regibus Arcadiæ sic loquitur,* Ex Pelasgo & Deianira natus est Lycaon. hic duxit vxorẽ Cyllenẽ, Naidem nymphã, à qua mõs Cyllene dictus. *Deinde postquã recensuit eorũ liberos, & quænã loca eorum vnusquisque habitarit, Oenotri & Peucetij meminit his verbis,* Et OEnotrus, à quo OEnotri nominantur qui in Italia habitãt: & Peucetii, qui in sinu Ionio. *Quæ igitur ab antiquis poetis & fabularũ scriptoribus de sedibus & genere Oenotrorũ scriptis sunt prodita, hæc sunt: quæ ego sequutus, si verè Aboriginũ gens Græca fuit (vt Cato & Sempronius, multique alij dixerunt) horum OEnotrorum progeniem eam fuisse credo. Pelasgos enim &*

Cretenses, aliósque qui in Italia habitarunt, posterioribus temporibus eò venisse comperio. Classem autem hac antiquiorem, quæ in occiduas Europæ partes ex Græcia migrarit, nullam reperire queo. Arbitror autem ipsos Oenotros cùm multa alia Italiæ loca occupasse, quæ partim deserta, partim malè culta nacti fuerãt tũ etiam agri partẽ aliquam Umbris ademisse: Aborigines autem vocatos quòd in montibus habitarent (Arcadicũ enim est montium habitatione delectari) vt ij qui Athenis Hyperacrij & Parhalij vocabantur. Quòd siqui naturâ comparatum habent vt ad ea quæ de rebus priscis dicuntur temerè admittendum, non sint facile, illi etiam ne faciles sint ad credendum eos aut Ligures, aut Umbros, aut alios quospiam barbaros fuisse: sed vbi expectarint donec & cætera cognorint, tunc demũ id quod omniũ maximè probabile fuerit, judicent. Oppida aũt in quibus Aborigines habitarũt, pauca supererãt ætate mea, maxima verò eorũ pars bellis aliisq; pestiferis calamitatibus oppressa, desolata est. Erant autem in Reatino agro, non longè ab Apenninis montibus, (vt Terẽtius Varro in suis Antiquitatibus scribit,) ab erántque à Roma, quæ minimum, iter vnius diei. quorum præcipua ego (vt ille prodidit) narrabo. Palatium, quod xxv. stadia distat à Reate, vrbe à Romanis, meis etiam tẽporibus, habitata, prope viam Quintiam: Trebula, (quæ Tribola) ab eadem vrbe circiter L x. stadia distat, in modico colle sita: Vesbola, quæ eodẽ interuallo à Trebula abest prope Ceraunios montes. Ab ea autem quadraginta stadia, Suna, vrbs insignis, vbi est templũ Martis peruetustum. Mephyla verò triginta circiter stadia longè à Suna: cuius ruinæ & murorum vestigia extant,

extant. Quadragesimo autem stadio à Mephyla Oruinum vrbs, siqua alia, in eo tractu insignis & magna. Apparent enim & fundamenta eius murorum, & monumenta quædam quæ veterem magnificentiam retinẽt, & ambitus sepulchrorum per celsos aggeres porrectorũ. Hic etiam est vetustum Mineruæ templum, in arce ex tructum. Octogesimo autem à Reate stadio, euntibus Iuria via, iuxta Coretum montem, Cursula, nuper diruta. Ostenditur & quædam insula, cui nomen Issa, palude cincta, quàm absque munitione manu facta incolæ, cœnosis ac palustribus aquis freti tanquam mœnibus, habitasse feruntur. Isse proximum est Maruuium, in intimo eiusdem paludis recessu situm, distans quadragesimo stadio à Septẽ aquis, quæ ita vocantur. Rursus à Reate versus Latinam viam euntibus occurrit Vatia, ad trigesimum stadium: Tiora verò, quæ & Matiera vocatur ad trecentesimum inde stadium. In hac antiquissimum Martis oraculum fuisse fertur, non absimile illi (vt aiunt) quod Dodonæ quondam fuisse fabulis proditur: nisi quòd illic columbam in sacra quercu sedentem oracula reddere solitam dicunt: at apud Aborigines auis diuinitus missa, quam ipsi picum, Græci δρυοκολάπτην vocant supra columnam ligneam apparens idem faciebat. Ab vrbe autem ante dicta aberat XXIIII. stadia Lista, metropolis Aboriginum, quam olim Sabini nocta ex Amiterna vrbe profecti ex improuiso ceperũt: qui verò capta vrbe euaserunt à Reatinis recepti, quum sæpius eam recuperare tentassent, nec tamen potuissent, agrum eorum, quasi adhuc esset suus, diis consecrarunt, diris deuouentes eos qui fructus in posterum ex eo caperent. Septuagesimo à Reate stadio clara

vrbs Cutilia, montí adiacens: & ab ea non longè lacus, cuius amplitudo est quatuor iugerum, aquarum natuarum semper fluentium plenus, immensæ, vt fertur, profunditatis. Hunc autem, quòd nescio quid diuini habeat, indigenæ sacrum Victoriæ putant, eumque coronis cinctam, ne quis ad latices accedat, in accessum seruant: nisi quibusdam anniuersariis temporibus, quibus sacra ritu suo faciunt, ascendentes insulam eius quibus est fas. Illa autem diametrum habet fermè quinquaginta pedum, nec plus quàm pedem ex aquis eminet. Est autem instabilis, & in varias partes fluitat, vento eam modò huc modò illuc impellente. In ea verò herba quædam nascitur butomo similis, & frutices quidam non magni, res quæ sup rat captum eorum qui vim naturæ non sunt contemplati, & nullo miraculo inferior. In his igitur locis Aborigines, expulsis inde Vmbris, primas sedes seruntur posuisse. HINC autem excurrentes, tum cum aliis barbaris tum verò præcipuè cum Siculis confinibus armis de agro decertabant, ac primùm quidem sacra quædam inuentus egressa exiguo numero, victus quærendi causa à parentibus suis emissa, more prisco, quem apud multos & barbaros & Græcos receptum scio. Quoties enim vulgi multitudo in aliquibus ciuitatibus ita creuisset vt domestica alimenta omnibus sufficere non possent, aut aeris intemperie terra læsa fruges solita pauciores protulisset, aut aliquis alius huiusmodi casus siue bonus, siue malus, ciuitatibus multitudinis minuendæ necessitatem imposuisset, deo cuipiam consecrantes annuam hominum progeniem, ex suis finibus armis instructam emittebant. Et si pro felici hominum prouentu aut victoria in bello parta gratias diis agerent, per-

actis

actis antè sacris solẽnibus, fauſtis ominationibus colonias proſequebantur: ſin inratis diis præſentium malorum finẽ poſcerent, idem ferè faciebant, ſed mœſti, & veniam petentes ab iis qui expellebantur. Illi verò inde migrantes, patria in poſterum caituri, niſi aliã quæ ſe reciperet, pararent quã vel gratia vel armis quæſiſſent, eã patriæ loco habebãt: deuſq. cui dicati fuiſſent ỹ qui abigebantur, eos plerunq; adiuuare coloniaſq. eorum præter ommẽ hominum opinionem fortunare videbatur. Illum igitur morẽ ſequuti tum quoque Aboriginum quidã, regione viris florente (nullos enim filios volebant necare, quia id longè omnium grauiſſimum piaculum putabant) deo cui piam cõſecrata annua progenie filios, vbi virilem ætatem attigiſſent, colonos aliò miſerunt: qui ſimulatque patrium ſolum reliquerunt, res Siculorum agere ac ferre nõ deſtiterunt. Vt verò ſemel hi quibuſdam hoſtilis agri locis potiti ſunt, tutiùs iam & reliqui Aborigines, agrorum inopes, ſuos quiſque vicinos aggreſſi ſunt: vrbeſque condiderunt cum aliàs, tum eas quæ ad hanc vſque ætatem incoluntur, Antemnas, Tellenen, Ficulneam, ſitam prope montes qui Corniculi vocantur, & Tibur, vbi ad hoc vſque tempus pars quædam vrbis Siculetum vocatur: nec vllam aliam finitimam gentem magis quàm Siculam infeſtabant. Ex iſtis autem controuerſiis bellum inter gentes integras exortum eſt, quantum nullum aliud ſuperiorum in Italia geſtorum: quod & maximè diuturnum fuit. deinde Pelaſgi quidam, ex iis qui habitabant in ea quæ Theſſalia vocatur, ſuas ſedes relinquere coacti, in partem ſedium recepti ſunt ab Aboriginibus, opibuſque communibus bellum contra Siculos geſſerunt. Aborigines autem for-

tasse auxilij spe, sed (vt ego arbitror) potissimũ ob cognationẽ eos receperunt. Pelasgorũ.n. gens Græca erat antiquissima ex Peloponeso oriunda: fortunã autẽ aduersam experta est cùm multis aliis in rebus, tũ præcipuè in eo quod variis actа erroribus fuerit, nullasque certas sedes habuerit. Primùm enim circa Achaicũ Argos, quod ita nũc vocatur, quũ essent indigenæ (vt multi aiunt) habitarunt. hoc autẽ nomen à rege Pelasgo antiquissimo acceperunt. Pelasgus autẽ filius erat Iouis (vt fertur) & Niobes, Phoronei filiæ. cũ qua primũ uere mortali Iupiter rẽ habuit, vt fabulis proditur. Sextaq; post ætate Peloponneso relicta, in Hæmoniã, quæ tunc ita appellabatur, nunc verò Thessalia vocatur, migrarũt. Coloniæ autem duces erant, Achæus, Phthius & Pelasgus, Larissæ & Neptuni filij: qui in Hæmoniã profecti, barbaros eius incolas expulerunt, & agrũ trifariã diuiserunt: easq; partes à coloniæ ducibus, Phthiotidẽ, Achaiam & Pelasgiam denominarunt. Quũ autẽ quinq. ætates ibi mansissent, quibus ad maximã felicitatẽ sunt proiecti, fructus ex præstantissimis Thessaliæ cãpis percipientes, circa sextã ætatẽ eos inde expulerunt Curetes & Leleges, qui nũc Aetoli & Locri vocantur, aliiq; multi Parnassi accolæ, ductu Deucalionis filij Promethei, & Clymenes Oceani filiæ. Quũ autem in ipsa fuga dissipati fuissẽt alij eorum in Cretã abierunt: alij quasdã insulas Cyclades occuparunt: alij circa Olympũ & Ossam in ea quæ Hestiotis vocatur, sedes posuerunt: alij in Bœotiã, Phocidem & Euboeam delati sunt: alij, quum in Asiam traiecissent, circa Helleſpontum multa maritima loca occuparunt, & ex insulis adiacentibus cùm multas alias, tum eam quæ nunc Lesbos vocatur, mixti Græcis, qui

primam

primam coloniam ductu Macaris Criasii Filij, eò deducebant. Sed quum maxima eorum pars per loca mediterranea se cõtulisset ad Dodonæos suos cognatos, (quibus, vt sacris, nemo bellum inferre volebat) modicum quoddam tempus ibi sunt commorati sed vbi eos à se grauari censerunt, quòd terra omnibus alendis non sufficeret, eam regionem reliquerunt. sequuti oraculum quo iubebantur in Italiã nauigare, quæ tunc Saturnia vocabatur. Quare paratis multis nauibus mare Ionium traiecerunt, orã Italiæ proximam attingere contendentes: sed flante austro, & locorum ignari, in altum delati, ad vnum Padi ostium, Spinetum appellatum, appulerunt, nauésque in hoc ipso loco reliquerunt. & turbam laboribus ferendis imparem, collocato ibi præsidio, vt, nisi res sibi succederent: refugium haberent. Qui verò in eo loco remanserunt castra muris cinxerunt, & res ad victum necessarias nauibus abundè importarunt: atque quum res ex animi sententia sibi succedere existimarunt, vrbem ostio fluminis cognominem condiderunt: & fortunatissimi fuerunt omnium maris Ionij accolarum, diu maris imperio potiti: & decimas ex maritimis prouentibus, si qui alij, splendidissimas Delphos deo mittebant. Postea tamen quum barbari accolæ magna manu bellum illis intulissent, vrbem deseruerunt: barbari verò tandem posteà à Romanis inde fuerunt pulsi. atque Pelasgorum genus, quod ad ostium Spineticum fuerat relictum, ita interiit. Qui verò ad mediterranea se cõuerterant, superatis Italiæ locis montanis, in Vmbrorũ Aboriginibus finitimorum regionẽ peruenerunt. nam & multa alia Italiæ loca Vmbri incolebant, atque hæc gens erat cum primis ampla, & antiqua. Initio igitur Pelasgi agros occuparunt,

in quibus primùm sedes fixerunt. & quædam Vmbrorum oppidula ceperunt. Sed quum ingens exercitus contra eos conueniſſet, hoſtium multitudine territi diſceſſerunt, & in Aboriginum regionem ſe contulerunt. atque Aborigines eos vt hoſtes tractandos cenſuerant, & celeriter ex proximis locis in vnum confluxerant, vt eos inde pellerent. At Pelaſgi (tunc enim forte fortuna ad Cotylen Aboriginum vrbem, iuxta ſacrum lacum diuerterant) poſtquam aduenerunt paruam inſulam, quæ in eo lacu agitabatur, & ex captiuis, quos in agris interceperant, auinerunt nomen eorum qui regionem illam incolebant, oraculum ſibi redditum ad finem ſuum perductum crediderunt. nam oraculum, quod ipſis Dodonæ redditum fuerat (quod L. Mamius, vir non obſcurus ſe vidiſſe dicit in quodam tripode qui in Iouis templo ſacratus erat literis antiquis inſculptum) ſic habebat,

Ite quærentes Siculorum Saturniam terram,
Et Aboriginũ Cotylẽ, vbi inſula vehitur [aquis]:
Quibus [Aboriginibus] permixti, decimas mittite Phœbo,
Et capta Ioui, & patri [ipſius] mittite virum.

Aduentantibus autem cum magno exercitu Aboriginibus, occurrerunt Pelaſgi ſupplices ac inermes, oleæa ramos prætendentes: expoſitisq; ſuis caſibus, eos orarunt vt ſe, nequaquã graues ipſis futuros, in amicitiam partemq; ſedium reciperent. Et oraculum interpretati, ſe in illam ſolam regionem ſibi reliquam dei monitu delatos dixerunt. Quũ autẽ Aborigines hæc intelleXiſſent, exiſtimarunt oraculo parendũ, & Græcã ſocietatẽ contra barbaros ſibi infenſos aſſumendam. quia bello grauiter premebantur, quod contra Siculos gerebant. Itaq. cũ Pelaſgis

fœdus

fœdus ineunt, & suorum agrorum partem ipsis assignãt, quæ erat circa sacrũ lacũ: quorum magna pars erat palustris, & quæ more priscæ linguæ Velia vocatur: nam prisci Græci nonnihil à vocali incipientibus syllabam ũ vnico scriptã charactere plerumq; præponere solebant. Hic autem erat vt duplex T. quod formabatur duabus lineis obliquis ad vnam rectam adiunctis, vt Τελέ-νη, & Τάναϊς, & Τεῖχος, & Ταν̃ρ & multa alia huiusmodi. Deinde horum non minima pars, quia ager ille omnibus non sufficiebat. Aborigínibus persuaserunt vt sũ cum ad bellicam expeditionem proficiscerentur, & bellũ Vmbris intulerunt, atq. Crotonẽ vrbem ipsorũ fortunatam & amplam: in cursu repentino ceperunt: qua pro arce ac munitione contra Vmbros vtebantur. quòd ita esset extructa, vt satis firmum belli munimentũ cõtra hostes esse posset, quòd q; agrũ circumcirca fertilem & pascuo aptum haberet. Alia quoque multa loca in suam potestatem redegerunt. & Aborigines in bello, quod cõtra Siculos adhuc gerebant, magna animi alacritate cõstanter adiuuerunt, donec eos ex suis sedibus exp ulerunt. Et multas vrbes partim & ante à Siculis habitatas, partim etiam à se ædificatas incolebant Pelasgi vnà cum Aborigínibus: quo in numero est & Caretanorũ vrbs, quæ tunc Agylla vocabatur, & Pisa, & Saturnia, & Alsiũ, & aliæ quædã, quas ipsis tandẽ temporis progressu Thusci eripuerunt. Phaleriũ verò & Phascenium adhuc ætate mea à Romanis incolebantur, & paruas quasdã generis Pelasgici scintillas seruabant, quamuis olim Siculorũ fuissent. In his vrbibus multa prisca instituta, quibus Græci quondã sunt vsi, diutissimè permanserunt, vt bellicorũ armorũ ornatus, clypei Argolici, & hastæ. Et quo-

ties bellū alijs illaturi, aut illatum propulsaturi copias vltra agri sui fines emittebant. Fecia. es, qui erāt, viri quidam sacri, sine armis alios præcedebant, & templorū ædificandorum ratio, & deorū sacella. & expiationes, & sacrificia, & multa alia huiusce modi. Sed manifestissimū omnium monumentū, vnde apparet homines illos, qui Siculos expulerunt olim Argis habitasse, est Iunonis templū, quod Phalery ad illius Argiui similitudinē est extructū. Vbi & sacrorū ritus erāt similes, & sacræ mulieres, quæ templi curam gerebant, & puella, quæ Canistrifera vocabatur, casta, & nuptiarū expers, quæ sacra auspicari solebat: præterea chori virginū, quæ patrios hymnos in illius deæ laudē canebāt. Hi quoq. quandā tamporū, qui Cāpani vocātur, aspectū amænissimorū, & pascuis aptissimorū partē non minimā Auruncis gente barbara, inde pulsis, tenuerunt. Et cùm alias vrbes, tum etiā Larissam ibi condiderunt, cui à sua metropoli Peloponnesiaca nomen indiderūt. Cæterarū igitur vrbium, quæ in hoc numero erant, nōnullæ vel ad meā vsq. ætatem mutatis sæpe habitatoribus stabāt. Sed Larissa iam pridē deserta manet, ita vt pristinæ habitationis nullum vestigiū nostri seculi hominibus manifestū habeat præter ipsum nomē, & ne hoc quidē multis est notum. Aberat autē non procul à Foro quod Popiliū appellatur. Alia quoq. multa loca tā maritima, quàm mediterranea Siculis erepta tenuerunt. Siculi verò (neq. enim amplius malis resistere poterant, q̄ simul Pelasgorum, ac Aboriginum armis, belloq. premerentur) cum liberis & vxoribus discesserunt, & pecuniis, omniq. auro ac argento comasatis, toto agro ipsis cesserunt. Et per montana loca ad meridiem versi, & tota inferiori Italia peragrata, cum vndique pelleren-

pellerentur, ratibus tandē ad fretum paratis, & obseruato secundo maris æstu, ex Italia in proximam insulam traiecerunt. Eam verò Sicani, gens Hispana, tenebant, qui à Liguribus fugati, non multò ante suas sedes ibi posuerant. Atq. hi fecerunt vt de suo nomine insula ista vocaretur, quæ prius à forma triangula Trinacria nominabatur. Quamuis autem hæc esset ampla, in ea tamen non multi erant inoclæ: sed maxima agri pars iacebat deserta, & inculta. Siculi igit. r in hanc insulam delati, primùm quidē in occiduis partibus habitarunt, deinde etiam in multis aliis locis, atque insula mutato nomine dum isti in ea degerēt, Sicilia vocari cœpit. Genus igitur Siculum Italiā sic reliquit, (vt refert Hellanicus Lesbius) tribus ætatibus ante bellum Troianum, anno XXVI. sacerdotij, quod Alcyone Argis exercebat. Duas enim classes Italicas in Siciliam traiecisse tradit: priorem, Elymorum, quos ab Oenotris pulsos dicit: posteriorem verò Ausonum Iapygas fugientium, quæ quinto post anno eò traiecit. Horum autem regem Siculum fuisse dicit, à quo tam ipsi genti, quàm insulæ nomē inditum. Sed, vt Philistius Syracusanus scripsit, tempus quo isti in insulam traiecerunt, fuit anno octogesimo ante bellum Troianum. Gentem verò, quæ ex Italia eò transuecta fuit, neque Siculorum, neq. Ausonum, neque Elymorum, sed Ligurum fuisse dicit, quos Siculus ducebat. Hunc verò Itali filium fuisse dicit atq. hoc regnante homines, qui eius imperio parebant Siculos appellatos. Ligures autem ab Vmbris, & Pelasgis agro suo pulsos. At Antiochus Syracusanus nullū quidē tempus declarat, quo classis in insulam traiecerit, sed Siculos fuisse dicit, qui coloniæ ducem sibi præfecerint, & sedi-

bus mutatis eò migrarint, ab Oenotrorum, & Opicorum copijs per vim exacti. sed Thucydides eos, qui migrarunt Siculos appellat: Opicos verò, qui eos exegerunt, at ipsum tempus multis annis post bellum Troianũ fuisse dicit. Hæc igitur sunt quæ viri celebres, ac fide digni tradunt de Siculis, qui ex Italia in Siciliã habitãdi causa se contulerunt.

3 ¶ At Pelasgi postquã amplũ ac feracẽ agrũ armis sibi pepererũt, vrbes quoq; præterea ceperũt, & alias ipsi cõdiderũt, atq; ita intra paucos annos opib. virib. fortunis, & cæteris felicitatis humanæ partibus valde sũt aucti, vnde fructus nõ diu perceperũt. Sed quũ maxime rebus omnibus florere viderẽtur, quadã diuini numinis ira exagitati partim cladibus diuinitus immissis, partim à vicinis barbaris deleti, perierũt. Maxima tamẽ ipsorũ pars per Græciæ ac barbarorũ regiones rursus est dispersa. De quibus si rẽ accuratè scribere vellem, lõgũ esset. At Aboriginum prouidentia, & opera pauci in Italia manserũt. Malorum igitur, quæ familias integras desolabant, ac perdebant præcipua causa vrbibus illis fuisse videbatur ipsa sterilitas, quæ agros vastarat quod nec in arboribus vlli fructus vsq; ad iustã maturitatẽ permanerẽt: sed immaturi decidèrent, nec vlla semina, quæ germen emisissent, florerent. donec legitimũ tempus implerent & ad iustum spicarum vigorem, ac maturitatem peruenirent: nec pecori sufficeret pabulum, quod terra producebat. quinetiam quod aquæ partim nõ amplius ad bibendũ essent bonæ, partim æstiuis horis deficerent, partim etiam cum suis fontibus penitus exaresceren. Idem etiam pecoris & mulierum fœtibus accidebat. Nam aut abortiui fœtus eiiciebantur, aut in ipso partu corrumpebanban-

bantur, aut interibant: nonnulli etiam uno eodémque tempore matres à quibus in utero ferebantur, grauiter afflictas necabant. Quod si quid partus dolores ad periculũ vitasset, mutilũ ac imperfectum nascebatur, aut ob aliquẽ aliũ casum, ac infortunium erat vitiosum & inutile ac indignũ quod aleretur. Deinde & reliqua multitudo hominũ æt ate florentissimorũ varijs ac inusitatis morborum mortisq. generibus afflictabatur. Quum autem oraculum consuluissent, vt scirent ob cuius dei aut dæmonis offensi iram hæc mala sibi accidissent, & quibus rationibus ac remedijs horum malorum atrocitatem à se dari posse sperandum esset, deus respondit, Eos voti compotes factos non persoluisse quæ vouerant, sed res longè pretiosissimas diis adhuc debere. Quum enim Pelasgi in agro suo sterilitate, rerúmque omnium penuria laborarent, Ioui Apollini, & Cabiris se rerum omnium quæ in posterum nascerentur decimas oblaturos vouerunt. Sed quum voti fuissent compotes facti, frugum omnium & pecoris omnis portionem exemerunt, & diis obtulerunt, quasi pro solis hisce rebus vota diis fecissent. Myrsilus autem Lesbius hæc, (iisdem fere verbis, quibus ego nunc vsus) in historia sua tradit: nisi quòd homines istos, non Pelasgos, at Tyrrhenos appellat. Causam verò paulò pòst declarabo. Quum autem oraculum relatum audissent, coniicere non poterant quid sibi vellent ea quæ dicebantur. Sed illis hæsit antibus, quidam de senioribus oraculo per coniecturas intellecto, eos toto cælo errare dixit, si deos de ipsis iniuriâ conqueri putarent: Cæterarum enim rerum omnes primitias ipsis rectè & iure redditas: sed prolis humanæ portionem, rem diis omnium longè charissimam adhuc deberi.

Quòd si huius quoque prolis humanæ partem iustam accepissent, oraculo satisfactum iri dicebat. Hæc igitur aliis quidem rectè dici, aliis verò hæc oratio ex insidiis cõposita videbatur. Sed quum quidam sua sententia autor illis fuisset vt deum interrogarent an ei gratum esset hominum decimas accipere, vates ad ipsum denuo miserũt, deúsque respondit vt ita facerent. Posteà inter eos exorta est seditio propter decimationis faciendæ modum. Atque primùm ipsi ciuitatum gubernatores inter se tunc sunt turbati: deinde & reliqua plebs magistratus suspectos habere cœpit: atque nulla disciplina nullâque modestia seruata: sed (vt est verisimile) æstro quodam, ac furore diuinitus immisso vrbium incolæ agitati tunc inde migrabant, & multæ domus integræ desertæ sunt, quòd pars ipsorum alio sedes suas transtulisset. Qui enim necessitudinis vinculo communi cum illis qui discedebant, à charissimis deseri & inter inimicissimos remanere nolebant. Atque hi primi, postquam ex Italia migrarunt, per varias Græciæ & barbararum regionum partes sunt vagati. Sed post hosce primos idem aliis accidit, atque hoc quotannis constanter fiebat. Nam ciuitatum principes iuuentutis adultæ primuti as semper delige re non desinebant, tum quia diis iusta ministeria præstare, & res debitas persoluere volebant, tum etiã quia metuebant ne contrariæ factionis homines, qui in vrbibus delitescebant, seditiones excitarẽt. Multi etiam per simulatam honestæ causæ speciem ab aduersariis inimico animo pellebantur. Itaque multæ migrationes fiebant, & genus Pelasgicum in varias terrarum partes dispersum est. Quòd autem vitam inter bellicosas gentes periculis exercitam egissent, rerũ bellicarũ præstantia

multos

multos alios populos superabant, maximam quoque naualis disciplinæ notitiam habebant. quòd cum Tyrrhenus habitassent: atque necessitas, quæ hominibus quotidiani victus inopia laborantibus audaciam facilè præbere potest, in omnibus periculis dux, & magistra ipsis fuit; quamobrem quocumque delati fuissent, victoriam non ægrè reportabant. Ab alijs autem hominibus tum ob nomen regionis, vnde pulsi fuerant, tum etiam ob generis antiqui memoriam iidem & Tyrrheni & Pelasgi vocabantur. Quarum rerum ego mentionem feci, ne quis miretur, quum à poetis aut historicis eos & Pelasgos & Tyrrhenos appellari audit, quomodo ijdē homines vtrūque nomen habuerint. nam & Thucydides de ipsis mentionem facit in Actæ Thraciæ, & vbi de vrbibus in ea sitis agit, quas homines bilingues incolunt. De Pelasgico autē genere ita loquitur. Sunt ibi & nonnulli Chalcidenses: sed maxima pars est gens Pelasgica, ex illis Tyrrhenis qui Lemnum & Athenas olim incoluerunt. Sophocles quoque in fabula Inacho chorum hos anapæstos canentem inducit,

Inache pater, fili fontium patris Oceani
Qui magno cum honore præes, & Argiuis agris
& Iunonijs pagis,
Et Tyrrhenis Pelasgis.

Illo igitur tempore Tyrrheniæ nomen per Græciam erat celebre, & tota Italiæ pars, quæ occidentem spectat, cæteris omnibus aliarum nationum nominibus depositis, hanc etiam appellationem suscepit, quòd cum aliis multis Græciæ regionibus accidit, tum etiam illi, quæ nunc Peloponnesus vocatur. Ab vna enim inhabitantium gentium, Achaica scilicet, tota peninsula, in qua

& Arcadica, & Ionica, & multæ aliæ gentes insunt, Achaia nominatur. Tempus autem quo gens Pelasga vexari cœpit fuit ferè duabus ætatibus ante bellum Troianum. Hæc tamen natio duravit etiam propemodũ usque ad ipsum belli Troiani finem, donec in minimum hominum & urbium numerum est contracta. Nã præter Crotonem Umbriæ ciuitatem memoratu dignam, & si quam aliam urbem Aborigines condiderunt cæteræ Pelasgorum urbes perierunt. At Croto, quum diu priscam formam seruasset, non multò antè nostram ætatem & nomen & incolas mutauit, & nunc Romanorũ est colonia, & Cothornia vocatur. Qui verò agros urbesque à Pelasgis derelictas occupauerunt, fuerunt cum multi alij, prout quique sedes illis finitimas habebant, tum verò præcipuè Tyrrheni, qui plurimas ac optimas eorum urbes occuparunt. Tyrrhenos verò quidam Indigenas Italiæ: alij, aduenas fuisse dicunt. Et qui hanc gentem indigenam faciunt, hoc nomen ipsis inditum aiunt ab ædificiis munitis, quæ ab ipsis omnium eorum qui in his regionibus habitarunt primis fuerunt extructa. Nam vt apud Græcos, sic & apud Tyrrhenos, ædificia quæ in urbium mœnibus ædificantur, & quæ sunt tecta, πύργους turres appellantur. Horum igitur nomen ipsis casu, à quo id est à turribus, quas habitabant impositum putant, vt & Mosynæcis qui sunt in Asia. Nam & isti in ædificiis ligneis, munitis & turrium instar excelsis habitant, quæ Mosynas appellant. Sed qui fabulosè dicunt eos alienigenas esse, qui aliunde eò migrarint, aiunt Tyrrhenum coloniæ ducem fuisse, gentique nomẽ à se imposuisse: Hũc verò genere Lydum fuisse tradunt, & iampridem ex ea regione migrasse, quæ olim Mæonia vocabatur, & quintum

tum à Ioue fuisse. Nam ex Ioue & Terra Masnen, que primus in illa regione regnauit, genitum aiunt. Ex hoc verò, & Callirhoe, Oceani filia procreatũ Cotyn: Cotyis verò, qui uxorem duxerat filiã Tulli Terrigenæ Halien, duos fuisse filios, Adiẽ & Atyn. Ex Aty & Callithea, Chorœi filia Lydum & Tyrrhenum natos. Atque Lydum quidem qui ibi remanserat, paternum regnum accepisse, & ab ipso regionem illam Lydiam appellatam. Tyrrhenum verò coloniæ ducem, magnam Italiæ partem in suam potestatẽ redegisse suæque profectionis socius hoc Tyrrhenorum nomen imposuisse. Herodotus verò ait Tyrrhenum fuisse filium Atyos, hunc verò Masnæ filium & Mæonas in Italiam non sponte migrasse. Ait enim, Aty regnante sterilitatem ac frugum inopiam in agro Mæonum fuisse. Homines verò, quòd illius regionis amore tenerentur, aliquandiu quidem varia remedia contra calamitatem illam excogitasse, altero die modicis cibis vtentes, altero famem constanter tolerantes: sed quũ hoc graue malum diutius duraret, vniuersum populum in duas partes diuisisse sortique rem commisisse, vt altera pars ex agro discederet, altera in eo remaneret, atque alterum Atyos filium ibi remansisse, alterum verò discessisse. Facta autẽ sortitione parti, quæ Lydum sequebatur, meliorem fortunam obuenisse: alteram verò partem sua pecuniarum portione sortitò accepta ad occidentales Italiæ partes appulisse, vbi tunc Vmbri habitabant, & ibi remansisse, vrbésque condidisse, quæ ad suam vsque ætatem stabant. Scio autem & multos alios scriptores in suis historiis de Tyrrhenorum genere hæc ita scripsisse, & alios quidem eodem modo, & iisdem verbis, quibus ego sum vsus, alios verò & coloniæ ducem, & tempus

ipsum mutasse. Quidam enim dixerunt Tyrrhenum Herculis fuisse filium, ex Omphale Lyda prognatum. Hūc verò in Italiam profectū, Pelasgos ex vrbibus non omnibus sed iis tantum, quæ trāns Tiberim erant, & quæ ad septentriones spectabant, eiecisse. Alij verò Tyrrhenum Telephi filium fuisse tradunt, & post Troiam captam in Italiam venisse. At Xanthus Lydius (qui priscæ historiæ si quis alius est peritus, quique patriæ historiæ auctor nullo alio habitus est inferior) in suis scriptis nullo modo Tyrrhenum Lydorum principem nominat, neque vllam Mæonum coloniam in Italiam appulisse scit, neque vllam Tyrrheniæ, tanquam Lydorum coloniæ mentionem facit, quamuis alia multa ignobiliora, ac leuiora memoret. Lydum verò & Torybum Atys filios fuisse dicit. Hos verò ambos regno paterno inter se diuiso in Asia remansisse, gentibúsque, quibus imperarunt, nomen ab illis inditum fuisse dicit. atque hæc sunt eius verba. A Lydo Lydi, à Torybo Torybi fuerunt appellati. Horum lingua parum ab altera differt, & nunc quoque alteri alterorum nō pauca vocabula vsurpant, quemadmodū Iones, & Dorienses. At verò Hellanicus Lesbius dicit, Tyrrhenos, qui ante vocabantur Pelasgi, postquam in Italiæ cœperunt habitare, nomen id assumpsisse quod nunc habent. In opusculo autem quod Phoronidem inscripsit, ita loquitur, Ex Pelasgo ipsorum rege & ex Menippe Penei filia natus est Phrastor: ex hoc, Amyntor: ex Amyntore, Teutamides: ex Teutamide, Nanas: Hoc regnāte Pelasgi à Græcis ex suis sedibus pulsi fuerūt, & nauib. ad Spineté fluuiū in Ionico sinu relictis, vrbē Crotonē in locis mediterraneis

raneis sitã ceperũt, atq. hac belli sede vsi eã quæ nũc Tyrrhenia vocatur cõdiderũt. *At Myrsilus ab Hellanico dissentiẽs, ait Tyrrhenos post patriã relictã in ipsis suæ profectionis erioribus mutato nomine, Pelargos appellatos ob quandã similitudinẽ auium, quæ pelargoi, id est ciconiæ, vocantur, quòd gregatim errarent tã per Græciam, quàm barbaras regiones: atque murũ, quo Athenarũ arx cingitur, qui nunc Pelasgicus appellatur ab his extructũ dicit. Omnes tamen qui Tyrrhenicam & Pelasgicam gentem, vnam eandémque credunt esse, mihi videntur errare. Non enim mirum esset si olim alteri alterorum nomen habuissent: si quidem & non nullis aliis gentibus partim Græcis partim etiam barbaris idem accidit: vt Troianis & Phrygibus inter se vicinis. Multi tamen has duas gentes vnã eandémque gẽtẽ fuisse putarũt quæ nomine nõ etiam natura, ac genere differret. Italicis quoque gentibus idem accidit æquè atque aliis populis qui vsquam terrarum nominum commutatione permixti in vnum coaluerunt. Fuit enim tempus quo Latini, Vmbri, Ausones & multi alij, Tyrrheni à Græcis vocabantur, quia longinquæ gentiũ istarum sedes obscuram ac incognitam rerum remotarum accuratam cognitionem reddebant. Multique historici Romam ipsam Tyrrhenicã vrbem esse putauerũt. Nomina igitur hisce gentibus mutata credo, si quidem & vitæ genus mutatum. Ambabus tamen genus cõmune fuisse non credo, quod cùm ex multis alijs rebus coniicio tum verò præcipuè ex ipsarum lingua quæ est diuersa nec vllam altera alterius similitudinem ferat. Nam (vt ait Herodotus) neque Crotoniatæ, neque Placiani cum vllis aliis populis vicinis linguam ha-*

bent communem: sed propriam habent linguã, qua inter se vtuntur. Satis autem demonstrant se accuratè seruare illam ipsam linguæ formã, quã secum attulerunt quum in has regiones migrarunt. *Sed miretur quis quomodo Crotoniatæ habuerint lingua n illi similem quã Placiani vtebantur, qui circa Hellespõtũ habitabant, quandoquidem vtrique sunt à Pelasgis oriundi, Tyrrhenis verò proximè habitãtibus nullo modo similem habuerint. Si enim generis communitas existimanda est causa huius in lingua similitudinis, profectò eius contrarium est causa dissimilitudinis. Neq; enim idem, harum duarum rerum quæ sunt cõtrariæ, causam putare licet. Nam alterum quidem, si fieret, aliquã haberet rationẽ, si eiusdẽ gentis homines, quòd sedes alteri ab alteris remotas habeant, eandem linguæ formam non amplius seruarent, propter vicinorũ cõmercia: sed hoc est absurdissimum dicere, eos qui in iisdem locis habitant & qui eiusdem sunt generis, nullo modo in linguæ similitudine inter se consentire. Hoc igitur argumẽto vsus, Pelasgos à Tyrrhenis diuersos fuisse credo. Sed nec Lydorum colonos fuisse Tyrrhenos puto. neque enim linguam cum illis communem habent. Neque etiam licet dicere eos quidem non amplius vti simili lingua: sed tamen alia quædam antiquæ patriæ indicia seruare. Nec enim eosdem deos quos Lydi colunt, nec legibus, nec vitæ studiis similibus vtuntur, sed in hisce rebus saltem plus à Lydis quàm à Pelasgis differunt. Quare qui gentem istã non aduenã sed indigenam fuisse dicũt, propemodum videntur dicere quæ ad veritatẽ propius accedũt. Quandoquidẽ eã peruetustã esse, & cũ nulla alia gẽte, aut lin-*

guã aut mores cõmunes habere cõstat. Nihil aũt est quod vetet hãc gẽtẽ à Græcis hoc nomine appellatã, partim ꝙ in turribus habitaret, partim etiã à sui principis nomine. Romani tamẽ aliis etiã nominibus eã appellãt: nã ipsos à regione, in qua olim habitarũt, quæ Etruria vocatur, Etruscos appellant. Et ob peritiam sacrorum ministeriorũ, & diuini cultus, qua in re cæteris sunt excellentiores, nũc quidem nomine obscuriori Thuscos, olim verò rem ipsam nomine accuratiùs exprimentes Thyoscóous, vt Græci vocabant. Ipsi verò à quodam duce Rasena se eodem modo quo ille nominant. Sed quas vrbes Tyrrheni incoluerint, quam reipub. ac disciplinæ formam in illis constituerint, quantam potentiam vniuersi habuerint, & si qua facinora memoratu digna fecerint, & quàm variis casibus acti fuerint, alio loco declarabitur. Quotquot igitur de gente Pelasgica non perierunt, nec in diuersas colonias distracti fuerunt, & qui ex magno numero in exiguum redacti manserunt superstites, in his locis relicti fuerunt, & cum Aboriginibus in eadem repub. vixerũt, vbi temporis progressu ipsorum posteri cum aliis Romanis condiderunt. Atque hæc sunt quæ de gente Pelasga fabulis produntur. SED non multò post alia classis Græcorum ad hæc Italiæ loca appulit, LX fermè annis ante bellum Troianum quemadmodum ipsi Romani tradunt, quæ ex Palantio, vrbe Arcadica, venit. Coloniæ autem dux erat Euander, filius Mercurij & nymphæ cuiusdam Arcadicæ quam Græci Themin appellant, & numine diuino afflari ac agitari dicunt. Sed antiquitatum Romanarũ scriptores eam patrio sermone Carmentam appellant. Quod nymphæ nomen Græca lingua Θεσπιῳδός, i. fatidica, diceretur. Nã ᾠδὰς Romani carmina

vocant. Hanc autem mulierem diuino spiritu afflatam, res futuras populo carmine prædicere omnes uno consensu fatentur. Hæc autem classis non de communi omnium sententia missa fuit: sed orta in populo seditione, factio inferior sua sponte inde migrauit. Tunc autē apud Aborigines regnum à maioribus acceptum tenebat Faunus, à Marte, vt aiunt, oriundus: vir non solùm ad res gerendas promptus, sed etiam prudens: ipsiúsque Romani sacrificiis & carminibus vt vnum de diis patriis honorant. Hic verò Arcadas quorum numerus erat exiguus, magna cum humanitate excepit ipsíque de suo agro dedit quantum voluerunt. Arcades verò, vt Themis furore diuino correpta ipsos monuerat collem à Tiberi non longè distantem delegerunt, qui nunc ferè in ipso vrbis Romanæ meditullio est situs. Atque iuxta collem istum ædificarunt paruum pagum, qui tot homines capere poterat, quot erant in duabus nauibus plenis, quibus ex Græcia eò migrarant. Quem temporis progressu ad tantam magnitudinem fata produxerant quantam nulla alia vrbs aut Græca, aut barbara esset: deputaram, siue sedium amplitudinem, siue maiestatem imperij, cæteráque felicitatis humanæ partes spectemus, in qua etiam erat vt tandiu duraret, quamdiu mortale genus hominum est duraturum, & nominis celebritate cæteras omnes vrbes superaret. Huic autem oppidulo nomen Palantium imposuerunt in memoriam suæ veteris patriæ, quæ in Arcadia erat. Nunc tamē Palatium à Romanis vocatur, quia tēporis diuturnitas accuratā huius vocis scribēdæ rationē confudit & corrupit: quod multis absurdarū etymologiarū occasionē præbet. Sed, vt nōnulli scriptis prodiderūt, inter quos est & Polybius Megalopolitanus,

hoc

hoc oppidulũ appellarunt de nomine cuiusdam adolescentis Palantis, qui ibi obiit. Hunc verò Herculis & Dynæ, Euandri filiæ filium fuisse tradunt. Quum autem auus maternus in eo colle sepulcrum ipsi extruxisset, de adolescentis illius nomine locum ipsum Palantium appellasse feruntur. Ego tamen nec vllum Palantis sepulcrũ Romæ vidi nec vllas inferias ei fieri audiui, nec aliud quicquam huiusmodi animaduertere potui. Quamuis hæc domus non sit neglecta ac oblitioni tradita, quamuis etiã non sit expers honorum quibus diuinum genus ab hominibus colitur. Etenim Euandro & Carmentæ, qu. madmodum cæteris heroibus ac dæmonibus, sacrificia quotannis publicis impensis fieri vidi. Vidi etiam aras erectas, alteram Carmentæ, ad portam Carmentalem, sub eo colle qui Capitolinus vocatur: alteram Euandro, ad alterum collem qui Auentinus vocatur, non procul à porta Trigemina. At Palanti nihil ab his fieri animaduerti. Arcades igitur, qui sedes coniunctas sub colle posuerant, cum alia multa ædificia egregia more patrio extruxerunt, tum etiam templa fundauerunt ac erexerunt. Primum quidem Pani Lycæo monitu Themidis, (Pan enim apud Arcadas deorum antiquissimus habetur, éstque in summo apud illos honore) inuento loco ad hoc ipsum apto, quem Romani Lupercal appellant, nos verò Gręci Lycæum diceremus. Nunc tamen antiquam huius loci naturam coniecturis agnoscere non facile queas: quia loca quæ templum illud circundabant, ædificiis inter se coniunctis sunt occupata. Olim autem (vt fertur) erat ingens spelunca sub illo colle sita, quam densa sylua tegebat, & sub rupibus erant fonticuli profundi, solumque e rupibus contiguum ob frequentes ac proceras as-

bores erat opacum. Quũ igitur Arcades arã huic deo hîc erexissent, sacrificium more patrio fecerunt quod & nostra ætate Romani mẽse Februario post hybernum solstitiũ nihil de pristino ritu mutantes, faciunt. Huius verò sacrificij faciendi modus postea dicetur. At in summo collis vertice Victoriæ templum in loco antè delecto exstruxerunt. & sacrificia huic quoque deæ anniuersaria instituerunt quæ ad meam vsque ætatem Romani faciebant. Arcades verò hanc Palantis Lycaone prognati filiam fuisse fabulosè dicunt, atque honores quibus homines eam nunc honorant, Mineruæ voluntate consequutam: quod cum hac dea educata fuisset. A Ioue enim Mineruam recens natam Palanti commendatam & apud ipsum educatam donec adoleuisset. Cereri quoque templum exstruxerunt. ipsique per fœminas sacerdotes sacra abstemia fecerunt, more Græco, in quorum ritu ætas nostra nihil mutauit. Quinetiam Neptuno Hippio, id est, equestri, templum assignarunt, & diem festum in eius honorem constituerunt. quem Arcades Hippocratia, Romani Consualia vocant: quo die apud Romanos equi & muli, de more, sunt operum immunes, eorumque capita floribus coronantur. Multa quoque alia fana, & aras, & simulacra deorum consecrarunt, expiationesque & sacrificia patria instituerunt, quæ vsque ad meam ætatem eodem modo, quo olim fiebant. Nec mirarer siqua, ob niniam temporis longitudinem ac vetustatem, posterorum memoriam fugissent, ac propter obliuionem neglecta fuissent: sed tamen ea quæ nunc quoque fiunt, priscorum rituum Arcadicorum sunt argumenta satis manifesta: de quibus aliàs fusius agetur.

Arca-

Arcades etiam dicuntur Græcarum literarum vsum in Italiam primi transtulisse, qui recens ipsis apparuerat, & quem nuper didicerant. Instrumenta quoque musica, quæ lyra, & trigona, & lydi vocantur, quum priorum seculorum homines tantum fistulis pastoralibus, nec vllo alio instrumento musico vterentur. Dicuntur *etiam leges tulisse, & vitæ genus, quod antè maxima ex parte ferinum erat, ad mansuetudinem traduxisse: & artes & instituta, & multas alias res commodas in communem* hominum *vsum contulisse: ac propterea apud suos hospites valde gratiosi fuisse. Hæc secunda gens Græca post Pelasgos in Italiam delata sedes cum Aboriginibus communes habuit, quas in præstantissimo vrbis Romanæ loco posuit.*

4 ¶ PAVCIS verò annis elapsis post aduectum Arcadũ, alia Græcorum classis in Italiam venit, ducẽ Hercule qui Hispaniã & quicquid terrarũ vsq; ad solem occidentẽ extenditur, in suã potestatem redegerat. Horum quidam Herculem rogarunt vt se militiæ laboribus liberaret. & missione impetrata circa hæc locare manserunt, & nacti collem ædificiis exstruendis aptum, qui trium fermè stadiorum longitudine à Palantio distabat. qui nunc quidem Capitolinus appellatur, sed ab illius seculi hominibus Saturnius appellabatur, (quem Græco sermone Cronium diceremus) in eo oppidulum condiderunt. Qui verò illic fuerũt relicti, plerique erant Peloponnesii, Pheneatæ, & Epei Elidenses, qui nullo domũ redeũdi desiderio amplius tenebãtur, quòd ipsorũ patria in bello contra Herculẽ gesto fuisset direpta ac vastata. His autem erant admixti nonnulli etiam Troiani, de illorũ numero qui Laomedonte regnante ex

Ili captiui abducti fuerant, quum Hercules vrbem per vim cepit. Cæteri quoque de reliquo exercitu, si qui laboribus defatigati erant, aut qui errorum fastidio premebantur, issione petita, in hoc loco remansisse mihi videntur. Huius autem collis nomen nonnulli antiquum esse putant, & Epeos isto colle maxime delectatos, ob memoriam Cronij collis qui est in Elide vrbe, in agro Pisano, prope fluuium Alpheum: Elei verò eũ Saturno sacrũ putantes, sacrificijs & aliis honoribus eo statis tẽporibus cõuenientes honorant. Sed Euxemus poëta vetus, & alij quidã Italici fabularum scriptores huic loco no mẽ istud ab ipsis Pisatis, propter similitudinẽ Cronij collis qui est in ipsorum agro, inpositum putãt, & Epeos vna cum Hercule Saturno aram statuisse, quæ nunc etiam durat sita ad collis radices iuxta viam qua ex foro in Capitolium ascenditur. Et sacrificium, quod mea etiam ætate Romani ritibus Græcis obseruatis faciebant ab illis institutum ferunt. Sed, quantum ego coniecturis comperio, vel antequam Hercules in Italiam veniret hic locus Saturno sacer erat & ab ipsis incolis Saturnius appellabatur. Quinetiam tota reliqua ora, quæ nunc Italia vocatur, huic deo erat sacra, & ab incolis Saturnia vocabatur: quod facilè reperias tam in quibusdam carminibus Sibyllinis, quàm in aliis oraculis quæ dij reddiderunt, in quibus hoc declaratum. Et in multis huius regionis locis sunt templa huic Deo dicata: sunt etiam quædam vrbes, quæ ita nominantur vt vniuersa Italiæ ora tunc vocabatur. Multa etiam loca huius dei nomen habent, & præcipue scopuli, & colles excelsi. Postea tamen temporis progressu Italia vocata est sub viro præpotente cui

nomen

nomen erat Italus. Antiochus autem Syracusanus ait hunc fuisse virum probum ac sapientem, qui populos vicinos partim verbis induxit, partim vi coegit, & sibi adiunxit: atque ita in suam potestatem redegit totam illam regionem quæ est inter sinus Napetinum & Scyletinum: atque hanc primam, Itali temporibus, Italiam fuisse appellatam. Quum autem huius imperio potitus fuisset & multos populos subditos haberet, statim dominationem in gentes finitimas affectasse, & multas ciuitates in vnum coactas suæ ditioni subiecisse dicit. hunc autem genere OEnotrorum fuisse. At Hellanicus Lesbius ait Herculem dum Geryonis boues Argos abigeret quoniam quidam ipsius vitulus, quum in Italia iam esset, ab armento resiliens fugerat, & vniuersam illam oram peragrarat, & freto tranato in Siciliam peruenerat, quærentem semper ex illius regionis hominibus, in quoscunque incidisset, persequens suum vitulum, sicubi quis eorum qui regionem illam incolebant ipsum vidisset, quia illi pauca linguæ Græcæ vocabula intelligebant, sed patrio sermone ex illius animalis indicijs, & signis, quæ Hercules ipsis dabat, vitulum appellabant, vt nunc etiam appellatur, quod Græci vocant damalin, vniuersam oram quam vitulus ille peragrarat ab eo animali Vitaliam quasi Vitulliam nominasse. Quod autem temporis progressu nomen istud in eam formam, quam nunc habet mutatum fuerit, non est mirandum: quia multis etiam Græcis nominibus idem accidit. Veruntamen siue, vt Antiochus ait, à duce (quod etiam fortasse verisimilius fuerit) siue, vt putat Hellanicus, à vitulo nomen hoc acceperit, illud certè ex amborum autoritate constat, Hercu-

lis ætate, aut paulò ante ita nominatã. Antè verò eam Græci Hesperiam & Ausoniam vocabant. At ipsi indigenæ Saturniam, vt supra dixi. Est etiam alia fabula inter illius regionis incolas vulgata Saturnum, ante Iouis regnum in hisce terris regnasse, & decantatum illud vitæ genus rebus omnibus abundans, quas quatuor anni tempora producunt, apud nullos alios magis quàm apud ipsos floruisse. Quòd si quis alias fabulis ex hac opinione sublatis, bonitatem huius regionis perpendere velit, ex qua genus humanum simulatque natum est plurimas commoditates magnæ voluptatis plenas percepit, siue ex terra, (vt prisca fert opinio) siue etiam quauis alia ratione, nullam aliam hac regione commodiorem, & ad res istas ferundum aptiorem reperiet. Si enim vnam regionem cum altera conferas, quæ sit eiusdem magnitudinis, Italia meo iudicio, non solùm in Europam, sed & quamlibet aliam totius orbis regionem sua præstantia longè superat. Quanquam non me latet fore vt multis res incredibiles dicere videar, considerantibus Aegyptum, & Africam, ac Babyloniam & si quæ aliæ regiones ob suæ fertilitatis felicitatem celebrantur. Sed ego terræ opes non in vna sola frugum specie pono: nec me subit desiderium habitandi in ea regione, in qua sunt tantùm aruæ pinguia, cæterarum verò rerum, aut nulla prorsus aut perexigua vtilitas percipitur: sed eam regionem optimam esse puto, quæ facilè magnam rerum ad vitam necessariarum copiã hominibus semper suppeditare potest, & quæ plerunque bonis aliunde in ipsam importatis minimùm indiget, Italiæ verò hanc rerum omnium fertilitatem copiam, ac variam vtilitatem præter cæteras regiones quæcumque illæ sint quæ cum ista

conse-

conferantur præcipuè concessam credo. Nec enim arua quidem bona, & multa habet: sed arboribus caret, vt terra frumentifera. Neque etiam contrà ad omnigenas quidem plantas alendum est idonea: sed ad sementem excipiendam inepta, vt agri arboribus consiti, & si seratur paucas fruges profert. neque largiter quidem hæc vtraque suppeditare potest: sed pecori alendo parum est apta. Nullus etiam dixerit eam frugibus quidem & pascuis abundare: sed locum esse ad habitandum hominibus iniucundum: verùm, vt ita loquar, omnis voluptatis ac vtilitatis est plena. Cui enim frumentiferæ terræ cedunt campi qui vocantur Campani? qui non fluuijs, sed aquis cœlestibus rigantur? in quibus ego vidi arua vel tritica sementem æstiuam post hibernam, & autumnalem post æstiuam enutrientia. Et agri quos Mesapij, Dauni, Sabini, & multi alij colunt: cui oliuiferæ cedunt? Cui vitiferæ cedũt Etruscus, Albanus, ac Falernus agri vitibus mirũ in modũ amici, qui plurimos simul & optimos fructus minimo cum labore facilè ferũt? Et præter terrã quæ colitur, multã etiã in ipsa Italia reperias ouiũ, caprarúmque gregibus pascendis destinatam. Sed multò ampliorem ac admirabiliorem agrum inuenias ad equorum ac boum armenta pascenda aptum nam palustris ac pratensis herba, cuius magna est copia, & terræ cultæ herba rosida & irrigua quæ est infinita, & qua pecus æstate vescitur greges & armenta pecoris valde florentia perpetuò reddit. Sed imprimis admiratione maxima digni sunt saltus, qui sunt circa prærupta, & nemorosa loca & circa colles incultos, ex quibus Italiæ incolæ magnam ac egregiam materiæ copiam ad naues ædificandum, multam etiam ad alia opera faciendum aptam pe-

tunt. Atque horum nihil est vel paratu difficile, vel ab humanis vsibus remotum: sed hæc omnia facilè parari, & connecta facile haberi possunt, propter multitudinem fluuiorum, qui totam illam oram fluentes permeant, quique magnam ei commoditatem afferunt, tam in importandis, quàm permutandis rebus, quas terra producit. Hæc eadem regio habet etiam aquarum calidarum multis in locis inuentas scaturigines, quæ balnea iucundissima præbent, & ad morbos diuturnos sanandum sunt præstantissimæ. Habet etiam omnis generis metalla, & copiosas ferarum venationes, marisque naturam, quæ varia animalium, rerumque genera profert, & alia innumera, quæ partim vtilitati seruiunt, partim miraculis homines delectant: Sed, quod pulchritudine cæteras res omnes superat, habet aëris clementiam pro varietate quatuor anni temporum, moderate temperatam, quæ nullo modo aut nimio frigore, aut nimio calore frugum generationem, aut animalium procreationem ladere potest. Non igitur mirum, si homines antiqui regionem istam Saturno sacram putarint, quòd hunc deum, omnis felicitatis humanæ donatorem ac perfectorem existimarent, siue is Chronos, id est, Tempus, vt Græci volunt siue Cronos, id est, Saturnus, est appellandus, vt placet Romanis: qui vniuersum mundi naturam complectitur, vtrocunque modo eum nomines. Non mirum, inquam, si quum illi viderent istam regionem omni opulentia & gratia refertam, cuius studiosum est genus humanum: quumque censerent diuino & mortali generi conuenientissima quæque loca esse maxima commodo,

moda, atque grata: montes & nemora Pani: prata, & lo a virentia, nymphis: littora, & insulas, numinibus marinis sacras putarint: sic; cæteris in rebus idem fecerint, & sacrum duxerint vnicuique deo aut dæmoni quicquid ipsi familiare conueniens, gratúmque esset. Aiunt etiam, priscos illos homines Saturno victimas humanas immolare solitos fuisse, quemadmodum Carthagine fiebat, quamuis ea vrbs stetit: quemadmodum etiam nunc quoque fit apud Gallos, & nonnullas alias occidentales gentes. Herculem verò, quum istum sacrorum morem abolere vellet, & aram fundasse in Saturnio colle & autorem fuisse vt hostiæ sanctæ pueris ignibus adolerentur. Vt autem nihil in hominum animis remaneret quod eos turbaret, quasi patria sacra neglexissent, illius regionis incolas docuisse, ad iram huius dei placandam pro hominibus, quos pedibus manibúsque vinctos in Tiberis profluentem iaciebant, simulacra ad humanæ figuræ similitudinem efficta, & eodem quo homines habitu ornata in fluuium prouere vt quicquid religionis in omnium animis vnquam resedisset euelleretur, quòd prisci ritus imago adhuc seruaretur. Hoc autem vel vsque ad meam ætatem Romani constanter faciebant paulo pòst vernum æquinoctium, mensis Maij idibus vt vocantur, quo die lunam semiplenam esse, mensémque in duas ferè æquales partes diuisum dicunt. Hoc die illi qui pontifices vocantur, qui summum inter sacerdotes locum tenet, & cum illis virgines, quæ perpetuum ignem seruant, & prætores, cæteríque ciues, quos sacris interesse fas erat, sacrificio rite peracto simulacra ad humanæ formæ similitudinem facta, numero xxx. de sacro ponte in Tiberis profluentem ia-

cimt, quæ Argeos appellant. Verùm, de sacrificiis, & aliis sacris cæremoniis, quas populus Romanus Græco patrióque more diligenter observat alias agemus.

5 ¶ NAM *præsens tempus poscere videtur vt hic gradum sistentes, de Herculis etiam aduentu in Italiã plura verba faciamus, nec silentio prætereamus si quod facinus memoria dignum ibi patrarit. Quæ autẽ de hoc deo traduntur, partim ad fabulas, partim ad veritatem propius accedũt. Fabula igitur de eius* in Italiam *aduentu sic habet. Hercules,* vt aiunt, *præter cæteros labores, quos Eurystheo iussu suscepit, Geryonis etiam boues ex Erythea Argos abigere iussus est. Quo certaminis labore ad suum finem perducto, dũ rediret domum, cùm in multas alias Italiæ partes iuit, tum etiam in Aboriginũ agrum Palantio proximum: quum autem in eo magnam boni pabuli copiam ad boum armenta pascenda inuenisset, boues in pascua dimisit, at ipse laboris onere grauatus decubuit, somnóque se dedit. Interea verò quidam illius regionis latro, nomine Cacus, incidit in boues quæ sine custodia pascebantur, earúmque amore captus est. Et quum Herculem sopitum animaduertisset, existimauit totum armentum à se clam abigi non posse, simul etiam rem factu difficilem esse vidit. Sed paucas aliquot de ipsis in antrum proximum, vbi vitam degebat, abdidit: eásque singulas per caudam cò traxerat auersas: contra naturam incessus huiusmodi animalium. Hoc enim modo furti indicium celatum iri sperabat. quòd pedum vestigia quærentem in contrariam partem manifestè ductura essent. Hercules verò paulo post somno excitatus, quum numerum boum recensuisset & cognouisset quot armento deessent, aliquandiu quidem du-*

bitauit

bitauit quónam iuissent, & quasi à pastu aberrassent, per eam regionem eas quærebat. Sed quũ eas non inueniret, ad spelunam perrexit, & quamuis ipsum vestigia suspensum ac incertum distinerent, nihilominus tamen locum illum sibi perscrutandum esse duxit. Verùm, quia Cacus pro foribus stabat, & roganti se eas vidisse negabat, eique speluncæ perscrutandæ potestatem petenti permittere nolebat: sed vicinorum fidem & auxilium implorabat, quasi grauem iniuriam ab hospite acciperet, Herculi consilij inopia laboranti, & quomodo in ea re se gerere deberet nescienti, tandem in mentem venit cæteras boues ad speluncam agere. Quum autem, quæ inclusæ erant, vocem & odorem consuetum sensissent, illis, quæ extra erant, mugitu respondérunt, ipsarumque vox furtum indicauit. At Cacus, in manifesto maleficio deprehensus, ad vim propulsandam se conuertit, & cæteros pastores socios suos conuocare cœpit: sed Hercules illum clava percussum interfecit, & boues eduxit: &, quia locum illum valde commodum latronum receptaculum videbat esse, speluncam suo pede diruit. Quumque eadem aqua fluminis expiasset, prope locum eum aram Iouis Inuentori statuit, quæ Romæ est ad portam Trigeminam. Vtq; deo gratias ageret ob inuentas boues, iuuencum vnum ei mactauit. Hoc sacrificium vel vsque ad meam ætatem populus Romanus faciebat, & in eo Græcos omnes ritus olseruabat, prout ille instituerat. Aborigines verò & Arcades qui collem Palatinũ incolebãt, postquam Caci mortẽ cognouerũt & Herculẽ viderũt illũ quidẽ propter rapinas grauiter odrãt, huius verò speciẽ ac præsentiã magno cũ stupore admirabãtur, & di-

uinum quiddam se videre putabant, atque latronis illius iacturam cædémque magnæ suæ felicitati tribuebant. Qui verò de ipsis pueres erant, decerptis lauri ramis, cuius in eo loco magna erat copia illum & se coronarunt. Ipsorum quoque reges venerunt, & Herculem ad hospitium inuitarunt. Quum autẽ & nomen, & genus & res gestas ipso narrante cognouissent suam regionem & seipsos in eius fidem ac amicitiam dedidérunt. At Euander, qui multo ante ex ipsius Themidis narrantis ore audierat infitus esse vt Hercules, Ioue & Alcumena prognatus, propter suam virtutem naturam mortalem cum immortali commutaret: statim simulatq; intellexit quis ille esset, quòd cæteros omnes homines anteuertere cuperet, primus Herculem diuinis honoribus placauit, aramque præ nimia festinatione ex tempore factam ipsi erexit, & supra hanc iuuencum indomitum ei mactauit, vbi prius oraculum ipsi narrasset: eúmq; rogauit vt sacra auspicaretur. Hercules verò gentis illius hospitalitatẽ admiratus, epulo populũ excepit, mactatis aliquot bobus, & decimis ex reliqua præda exemptis. At reges amplo Ligurũ & aliorũ finitimorũ agro donauit, cui is imperiũ vehementer optabat, ipsi probis quibusdam hominibus prius inde pulsis. Ferunt præterea regionis illius incolas ab eo rogatos, vt quando ipsum primi deum putarãt, honores istos immortales ipsi perpetuò seruarẽt, & quotannis iuuencum indomitum mactarent, ritúque Græco sacra peragerent. Vt autem ipsi sacrificia grata sẽper ab illis fierẽt, duas nobiles familias ab eo delectas & sacrorum ritus ab eodẽ edoctas. Illos verò, qui Græcam sacrorum disciplinã didicerũt fuisse Potitios & Pinarios, penes quas familias curam sacrorum, vt ille instituerat,

stituerat, diu manssse. Potitios autem sacris præfuisse, & sacrificia auspicari, atque victimarum igne crematarum primitias habere solitos fuisse sed Pinarios à viscerũ cõmunicatione, ac dape repulsos, & cæteris in reliquas communi vtrorúmque ministerio fieri oportebat, secundũ honorem habuisse. Hãc verò ignominiæ notam propter aduentus tarditatem illis inustam fuisse: quòd, quum illis imperatum fuisset vt manè præstò adessent, extis iam adesis ad cæteram dapem venissent. Nunc tamen horum sacrorum cura non est amplius penes illorum cognatos ac posteros, sed seruiere publico empti hæc sacra faciunt. Quibus verò de causis mos iste fuerit mutatus, & quomodo deus iste manifestè apparuerit vt sacerdotes, qui hæc sacra faciebant, mutarentur, quum ad hãc historiæ meæ partem peruenero, suis aperiam. Ara verò, supra quam Hercules decimas obtulit, à Romanis Maxima vocatur, estque prope forum quod Boarium appellatur, quam regionis illius incolæ si quam aliam, venerantur. Qui enim aliquid firmi ac validi transigere volunt, ad hanc aram & iusiurandũ, & pacta faciunt: hic etiam suarum facultatum decimas ex voto sæpe offerunt. Ipsius tamen apparatus hominum opinioni parum respondet. In multis etiam aliis Italiæ locis templa huic deo sunt sacrata, & in vrbibus, ac in ipsis viis aræ sunt erectæ: nec facilè reperias vllum in Italia locum, vbi deus iste non colatur. Hæc igitur sunt quæ fabulis de isto deo prodũtur. At opinio vulgata quæ ad veritatem propius accedit quã habuerunt multi qui res ab eo gestas historico stilo sunt persequuti, hæc est. Hercules, quũ omniũ suæ ætatis imperatorũ esset præstantissimus, magnásq copias duceret, peragrauit quicquid ter-

rarū Oceanus cingit, euertēs omnē tyrannidē si qua populis subiectis grauis ac molesta esset, aut si quæ ciuitas suis contumelijs, ac iniurijs vicinos principatus infestaret, immanis vitæ genere, & nefarius hospitum cædibus gaudens. Et regna legitimā, & moderatas respub. constituit, & mores humanos ac sociabiles in vitam induxit. Præterea versatus est cum Græcis & barbaris, cum maritimis & mediterraneis hominibus qui ad id vsque tempus, propter diffidentiam, ac perfidiam mutuam, nullum amicum commercium inter se habebant. Et in locis desertis vrbes condidit, & fluuios auertit, qui campos inundabant, & in montibus, ad quos nullus patebat aditus, rupes fecuit, vt viatoribus iter aperiret: & cætera molitus est, vt omnis terra & mare omnibus commune esset, omnium que vsibus inseruiret. In Italiam autem non solus venit, nec vllum boum armentum secum egit. Nam per hanc regionem via non est trita illis, qui ex Hispania Argos i e coguntur nec propter hanc regionem peragratam tanto honore dignus habitus fuisset: sed Hispania iam subacta cum magno exercitu venit in Italiam, vt eius incolas subigeret, & imperio suo subiiceret. Sed hic diutius morari coactus est: tum propter classis absentiam, quæ tempestatibus hybernis distinebatur, tum etiam quia non omnes Italicæ gentes se vltro ei adiunxerant, vt ipsius imperio parerent. Nam præter cæteros barbaros, Ligurum gens magna ac bellicosa, quæ in ipso Alpium transitu sedes habet, cum ab Italiæ ingressione prohibere est conata, hic acerrimum certamen à Græcis est commissum, in quo, dum pugnarent, omnia tela eos defecerunt. Aeschylus verò antiquus poeta, hoc bellum in Prometheo soluti fabu-

ti fabula declarat. Inducit enim ibi Prometheum Herculi prædicentem cùm alia pront singula ipsi rant euentura in expeditione contra Geryonem susceptâ, tum etiã narrantem varias belli Ligustici difficultates in prælio subeundas. Hæc autem sunt eius poetæ carmina,

Venies etiam ad Ligurum intrepidum exercitũ,
Hic, sat scio, licet sis bellicosus, prælium, [manú]que pugnaces ipsorum]
Non vituperabis, nam in fatis est vt vel ipsa tela te deficiant.

Sed postquam his subactis transitum sibi per vim patefecit, alij quidem vrbes suas ipsi sponte dediderunt, præcipuè verò quotquot Græci generis erant, aut quibus satis firmas copias habebant, quas ipsius viribus opponerent, sed plerique bello & obsidione coacti deditionem fecerunt. Inter eos igitur qui bello domiti fuerunt & illum Cacum Romanis fabulis celebrem fuisse, (qui princeps valde barbarus erat, quique hominibus immanibus imperabat) & Herculi restitisse, quod in locis natura munitis sedes haberet, & propterea populis finitimis grauem, ac infestum fuisse tradunt. Hic postquam animaduertit Herculem in proxima planitie castrametatum, more latronum instructus impressionem in eum derepente fecit, & dormiente ex reitu quicquid prædæ incustoditum est nactus in suam potestatem redegit, ac abegit. Sed quum postea Græci eum vndique circumdedissent, & obsidione pressissent, ciusque castella per vim cepissent, quia & ipse cum cæteris suis sociis Herculi resistere voluit in pugna cecidit. Ipsius verò castellis solo æquatis agros circumiacentes sibi ab Hercule datos acceperunt cùm alij milites, qui sponsum à cæ-

teris Græcis ad opem Herculi ferendam cõuenerant, tum etiam Arcades Euandri comites: & Faunus rex Aborigines. Conficiat autem quis eos de Græcis, qui remanserunt ibi, fuisse Epeos & Arcadas ex vrbe Pheneo profectos, & Troianos qui regionis illius præsidio fuerant relicti. Nam inter imperatorias Herculis artes hæc quoque ponenda, atque non minus quàm cæteræ res gestæ admiratione est digna, quòd viros ab vrbibus deletis abstractos secum ad militiam per aliquod temporis spatium duceret, & post fidelem operam in bellis conficiendis alacriter sibi nauatam in agro armis parto eos collocaret, & alimenta opesq; ipsis suppeditaret, ac largiretur. Propter ea igitur Herculis nomen & gloriam in Italia maximam fuisse ferunt, non autem propter eius transitum, in quo nihil veneratione dignum inerat. Nonnulli etiam dicunt ipsum in his locis, quæ nunc à Romanis incoluntur, filios ex duabus mulieribus susceptos reliquisse. Palantem quidem, ex Euandri filia, cui Lauinæ nomen fuisse ferunt. Latinum verò ex quadam Hyperboreæ puella, quam obsidem à patre acceptam secum duxerat, & ipsam aliquandiu quidem innuptam caste seruarat sed quum in Italiam nauigaret, eius amore captus, eam suo compressu grauidam fecit. Quumque iam Argos esset abiturus, eam Fauno Regi Aborigini in matrimonium dedit. Quam ob causam aiunt Latinum huius, non autem Herculis filium à multis existimari. Atque Palantem quidem, antequam ad pubertatem peruenire, obiisse ferunt: Latinum verò, quum in ætatem virilem ingressus fuisset, Aboriginum regno potitum fuisse. Sed quum iste sine liberis maribus obiisset, in prælio contra finitimos Rutulos commissa, re-

gnum

gnum ad Aeneam Anchisæ filium: sius Latini gene rum deuolutum tradunt. Sed hæc aliis tem poribus sunt facta. Her. ules autem omnibus Italicis rebus ex ani mi sententia compositis, quum & naualis exercitus in columis ex Hispania venisset, decimas prædæ facto sa crificio diis obtulit, & ibi, vbi classis ipsius statiua ha bebat, oppidulum de suo nomine condidit, quod nunc quoque à Romanis incolitur, & inter Pompeios, ac Neapolim est situm, & portus omni tempore tutos ha bet. Qui nunc gloriam exemplo posteris futuram, hono resque diuinos apud omnes Italiæ incolas adeptus fuis set. in Siciliam traiecit. Illi verò, qui ab eo in Italia fuerant relicti vt ei præsidio essent, qui circa Saturniæ collem sedes fixerant, aliquandiu propriam Rempub ha buerunt. Sed non multò post vitæ genus, Leges, & sa cra sua cum Aboriginibus coniunxerunt, quemadmo dum Arcades, & multò ante Pelasgi fecerant: & eandem ciuitatem cum Aboriginibus communem ha bentes in vnum conuenerunt, & ita coaluerunt vt vna eademque gens esse putaretur. Atque hæc de Herculis expeditione, & de Peloponnesiis, qui in Italia remanse runt, sint dicta. Sed post Herculis discessum ætate secunda circiter quinquagesimum & quintum an num, vt ipsi Romani tradunt, rex Aboriginum erat Latinus Faunifilius, ac Herculis semen, qui regnum iam per quadraginta & quinque annos obtinebat. Tunc autem Troiani qui post captum Ilium cum Ae nea ex vrbe profugerant, appulerunt Laurentum, quod in littore Aboriginum ad mare Tyrrhenum, non procul à Tiberis ostio situm erat. Quinque ab Aborigini bus accepissent agrum ad habitandum, & quicquid

petierant, oppidum in colle quodam non longè à mari condiderunt, cui Laurinij nomen imposuerunt. Sed non multò post antiquo nomine mutato, vnà cum Aborigi nibus, ab illius agri rege Latini fuerunt appellati. Et relicto Laurinio vnà cum ipsis indigenis maiorem vrbẽ muris cinctam condiderunt, quam Albam appellarunt. Ex qua profecti alias quoque multas vrbes condiderunt, quæ priscorum Latinorum vocantur, quarum maxima pars ad meam vsque ætatem adhuc incolebatur. Deinde sexdecim ætatibus post Ilium captum elapsis, coloniam miserunt in Palantium, & Saturniam, vbi Peloponnesij & Arcades suas primas sedes posuerant, & eorum quoque temporibus quædam generis antiqui vestigia reliqua extabant, atque in his locis ædificia exstruxerunt, Palãtio muris cinctio, vt tunc primùm vrbis formam acceperit. Vrbi autem conditæ nomen imposuerunt à Romulo, cuius ductu colonia missa fuerat, qui genere ab Aenea decimus septimus erat.

6 ¶ VOLO autem & de Aeneæ in Italiam aduentu verba facere: quando scriptores eum partim ignorarunt, partim etiam propter inuidiam silentio texerunt. Verùm, de eo non negligenter nec obiter agam sed pluribus, & accuratè, tam Græcorum quàm Romanorum historias fide maxima dignas sequutus. Quæ autem de eo traduntur, hæc sunt. Ilio ab Achæis capto siue equi lignei fraude, vt canit Homerus, siue Antenoridarum proditione, siue aliquo alio modo, cætera quidem multitudo tam ciuium Troianorum quàm sociorum, qui in vrbe erant, in cubilibus adhuc deprehensa cæsa est. Hoc enim atrox malum eos custodiis præsidióque nudatos præter omnem expectationem noctu videtur oppressisse.

preſſiſſe. Sed Aeneas, cæteríque Troiani, qui ex vrbe Dardano & Ophrynio ad opem Ilienſibus ferendam conuenerant, & quotquot de aliis, dum inferior vrbis pars caperetur, calamitatis atrocitatem maturè ſenſerunt, in munitiſſima Pergami loca confugerunt, arcémque proprio muro cinctam ac munitam occuparunt, in qua Troianorum ſacra patria repoſita erant, & maxima vis opum, vt eſt veriſimile, quod is locus eſſet firmus ac munitus, vbi etiam erat præſtantiſſima totius exercitus pars. Hic ſubſiſtentes, propulſabant eos qui in arcem aſcendere conabantur: quinique angiportorum bonam notitiam haberent, per occultas vias currebant, & multitudinem ex vrbe capta diffugientem recipiebant: atque maior fuit eorum numerus qui euaſerunt, quàm eorum qui fuerint intercepti. Aeneas igitur his artibus & commentis repreſſit primum illum ac repentinum hoſtium impetum, quo ad vniuerſam ciuitatem delendā ferebantur, atque hoc modo effecit ne primo hoſtium incurſu tota vrbs caperetur. Sed quum veriſimilibus rationibus adductus de futuro coniecturam prudenter faceret, & animaduerteret nullo modo fieri poſſe vt vrbs ea ſeruaretur, cuius maximam partem hoſtes in ſuam poteſtatem iam redegiſſent, arce hoſtibus cedere, at ipſa hominum corpora, & ſacra patria, & quicquid pecuniæ ſecum ferre poſſet, ſeruare ſtatuit. Quod conſilium quum ei placuiſſet, liberos, vxores, ſenes, & cæteros omnes, quibus lenta fuga opus erat, ex vrbe egreſſos præmiſit, & iter, quod ad Idam ferebant, petere iuſſit, dum Achæi in arcis oppugnationem intenti, de perſequenda multitudine quæ ex vrbe diffugiebat, nihil cogitarent. Exercitus etiā partē illis qui ex vrbe exibant, præſidio

esse iussit, vt ipsorum fuga pro præsenti rerum statu, ac pro viribus tuta & molestiarum expers esset. His aũt mandatum fuerat vt minutissima Idæ loca occuparent. Ipse verò cum reliqua militum manu, quæ lectissima erat, intra muros arcis remansit, atque suis ex vrbe præmissis fugam minus laboriosam reddidit, quòd hostes in arcis oppugnationem essent intenti. Sed quum Neoptolemus cum sociis in quandam arcis partem ascendisset, & vniuersi Græci ad opem ipsis ferendam accurrissent, arcem deseruit: & aperta porta per quam reliqui fugerant, discessit, & reliquos milites acie instructa secum duxit, & patrem, deos patrios, vxorem, liberos, & cæteras res si qua maximi pretij esset, siue hominum corpora, siue pecuniæ essent, præstantissimis bigis vehẽs abduxit. Interea verò vrbem Græci per vim ceperunt, & in rapinas intenti magnam fugientibus tuto euadendi facultatem præbuerunt. At Aeneas eiusque socij suos in itinere assequuti, vno agmine facto munitissima Idæ loca occuparunt. Ad ipsos aũt venerunt qui tunc vrbẽ Dardanum incolebãt, quam noctu deseruerunt, conspecta ingenti flamma quæ præter morem ex Ilio emicabat. Ad ipsos inquam omnes isti venerunt, exceptis iis qui cũ Elymo & Aegesto, aliquot nauibus furtim paratis, antè ex vrbe ocius exierant. Ad eos etiam venit ex Ophrynio totus populus, & ex aliis vrbibus Troianis, quotquot libertatis tuendæ studio tenebantur. Quare breuissimo tẽporis spatio istæ Troianorum copiæ maximè creuerunt. Qui igitur cum Aenea ex vrbe capta superstites euaserant, in his locis remanentes, in patrias sedes se breui post hostium discessum redituros sperabant. Sed Græci quum vrbem & loca vicina in suam potestatem redegissent,

gissent, & ipsos incolas in seruitutem abstraxissent, & castella vastassent, se ad illorum qui in montibus erant, oppugnationem parabant, vt illos quoque in suam potestatem redigerent. Sed quum illi ducentores ad ipsos misissent, ac rogarent ne se ad belli gerendi necessitatem adigerent, in concionem conuenerunt, & pacem hisce conditionibus cum ipsis fecerunt: Vt Aeneas, eiusque socij, cum rebus omnibus quas in ipsa fuga seruatas asportarant, intra certum ac statutum tempus ex agro Troiano abirent, Graecisque castella prius dederent. Graeci verò ipsis ex omni agro, marique cuius imperium habebant, tuto discedendi copiam ex pacto facerent. Aeneas igitur his conditionibus acceptis, quas pro praesenti rerum statu optimas esse iudicabat, Ascanium filiorum natu maximum cum quadam sociorum parte, quae ex Phrygibus ferè tota constabat, in agrum qui Dascylitius vocatur, (vbi est lacus Ascanius) ab illius regionis incolis ad regni administrationem accitum misit. Atque Ascanius ibi non diu mansit: sed quum Scamandrij & ceteri Hectoridae à Neoptolemo ex Graecia dimissi ad ipsum venissent eos in paternum regnum deducens Troiam rediit. Atque haec tantùm de Ascanio traduntur. Aeneas verò cum reliquis liberis, & patre, & deorum simulacris classe iam parata, Hellespontum traiecit, & in proximam peninsulam nauigauit, quae in mare procurrens ante Europam iacet, & Pallene vocatur. Haec autem Thraciam gentem sociam habebat, quae Crusaea vocabatur, quae operam omnium sociorum in bello gerendo fidelissimam maxima animi alacritate ipsis nauarat. Opinio igitur de Aeneae fuga maximè credibilis, quam Hellanicus antiquus scriptor in rebus Troianis describendis est

sequutus, hæc est. Nonnulli etiam alij de rebus ijsdem non eodem modo, sed variè verba fecerunt, quæ minus, quàm istam opinionem, probabilia puto. Vnus quisque tamen eorum qui hæc audiunt, & legunt, ex animi sententia de his iudicet. Sophocles poëta tragicus, in fabula Laocoonte, quum vrbs mox esset capienda, inducit Aeneam cum rebus suis conuasatis secedentẽ in Idam iussu patris Anchisæ: qui memor mandatorũ à Venere acceptorũ & adductus signis prodigiorũ quæ Laocoõtidis recens acciderant, in mentem vrbi excidiũ cõiecerat. Eius aũt iãbici, qui ab alia persona pronũtiãtur, ita se habẽt,

Nunc ad portam Aeneas deæ filius
Adest, humeris patrem ferens, qui propter fulmine afflatum
Dorsum stillis [cruoris ex vulnere manantis] irrigat byssinam vestem.
Circũdat aũt [ipsũ] tota domesticorũ multitudo.
Comitatur verò [ipsum] turba non quãta videtur
Tibi, sed [quanta placuit] Phrygibus coloniæ deducendæ cupidis.

At Menecrates Xanthius vrbem Græcis ab ipso proditam affirmat propter simultates quas cum Alexãdro gerebat: atque ob istud beneficium Græcos ipsi permisisse vt suam domum seruaret. Is autem suam historiam ab Achillis funere auspicatus, in hunc modum scribit, Græcos autem mœstitia tenebat, & exercitus capite se priuatos existimabãt. Ei tamen extructo sepulcro [& iustis eius funeri persolutis,] totũ agrũ [Troianum] bello premere perrexerunt, donec Aeneæ proditione captũ est Ilium. Aeneas.n. q̃ in nullo pretio apud Alexãdrum esset, & ab omnibus

facer-

sacerdotij honoribus arceretur, Priami res euertit. His autem perpetratis, ciuis Græcorum est factus. *Alij verò quidam ad nauium Troianarum stationẽ ciũ commorãtem tunc fuisse dicunt. Alij verò cum copijs ciũ in Phrygiam militaris cuiusdam negotij causa missum à Priamo tradunt. Sũt etiam qui eius ex Ilio discessum fabulosiorem faciunt: vnicuique tamen liberum sit iudicium. Sed quæ post eius discessum sunt secuta, pleriſque dubitationem longè maiorem afferunt. Quidam enim eum in Thraciam vsque deducunt, & ibi vitam finisse dicunt: quo in numero sunt Cephalo Gergithius, & Hegesippus, qui res Pallenes scripsit. Scriptores antiqui, celebres, ac fide digni. Alij verò ipsum ex Thracia discedentem faciunt, & in Arcadiam vsque deducunt, eumque dicũt habitasse in Orchomeno Arcadico, & in ea, quæ, licet sit mediterranea tamen ob loca cœnosa, & flumen, Νῆσος, id est, insula, vocatur. Quinetiã eam quæ Capua nominatur, ab Aenea cæterisque Troianis conditam, & à Capy Troiano Capuam appellatam tradunt. Hæc aũ: cum ab alijs, tum etiã ab Aristho rerum Arcadicarum scriptore dicuntur. Sunt ẽt qui Aeneã & huc peruenisse fabulosè dicunt: eum tamen non in his locis, sed in Italia mortem obijsse aiunt: quemadmodum cùm alij multi manifestè testantur, tum etiam Agathyllus poëta Arcadicus, in quodam elegiaco versu, ita canens,*

Venit & in Arcadiam, & in Neso deposuit filias
Duas, ex Codones, & Anthemones congressu susceptas.

Ipse verò in Hesperium agrum properauit, genuitque Romulum.

Quòd autem Aeneas & Troiani venerint in Italiã

omnes Romani confirmant, & quæ in sacrificiis & festis diebus fiunt ab ipsis, idem indicant. & Sibyllini libri, & oracula Pythica. & multa alia hoc ipsum testantur. Quæ nullus tanquam ad speciem, & decori causa ab ipsis cõficta, neglexerit. Quinetiam apud Græcos multa, eáque manifesta huius rei indicia ad hanc vsque diem extant. portus (scilicet, ad quos appulerunt, & in quibus propter aduersam nauigationẽ diutius sunt morati. Quæ (licet eorum magnus sit numerus) ego quàm potero breuissimè recensebo. Primùm quidem in Thraciam venerũt, & ad peninsulam, quæ Pallene vocatur, appulerunt. Ipsam autem incolebant (vt dixi) barbari quidam, nomine Cruſei, ipsíque tutũ hospitiũ præbuerunt. Quum autem ibi totã hyemem mansissent, Veneri templum exstruxerunt in vno è promontoriis. & oppidum Aeneã condiderunt, in quo eos qui propter laboriũ molestias, & fastidium, nauigationis incommoda diutius pati non poterant, & quotquot ibi manere voluerant, tanquam in patrio solo posthac habituros, reliquerunt. Hoc oppidum duraui vsque ad imperiũ Macedonum, quod Alexandri successores habuerunt. Sed Cassandro regnante euersa est, quo tempore vrbs Thessaloni e condebatur: & Aeneatæ cum multis aliis in hac vrbem recens condit am migrarunt. Quum autem Troiani ex Pallene discessissent, in insulam Delum venerunt, quum Anius in ea regnaret: atque in hac insula diũ rei eius florerent, & ædificia starent, multa indicia visebantur quæ Aeneæ & Troianorum in eam aduentum testabantur. Deinde in aliam insulam Cythera, quæ ante Peloponnesum est sita, venerunt: templúmque Veneri condiderunt. Quum autem ex Cytheris soluissent,

non

non longè à Peloponneso nauigarunt, & quendam Aeneæ socium nomine Cinæthum in quodam promontorio sepelierunt, quod ab eo Cinæthum vocatur. Et cognationis fœdere cum Arcadibus renouato, (de quo posteà dicemus) nec diu in his locis commorati, atque aliquot de suis hic relictis, Zacynthum venerunt. Quum autem Zacynthij propter iura cognationis eos amicè recepissent: Dardanum enim, Iouis & Electræ Atlantidis filium duos ex Batea sibi susceptisse tradunt, Zacynthũ, & Erichthonium. Quorum alter ex Aeneæ maioribus erat: Zacynthus verò, insulæ conditor. Ob hanc igitur priscæ cognationis recordationem, & ob indigenarum humanitatem, ibi temporis aliquod spatium commorati, simul etiam aduersa nauigatione impediti, Veneri in templo, quod ibi exstruxerunt, sacrificiũ fecerũt, quod ad hoc vsque tempus Zacynthij publicè faciunt, & cùm aliarum exercitationum, tum etiam cursus certamina iuuenibus proponunt. Qui verò primus in hoc templum ingreditur, victoriæ præmium accepit. Hic autem cursus, Aeneæ & Veneris appellatur, & horum amborum statuæ stant erectæ. Inde verò per altum nauigantes ad Leucadem appulerunt, quem locum Acarnanes adhuc tenebant. Atque hic quoque Veneri templum id exstruxerunt, quod nunc est in parua insula, quæ est inter Dioryctum & vrbem ipsam: & Veneris Aeneadis templum vocatur. Quum autem hinc discessissent, & ad Actium appulissent, ad sinus Ambracij promõtorium statione habuerunt. Inde in vrbem Ambraciam venerũt, in qua regnabat Ambrax Dexameni filius, Herculis nepos: & vtroque in loco huius aduentus vestigia remanent: apud Actium quidem, Veneri

Aeneadis templum, & prope hoc, alterum Magnorum deorum: quæ nunc etiam ætate mea extant: Ambraciæ verò, eiusdem deæ templum, & Aeneæ sacellum, prope parvum theatrum, in quo etiam est parva operis antiqui statua, quæ dicitur Aeneæ, eámque sacerdotes, quas ipsi vocãt amphipolos, sacrificiis colebãt. Ex Ambracia autẽ, Anchises quidem cum navibus oram legendo, Buthrotum Epiri portum petijt. At Aeneas, & cum ipso lectissimi quique totius exercitus milites, confecto duorũ dierum itinere Dodonam peruenerunt, oraculum à deo petitur: atque ibi Troianos cum Helceno inuenerunt. Et post acceptum de colonia deducenda responsum, deo dona Troiana dicarunt cum alia, tum etiam crateres æneos, quorum nonnulli adhuc supersunt literis antiquissimis inscripti, quæ donorũ dicatorum autores testantur, & quatuor fermè dierum itinere confecto ad classem redierũt. A Buthroto secũdum oram vecti, vsque ad portum, qui tunc quidem Anchisæ vocabatur, nunc verò nomen obscurius, ac minus notum habet, hîc quoque templũ Veneri fundatum dicarunt. Posteà Ioniũ mare traiecerunt, sequuti quosdam nauigationis duces, qui se comites ipsis vltro addiderunt, quique Patronem Thuriũm cum sociis secum duxerunt. Horum plerique, postquam exercitus in Italiam incolumis peruenit, domũ redierunt. Sed Patron Aeneæ verbis ad coloniæ societatem adductus, & cum ipso quidam amici in ea classe manserunt, quos nonnulli in Aluntio Siciliæ oppido habitasse dicunt. Ob huius beneficij memoriam Romani Leucadem & Anactorium Corinthiis ademptum, posteà gratis dederunt Acarnanibus: ipsíque Oeniadas in pristinas sedes reuertere volentibus permiserunt, hoc facere: quinetiam

vt eos

vt ex Echinadibus insulis fructus cũ Aetolis cõmunes perciperent conceſſerũt. At Aeneas, eiuſque ſocij nõ vno loco exſcenſum e nauibus in Italiam fecerunt: ſed cum maiori nauium parte ad Iapygiæ promontorium appulerunt, quod tunc Salentinũ vocabatur. Cũ reliquis verò ad id quod Athenæum appellabatur, quâ & ipſe Aeneas in Italiã deſcẽderat. Hic aũt locus eſt promõtoriũ, & in eo portus eſt æſtiuus qui ab illo tempore Veneris portus appellatur: atque ad fretũ vſq; præter nauigarũt, ad alteram manum Italiam habentes & in his quoque locis ſui aduentus veſtigia reliquerũt cum alia, tũ etiam phialã æream in tẽplo Iunonis literis antiquis Aeneæ nomen qui ipſam dcæ donarat, declarante. Quum aũt per uenìſſent ad mare quod Siciliã alluit, ſiue ea mẽte vt eò appellerent, ac ibi ſtationem haberent, ſiue vt vi tempeſtatũ acti, quibus hoc mare ſolet agitari, ad eam inſulæ partẽ quæ Drepana vocatur, appulerũt. Hic ſorte fortuna inciderunt in Elymi & Aegeſti ſocios, qui ante ipſos ex vrbe Troia profugerant, & fortunã ac vẽtos ſecũdos nacti ſimul etiã non multis impedimẽtis grauati, breui temporis ſpatio in Siciliam peruenerant, & circa fluuium Crimiſum ſedes poſuerant in agro Siceanorum, à quibus agri partem amicè acceperant, propter Aegeſti cognationem, qui huiuſmodi quodam caſu in Sicilia natus & educatus fuerat. Quidam de ipſius maioribus vir illuſtris genere Troianus, in Laomedontis odium incidit, i. ſimque rex neſcio qua de cauſa correptum interfecit, & vniuerſam ipſius maremſtirpem præ metu ſuſtulit, ne quid cladis ab ipſis ac iperet. Filias verò, quæ adhuc erant virgines, occidere indecorum putauit: & ſi eas cum Troianis matrimonio

coniunctas habitare pateretur, hoc minimè tutum fore iudicauit. Quare ipsas dedit mercatoribus, quibus imperauit vt eas in remotissimas regiones abducerent. Cum his abeuntibus nobilis quidam adolescens nauigauit: alterius amore captus, & puellam deinde in Siciliam duxit vxorem: &, dum inter Siculos degerent, natus est ipsis filius, nomine Aegestus. Qui quum mores & linguam illius regionis incolarum didicisset, post suorum parentum mortem, quo tempore Priamus Troiæ regnabat, ab eo redituin in veterem patriam per amicos impetrauit. Quumque bellum contra Græcos gestum cum suis sociis toleraſſet dum vrbs caperetur, in Siciliam re. ijt, vnà cum Elymo fugiens cum tribus nauibus, quas Achilles habebat dum Troianas vrbes popularetur, sed saxis in mari latentibus hærentes amiserat. Quum igitur Aeneas in vitos à me nominatos incidisset eos comiter excepit, & vrbes ijs cõdidit & Aegestam & Elymam: quinetiam quandam suarum copiarũ partem in his vrbibus reliquit. Quod, quantum ego conijcturis assequi possum, sua sponte fecit, vt illis qui laboribus granabantur, aut etiam qui aliquo alio modo maritimæ nauigationis molestias iniquo animo ferebãt, esset qui sedi locus & sedes, in quibus tuto degerent. Sed, vt quidam scribũt, Aeneas hoc fecit ob suæ classis detrimentum, quòd mulieres quædam propter diuturnũ errorum tædium aliquot naues incendissent. Quare turbam, quæ propter incensas naues cum reliquis nauigare non potest, necessitate coactus hîc reliquit. Sunt autem præterea multa alia Aeneæ & Troianorum ad Siculos aduentus indicia: sed manifestissima, Veneris Aeneadis ara in monte Erycis vertice fundata, &

Aeneæ

Aeneæ templum Aegestæ conditum atque aram quidem Aeneas matri erexit. Templum verò, qui à classe fuerant relicti, in sui seruatoris memoriam condiderunt, eique dicarunt. Troiani igitur qui cum Elymo & Aegesto profugerant in his locis remanserunt & ab eo tempore vniuersi perpetuò Elymi sunt appellati. Elymus enim quòd genere regio natus esset, dignitate præstabat, & ab eo vniuersi nomen acceperunt. Qui verò cum Aenea nauigabant, ex Sicilia per mare Tyrrhenum profecti, primùm quidem appulerunt ad Italiæ portum Palinurum, qui à quodam Aeneæ gubernatore ibi defuncto nomen hoc accepisse fertur. Deinde ad quandam insulam appulerunt, cui Leucasiæ nomen imposuerunt, à quadam Aeneæ consobrina, quæ in hoc loco obierat. Illinc verò delati, in pulcrum ac profundum in Opicis portum, extincto ibi quoque Miseno quodam viro nobili, ab eo portum Misenum denominarunt. Quúmque ad insulam Prochytam & ad promontorium Epityches appulissent, eodem modò nomen his locis imposuerunt, quòd mulierum defunctarum in his locis monumenta seruari vellent. Harum verò alteram Aeneæ cognatam fuisse ferunt, alteram nutricē. Tandem ad Italiæ Laurentum peruenerunt. Hic inuento errorū fine, castra vallo reuunita posuerunt. Et locus in quo tunc castra metati sunt, ab eo tẽpore Troia vocatur, & à mari distat circiter quatuor stadia. Hæc autẽ scripsi, atque hac digressione sum vsus, necessitatis vi coactus: quia scriptores partim negant Aeneam cum Troianis in Italiam venisse, partim etiam alium Aeneam, non autem Anchisæ Veneríque filium eò venisse dicunt. Quidam etiam Ascanium Aeneæ filium, alij alios quosdam fuisse putant. Sunt

etiam qui Aeneam, Veneris filium, manu suorum in Italiam deducta & rebus ibi compositis domum reduisse, & Troiæ regnasse tradunt. Quum autem moreretur, Ascanio filio regnum reliquisse, eiusque progeniem regnum diutissimè retinuisse. Quod crediderunt (vt ego conijcio) decepti Homeri carminibus non rectè intellectis. Nam in Iliade Neptunus splendorem, quem Aeneas eiusque posteri fatis ita volentibus erant adepturi, in hac sententiam ab ipso prædicens inducitur.

Vis igitur Aeneæ Troianis imperabit,
Et nati natorum & qui post hos nascentur.

Quoniam igitur existimarunt Homerum sciuisse hos viros in Phrygia regnasse, quasi Troianis imperare non potuissent, licet in Italia manerent, hunc Aeneæ reditum sunt commenti. Sed nonne fieri poterat vt Aenea imperaret Troianis, quos secum duxerat, quamuis in alia regione viuerent, & propriam Rempublicam haberent? Huius tamen erroris, ac opinionis falsæ, alias etiam causas afferre quis posset. Sed si quos turbat quòd multis in locis Aeneæ sepulcra narrentur ac monstrentur, quum tamen nullo modo fieri possit vt vnus & idem pluribus in locis sit sepultus, cogitent isti, hanc dubitationem communem ac vulgarem esse de multis, præcipuè verò de viris qui fortunæ beneficio illustres quidem fuerunt: sed tamen vitam instabilem & vagan egerunt: & sciant, vnum quidem solum fuisse locum qui corpus ipsorum exceperit, sed apud multos eorum monumenta erecta esse, propter beneuolentiam illorum, qui vtilitatem aliquam ipsorum opera perceperunt, præcipuè verò siquæ generis ipsorum reliquiæ inter eos supererant, aut vrbs aliqua ab ipsis con-

dit a,

dita, aut ſicubi diutius habitaſſent, & cum indigenis comiter verſati fuiſſent. Qualia ſunt quæ de hoc etiam heroe fabulis prodita ſcimus. Quoniam enim hic effecit ne Ilium captum funditus deleretur, quoniam etiam effecit vt ſociorum auxilia, in eam quæ Bebrycia vocatur, ſalua reuerterentur, & in Phrygia filium Aſcanium regem reliquit, & in ſuæ profectionis erroribus vrbem de ſuo nomine condidit, & in Arcadia filiam nuptum collocauit, & in Sicilia partem exercitus ſui reliquit, quoniam etiam multis aliis in locis cum hominibus humaniter verſatus videbatur: voluntariam ipſorum beneuolentiam ſibi conciliauit, ob quam, poſtquam cum mortalibus viuere deſiit, ſepulcris & monumentis ornatus eſt, quæ variis in locis ad perpetuam ipſius memoriam ſunt extructa. Nã age, quas alias cauſas monumentorum ipſius in Italia factorum afferre poſſes? Sed de his aliàs etiam agetur, prout rerum ſingularum occaſio declarationem flagitabit. Cæterùm, ne in vlteriores ac remotiores Europæ partes claſſis Troiana nauigarit, in cauſa fuerunt tã oracula quæ ad ſuum finem in his locis ſunt perducta, quàm deus ipſe qui ſuam voluntatem variis modis patefecit. Quum enim Laurentum appuliſſent, eo portu ſunt vſi, & tentoria circa littus fixerunt: ac primum qui dem hominibus ſiti grauiter laborantibus, quòd is locus nullas haberet aquas, (dico autem quæ ab ipſis indigenis acceptæ) latices ſuauiſſimi fontis ex terra ſua ſponte proſilientes ſunt viſi, vnde & totus exercitus eſt aquatus, & locus ille factus eſt irriguus fontium aquis vſque ad mare deſcẽdentibus. Nũc tamẽ fontes iſti nõ ſunt adeò aquarũ pleni, vt aliquid inde profluat ac redũdet: ſed ſi exigua aqua quæ in loco cõcauo colligitur, qua eius regionis

incolæ Soli sacram esse dicunt. Et iuxta ipsam aræ duæ monstrantur, quarum altera solem orientem spectat, altera occidentem: & ambas Troiani fundarũt. Supra quas fabulosè tradunt Aeneam primum sacrificium deo fecisse, vt ei gratias ageret pro aquis oblatis. Deinde verò ipsis prandium humi sumentibus multi cibis apium substrauerunt, hócque mensæ loco cibos sustinebat. Sed (vt alij dicunt) crusta panis tritici mundiciæ causa cibis subiecerant. Sed quum cibi appositi iam absumpti fuissent, & apium siue panis crusta ipsis supposita vnus atque mox alter comedisset, tunc quidam siue de Aeneæ filiis, vt fertur, siue de contubernalium numero, exclamans hæc protulit, At nos vel ipsam mensam iã absumpsimus. Quũ autem hoc audissent, omnes tumultuari cœperunt, quòd tũc primùm oraculũ ipsis redditũ ad finẽ suũ fuisset perductũ. Nam vt quidã aiunt, ipsis quoddã oraculũ Dodonæ fuerat redditum. Sed (vt alij scribunt) hoc oraculũ acceperant in Erythris Idæ viculo, vbi habitabat Sibylla illius loci nympha fatidica, quæ ipsos iusserat occidẽtem versus nauigare, donec in eum locum peruenirent in quo mensas comederent. Vbi verò hoc animaduertissent factum, quadrupedẽ ducẽ sequerentur, & vbi id animal defatigatũ procubuisset, vrbẽ ibi conderent. Hoc igitur oraculo in memoriã reuocato, alij deorũ simulacra Aeneæ iussu in locũ indicatũ ex nauibus extulerũt: alij verò bases & aras ipsis extructas erexerũt. Et mulieres cũ vlulatu & choreis sacra prosequebãtur. At Aeneas, eiusq; socij rebus omnibus ad sacrificiũ paratis, coronati circũ arã steterũt. Interea verò dũ isti vota faciũt, porca quã erat immolaturi, quæ grauida erat & partui vicina, quã sacerdotes in ipsam manibus iniectis sacrificium iam au-

spicari

ſpicari vellēt, vinculis excuſſis ex eorū manibus, à quib. vincta detinebatur ſe proripuit, & loca mediterranea curſu petere cœpit. Aeneas verò quum animaduertiſſet hanc eſſe quadrupedē illam viæ ducem ab oraculo ſibi ſignificatam, cum paucis eam ex interuallo ſequebatur, veritus ne propter perſequentium tumultū à fatali via auerteretur. At illa fermè viginti & quatuor ſtadiis à mari digreſſa, collem quendam curſu cōſcendit, vbi labore fatigata conquieuit. Quum autē Aeneas (oraculū enim ad finem videbatur perductū) cerneret locum illum in agro parum commodo & procul à mari ſitum eſſe, & ne hoc quidem vllos commodos portus habere, in magnā animi anxietatem & conſilij inopiā incidit, vtrum oraculo parendum, atque ſedes ibi fingendæ eſſent, vbi vitā dolorū ac ærumnarū plēnam perpetuò degerent, & nullius boni participes eſſent futuri: an vlterius ad meliores ſedes quærendas eundū eſſet. Sed quū ille has res animo agitaret, & deos incuſaret, vox quædam ex nemore (nō apparente qui loquebatur) ad eius aures derepente delata eſt, iubens ipſum ibi manere, & vrbē celeriter condere nec præſentis opinionis dubitationi nimium indulgere, quod in agro fertili ſedes ad vitā agendā non eſſet poſitus rus, & futurā, atque adeò propemodū iam præſentem felicitatē reiicere. In fatis enim eſſe vt ex hoc inopi & exiguo domicilio primū profecti, amplū bonūmque agrū tandem ſibi pararent, & ipſius liberi ac poſteri maximū imperiū, & ad plurima ſecula duraturū haberēt. Troianos igitur in præſentia ſedib. iſtis vſuros dicebat. Sed poſt totidē annos quod porcellos ſus peperiſſet, altera vrbē fortunatā & amplā ab eius poſteris cōdituū iri. Aeneā verò, quū hoc intellexiſſet, eámq; diminā vocē eſſe indicaſſet, dei

imperata feciſſe ferunt. Alij verò dicunt huic viro vehementer ſolicito, & præ dolore ac mœrore corpus lãguidum habenti, & neque in caſtra deſcendenti, neque cibos vllos ſumenti: ſed illic ita vt forte erat noctem illã cubanti, magnum quoddam, ac admirandum ſpectrum forma cuiuſdam dei patrij aſſumpta in ſomnis aſtitiſſe, & de rebus paulò ante memoratis eum monuiſſe. Sed vtrum ad veritatem propius accedat, deus nouit. Poſtridiè verò ſus triginta porcellos peperiſſe fertur. Et poſt totidem annos vrbem, de qua ſuo loco verba faciam ſecũdum vocem illam fatidicam ab aliis Troianis conditã tradunt. Aeneas verò ſuis fœtum vnà cũ matre dijs penatibus immolauit in eo ipſo loco, in quo nunc eſt quoddã ſacellum, quod Lauiniatæ ſacrũ putant, & ita ſeruant, vt cæteris nullus ad ipſum aditus pateat. Quúmque Troianis imperaſſet vt in collẽ caſtra mouerent, in præſtantiſſima collis parte deorum ſimulacra collocauit, & maxima animi alacritate confeſtim vrbẽ ædificare cœpit. Atque decurrens inde quicquid ad vrbis condendæ vſus faciebat, præcipuè verò ferrum, ligna, & inſtrumenta ruſtica, quorum priuatio grauiſſimum dolorẽ dominis erat allatura, ex locis circum circa iacentibus petebat. Tunc autem Latinus eius regionis rex erat, & contra finitimã gẽtem, qui Rutuli vocantur, bellum gerebat, & aliquoties parum feliciter pugnarat. Interea verò nuntius maximi terroris plenus ad eum affertur, totam orã maritimã ab exercitu extero vaſtari, & niſi celeriter eius excurſiones reprimeret, bellum quod cum vicinis populis gerebat, ipſi fore grauius. His autẽ auditis virũ metus ſubiit, & confeſtim intermiſſo præſenti bello, cum magnis copijs contra Troianos iuit. Sed quũ eos more Græco armatos, & acie egregiè

egregiè instructa prælij graue periculũ intrepidè expectãtes videret deterritus, si ab impetu præsenti quo ad belli fortunam subeundi periculandã ferebatur, quòd eos in suam potestatem incursu primo non amplius redactum iri putaret, quemadmodum domo discedens spectauerat. Sed castris in colle quodam positis, primùm quidem copias suas ex præsenti labore reficiendas duxit, quem ob longum iter, & magnam hostes persequendi contentionem tulerant. Quum autem ibi pernoctasset, simulatque dies illuxisset, cum hostibus confligere decreuit. Sed post hoc consilium ab eo captum, quidam illius regionis dæmon in somnis astans ipsum monuit, vt Græcos in agri partem reciperet. Ipsorum enim aduentum magnam Latinis vtilitatem allaturum, & vniuersæ Aborigi nũ gẽti bonorum futurũ. At Aeneæ dy patrỹ eadẽ nocte in sõnis apparuerũt, cumq; sunt hortati Latino persuaderet, vt sibi sedes spõte daret in quo loco vellent & Græcorum copiis socijs potiùs quàm hostibus vteretur. Hoc autem somnio ambos à faciendo prælij initio deterruit. Quum autẽ dies illuxisset & exercitus instructa acie ad pugnã cõmittendam essent parati caduceatores vtrinque ad ipsorũ duces venerũt, qui postularunt vt ad colloquiũ ambo cõuenirent. atque hoc ita factũ est. Ac prior Latinus questus de repentino & nõ denuntiato bello, rogauit Aeneam vt diceret quisnã esset, & qua mente, quámve ob causam ageret, & ferret suæ regionis res, præsertim quum à se nullam iniuriam antè accepisset, quúmque probe sciret belli autores ab omnibus, qui iniuria sunt lacessiti, propulsari. Questus est etiam quòd quum ipsi quidlibet, si quid moderati petisset à suæ regionis incolis volentibus & amicè impetrare licuisset, tamen omniũ gentium

ure violato turpius quàm honestius hæc ipsa per vim ca pere maluisset. His autẽ ab eo dictis Aeneas in hũc mo dũ respõdit, Nos genere Troiani sumus & ex vrbe in ter Græcos non obscurissima venimus, quàm Græci bel lo decennali expugnatam nobis eripuerunt & errabun di vagamur, quòd nullam vrbem ac agrum habeamus, in quo postea habitemus & deorum mandatis parentes huc peruenimus. Et hic solus ager, vt oracula significa runt nostrorum errorum portus nobis relinquitur. Res verò nobis necessarias ex hoc agro nobis paramus, miseriarum nostrarum, quàm honestatis ac decôri maiorem rationem habentes: quòd certè quia huc recens venimus, factum nollemus. Sed has iniurias multis magnisque beneficijs ac officijs compensabimus, præbentes vobis & corpora & animas egregiè in periculis subeundis exercitatas vt ipsis pro vestro arbitrio quibuslibet in rebus vtamini: agrúmque vestrum nullis maleficiis vastatũ seruabimus, & in hostium agro parando vos alacriter iuuabimus. Vósque supplices oramus ne in malam partem accipiatis quæ fecimus, néve propterea irascamini: cogitantes non iniuriæ faciendæ causa, sed ab ipsa necessitate coactos nos hæc fecisse. Omne autem peccatum non voluntarium venia dignum. Quare æquum est vt nihil grauius in nos statuatis, qui manus supplices vobis tendimus. Alioqui deos ac dæmones huius regionis incolas & custodes precabimur, vt nobis deni veniam facinorũ quæ coacti fecimus, atque vos inimici belli faciẽtes propulsare conabimur. Hoc enim bellũ quod mox geremus, nec primũ nec maximum erit eorum quæ iam sumus experti. Quũ autẽ Latinus hæc audisset ei respondit, EQVIDEM beneuolentiã habeo erga omne genus Græcorũ, & fa-

& fatalibus hominũ casibus vehementer angor: vestrámque salutem plurimi facerem, si mihi compertum esset vos propter seditiam inopiam huc aduenisse, agrique portione fore contentos, & animo amico accepturos quæ vobis dabuntur, nec meum principatum mihi per vim erepturos. Sed si vera sunt quæ dicitis: peto vt pro his ipsis rebus fides vltro citróque detur & accipiatur, quæ fœdus nostrum sine dolo malo factum tueatur. Quum autem Æneas Latini sententiam probasset, fœdus inter eos iureiurando cõfirmatum, his conditionibus est ictum: vt Aborigines tantum agri Troianis darent, quantum peteret, à colle quoquouersus eumtibus stadia circiter quadraginta. Troiani verò & in eo bello quod tunc gerebatur, Aborigines iuuarent & cũ ipsis militarent ad quancunque aliam expeditionem vocaretur, & vtrique vicissim tam manu quàm cõsilio facerent quicquid ad communẽ vtilitatẽ maximè spectaret. Hæc inter se pacti, ad fœderis fidẽ confirmãdã filios obsides vltrò citróque dederũt, & acceperunt, & cõmunẽ expeditionẽ contra Rutulorũ vrbes fecerunt. Quũ autem breui temporis spatio, omnes illorũ res in suam potestatem redegissent, ad semiperfectum Troianorum oppidũ redierũt, omnésque pari alacritate vsi, id cõditũ munierũt. Huic autẽ oppido iã absoluto Æneas nomen Lauinium imposuit: quod (vt Romani dicunt) à Latini filia, quæ (vt aiũt) Lauinia vocabatur, inditũ ei fuit. Sed, vt alij quidã Græci fabularũ scriptores tradunt, ab Anij Deliorũ regis filia, cui quoque idem nomen erat. Quod autem morbo fuisset extincta dum prior vrbs condereturr, & in eo ipso loco fuisset sepulta in quo laborarat, hoc nomen in eius memoriã vrbi ferunt impositũ. Hãc autẽ cũ Troia-

nis nauigasse ipsiusque patrem Aeneæ roganti, quòd vates eáque sapiens esset, eam dedisse dicunt. Dum autem vrbs Lauinium conderetur, hæc prodigia Troianis oblata tradunt. Quum ignis in nemore sua sponte accensus fuisset, aiunt lupum ore materiam aridam tulisse, & in ignem coniecisse: aquilam verò eò aduolasse & alarum agitatione flammam excitasse: sed vulpem horum conatibus magno studio se opposuisse, & cauda in flumen intincta operam dedisse vt ignem, qui ab aliis accendebatur, extingueret. Et modò eos qui ignem accendebant, victores fuisse, modò etiam eam quæ flammam extinguere volebat: tandem verò duos illos vicisse, hanc verò quum contra illos nihil amplius moliri potuisset, irrito conatu discessisse. Aeneam autem hac re animaduersa dixisse ferunt, coloniam istam fore illam quidem illustrem & admirabilem, nonenque celeberrimum adepturam: sed eius incrementa populis finitimis inuidiosa & molesta fore: tamen eius aduersarios ab ipsa superatum viri quòd fortunæ beneficio numinis diuini fauorem humanis inimicitijs ac inuidia longè potentiorem esset habitura. Hæc igitur tam manifesta prodigia Troianis oblata dicuntur, quæ futuram vrbis fortunam indicarunt. atque horum monumenta in Lauinienſium foro extant, horum animalium æreæ statuæ, quæ ibi longissimo tempore diligenter seruantur. Vrbe autem à Troianis absoluta, vtrinque omnium animos cupiditas innasit, socios mutuis officijs vicissim demerendi. Atque reges ipsorũ huius rei initiũ fecerunt, qui indigenarum & aduenarũ dignitatem connubijs mixtam æquarunt. Nam rex Latinus Lauiniam filiam Aeneæ dedit vxorem. Deinde cæteri, regũ exẽplo, & ipsi eadẽ cupiditate flagrãtes,

& bre-

& breuissimo temporis spatio mo ibus, legibus & deorum sacris in vnum collatis, & genere per connubia inter se communicato, communicato etiam ciuitatis iure, rempublic. ex vtraque gente mixtam constituerunt, & appellatione à rege Aboriginum sumpta se Latinos vocarunt: & pactis adeò constanter manserunt, vt nullum tempus alteros ab alteris adhuc separarit. Gentes igitur quæ in vnum conuenerunt, & quæ rempub. inter se communicarunt, ex quibus genus Romanum manauit, ante vrbem conditam quam nunc incolunt, hæ sunt. Primùm quidem Aborigines, quos Siculos ex his locis expulerunt, quum ipsi genere Græci essent à Peloponnesiis oriundi & (vt ego credo) ex numero eorum qui cum Oenotro, ex ea quæ nunc Arcadia vocatur, sedes in has regiones transtulerunt. Deinde Pelasgi qui migrarunt ex ea quæ tunc Hæmonia, nunc verò Thessalia vocatur. Tertij verò fuerunt qui ex oppido Palantio in Italiam cum Euandro venerunt. Post hos è Peloponnesiis, qui cum Hercule militabant, Epei, & Pheneatæ quibus & aliquot Troianis erant admixti. Postremi verò fuerunt Troiani, qui ex Ilio, Dardano, cæterisque Troianis vrbibus incolumes cum Aenea euaserant. Quòd autem Troianorum gens cumprimis Græca esset, ex Peloponneso quondam profecta, iam pridem & ab alijs quibusdam est dictum tamen & à me quoque paucis dicetur. Hæc autẽ sunt quæ de ipsis traduntur. In ea quæ nunc Arcadia vocatur primus regnauit Atlas. Habitabat autem circa montem qui Caucasus appellatur. Huic septẽ filiæ fuerũt, quæ nũc inter sidera cœlestia relatæ dicũtur cognomine Pleiades. Harũ vnã, Electrã, Iupiter vxorẽ duxit,

& ex ipsa Iasum & Dardanũ filios suscepit. At Iasus cælebs mãsit: Dardanus verò Chrysen Palãtis filiã uxorem duxit, ex qua filios Idæum & Dimantẽ habuit. qui quum Atlantis regnum iure hæreditario accepissent, in Arcadia aliquandiu regnarunt. Deinde verò quum ingens diluuium in Arcadia accidisset, aquis stagnantibus campi fuerunt tecti & diu nullo modo coli potuerunt. Sed homines (nam in montibus habitabant) quòd alimenta parcè haberent, quum animaduertissent reliquum agrum omnibus victum suppeditare non posse, totum populum omnium uno consensu in duas partes diuiserũt. Horũ altera in Arcadia remansit & Dimantẽ Dardani filium sibi ducem præfecit: reliqui verò cum magna classe ex Peloponneso migrarunt. Et secundum Europæ littora nauigantes, ad Melanem sinũ, quisie vocatur, & casu ad quandã Thraciæ insulã appulerunt, quæ vtrũ prius habitaretur, an verò deserta esset, affirmare non possem: cui Samothraciam nomen ex viro & loco cõpositũ imposuerũt. Is enim locus est in Thracia: sed eius cõditor fuit Samõ filius Mercurij & nymphæ Cylleniadis quæ Rhene vocabatur. Ibi non diu commorati, quòd victũ sibi nõ facilè parare possent, quódque cum agro sterili marique fero pugnare cogerentur, paucis quibusdam in insula relictis, plerique Dardanum colonię ducem sequuti, rursus in Asiam migrarunt. Iasus enim in insula fulmine ictus periit, quòd Cereris concubitum concupisset. Quum autem exscensionem fecissent in eo qui nunc Hellespontus vocatur, habitare cœperunt in ea regione quæ postea vocata fuit Phrygia. Idæus igitur Dardani filius cum exercitus parte in mõtibus qui nunc Idæi ab eo nominãtur, suas sedes posuit: vbi Matri deorũ templum

templum extruxit, eique sacra & mysteria instituit, quæ ad hoc usque tempus per vniuersam Phrygiam durant. Dardanus verò in ea quæ nunc Troas appellatur, vrbem sui nominis condidit, agris ipsi à rege Teucro datis, à quo regio illa Teucris est dicta. Hunc autem cùm alij multi, tum etiam Phanodemus, Atticarum antiquitatum scriptor, ex Attica in Asiam migrasse, & Potami pagi principem fuisse tradunt. Multi quoque argumentis suorum verborum fidem faciunt. Quum igitur agrum amplum & bonum sibi quæsisset, qui paruum indigenarum numerum habebat, aiunt eum lubenter vidisse Dardanum, cæterósque Græcos qui cum eo venerant, tum vt in bellis contra barbaros gerendis eorum societate vteretur, tum etiam ne suus ager maneret desertus.

7 ¶ NVNC autem postulat locus vt & de Aeneæ maioribus agamus: sed hoc quoque paucis declarabo. Dardanus post obitum Chryses Palantis filiæ, ex qua primos liberos susceperat, Bateam Teucri filiam duxit vxorem: eique ex ista muliere natus est filius Erichthonius, qui omnium mortalium fortunatissimus fuisse fertur, quòd & patris & aui materni principatum hæreditario iure habuisset. Ex Erichthonio & Callirhoe Scamandri filia, natus est Tros, à quo gens nomen sumptum habet. Ex Troe & Acalide Eumedis filia, Assaracus est procreatus. Ex hoc & Clytodora Laomedontis filia, Capys: ex Capy & nympha quæ Nais dicebatur, Anchises: ex Anchise & Venere Aeneas. Quòd igitur etiam Troiana gens à Græcis esset oriunda manifestè declarauit. SED de tempore quo Lauinium est conditum, scriptores inter se non consentiunt. Qui tamen duobus annis post discessum ex Troia conditum ferunt,

ea mihi videtur dicere quæ ad veritatem propius accedunt. Ilium enim captum æstate iam vergente, XVII. diebus ante solstitium æstiuum, octauo die mensis Thargelionis deficientis, quemadmodum Athenienses tempora computant. Sed post Solstitium supererant XX dies, qui annum illum complebant. Itaque intra XXXVII dies, qui vrbis expugnationē sunt sequuti, existimo Græcos res vrbanas composuisse, & legatos ab illis, qui secesserant, recepisse: fœdúsque cum ipsis fecisse. Sequenti autem anno, qui primus erat ab vrbe capta, circa æquinoctium autumnale Troiani à terra soluentes Hellespontum traiecerunt: & in Thraciam delati ibi totam hyemem exegerunt, excipientes eos qui ex fuga adhuc conueniebant, & res ad nauigationem necessarias parantes. Quum autem ex Thracia veris initio discessissent, mare, quod erat interiectum, in Siciliam vsque nauibus traiecerunt. Et quum eò appulissent, ibi vsque ad eius anni finem manserunt, & alteram hyemem transegerunt, Elymos in vrbibus in Sicilia condendis iuuantes. Nactique commodam nauigandi facultatem, ab insula soluentes mare Tyrrhenum traiiciunt, tandémque Laurentum ad Aboriginum litus æstate media peruenerunt. Quum autem agrum ab incolis datum accepissent, anno secundo post Ilium captum expleto, Lauinium in eo condiderunt. Atque opinionem quam de rebus istis habebam, apertè declaraui. Cæterum Æneas, postquam templis & aliis ornamentis hoc oppidum satis instruxit, quorum pleráque vel ad hanc vsque meam ætatem durarunt, anno sequenti, qui post ipsius discessum tertius erat, solis Troianis imperauit. SED quum anno quarto Latinus obiisset, eius etiam regno potitus est,

tum

tum propter affinitatis necessitudinem, quæ ipsi cum eo intercedebat, quòd post Latini mortem vniuersa defuncti bona ad Lauiniam hereditario iure pertinerent: tum etiam vt dux esset in bello contra populos finitimos gerendo. Rutuli enim à Latino rursus defecerant, ductu cuiusdam transfugæ, qui erat consobrinus Amatæ, Latini uxoris, & Turnus vocabatur. Hic verò propter Lauiniæ nuptias Latinum, quem cupiebat sibi socerum incusans quòd præteritis cognatis generum peregrinum sibi asciuisset, Amata quoque instigante, & nonnullis aliis ei fauentibus, cum militum copiis, quibus ipse præerat, se Rutulis adiunxit. His igitur de causis bello exorto, & acri prælio commisso, Latinus, Turnus, & alij multi in eo ceciderunt: Aeneas tamen, eiusque socij victoriam sunt adepti. Postea verò Aeneas soceri regnum ad se deuolutum accepit. Quum autem post Latini obitum tres annos regnasset, quarto cecidit in bellorum & vniuersi Rutuli ex vrbibus suis in vnum congregati expeditionem contra ipsum fecerunt, & cum ipsis Mezentius rex Tyrrhenorum militauit, suæ ditioni timens. Nã ægrè ferebat quòd Græcorum potentiam magis ac magis crescentem animaduerteret. Quum igitur acre prælium non procul à Lauinio commissum fuisset, multis vtrinque desideratis, noctis interuentu exercitus dirempti sunt. At Aeneæ corpus quum nusquam terrarum amplius apparuisset, alij eum ad deos migrasse, alij in flumine, iuxta quod pugnatum fuerat commissa, necatum coniectabant. Atque Latini sacellum ipsi hac inscriptione ornatum dicarunt, PATRI DEO INDIGETI, QVI NVMICI AMNIS VNDAS TEMPERAT. Sunt tamen qui dicunt hoc ipsũ

sacellum Anchisæ ab Aenea extructū, & dicatū fuisse, qui uno ante hoc bellum anno mortem obierat. Est autem tumulus non magnus, & circumcirca sunt arbores in ordinem digestæ spectatu dignæ. QVVM autem Aeneas ex hac mo tali vita ad superos migrasset, anno fermè septimo post Ilium captum, Euryleon qui in exilio Ascanius mutato nomine fuerat appellatus, Latinorum regno est potitus. Tunc autem Troiani obsidebantur, & hostium copiæ semper crescebant: sed Latinorum copiæ illis qui Lauinij obsidebantur nullum auxilium ferre poterant. Primùm igitur Ascanius ad amicitiam & conditiones æquas hostes inuitauit: sed quum illi ad ipsius postulata animum non adnerterent, eáque contemnerent, coactus est illorum arbitrio permittere, vt quibus vellent conditionibus bello deposito pacem facerent. Verùm, quia rex Tuscorum cùm alia multa intoleranda tanquam hominibus in seruitutem iam redactis imperabat, tum etiā hoc, vt quicquid vini Latinus ager ferret, id in Etruriā quotannis importarent, rem intolerabilem ac indignā rati vitis omnem fructum ex Ascanij sententia publico decreto Ioui sacrum esse iusserunt. Ipsi verò inter se cohortati ad rem fortiter gerendam, & deos precati vt in præsenti periculo sibi fauerent, eruptionem ex vrbe fecerunt, obseruata nocte obscura quæ nullum Lunæ lumen apparebat: & consestim hostium vallum sunt aggressi, quod proximè vrbem situm erat, suáque munitione cæteras copias tutabatur, quòd in loco naturā munito factum esset, & lectissimam Etruscorum iuuentutem contineret, cui præerat Mezentij filius, nomine Lausus, & quum ipsorum repentinum aduentum nullus præsensisset, munimentum incursu primo per vim fortiter ceperunt. Inter-

ea

ea verò dum vallum istud caperetur qui in planitie castrametati fuerant lumen intempestiuum cernentes, & morientium clamorem audientes, campestria loca deseruerunt, & in montes fugæ se receperunt. Sed interea magna trepidatio, magnúsque tumultus est exortus, quemadmodum solet accidere quoties exercitus noctu turbatur, quòd hostes moxmox in suos milites, qui nullam militarem disciplinam, nullos ordines seruabant, impressionem facturos putarent. Latini verò, postquam vi repentina munitionem ac præsidium illud ceperunt, & reliquum exercitum perturbatum animaduerterunt, ipsorum tergo instabant, eósque fugientes cædebant, & persequebantur. Tantum autem abest vt quisquam ipsorum ad vim fortiter propulsandam conuertere se auderet, vt ne videre quidem posset in quantis malis versaretur: sed præ tumultu, & inopia consilij, partim per præcipita montium loca præcipites acti peribant, partim in cauernas, quæ nullum habebant exitum, delapsi in hostium potestatem veniebant. Sed plerique, quòd alteri alteros propter noctis tenebras agnoscere non possent, se tanquam hostes mutuis vulneribus confecerunt atque propriis manibus, & mutua cæde maximam suarum copiarum stragem ediderunt. At Mezentius, postquam filij mortem audiuit, & intellexit quantus suarum copiarum numerus interisset, & quem in locum se ipse inclusisset, collem quendam cum paucis occupauit, & inopia consilij laborans, ca duceatores de pace acturos Lauinium misit. Quum autē Ascanius Latinis suasisset vt fortunæ moderatè vterentur, & in secundis rebus se modestè gererent, Mezentius impetrata fide publica, & fœdere cum ipsis facto, discessit cum copijs quas habebat, & ab eo tempore

depositis omnibus simultatibus, quas cum Latinis gerebat, in ipsorum amicitia constanter mansit. SED anno trigesimo post conditum Lauinium Ascanius, Aeneæ filius, ex oraculo quod Aeneæ datum fuerat, alteram vrbem condidit: & ex Laurentinis & cæteris Latinis, quotquot meliores sedes habere cupiebant, traduxit in vrbem recens conditam: eique nomen Albam imposuit, quam Albam Græci sua lingua Leucen appellant. Vt autem melius nomẽ ipsius declararetur, & ab altera vrbe, quæ nomẽ idem habebat, discerneretur, ad eius figuram indicandam, longæ cognomen addidit, quod nomen nunc est tanquam ex duobus compositum, Albalonga: quod à Græcis λδυη μακρὰ diceretur. Hæc tamen nunc est diserta. nam quum Tullus Hostilius Romæ regnaret, solo fuit æquata, quòd contra suam coloniã de principatu contendere visa esset. Eiusque ciuium & incolarum multitudinem vrbs Roma recepit, vbi prius suam veterem patriam euertisset. Sed hæc postea acciderunt. Quum autem conderetur, ædificata fuit iuxta montem & lacum, ita vt horum medium spatium occuparet: atque hæc ipsi vrbi murorum loco erant, eámque difficilem expugnatu reddebant. Nam & mons cumprimis natura munitus est & excelsus, & lacus profundus & magnus: cúmque planities excipit per claustra, quæ aperiuntur ab illius regionis incolis, qui aquam arbitratu suo dispensant. Vrbs autem spectat in subiectos campos qui sunt amœnitatis admirandæ, quique maximam omnis generis frugum copiam ferunt nec vlli alij Italiæ agro cedunt: præcipuè verò quia producunt vinum quod Albanum vocatur, suaue & pulchri coloris quod, excepto Falerno, cætera omnia vina bonitate longè superat.

perat. Dum autem vrbs conderetur magnum prodigium accidisse ferunt. Quum enim templum cum adyto conditum fuisset simulacris deorum, quos Aeneas ex agro Troiano secum vexerat, & Lauinij collocarat, quinque statuæ ex templo Lauinienſi in hæc penetralia transtatæ fuissent, sequenti nocte foribus tunc potissimum optime clausis, & parietibus tectisque prorsus intactis, simulacra, mutatis sedibus, in iisdem basibus inuenta tradunt in quibus antè fuerant collocata. Quamuis autem cum supplicationibus & sacrificiis pacificis eò rursus fuissent transportata tamen in eundem locum vt antè redisse. Homines verò aliquandiu quid factò opus esset dubitasse, quia neque sine diis patrijs esse, neque in sedes à se derelictas reuerti volebant. Tandem verò consilium ab ipsis initum, quod vtrique rei satisfacere poterat. Decreuerunt enim simulacra in eodem loco sinere, & viros, qui cultus ipsorum curam gererent, ex vrbe Alba Lauinium rursus traducere, vt ibi habitarent. Atque missi fuerunt sexcenti sacrorum curatores, qui cum integris familiis eò migrarunt. Aegestus autem ipsis dux fuit præfectus. Hos verò deos Romani quidem Penates vocant: sed qui vocabulum istud Græco sermone volunt interpretari, partim Πατρῴους, partim Γενεθλίους appellant. sunt etiam qui Κτησίους alij Μυχίους alij Ἐπουρίους vocant. Horum verò vnusquisque, quo nominibus his vtuntur, ob aliquod istorum deorum officium, hoc nomen ipsis videtur imposuisse. Omnes autem, quamuis non eodem modo rem exprimant, idem tamen aliquatenus propemodum dicunt. De ipsorum verò habitu & forma Timæus historicus in hunc modum scribit. Sacra, quæ in adyto templi Lauinienſis sunt recon-

dita, esse caduceā, ferrea, & ærea, & Troianum vas fictile. Hæc autem ex ipsis regionis incolis se audisse dicit. Ego verò, quicquid omnibus videre, aut ab iis qui viderunt audire nefas est, ne scriptis quidem prodendum censeo. Quinetiam alijs succenseo, qui curiosius quærere aut cognoscere volunt plura quàm legibus est concessum. Sed quæ ego ipse vidi & scio, & à quibus declarandis nulla religio me deterret, hæc sunt: Romæ templum monstratur non procul à foro situm (in eo viæ compendio quod fert ad Carinas) non magnum & propter ædificia circumcirca extructa valde obscurum: & propria regionis illius lingua locus is Subolinis vocatur. In hoc autem loco positæ sunt Troianorum deorum imagines, quas quivis cernere potest, cum inscriptione DENATES, quæ Penates significat. Prisci enim homines, quum P nondum esset inuentum, huius literæ vim per literam D mihi videntur expressisse. Sunt autem duo iuuenes sedentes cum hastis, quas seorsum alter ab altero tenet, artificij antiqui opus. Multas etiam alias horum deorum imagines in antiquis templis conspeximus: & in omnibus apparent duo iuuenes, habitu cultúque militari. Hæc igitur videre fas est: fas etiam est audire, & scribere de illis quæ extant in Callistrati historia, quam de Samothraciæ rebus conscripsit, & apud Satyrum priscarum fabularum collectorem, quinetiam apud alios multos, præcipuè verò apud Aratinum, omnium quos nouimus, antiquissimum poetam. Sic igitur illi scribunt, Chryses, Palantis filiam, quum Dardano nupsisset, prodote attulisse Minervæ munera, Palladia scilicet, & Magnorum deorum sacra, quorum mysteria didicerat. Sed quum Arcades, diluuium fugientes, Peloponnesum reliquissent,

liquissent, & in insula Thraciæ sedes collocassent, Dardanum hic diis istis templum extruxisse, nec aliis proprium ipsorum nomen declarasse, & ritus illis institutisse, quos & ad hoc vsque tempus Samothraces diligenter obseruant. Sed quum maiorem populi partem in Asiam traduxisset sacra deorum & mysteria illis reliquisse, qui in insula remanserant. Sed Palladia & deorum imagines, cum reliquis rebus quas conuasarat secum absportasse. Quum autem de sedibus oraculum consuleret, inter multa alia quæ didicit, hoc etiam oraculum de sacrorũ custodia tunc accepisse,

In vrbe quam condetis, diis cultum diuinum incorruptum semper
Seruetis, & custodiis [deos] colatis & sacrificiis, & choris.
Quandiu enim hæc veneranda in vestra regione fuerint
Dona [Mineruæ,] Iouis filiæ, ab vxore tua pro dote ad te allata, hæc vrbs tibi
Erit inexpugnabilis semper, & in perpetuũ, [nec vllus hostis vnquam eam diripiet ac vastabit.]

Dardanum igitur, in vrbe quam condidit, & quam de suo nomine nominauit, hæc simulacra reliquisse. Postea verò quum Ilium conditum fuisset, hæc sacra ab eius nepotibus eò fuisse translata. Ilienses autem templum & adytum ipsis in arce fecisse, & quanta maxima cura potuerunt hæc seruasse, quòd ea diuinitus sibi missa ducerent, & ex illis publicam salutem pendere crederent: sed quum vrbis pars inferior caperetur, Aeneam, qui arcem in suam potestatem redegerat, ex adytis sacra magnorum deorum, & Palladium, quod adhuc supererat, ab-

stulisse. alterum enim ab Vlysse & Diomede Ilium noctu prosectis surreptum fuisse. Aeneam igitur ex urbe discessisse, eaq; secum tulisse, & in Italiam transportasse. Sed Aratus scribit vnum Palladium Dardano à Ioue datum, atque hoc in urbe Ilnaca, donec vrbs caperetur, in adyto reconditum fuisse. Sed imaginem ab illo effectam fuisse, quæ ne minimum quidem ab ipsius exemplari primæ formæ differebat: & in propatulo fuisse positam, ad eos fallendos qui insidias ei struxissent, atque hanc à Græcis per insidias fuisse surreptam. Sacra igitur quæ Aeneas in Italiam transtulit, virorum à me nominatorum autoritatem sequutus, aio fuisse magnorum deorum simulachra, quos inter Græcos Samothracès potissimum colunt, & Palladium illud fabulis celebratum, quod in templo Vestæ reconditum (vbi & ignis perpetuus asseruatur) à sacratis virginibus custodiri ferunt. De quibus postea dicetur. Fieri autem potest vt præter hæc sint etiam alia nobis profanis hominibus incognita. Sed de Troianorum sacris sufficiant hæc quæ iam sunt dicta.

8 ¶ QVVM autem Ascanius trigesimo octauo sui regni anno mortem obisset, SYLVIVS imperium accepit: quia erat Ascanij frater, ex Lauinia Latini filia post obitum Aeneæ procreatus, qui in pastoribus montibus educatum aiunt. Quum enim Ascanius regno potitus fuisset, Lauinia vehementer metuens ne quam grauiorem calamitatem propter nouercæ nomen ab ipso acciperet, quum iam grauida se commisit fidei cuiusdam Tyrrhi, qui regijs subulcis præerat, quòd eum Latino cuncta familiarem fuisse sciret. Is verò ipsam vt quandam vulgarem mulierem, in syluas deserta-

duxit,

duxit, & accuratè cauens ne ab illis conspiceretur, quibus nota esset, aluit in tugurio quod in nemore extruxerat. Quum autem hæc fœtum quem in utero ferebat, in lucem edidisset, & suscepit, & educauit, & à Sylua Syluium appellauit: quemadmodum si quis sermone græco Hylæum vocaret. Sed temporis progressu quum magnæ huius mulieris inquisitionem à Latinis fieri cognouisset, & Ascanium plebi suspectum esse, & accusari, quasi puellam sustulisset, rem populo patefecit, & mulierem cum puero è nemore produxit. Ob hunc igitur casum atque hac de causa Syluius nomen antè dictum habuit, & omne genus ipsius, ac posteri nomen idem retinuerunt. Regnum autem adeptus est post fratris mortem, sed non sine controuersia: quam propterea habuit cum Iulo, qui filiorum Ascanij natu maior erat, & qui regnum paternum hæreditario iure habere volebat. Sed populus suis suffragiis eam litem diremit, cùm aliis rationibus adhoc adductus, tum verò præcipuè hac, quòd Syluius ex matre procreatus esset, ad quam hæreditario iure regnū pertinebat. At Iulo pro regno sacra quædam potestas & honor attributus fuit, qui regia dignitate præstantior est, tam ob ipsam securitatem periculorum immunem, quàm ob vitæ tranquillitatem. Hoc autem honore vel ad meum vsque tempus ipsius progenies fruebatur, quæ ab illius nomine gens Iulia vocatur. Hæc nunc familia omnium, quas scimus, maxima & illustrissima fuit. Tulit enim duces longè præstantissimos, qui virtutibus nobilitatem suam omnibus facilè probarunt: de quibus alio loco dicentur quæ sunt dicenda. Qvvm autem Syluius undetriginta annos imperium tenuisset, AENEAS ipsius filius principatum hæreditario iure

ad se deuolutum obtinuit, & annos XXX. & unum regnauit. Post hunc LATINVS quinquaginta & unum annos regnauit. Post hunc ALBA undequadraginta annos regnauit. Post Albã CAPETVS XXVI. annos: deinde CAPYS duodetriginta. Post Capyn, CALPETVS regnum retinuit, usque ad decimumtertium annum. Deinde TIBERINVS annos octo regnauit. Hũc autẽ prælio iuxta flumen commisso periisse ferunt. Abreptus aũt aquæ currentis impetu, fluuiũ qui prius Albula vocabatur, Tiberin de suo nomine vocatum reliquit. Tiberino autem successit AGRIPPA, qui unum & quadraginta annos regnauit. Post Agrippam ALLADES tyrannicum & dus inuisum ingenium, undeuiginti annos. Hic autem quum esset deorum cõtemptor machinas excogitarat, quibus fulmina imitaretur, & strepitus tonitrui similes ederet, quibus homines tanquam deus terrere volebat. Sed quum imbres & fulmina vera magno cũ impetu in eius domum cœlitus irruissent, & lacus, iuxta quem habitabat, præter morem redundasset, & diluuium feciisset, aquis obrutus cum tota familia periit. Et nunc etiã in quadã parte, lacu deficiente, quum aquæ receſſerunt, & imæ lacus partes stant immotæ, atriorũ atque cubiculorum ruinæ, & domus manifesta vestigia cernuntur. AVENTINVS verò, qui ab eo regnũ accepit, & qui ei successit (à quo unus è septem collibus, qui mœnibus Romanis cingũtur, nomen sumpsit) 37. annos regnũ tenuit. PROCAS post hunc XXIII. annos regnauit. Deinde AMVLIVS, qui præter ius regnũ occupauit, quod ad Numitorem ipsius fratrem maiorẽ natu pertinebat, per annos quadraginta duos regnauit. Sed quum Amulius sublatus fuisset à Romulo & Remo, qui

ex sa-

ex sacrata virgine fuerant procreati, (vt mox dicetur) post illius mortem NVMITOR, illorum adolescentum auus maternus, regnum legitimum recepit.

9 ¶ POSTEA verò secũdo anno regni Numitoris, post Ilium captum CCCCXXXII. Albani colonia Romuli Remique ductu missa, Romam condiderunt, initio primi anni septimæ olympiadis qua Daides Mesenius in stadio vicit, archonte Athenis Charopo, decẽnalis impery anno primo. Quoniam autem inter scriptores magna est dubitatio tam de ipso tempore quo vrbs condita fuit, quàm de ipsis vrbis cõditoribus, ne ego quidem rem istam, vt omnium confessione confirmatã, obiter & paucis declarãdam censui. Nam Cephalon Gergithius scriptor antiquissimus, anno secundo post bellum Iliacũ ait vrbem fuisse cõditam ab illis qui cum Aenea ex Ilio incolumes profugerant: eiúsque conditorem fuisse affirmat Romum, coloniæ ducem. Hunc autem fuisse vnũ ex Aeneæ filiis. Aeneam enim quatuor filios habuisse, Ascanium, Euryleontem, Romulum, & Romum. Demagoras etiã, & Agathyllus, & multi alij idem tempus, & eũdem coloniæ ducem fuisse testantur. Sed ille qui recenset nomina mulierũ quæ Argis sacerdotiũ exercuerunt, & qui scriptis mandauit quicquid vniuscuiusque sacerdotis tempore gestum est, ait Aeneam ex Molossorum agro in Italiã cum Vlysse venisse, & vrbis conditorẽ fuisse: eam autem nominasse Romam de nomine cuiusdam mulieris Ilienses. Hanc aũt nauigationis & errorum tedio fatigatam, cæteras Troianas suis adhortationibus ad opem sibi ferendam impulisse, & cum ipsis de communi earum sententia naues incendisse. Eique assentitur Damastes Sigensis, & alij quidam. At Aristoteles phi-

losophus scribit, quosdã Græces qui ex agro Troiano in patriam reuertebãtur, dum circum Maleam nauigarẽt, violenta tempestate correptos, aliquandiu quidẽ ventis agitatos per varias maris partes errasse: tandem verò in eum regionis Opicæ locum peruenisse, qui Latium vocatur, & mari Tyrrheno allnitur. Quum autẽ lubenter terram vidissent, in id litus naues subduxisse, & hyemem ibi transegisse, sese ad nauigationẽ ineunte vere sustipiẽdã parantes. Sed nauibus incendio nocturno consumptis, quum inde discedere non possent, necessitatis vi coactos, præter voluntatem in illo ipso loco sedes suas fixisse quo primùm appulerant. Hoc autem ipsis accidisse mulierũ captiuarum opera, quas secum ex Ilio ducebant. Naues verò ab his incensas fuisse, quòd Græcorum reditum in patriam metuerent, quasi in seruitutẽ essent vẽturæ. Sed Callias, qui res ab Agathocle gestas scripsit, ait, Romã quandam mulierem Troianam, de numero illarum quæ cũ cæteris Troianis in Italiam venerant, Latino Aborigĩum regi nupsisse, eique duos filios peperisse, Romũ & Romulum. Ab his verò tradit vrbem conditam, eique matris nomen impositum. At Xenagoras historicus, ex Vlysse & Circe tres filios, Romũ, Antiam & Ardeã, procreatos dicit, & ab his tres vrbes conditas, conditisque nomen ipsorũ inditum fuisse scribit. Sed Dionysius Chalcidensis ait ille quidem, Romum vrbis conditorem fuisse: sed hunc ex quorundam sententia, Ascanij, ex aliorum, Emathionis filium esse dicit. Sunt etiam qui dicunt Romam conditam fuisse à Romo Itali filio, qui ex Electra Latini filia natus est. Quamuis autem & multos alios Græcos scriptores afferre possim, qui varios vrbis conditores fuisse tradunt, tamen ne videar esse verbo-

sior,

ſtor. ad Romanos ſcriptores redibo. Veruntamen apud Romanos nullus extat antiquus hiſtoricus, aut fabularum ſcriptor: ſed eorum vnuſquiſque ſuum opus conſcripſit, collectum ex fabulis quæ in ſacratis tabulis ſeruantur. Horum verò quidam Romulum & Remum, Romæ conditores, Aeneæ filios fuiſſe dicunt: alij, Aeneæ ex filia nepotes: ſed quo patre nati non etiam aperte declarant. Eos autem Latino Aborigenum regi obſides ab Aenea datos, quũ inter indigenas & aduenas fœdus eſt ictum: & à Latino, qui ipſos amore magno cõplectebatur, non ſolùm ceteris humanitatis officijs liberaliter tractatos: ſed etiam, quum is ſine virili prole deceſſiſſet, ex parte quadam hæredes regni ab eo relictos. Alij verò dicunt Aenea defuncto Aſcanium ex aſſe regni hæredem relictum: poſtquam id adeptus eſt, cum fratribus Romulo & Remo tam agros quàm opes Latinorum tripartitò diuiſiſſe. Ipſum deinde Albam & alia quædam oppida condidiſſe: Remum verò Capuam, à proauo Capy denominatã, ſed Anchiſam ab auo Anchiſe: & Aeneam, quæ poſtea dicta fuit Ianiculũ, à patre ſuo denominatam ædificaſſe: ſed Romam de ſuo nomine dictam condidiſſe. Hanc autem aliquandiu deſertam manſiſſe: ſed quum poſtea altera colonia veniſſet, quam Albani Romuli Remique ductu eò miſerant, priſtinam formam recepiſſe. Vnde colligitur, Romam bis fuiſſe conditam: ſemel quidem paulò poſt bellum Troianum: iterum verò, decima quinta ætate poſt priorem vrbem conditam. Quòd ſiquis longius ſpectare, & res remotiores conſiderare velit, & tertia quædam Roma his antiquior inuenietur, quæ condita fuit antequàm Aeneas & Troiani in Italiam venirent. Hoc autẽ nec vulgaris aliquis,

nec recẽs scriptor memoriæ prodidit: sed Antiochus Syracusanus, cuius & ante mentionẽ feci. Is enim ait, Morgete in Italia regnante. (tũc autem Italia dicebatur tota illa ora maritima quæ à Tarento Pæstum usque protẽditur) ad eum quendam Romanum exulem venisse. Hæc autem sunt ipsius verba, Postquam Italus consenuit, Morges regnauit. Hoc autem regnãte, vir quidam nomine Siculus, Roma profugus, ad eũ venit. Atque ex huius Syracusani scriptoris autoritate, quædam antiqua Romæ belli Troiani temporibus prior inuenitur. Sed vtrum in eodẽ loco sita fuerit in quo nostri seculi vrbs incolitur, an verò alius locus ita vocaretur, quũ ille rem istam incertam reliquerit, ne ego quidẽ coniũcere possum. De priscis igitur Romæ ædificationibus, hæc quæ iam sunt dicta sufficere puto. Postremam verò eius ædificationem, siue conditionem, siue quocunque alio nomine rem appellare velis, Timæus Siculus (nescio quam regulam sequutus) ait incidere in idem tempus quo Carthago condebatur, in annum videlicet XXXVIII. ante primam olympiadem. At Lucius Cincius, vir ordinis senatorij, in quartum duodecimæ olympiadis annum incidere dicit. Porcius autem Cato nullam græcam temporum rationem declarat: & quum si quis alius, in antiquis historiæ scriptis colligendis accuratus fuerit, affirmat Romam conditam quadringintis triginta duobus annis post bellum Troianũ. Hoc verò tẽpus si dimetiaris secundũ Eratosthenis Chronographias, in primum septimæ olympiadis annum incidit. Regulas autem quibus Eratosthenes est usus, sanas esse, & quomodo quis græcam supputandi rationem ad Romanam dirigere possit, alio loco declarauimus. Nolui enim

enim, vt Polybius Megalopolitanus, hoc solùm dicere, me credere Romã conditam fuisse anno secundo septimæ olympiadis. Neque vni & soli Archisensium tabulæ fidem, re non diligẽter examinata, adhibere: sed rationes, quas in medium protuli, cuiusuis iudicio perpendendas relinquere volui. Accurata igitur temporum supputatio illic declarata est: tamen in hoc quoque tractatu dicentur quæ maximè sunt necessaria: res autem ita se habet. Gallorum expeditio, qua Romanorũ vrbs capta est, fuit (vt propemodum omnes autores communi consensu fatentur) archonte Athenis Pyrgione, circiter primum annum nonagesimæ octauæ olympiadis. Tempus verò quod vrbis expugnationem præcessit, si reducatur ad L. Iunium Brutum, & L. Tarquinium Collatinum, qui Romæ consulatum primi gesserunt post sublatum regiũ dominatum, centum & viginti annos complectitur. Hoc autem cùm ex aliis multis apparet, tum ẽt ex commentariis qui Cẽsorij vocantur, quos filij à patribus per manus accipiunt, & maximæ curæ suis posteris tanquã sacra paterna tradere conãtur. Multi autem sunt illustres viri ex censoriis familiis qui diligenter hoc seruant, in quibus inuenio, duobus annis ante captam vrbem censum populi R. habitum, cui, quemadmodum, & aliis, hoc tempus est adscriptũ, L. VALERIO POTITO, ET T. MANLIO CAPITOLINO COSS. POST EXPVLSOS REGES ANNO CENTESIMO VNDEVIGESIMO. Quare Gallorum expeditionem, quam anno post censum habitum secundo susceptam comperimus, centum & viginti annis absolutis factam constat. Si igitur hoc temporis spatium XXX. olympiadas conficere constat, necesse est fateri, eos qui primi Romæ

Coss. designati & creati fuerunt, magistratū iniisse archonte Athenis Isagora anno primo sexagesimæ octauæ olympiadis: si tamen è regibus expulsis ad primū populi Romani regem tempus reuoces, hoc annorū CCXLIIII. summā conficiet. Hoc autem facile patet ex ipsis regum successionibus, & annis quibus eorū vnusquisq; regnum tenuit. Romulus enim vrbis conditor triginta & septē annos regnum tenuisse dicitur: at post Romuli mortem Romæ per integrum annum interregnum fuisse fertur. Deinde Numa Pōpilius populi suffragiis rex creatus quadraginta tres annos regnasse dicitur: Tullus verò Hostilius post Numam, XXXII. Deinde Ancus Marcius, qui post eum regnauit, XXIIII. Post Marciū, Lucius Tarquinius, cognomento Priscus, XXXVIII. Et Seruius Tullius, qui ei successit, XLIIII. At L. Tarquinius, homo tyrannicus, qui propter iuris contemptionem superbus est vocatus, Seruio sublato ad annum vsque XXV. regnasse dicitur. Si igitur CCXLIIII. annos numeres, quos ipsi reges regnarunt, & olympiadas LXI. omnino necesse est Romulū primū Romanorū regem primo septimæ olympiadis anno regnū auspicatum esse, archonte Athenis Charopo primo principatus de ēnis anno. Hoc enim annorum supputatio postulat. Quòd autē vnusquisque regum tot annos regnarit, apparet ex rationibus quas hac ipsa de re suo loco attuli. Hæc igitur sunt quæ de tempore quo condita fuit vrbs, quæ nunc est rerum domina, partim tradiderunt scriptores qui meam ætatem anteceserunt, partim mihi quoque sunt visa.

10 ¶ QVINAM verò fuerint eius conditores, aut quibus actis casibus coloniam deduxerint, & quæcunque alia scriptis produntur, quæ ipsi acciderunt dum condetur,

retur, multi iã dixerunt, & nonnulli nõ sine magna scriptorum discrepantia. Di am tamen & ego quæ memorantur, & quæ ad veritatem proximè accedunt. Sic aũt se res habet. Amulius regnũ Albanorum per vim & fraudem adeptus, quòd Numitorem fratrẽ maiorem natu eo priuasset, & à paterno honore repulisset, præter alia facinora, quæ cum magna iuris contemptione patrauit, tandem etiam totam Numitoris domum ac stirpem per insidias tollere decreuit, partim vindictæ metu, partim etiam imperij perpetui cupiditate captus. Quod consilium quum diu multúmque animo agitasset, primùm qui dem Numitoris filium Aegestum, recens pubescentem, obseruato loco vbi venabatur, & insidiis in occultissima eius loci parte dùm positis, ad venationem egressum interfecit: & post hoc facinus perpetratum, rumores spargi curauit hunc adolescentem à latronibus interfectum. Hic tamẽ falsus rumor tacitam veritatem superare non potuit: sed multi vel cum sui capitis periculo scelus hoc eloqui sunt ausi. Numitor verò rem quidem sciebat, sed rationi magis quàm tristo dolori seruiens, id facinus sibi incognitum esse simulabat, quòd iram suam in aliud tempus minus periculosum consultò differre vellet. At Amulius, adolescentis cædem occultam esse ratus, alterum scelus addidit priori. Iliam Numitoris filiam, vel (vt alij scribunt) Ream nomine, Iliam cognomine, iam viro maturam ac nubilem, Vestæ sacerdotem optauit: veritus ne, si citò alicui nupsisset, scelerum vltorem suæ familiæ pareret. Has autem sacratas virgines, quibus ignis perpetui custodia erat commissa, non minus quàm XXX annos nuptiarum puras in virginitate manere, & cætera diuini cultus munia

si quæ alia reip. causa virgines ex legibus abire solebãt, exercere oportebat. Hoc autem fecit Amulius, rem honesto ac speciosonomine velans, quasi magno honore ac ornamento fratris progeniem decoraret: præsertim quòd ipse, nec huius moris autor fuisse, nec eo vulgato & ab omnibus iam recepto, fratrem omnium virorum illustriũ ac dignitate præditorum primũ uti coegisset. Nam apud Albanos hoc usitatũ erat & honorificum habebatur, nobilissimas quasque virgines Vestæ ministras designari. Sed Numitor, quamuis hæc à fratre nõ optima mente fieri cognosceret, suam tamen iram non patefaciebat, ne in populi odium incurreret: sed hanc etiam iniuriam silẽtio teclam seruabat. Verùm, quarto post anno Iliã in sacrum Martis lucum profectam, ut sacrorum causa, quæ factura erat, aquam puram afferret, nescio quis in eo lucu per vim stupravit. Hunc autem nonnulli aiunt fuisse vnũ de procis illius puellæ, quivirginis amore flagrabat. Alij verò tradunt ipsum met Amuliũ hoc fecisse non tam libidinis quàm insidiarũ causa, corpúsque totũ armis sepsisse, ut maximũ spectanti terrorem incuteret: omnésque faciei manifestas notas quàm maximè potuit obscurasse, ne à quoquam agnosceretur. At plerique fabulosè dicũt, spectrum dei cuius is lucus erat, hoc fecisse, & ad rem melius probandam cùm multa alia diuinæ potentiæ facinora edidisse, tũ ẽt solem obscurasse, cæloq; tenebras offudisse. Speciẽ verò quam id spectrum habebat, mortali hominum statura ac forma longè augustiorem fuisse. Quinetiam aiunt, eum qui stuprum virgini per vim intulit, puellæ dixisse, ut eius mœrorem consolaretur (vnde manifestè apparuit eum fuisse deum) ne factum illud stuprúmque iniquo ferret animo. Eam e-

nim

nim nuptiis coniunctam fuisse cum genio illius loci custode: atque ex hoc violento congressu duos filios pærituram, omnium hominum virtute bellica longè præstantissimos. His autem dictis, nube circumdatum, e terra sublatum, & per aërem cursu sublimi raptum. Quam igitur opinionem de rebus huiusmodi oporteat habere, vtrum hæc vt humana facinora diis attributa sint contemnenda, quòd deus nullum ministerium incorrupta ac beata natura indignum patiatur: an verò has etiam historias admittere deceat, in quibus scribitur vniuersam mundi naturam permixtam esse, & inter diuinum ac mortale genus mediam quandam naturam esse, quam dæmonum natio tenet, quæ modò cum diis, modò cum hominibus se miscet, ex qua genus heroum sit procreatum, in præsentia non est quærendum: & quæ his de rebus à philosophis sunt dicta sufficiunt. Cæterùm, puella post vim sibi factam aduersa valetudine se teneri simulans (hoc enim consilium mater ipsi dederat, tum vt ipsa tutior esset, tum etiam pietatis causa, vt cultus diuinus impollutus seruaretur) ad sacra nõ amplius accedebat: sed quicquid ipsam in publico sacrorum ministerio facere oportebat, id faciebant eiusdem collegij virgines, quæ idẽ munus solebant obire. Sed Amulius siue facti conscientia, siue suspicione verisimili motus, diligenter scrutabatur quam ob causam potissimùm virgo à sacris tandiu abstinuisset. Quare hac ipsa de causa medicis, quibus maximè fidebat, eò missis, quoniam mulieres morbum viris minimè prodendum esse causabantur, vxorem suam puellæ custodem reliquit. Quum autem ipsa morbi genus indicasset marito postquam rem aliis incognitam muliebri coniectura deprehendit, puellam, ne clàm pareret,

(erat enim partui proxima) ab hominibus armatis custo diri iussit. Ipse verò, fratre in consilium aduocato, stu prum virgini oblatum, quod aliis erat incognitum, indi cauit: & puellæ parentes vt culpæ conscios accusabat, eósque rem totam non celare. sed in medium proferre in bebat. At Numitor dixit se præter omnem expectatio nem hæc audire, & ab eo crimine, quod obiiciebatur, se alienissimum esse: ac temporis spatium ad veritatis in quisitionem accuratè faciendam sibi concedi petebat. Quum autem temporis dilationem ægrè impetrasset, postquam ex vxore rem cognouit, vt eam ab initio puel la narrauerat, vim puellæ à deo factam fratri declara ui, & verba quæ de geminis pueris protulerat, ei dixit, & postulauit vt tantisper expectaret donec ipsa effec ta rem probarent, & dictorum fidem facerent. si talis esset partus progenies, qualem deus fore prædixerat. Puellam enim iam ad pariendum esse vicinam. Quare fraudem si qua ueteretur, non diu celatum iri dicebat. Quinetiam ipsas puellæ custodes ad quæstionem offere bat, nec vllum quæstionis ac indicij genus recusabat. Hæc eius postulata totum concilium probauit Sed Amulius nihil sani in his postulatis ac verbis, quæ frater causæ tutandæ gratia proferebat, inesse dicebat: sed qua uis ratione puellam perdere conabatur. Interea verò dū hæc geruntur, illi quibus partus custodia fuerat manda ta, venerunt: & à puella geminos infantes mares in lu cem editos nuntiarunt. Tum verò Numitor vehemen tius idem asseuerare cœpit, deum huius facinoris auto rem esse demonstrans, & postulans vt Amulius in puellam ab ea culpa prorsus alienam nihil iniustè face ret. At Amulius in ipso quoque partu aliquid fraudis

fraudis ab hominibus admissum putabat, & alterum infantem à mulieribus, vel clàm custodibus, vel etiam illis consentientibus, & operam suam in eo negotio virgini nauantibus, paratum fuisse credebat. Et super hac re multa in vtramque partem fuerunt dicta. Quum autem assessores regis animum ira implacabili flagrantem animaduertissent, eandem & ipsi sententiam protulerunt, & (vt ille volebat) censuerunt lege agendum esse, quæ iubebat eam quæ corpus stupro polluisset, virgis cæsam necari, & ipsius prolem in fluuij profluentem proiici. Nunc tamen sacratæ leges has mulieres viuas defodi iubent. Hactenus igitur plerique scriptores consentiunt, aut certè leuiter inter se dissentiunt: & eorum alij dicunt ea quæ ad fabulas propius accedunt, alij quæ sunt verisimiliora. Sed in rebus sequentibus discrepant. Alij enim puellam confestim necatam tradunt, alij verò dicunt eam in obscurum carcerem coniectam ac diu seruatam fuisse, & propterea mortis occultæ opinionem vulgo præbuisse, Amulium enim supplicibus filiæ precibus fractum, quæ postularat vt patruelis sibi condonaretur, hoc fecisse ferunt. Nam simul educatæ fuerant, & eandem ætatem habebant, & vt sorores inuicem se diligebant. Amulium igitur in huius gratiam (hæc enim erat ei vnica filia) mortis quidem periculo Iliam liberasse: sed in occulto carcere eam seruasse. Tandem tamen post Amulij mortem eam liberatam aiunt. Ita igitur veterum scripta de Ilia variant. Vtraque tamen opinio aliquam verisimilitudinem habet: propterea & ego vtriusque mentionem feci. Sed vtri fides potius sit habenda, lectores ipsi videbunt. Quòd autem attinet ad filios ex Ilia natos, Q. Fabius, qui Pictor vocatus (quem L. Cincius,

Porcius Cato,& Calpurnius Piso,& aliorum scriptorum plerique sunt sequuti) ista scribit, A mulij iussu ministri quidam infantes in alueo collocatos accepe runt & absportarunt, vt eos in fluuium circiter cxx stadia ab vrbe distante proiicerent. Quum autem eò accessissent, & animaduertissent Tiberin ob continuos imbres extra naturalem alueum egressum,& in campos redundantem, de Palantij vertice ad aquam proximam descenderunt(neque enim vlterius progredi poterant) vbi fluuij exundatio primas collis radices alluebat. &[ibi] ipsum alueum in aquis posuerunt, qui aliquandiu quidem fluitauit,sed postea aquis paulatim ex ripa extrema recedentibus, saxo impactus & euersus,infantes eiecit,qui vagientes in cœno volutabantur. Quum autem lupa quædam apparuisset vberibus recenti partu lacte turgentibus, eorum ori mammas præbuit,& lingua cœnum,quo pleni erant,lambendo absterfit. Interea verò fortè pastores greges pastum agebant(locus enim iá peruius erat)& ex his quidam,conspecta lupa quæ infantes fouebat, aliquandiu spectaculi nouitate attonitus,& vix satis oculis suis credens hæsit:deinde quum abiisset, & conuocasset è proximo loco quamplurimos potuit pastores (neque enim eius verbis fides habebatur)eos ad ipsum spectaculum adduxit.Quum autem & illi propius accedentes, hanc tanquam filios fouentem, illos tanquam ex maternis vberibus pendentes animaduertissent, diuinam quandam rem se videre rati, frequentes, clamore feram territantes, propius accesserunt.

At

At lupa eorum aduentu non valde efferata, sed vt manſueta, ſenſim ab infantibus receſſit, & cum magna turbæ paſtoralis contemptione abiit. Etenim non procul inde aberat lucus quidam arborum denſitate opacus, & rupes caua, ex qua fontes fluebant. Ille autem lucus Pani ſacer dicebatur, ibique erat eius dei ara: quò quum illa veniſſet, ſe occultauit. Iſte tamen lucus non extat amplius: ſed antrum, vnde fons fluebat, Palatij ædificiis adiunctum viſitur, in via illa quæ fert ad Circum. Et ſacellum eſt iuxta ipſum, vbi eſt ſtatua huius caſus index, lupa videlicet duobus infantibus mammas præbens: opus antiquum, ex ære factum. Is autem locus (vt fertur) olim ab Arcadibus, qui cum Euandro ædificia ibi condiderant, [Pani] conſecratus fuerat. Quum igitur fera receſſiſſet, paſtores ſuſtulerunt infantes illos, quòd exiſtimarent eos accuratè alendos, quos dij ſaluos voluiſſent. Inter eos autem erat quidam regij pecoris magiſter, vir probus, nomine Fauſtulus, qui cuiuſdam vrgentis negotij cauſa in vrbe aderat, quo tempore Ilia ſtupri ex ipſo partu conuicta eſt: & poſtea, dum infantes ad fluuium deportarentur, cum ipſis miniſtris qui eos ferebant, diuino quodam caſu Palatium petens, eadem via iuit. Qui quum cæteris non declaraſſet ſibi vllo modo eam rem eſſe notam, poſtulauit vt ſibi infantes concederentur. Quos communi ſociorum conſenſu traditos accepit, & ad vxorem ſuam detulit. Quam quum inueniſſet iam enixã, & mœrentem ob infantem, quem mortuum edi-

derat, eam consolari cœpit, & allatos infantes ei supponendos dedit, omnibus eorum casibus ab initio antè narratis. Illis autem crescentibus, huic quidem, Romuli, illi verò, Remi nomē imposuit. Qui quum ad ætatem virilem peruenissent erant & dignitate formæ, & animi grauitate, non subulcis aut bubulcis similes, sed iis quos quiuis stirpe regia ortos iudicasset, & iis qui ex deorum semine creduntur nati: quemadmodum in patriis Romanorum carminibus nunc quoque canitur. Vitam autem degebant pastoriciam, & victum sibi manibus parabant in montibus, plerunque cōpingentes ex lignis & arundine sine vlla cōtignatione casulas, quarum vna ad mea vsque tempora extabat, ad latus quod à Palatio ad Circum ducit, quæ Romuli vocatur: quam sacram seruant ij quibus ea cura est mandata, nihil [ei] ornatus gratia addentes. Quòd si qua eius pars vel tēpestatis vel temporis iniuria laborarit, quod reliquum est farciunt, & quantum fieri potest ad pristinam formā instaurant. Quum autem annum circiter decimū & octauum agerent, controuersiam quandam de pascuis habuerunt cum Numitoris pastoribus, qui in Auentino colle è regione Palatij sito sua stabula habebant. Frequenter autem de se mutuò conquerebantur, vel quòd agros alienos alteri depascerentur, vel quòd communes alteri soli occupatos tenerent: vel denique quòd alia huiusmodi facinora facerent. Ex ista autem altercatione interdum ad manus & ad arma est ventum. Quum autem Numitoris pastores multa vulnera ab illis adole-

scentibu

scentibus accepissent, & nonnullos de suis amisissent, & ab illis locis per vim arcerentur, dolum quendam illis struxerunt. Quum autem insidias in occulta vallis parte antè posuissent, & cum illis qui adolescentibus insidiabantur, adoriendi tempus constituissent, reliqui confecto agmine eorũ stabula inuaserunt. Tunc autem fortè Romulus cum paganorum præcipuis in vrbem quandã nomine Cæninam pro publica salute sacra patria facturus iuerat. Sed quum Remus eorum aduentum hostilem cognouisset, ad opem ferendam accurrit, armis celeriter correptis, & paucis quibusdam paganis, qui eò maturè conuenerant, secum ductis. At illi eum non expectarunt, sed fuga se receperunt in eum locum, vbi commodè conuersi eos aggressuri erant. Remus verò doli ignarus, lõgiùs eos persequutus, locum in quo insidiæ positæ erant, præteriit. Interea & insidiatorum manus surrexit, & qui fugiebant, se conuerterunt, eósque circumuentos, multísque lapidibus contusos, in suam potestatem redegerunt. Hoc enim ipsis domini mandarant, vt illos adolescentes viuos ad se ducerẽt. Remus igitur hoc modo captus abductus est. *Sed, (vt scribit Aelius Tubero, grauis & diligens in colligẽdis rebus historiæ mandatis) Numitoris pastores quũ præsensissent illos adolescentes Lupercalia celebraturos, & Pani, more Arcadico, vt Euander instituerat, sacrificiũ facturos, illo sacrorũ tempore insidias ipsis struxerũt, quo oportebat iuuenes collis Palatini incolas, post peractum sacrificium ex Lupercali profectos, pagum nudos cursu circumire, pellibus victimarum recens mactatis*

tarũ pudendo succinctos. Id autẽ erat quoddã lustrationis genus apud paganos more patrio receptũ: quod nunc quoq; fieri solet. Eo igitur tempore quotquot vltro insidias in ipsis viarũ angustiis illis adolescentibus sacra facientibus struxerunt, quũ primum agmen quod cum Remo erat, ad ipsos accessissent, Romulo & aliis seruis venientibus (trifariam enim diuisi erant, & per inter nulla currebant) reliquis non expectatis, clamore subla to frequẽtes impetũ in primos fecerunt, eosq; circumuentos, alij iaculis, alij lapidibus, aliisq; telis, (vt quodq; singulis in manus veniebat) petere cœperũt. Illi verò casu inopinato perculsi, & dubitantes quid sibi faciendũ esset, cum armatis ipsi ĩermes pugnãtes valde facilè capti sunt. Remus igitur ita in hostiũ potestatẽ redactus postea (vt Fabius tradit) vinctus Albã est deductus. Romulus verò quũ fratris infortuniũ cognouisset, cum fortissimorum pastorũ manu illos sibi persequẽdos putauit: sperans fore vt eos adhuc in ipso itinere nanciscereturSed à Faustulo qui eius insanum impetũ videbat, cohibitus est. Hactenus enim pater existimatus, adolescentes rem totã semper celarat, ne quod periculũ adirent antequã adfirmatissimũ ætatis robur peruenissent. Tũ verò ipsa necessitate cõpulsus, semotis omnibus arbitris, soli Romulo rẽ declarauit. At ĩmenẽ, quum ab ipso initio omnem suam fortunã intellexisset, matris miseratio & Numitoris cura subiit, & post longam consultationem cum Faustulo habitam, decreuit à præsenti conatu desistere; & maiore copiarum apparatu totam familiam ab Amulij ĩiurijs vindicare, & quoduis extremum periculum pro maximis præmijs subire, & cum auo materno agere quidquid ipsi visum fuisset. Quum igitur Romulus istud

consilium

consilium optimum esse duxisset, conuocatis omnibus pagani, rogatisque vt Albam ocyus properarent, non tamen per eandem portam omnes, neque conferta manu simul ingrederentur, ne qua suspicio in oppidanorum animis oriretur: & se in foro expectarent ad imperata faciendum paratis. ipse primus vrbem petiit. Interea, qui Remum abduxerant, postquam eum ad regis tribunal stiterunt, omnes iniurias, quas ab illis adolescentibus acceperant, eos accusando declararunt: & qui de suis vulnerati fuerant ostenderunt, minitantes se, nisi de illis sumeretur supplicium, omne pecus deserturos. Tum Amulius, agrestibus, qui magno numero conuenerant, & ipsi Numitori rem gratam facere volens (forte enim aderat) eámque rem æquè atque ipsi clientes molestè ferens, & regionis tranquillitati studens, simul adolescentis arrogantiam & tam intrepidam oratione suspectam habens, hominem condemnauit, & pœnæ modum arbitrio Numitoris permisit: quòd æquum esse diceret, vt is qui iniuriam fecit, a nullo alio potiùs, quàm ab illo, qui illam accepit, plectatur. Dum autem Remus à Numitoris pastoribus reuinctis post tergum manibus duceretur, & ab iis qui eum deducebant, conuiciis iactatis illuderetur, Numitor sequens, & corporis decus planè regium demirabatur, & considerabat generosum & constantem in rebus duris animum: quòd nec ad misericordiã captandã, nec ad preces (quemadmodum omnes qui in tali fortuna sunt constituti solent facere) se conuerteret, sed cũ modesto silentio ad supplicium pergeret. Postquam verò domũ venerunt, aliis iussis secedere, ipsum Remum solũ interrogauit quisnã esset, & quibus ortus parẽtibus: quòd talis vir è vulgaribus natus non videretur. Quã

autẽ Remus respondisset se illud tantùm scire ex illius fide à quo alebatur se infantẽ cum fratre, qui eodẽ partu editus fuerat, recens natum in sylua expositũ, & à pastoribus susceptũ & educatũ fuisse. Numitor post interpositam breuẽ moram sine aliquod verisimile suspicatus siue deo rem in lucẽ proferente sic iuuenẽ alloquitur, te Reme in mea potestate esse, ita vt te quo voluerim supplicio afficere possim, & eos qui te huc adduxerunt, multis iisq; atrocibus iniuriis acceptis mortem tuã vehementissimè expetere quũ ipse norìs, non est quod te doceã. Quòd si te à morte & quouis alio malo liberato, an gratiã mihi habebis? & roganti operã tuam in re virique nostrum commoda nauabis? Quum autẽ iuuenis respondisset quæ homines in vitæ desperatione, salutis spe impulsi, vitæ necisque arbitris & dicere & polliceri solent, Numitor eius vincula solui iussit, & omnibus qui aderant ablegatis suam fortunam ei narrauit: dixítque se regno à fratre Amulio fraudatum, orbatúmque liberis, quum filium in venatione per insidias interfecisset, filiam verò in carcere & vinculis custodiret, & cæteris in rebus se, vt dominus mancipium, tractaret. Ita loquutus, & multis lacrymis inter loquendum fusis, orauit Remum vt suas domesticas iniurias vlcisci vellet. Cuius orationem quum iuuenis lubenti animo excepisset, & iampridem se ad operam nauandam duci postularet, Numitor eius animi alacritate collaudata, respondit, {Ego rei gerendæ occasionem obseruabo, tu interim re cum nullis aliis communicata, nuntium ad fratrem mittas, per quem significes te saluum esse & rogare vt ille quamprimùm veniat. } Posteà verò inuentus missúsque est quidam qui ad hoc ministerium idoneus vide-

videbatur, qui non procul ab vrbe Romuli nactus mandata renuntiat. Ille verò valde lætus, ad Numitorẽ properauit: & primùm vtrunque amplexus salutauit, deinde narrauit quemadmodum & expositi & educati fuissent, & alia quæcunque Faustulus ex satellite Amulij acceperat. Quæ quum ad eorum voluntatem dicerentur, & ipsis grata essent, magnis probationibus ad fidem faciendam opus non erat. Vt verò se mutuò agnouerunt, continuò de re inter se communicare, & de rei aggrediendæ modo atque opportunitate cõsultare cœperũt. Dum autem hæc ab istis geruntur Faustulus ad Amulium adducitur. Veritus enim ne Romulus in magnæ rei indicio à se delato fidem Numitori absque manifestis signis non faceret, vt faciliùs infantes agnoscerentur, vnà cum alueo in quo expositi fuerant, paulo post ad vrbem contendit. Eum autem valde trepidè portam transeuntem, & quod ferebat diligentissimè occultantem, quum quidam ex custodibus animaduertisset (erat enim belli suspicio, & portæ ab hominibus regi fidelissimis custodiebantur) comprehendit, & quidnam celaret cognoscere cupiens, amictum ei per vim detraxit. Quẽ autẽ alueum conspexisset, hominémque hæsitãtem vidisset, quæsiuit ex eo cur ita trepidaret, quóve consilio vas illud celaret, quod ei ferre propalam licebat. Interea verò plures custodes confluebant, inter quos vnus alueum agnouit: quippe qui infantes in eo ad fluuium deportarat, & iis qui tunc aderant rem indicauit. Illi verò Faustulum comprehensum ad regem adduxerunt. Amulius, tormentorum minis homine perterrito, nisi sponte vera dixisset, primùm quidem an pueri viuerent quæsiuit: deinde verò, quum hoc cognouisset, quæsiuit quonam modo illi

incolumes euasissent. Quum autem ille omnia vt gesta erant narrasset: {Age igitur, (inquit rex) quādo hactenus vera dixisti, dic vbinam nūc inueniri possint. Non enim æquum est vt inter bubulcos vitam inglorium degant, quum mei sint cognati, præsertim verò quum diuina prouidentia seruati fuerint. Ibi Faustulus nouā regis clementiam suspectam habens, & existimans eius mentem à verbis discrepare, ita respondit, Iuuenes sunt in montibus vbi armenta pascunt, quemadmodum eorum vitæ genus fert. Ego verò missus sum ab ipsis, vt, quo in statu res ipsorum sint, matri significarem. Quam quum apud te seruari audissem, filiam tuam rogaturus eram vt me ad eam duceret. Alueum autem ferebam vt præter verba manifestum etiam rei argumē tum possem ostendere. Nunc igitur, quādo tibi visum est iuuenes huc accersere, gaudeo: proinde mecū quoscunque volueris mitte. Ego enim iis qui venerint, pueros ostendam: illi verò tua mandata ipsis exponent.} Hæc autē ille dicebat, quærens rationem qua iuuenum necem differret: simul etiam sperans se, vbi in montes ventum esset, ex manibus eorum, à quibus ducebatur, euasurum. Amulius verò satellitum suorum fidelissimos cum occultis mandatis, vt quos subulcus ipsis indicasset comprehensos ad se ducerent, ocyus dimisit. Quo facto mox decreuit accitum ad se fratrem in libera custodia asseruare, donec præsentem rerum statum bene composuissent. Quare illum quasi alia de causa accersiuit. At nuntius qui missus fuerat tum pericli tantis beneuolentia, tunc ēt miseratione fortunæ commotus, Numitori mentem Amulij indicat. Ille verò quum periculum iuuenibus impendens declarasset, eōsque hortatus fuisset vt se fortiter gere-

gererent, cùm aliorum clientum & amicorum armatorũ, tum etiam fidelissimorum famulorum non exigua manu stipatus, ad regiam venit. Venit etiam validissima manus agrestium, qui foro relicto in vrbem conuenerant, & gladios sub veste tectos secum attulerant. Omnésque conglobati, adstu, qui à paucis militibus seruabatur, per vim occupato, Amulium sine vllo negotio obtruncant, atque ita arcem occupant. Hæc sunt quæ Fabius scribit. ALII verò, qui nihil fabulosi historiæ conuenire censent, negant verisimile esse, infantes illos à ministris aliter quam ipsis mandatum fuerat expositos fuisse, & lupæ mansuetudinem, quæ vbera infantibus præbuerat, vt rem absurditatis fabulosæ plenam, cauillantur: harúmque rerum narratione mutata, aiunt, Numitorem, vbi cognouisset Iliam grauidã, alios pueros recens natos parasse: illáque pariente infantes permutasse: partisque custodibus supposititios infantes absportandos dedisse: (siue illorum opera fidem pecunia corruperit, siue per mulieres eam permutationem machinatus fuerit) eósque ad Amulium delatos, eius arbitratu necatos: natos verò ex Ilia, à materno auo, qui eorum salutem charissimã habebat, Faustulo commissos. Hunc autem Faustulũ ab Arcadibus Euandri comitibus genus duxisse, & Palatinũ collem incoluisse, atque regũ pecoris magistrum fuisse ferunt. In gratiam autem Numitoris hos pueros educauisse, suasu fratris Faustuli, qui Numitoris pecoris in Auentino colle pascentis magister erat. Quæ autem infantes aluit, & mammas præbuit, non lupam fuisse ferunt, sed (vt verisimile est) vxorem Faustuli, nomine Laurentiam, cui ob prostitutam quondam corporis formam, incolæ Palatini montis lupæ

cognomen imposuerant. Hoc autem nomen & Græcum & priscum est, & imponebatur illis quæ corpore vulgato quæstum faciebant: quæ nunc honestiore vocabulo ἑταίρας, id est, amicæ appellantur. Sed quosdam ferunt rei huius ignaros hanc fabulam lupæ commentos: siquidē lingua latina hæc fera vocatur lupa. Hos autem pueros à latte depulsos, à nutritoribus in vrbem Gabios, non procul à Palatino monte dißitam, missos, vt Græcam disciplinam ediscerent, ibique apud priuatos Faustuli hospites educatos fuisse, & literas, & musicam, & arma more græco tractare ad pubertatem vsque didicisse. Sed quum ad eos qui tunc ipsorum parentes existimabantur rediissent, controuersiam inter ipsos & Numitoris pastores de locis compascuis ortam, ipsósque illis vulnera inflixisse, eorúmque greges abegisse. Hæc autem de ipsius Numitoris sententia fecisse, vt aliquod criminandi initium fieret, simul etiam vt illa pastorum turba suum in vrbem aduentum aliqua specioſa causa velaret. Hoc facto Numitorem de Amulio conqueri cœpisse, se grauem iniuriam passi, & ab eius pastoribus res suas diripi, séque postulare, si ille horum culpa vacaret, vt sibi subulcum cum eius liberis dederet ad supplicium. Amulium verò, quum vellet se alienum ab ea culpa ostendere, imperasse vt & illi quos deposcebat, & reliqui omnes qui dicebantur interfuisse rebus illis, dum gererentur, quique ideo accusabantur, causam de iniuriis Numitori factis dicturi venirent. Quum autem multi præter reos ad illam causam agendam conuenissent, aiunt auum maternum, vbi prius adolescentibus omnes eorum casus exposuisset, eósque monuisset vt in dictæ occasionem tunc, qualis nunquam ante sese offerre, sta-

statim cum turba illa pastorali Amulium adortum. De ortu igitur, & educatione conditorũ vrbis hæc tradũtur.

II ¶QVAE VERO acciderunt dum vrbs conderetur (hæc enim huius libri sola pars adhuc mihi restat) mox narrare incipiam. Postquam Amulio defuncto Numitor regnũ recepit simulatque respub. ex diuturna tyrannide, qua antè premebatur, ereptam in pristinũ statum restituit, & res composuit, statim de propria ditione iuuenibus paranda, & de noua vrbe ad hoc ipsum cõdenda cogitauit. Simul etiã præclarè secũ actum iri putauit, si vrbanæ multitudinis, quæ magno iuuentutis numero aucta erat, partem aliquam, præcipue verò eã quæ quondã sibi aduersata fuerat, exhauiret, ne eam suspectam haberet. Itaque cõsilio cum iuuenibus cõmunicato, quũ & ipsis id placuisset, agros ipsis dedit, quorum essent domini, vbi in pueritia educati fuerant: & populi partẽ sibi subiectã, ne denuò res nouas moliretur, & siqui alij sponte migrare voluerunt illis attribuit. In his autẽ (vt in migrationibus solet accidere) erat magnus plebeiorũ numerus, non pauci etiã ex optimatibus nobiles, & ex Troianis quotquot generosissimi habebantur: vnde etiam ad meam vsque ætatem aliquot familiæ, circiter quinquaginta supererant. Illis autem iuuenibus datæ sunt & pecuniæ, & arma, & frumentum, & mancipia, & iumenta, quæ onera ferrent, & siquid aliud ad vrbis fabricationem vtile erat. Quicquam populum Alba eduxissent, indigenis cum eo mixtis, quotquot in Palantio & Saturnia reliqui erant, multitudinem totam in duas partes diuiserunt. Id autem ipsis ad æmulationem visum est conducere, vt opus illis certatim operantibus citiùs absolueretur. Sed ea res seditiones, maligrauissimi,

causa fuit. Nam eorum vtraque pars suum ducem, vt idoneum ad omnibus imperandum, colens, extollebat: & ipsi quoque non amplius concordes, neque fraterna mente præditi, quum vterque alteri imperare vellet, contempta æqualitate maiora effectare cœperunt. Aliquandiu igitur illa principatus affectatio latuit. Sed deinde hac occasione erupit: Locus condendæ vrbis non idem vtrique placebat. Romulus enim censebat Palantium muniendum, cum alias de causis, tum verò ob loci fortunam, quæ ipsi salutem attulerat, & educationem præbuerat: at Remus eum quæ nunc ab illo appellatur Remuria, condere malebat. Hic autem locus à Tiberi non procul abest, & XXX fermè stadia ab vrbe distat. Ex hac autem contentione statim apparuit illa insociabilis dominandi cupiditas. Verum enim eorum tunc cessisset, ei vector eodem modo iugum cæteris in rebus in posterum impositurus erat. Elapso deinde aliquanto temporis spatio, quum illud dissidium nihil minueretur, conuenit inter eos vt res tota auo materno permitteretur: eáque de causa ambo Albam iuerunt. Ille verò eos monuit vt deorum iudicio rem permitterent, ab vtro colonia esset denominanda, & vtrius imperium esse oporteret. Itaque præstituta illis die iussit manè seorsum vtrumque, in quibus sedibus vtrique libuisset considere, peractisque antè legitimis sacris aues bonas obseruare: & vtri felicius contigisset auspicium, eum coloniæ authorem haberi. Iuuenes laudato eius consilio abierunt, & ex pacto ad diem statutam, qua id agendum erat, adfuerunt. Atque Romulus templum auibus obseruandis delegit Palantium, vbi coloniam condere in animo habebat: Remus verò

collem

collem illi contiguum, qui Auentinus vocabatur, aut (vt alij tradunt) Remuriam. Et custodes vtrisque adhibiti, qui non sinerent aliud auspicium prountiari quàm quod apparuisset. Quum igitur vterque suas sedes cepisset, Romulus non diu moratus præ nimia festinatione & inuidia, qua fratrem prosequebatur (vt autem inuidia, fortasse & Deus ita enim impellebat) antequam vllum signum vidisset, missis ad fratrem nuntiis celeriter eũ ad se venire iussit, quasi prior aues lætas vidisset. Interea verò dum nunty ab eo missi, quos fraudi pudebat, iter remisse faciunt, sed vultures Remo à dextra volantes apparuerunt. Ille autẽ, conspectis auibus, vehementer est lætatus, & paulo post à Romuli nuntijs ad Palantium inde est abductus. Quum autẽ in vnũ venissent, Remus ex Romulo quæsiuit quasnã aues prior vidisset: ille verò hærens non habebat quid responderet. Interea verò vultures duodecim fausti volantes ei apparuerũt: quibus cõspectis animum confirmauit, illósque Remo ostendens, Quid (inquit) ea quæ iampridem vidi scire cupisten, ipse has aues cernis. Ille verò indignatus, ægrè tulit se ab eo deceptum, & colonia se ipsi cessurum negauit. Inde aũt contentio priore maior exorta, vtroque se superiorem esse clam cupiente, & quominus alteri cederet, apertè ita ins suum tuente. Illis enim ab auo materno dictum fuerat, cui priori meliores aues addixissent, eum fore coloniæ ducem. Sed quũ vnum idemq; auium genus vtrique apparuisset, hic quidem quòd prior aues obseruasset, ille verò & plures aues vidisset, se superiorem esse dicebat. Hanc verò eorũ contentionẽ reliqua quoq; multitudo accendit: & non expectato ducũ imperio, arrepta pugnare cœpit, atrisque pugna cõmissa, magnáque hinc inde cæde fa-

Eta. Nonnulli autem aiunt, in hoc prælio Faustulū, qui illos adolescentes educauerat, fratrum litem dirimere volentem quum nihil proficere posset, inermem se in mediam pugnantium aciem conieciſſe, mortis celerrimæ desiderio: votique sui compotem factum. Nonnulli etiam leonem lapideum, qui erat in maximè conspicuo Romani fori loco ad Rostra, corpori Faustuli impositum fuisse aiunt, qui sepultus fuerat in eo ipso loco in quo inuentus fuerat. Cæso autem Remo in ea pugna, Romulus quum victoriam miserrimam de fratre & ciuium mutua cæde retulisset, Remum in Remuria humauit. Siquidem, quum viuebat, eum locum vrbi condendæ destinarat. Ipse verò præ mœrore, & facti pœnitentia, de manibus sibimet ipsi inferendis cogitare cœpit. Sed quum Laurentia, quæ eos recens natos à marito datos acceperat, & educarat, & non minus quàm mater amabat, rogaret & consolaretur eum, eius precibus adductus surrexit: & congregatis Latinis, quotquot ex prælij cæde euaserant, qui ex pristino colonorum numero longè maiore ad paulò plures quàm tria hominum millia redacti fuerant, in Palantio vrbem condidit. Hæc igitur de Remi morte opinio mihi maximè probabilis videtur. Dicatur tamen & si quid diuersum ab aliis de hac re est proditum. Quidam aiunt eum Romulo de principatu cessisse, sed deinde indignatum, & iratum quòd dolo fuisset circumuentus, mœnibus iam conditis, quum vellet demonstrare, illam munitionem infirmam & inanem esse, dixisse, At quiuis vester hostis facilè hanc superauerit, vt nunc ego: & simul è vestigio eam transiliſſe. Celerem verò quendam, qui supra muros stabat, quique operi præpositus erat, subiecisse, At istum

hostem

hostem facilè nostrum quiuis arcuerit, móxque caput eius rutro percussisse, & eum interfecisse. Hic igitur fraterni dissidij exitus fuisse fertur. Cæterùm, cùm iam nihil esset quod fabricationem eam impediret, Romulus indicta die, qua diis placatis opus erat auspicaturus, præparatisque rebus omnibus ad sacrificium & populi epulum necessariis, quum dies statuta venisset, & ipse ante alios sacrificium diis fecisset & cæteros pro viribus idem facere iussisset, aquilarum auspicio primùm est vsus: deinde ignes pro tentoriis accendi, & populum piaculi causa per medias flammas salire iussit. Vbi autem peractum putauit quicquid diis acceptum esse iudicabat, omnibus in locum designatum conuocatis, collem quadrangula figura circumscripsit, bobus mari & fœmina sub eodem iugo iunctis, perpetuúmque sulcum duxit, in quo mœnia fundaturus erat. vnde apud Romanos hic mos circumarandi loca in condendis vrbibus permansit. His autem peractis & vtroque boue immolato, multisque aliis victimis mactatis, populum ad opus admouit. Hunc diem ad nostram vsque ætatem populus Roman. quotannis celebrat, quem, si vllum alium diem festum, in honore habet, vocátque Parilia. Hoc autem die pro fœcundo quadrupedum partu agricolæ & pastores vere inuente vt diis gratias agant sacrificium faciunt. Vtrum verò hunc diem iam multo antè in publica lætitia vrbi condendæ aptissimum existimarint, an eum tunc quum vrbs condi cœpit consecrarint, & deos pastoribus propitios in eo colendos censuerint, certò affirmare non possum. Quæ igitur de Romanorum genere in multis Græcorum & Romanorum

scriptis à me magna cura voluntatis reperire potui, hæc sunt. Quapropter quinis confidenter (longum vale dicens iis, qui Romam hominum barbarorum, fugitiuorum, & lare carentium refugium faciunt) iam affirmet hãc vrbem græcam esse, demonstrans eam omnium omnibus hominibus maximè communem, & erga omnes maximè humanam esse: & cogitans Aborigimum gentem OEnotricam fuisse, hanc verò Arcadicam, & recordatus Pelasgos, qui cum iis habitarant, Thessalia relicta, quum ab Argiuis essent oriundi, in Italiam venisse, & memor aduentus Euandri & Arcadum, qui in Palatio habitarunt, in loco quem Aborigines ipsis dederunt præterea Peloponnesiorum qui cum Hercule venerunt, & in colle Saturnio habitarunt: denique eorum qui ex agro Troiano migrarunt, & cum prioribus mixti fuerunt. his enim gentibus nullam aliã aut antiquiorẽ aut magis Græcanicam reperire poterit. Barbarorũ verò cõmercia, ob quæ populus Rom. multa prisca instituta dedidicit, multò post fuerit, atq; hoc multis, id quod verisimile est, considerantibus, mirum videri possit, quomodo ea ciuitas penitus barbara non fuerit reddita, receptis Opicis, Marsis, Samnitibus, Hetruscis, Brutiis, & multis Vmbrorum, Ligurum, Hispanorum, & Gallorum millibus, & aliis præterea gentibus, quæ partim ex ipsa Italia, partim ex aliis locis eò venerant immmera: quæ neque eodem sermone vtebantur neque idem vitæ genus sequebantur, quos & lingua, & vitæ genere discrepantes, plerósque etiam in vnum per vim contractos permixtósque, ob tantam discrepantiam multa de prisca illa & præclara reip. disciplina in peius immutasse verisimile est. Siquidẽ & multi alij inter barbaros degentes exiguo temporis

spatio

spatio omnes Græcorũ mores & linguam dedidicerunt: ita vt neque græcè loquantur neque amplius Græcorum institutis vtantur, neque eosdem deos putent, neque leges æquitatis plenas seruent: (quare præcipuè Græcorum ingenia à barbaris differunt) neque vllum contractuum genus cum Græcis congruens habeant. Hoc autem verũ esse satis declarant Achæi Ponti accolæ, qui omnes quũ essent ex gente cum primis Græca oriundi, tamen omnium nostræ ætatis barbarorum sunt efferatissimi. Romani verò sermone nec prorsus barbaro: nec absolutè græco vtuntur, sed quodam ex vtroque misto: cuius maior pars est lingua Aeolicæ: atque ex tot commerciis hoc solum incommodum acceperunt, quòd non omnia vocabula recte efferant. Cæterà verò quæ sunt Græci generis indicia, magis quàm vlli alij coloni seruant. Nec nunc primum amicè viuere inceperunt, ex quo bonam secundámque fortunam morum honestorum magistram habuerũt, neque ex quo primùm res transmarinas affectarunt, euerso Carthagine nostrum & omnium imperio: sed ab omni tempore ex quo in vnam ciuitatem contracti sunt, more græco vixerunt: nec artium clariorum ad virtutẽ paradam nunc sunt studiosiores quàm ante. Quum autẽ hac de re multa dicere multisque argumentis hoc probare, & virorum fide dignorũ testimonia adferre possim, malo tamen hæc omnia reseruare libro, quem de eorum repub. sum scripturus. Nunc ad narrationis seriem reuertor, à rebus quæ in hoc libro declaratæ fuerunt, per capita repetitis, initium sequentis libri facturus.

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI, ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER SECVNDVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Romæ situs, & de constituenda Reipublicæ forma Romuli ad populum oratio.

2 Cur Reipublicæ forma à Romulo constituta ætatis antefereda sit: & eius nobiliora membra quæ fuerint.

3 De Deorum cultu Leges & institutæ Romuli.

4 Oeconomicum statum spectantes leges: videlicet de nuptiis & consuetudine maritorum cum vxoribus: de earundem conditione: de liberorum pietate & reverentia erga parentes, parentúmque in liberos potestate: item de priuatorum vita, opificiis & exercitiis.

5 Conseruandæ & amplificandæ Reipublicæ Romanæ ratio, vnde sequutum bellum aduersus Sabinos aliósque populos, quod mutuo fœdere extinctum est.

6 Post sancitum fœdus inter Romanos & Sabinos, quæ circa Reipub. Romanæ formam nouata sint: Tatio autem interfecto Principatus redit ad vnum Romulũ, qui Fidenatibus & Veientibus bello deuictis morte subita opprimitur.

7 Numæ Pompilij, II. Romanorum regis, virtutes, electio & vocatio.

8 Eiusdem constitutiones ad Deorum cultum pertinentes, vbi de Vestalibus & sacro igne, de Saliis, Fecialibus, Sacerdotibus, & Pontifice Maximo.

9 Leges quæ ad frugalitatem & temperantiam inter

Romanos

Romanos conseruandam conducebant: Optimi item Principis Numæ obitus. Porrò regnum Romuli & Numæ fuit 80. annorum.

VRBS ROMA *sita est in occidentalibus Italiæ partibus, ad Tiberim flumen, quod per ipsam vrbem fermè mediâ fluit, & inde in mare se exonerat, atque à mare Tyrrheno centum & viginti stadiis abest. Qui verò eam, omnium hominum qui memorantur primi tenuerunt, erant barbari quidam indigenæ, qui Siculi vocabantur, & qui multa alia Italiæ loca occuparunt, quorum non pauca, nec obscura monumenta ad nostra vsque tempora manent: inter quæ sunt etiam locorum quædam nomina Sicula priscæ illorum habitationis indicia. Aborigines verò orundi ab OEnotris, qui incolebant totam illam oram maritimam quæ à Tarento Pæstum vsque protenditur, his inde pulsis eum locum occuparunt. Hæc autem fuisse fertur quædam iuuentus, diis consecrata more patrio, ad quærendas sedes quascunque ipsi fortuna obtulisset à parentibus missa. Genus autem OEnotrorum Arcadicum erat, quod ex ea, quæ tunc Lycaonia vocabatur, iam verò Arcadia appellatur, sponte sua profectum erat, vt agrum meliorem sibi pararet, duce coloniæ OEnotro Lycaonis filio, à quo gentinomen inditum. Quum autem Aborigines ea loca tenerent, primi cum ipsis habitarunt Pelasgi, profugi ex ea quæ tunc Hæmonia, iam verò Thessalia vocatur, vbi aliquandiu habitarunt. Post Pelasgos verò Arcades, ex vrbe Palantio profecti, coloniæ ducem sequuti Euandrum Mercurij, & nymphæ Themidis filium, qui sedes suas posuerunt in vno è septem collibus, qui in me-*

dia fermè vrbe est situs: quem locum à patria sua, quæ erat in Arcadia, Palantium appellarunt. Sed non multò pòst quum Hercules in Italiam venisset, quando exercitum ex Erythea domum reducebat, pars quædam Græcarum copiarum ibi relicta, prope Palantium sedes fixit in alio colle ex iis quos nunc vrbs muris complectitur, qui tunc ab incolis Saturnius vocabatur, nunc verò à Romanis Capitolinus appellatur. Horum plerique erant Epei, qui ex Elide vrbe pulsi fuerant: quòd Hercules ipsorum patriam armis expugnatâ euertisset. Aetate verò decima sexta post bellum Troianum, Albani vtrunque hunc locum muris fossáque communitum habitare cœperunt. Ibi autem ad id vsque tempus fuerant stabula bubulcorum, opilionum, & cæterorum pastorum diuersoria: quòd ager ille non solùm hyberni, sed etiam æstiui pabuli copiam, propter fluuios ipsum refrigerantes & irrigantes abundè suppeditaret. Albanum autem genus mixtũ erat ex Arcadibus & Pelasgis & Epeis ex Elide profectis: postremò etiã ex Troianis, qui post Troiam captam cum Aenea Anchisæ & Veneris filio in Italiam venerant. Verisimile autem est, aliquos etiã barbaros ex accolis, aut priscis colonis reliquos cum Græcis in gratiam rediisse, & cum ipsis permixtos fuisse. Horum autem omnium commune nomen fuit Latini, deductum à Latino illius regionis rege, priscis singularum gentium appellationibus sublatis. Ab his igitur gentibus vrbs condita est anno quadringentesimo trigesimo secundo post Troiam captam, septima olympiade. Coloniæ autem duces fuerunt gemini fratres regij sanguinis, quorum alter, Romulus alter, Remus vocabatur, materno genere oriundi ab Aenea, ac proinde Dardanidæ.

Sed

Sed ex quo patre progeniti fuerint, difficile est aliquid certi afferre: sed Romani eos Martis filios esse persuasum habent. Non tamen ambo permanserunt coloniæ duces, controuersia de principatu inter eos exorta: sed Romulus, altero in pugna cæso, superstes vrbis conditor fuit, eámque de suo nomine nominauit. Cæterùm numerus eorum qui eiusdem coloniæ participes fuerunt, quum principiò magnus fuisset, ad exiguum redactus est, ad tria peditum millia & trecentos equites. FOSSA igitur ab illis perfecta & munitione absoluta, ædificiisque pro præsenti necessitate extructis, quum tempus iam postularet, vt dispiceretur qua Reipublicæ forma vtendum esset, Romulus cõuocata concione, aui materni monitu & ab eo quid esset dicendum edoctus, dixit: {vrbem & publicis & priuatis ædificijs, vt recens conditam, satis à se ornatam esse & omnes rogauit vt illud cogitarẽt, reipub summam in hisce rebus non esse sitam. Neque enim in bellis externis profundas altásque fossas esse munimenta satis idonea ad certam salutis securæ spem hominibus inclusis afferendam: sed hoc tantùm polliceri, oppidanos repentina hostium incursione oppressos cladem nullam accepturos, neque, si intestini tumultus in republica exorti fuerint, priuatas ædes & domicilia cuiquam refugium satis tutum præbere: ad vitam enim quietè & tranquillè degendam hæc subsidia & solatia ab hominibus inuenta esse, quæ neque insidias, quæ vicinis tenduntur, ita arceant vt illi miseri non sint: neque etiam faciant vt qui insidijs appetuntur: quamuis in tuto sint, tamen confidant nec vllam vnquam vrbem his solis ornamentis felicitatem & amplitudinem diuturnam sibi quæsisse: neque contrà, vllam vnquã

ciuitatem, quòd sumptuosis ædificiis priuatis publicisque caruisset, prohibitum fuisse quominus & ampla & fortunata euaderet. Sed aliud esse quod urbes seruet, & magnas ex paruis faciat. In externis bellis ipsam armorum potentiam, hanc autem audacia & exercitatione comparari. At in ciuilibus perturbationibus ciuium concordiam. Demonstrauit autem hanc facillimè posse in repub. florere, si unusquisque & temperanter, & iustè viueret. Eos verò qui rebus bellicis operam nauant, & cupiditatibus suis imperant, egregiè suas patrias ornare, & reipubli. esse pro mœnibus inexpugnabilibus, istósque vitæ suæ tutissima domicilia parare. Bellicosos certè iustósque viros, & qui alias virtutes colunt eandem reipub. formã constituere, quam viri prudentes constituerunt. Contrà verò molles & auaros, & fœdis cupiditatibus addictos, malis quoque studiis penitus occupari: dixitque se à natu maioribus & multarum rerum peritis accepisse multas magnas colonias in loca fortunata delatas, partim exortis seditionibus statim perditas, partim non multo post imperio vicinorum parere coactas fuisse, & meliorem agrum, quem ante habebant, cum deteriore fortuna commutasse, & seruas ex liberis factas. Alias verò non magno hominum numero, & in agros non admodum bonos profectas liberas primùm, deinde aliorum etiam imperium diuturnum adeptas, neque felicitatis paucorum, neque infortunij multorũ aliam esse causam, quàm ipsius reipub. formam. Quòd si apud omnes homines esset una quæpiam vitæ ratio, quæ ciuitates felices faceret, illam facilè à se potuisse eligi: sed audire se dicebat, multas cùm apud Græcos tum apud barbaros reipublicæ formas esse: sed inter illas omnes tres potissimùm laudari ab illis,

qui

qui ijs vtuntur, harum tamen nullã ab omni parte sinceram: sed in earum vnaquaque fatale aliquod malum innatum, ita vt earum optio sit difficilis. Itaque iussit, eos re, per otium considerata, respondere, vtrum vni an paucis parere mallent. Equidem, inquit, quamcunque Reipub. formam constitueritis ad eam recipiendam paratus sum, nec me indignum puto qui alijs imperem, nec alteri recuso parere. Honoribus enim quos mihi habuistis primùm quum me coloniæ ducem creastis, deinde vrbem à me denominastis, sum contentus. Hos enim neque externum bellum, neque domestica seditio, neque tempus, quod omnes res præclaras delet, neque vlla alia aduersa fortuna mihi eripiet. sed & viuus, & mortuus his honoribus in posterũ, & in perpetuũ fruar. Atque hæc à materno auo accepta Romulus (vt dixi) ad populum memorauit. Illi verò seorsum communicato inter se consilio ita responderunt, Nobis noua reipub. forma non est opus: sed quam maiores nostri optimam indicarunt, eam ab illis acceptam non mutabimus: nec discedemus à priscorum sententia, à quibus magna cum prudentia eam constitutam fuisse credimus. sed in hac fortuna acquieseemus. Neque enim de iure ea conqueri possemus quæ nobis sub regibus bona, quæ maxima inter homines habentur, libertatem & imperium in alios dedit. Hæc igitur est de forma reipublicæ nostra sententia. Hunc autem honorem nulli alij potius quàm tibi cõuenire arbitramur cùm ob regium genus & virtutem, tum verò præcipuè quòd te duce coloniæ vsi fuerimus, & magnam in te grauitatem, magnámque sapientiam non verbis potius, quàm re ipsa edocti animaduertamus. Romulus, his auditis, respõdit, gratum quidẽ sibi esse hominum

iudicium, quo dignus regno habitus esset: sed tamen se honorem istum non accepturum, nisi & ipse deus læto auspicio comprobasset. Quod cum illis quoque placuisset, die præstituta, qua de regno deos erat consulturus, quum statuta dies venisset, circa matutinum crepusculum surrexit, & ex suo tentorio prodijt, & sub dio in loco puro stans victimis ante rite mactatis, precatus est Iouem regem, & reliquos deos quos coloniæ duces fecerat, vt, si ipsorum voluntate rex vrbis futurus esset, signum de cœlo felix ostenderent. Absolutis autem precibus fulgur à sinistra ad dextram emicuit. Romani autem fulgura à sinistra ad dextram tendentia pro faustis habent, siue ex Hetruscorum disciplina, siue ita à maioribus edocti: hac ratione (vt ego arbitror) adducti, quòd sedes, statióque captandis auspicijs ea optima sit, quæ orientem spectat, vnde sol & luna, & reliquæ stellæ tam erraticæ quã fixæ surgunt, & vnde totus mũdi motus ob quẽ res omnes quæ in eo sunt, modò suprà terrã eminent, modò sub terra latent, ductu initio suum circuitum facit. Porrò qui Orientem spectant septentriones à sinistra, à dextra meridiem habent. Priora autem posterioribus sunt honoratiora. Attollitur enim ab Aquilonari plaga ipsius axis polus, circa quem mundus volvitur, & è quinque circulis qui sphæram ambiunt ille qui vocatur arcticus, hac parte semper apparet. Circulus verò qui antarcticus appellatur ab australi tractu depressus, hac parte delitescit. Verisimile autem est inter omnia signa, quæ in cælo & sublimi aëris regione observantur, ea præstantissima esse quæ à parte præstantissima apparent. Quoniam autem partes quæ ad orientem vergunt, nobiliores sunt, quàm partes occidentales, quoniam etiam in his

ipsis

ipsis orientalibus partibus excelsiores sunt aquilonares, quàm australes, propterea meritò hæc habentur optima. Vt verò quidam tradunt iam tum priscis tẽporibus ante receptam Hetruscam disciplinam, Romanorum maiores à sinistris emicantia fulgura iudicabant felicia. Ascanio Aneæ filio, quo tempore ab Hetruscis, quibus rex Mezentius præerat, bello & obsidione premebatur, in extrema eruptione, quàm rebus iam desperatis facturus erat, cum lamentatione Iouem & reliquos deos precãti vt sibi felix aliquod eruptionis signum darent, ferunt fereno cælo à sinistris fulgur emicuisse. Quod præsiũ, quia tum ei felicissime successit & apud posteros id signum perpetuò felix habitum. Tunc igitur quum Romulus à dijs certa sui regni signa accepisset, conuocato ad concionem populo, & auspicijs declaratis, ab illis rex creatur, & hunc morem in posterum ab omnibus seruandum instituit, ne quis aut regnum aut magistratum caperet, nisi & ipsa dei authoritas id comprobasset, atque hic mos captandorum auspiciorum diu à Romanis obseruatus est, non solum sub regibus, sed etiam post exactos reges, in consulum, prætorum, & aliorum legitimorum magistratuum comitijs. At nostra ætate hic mos sublatus est, & tantùm quædam eius imago, huius religionis causa remanet. Candidati enim sedem capiunt & sub crepusculum matutinum surgunt & quasdam preces sub dio peragunt. Tum aliquis ex collegio augurum præsentium, qui publica pecunia alantur, fulgur à sinistris, quamuis nullum apparuerit magistratum illis significare pronuntiat. Illi verò, accepto vocis omine, ad magistratum capiendum abeunt. Nonnulli quidem rati hoc ipsum sufficere, quòd nullum cõtrariũ & aduersum auf-

picium apparuerit: nonnulli verò vel contra ipsius dei prohibentis atque aduersantis voluntatem. Interdum etiam magistratus per vim potius rapiunt, quàm accipiunt. Quapropter multi terrestres Romanorum exercitus internecione deleti sunt, & multiæ classes in mari vnâ cum ipsis hominibus perierunt, aliæque clades magnæ & graues reipub. acciderunt, cùm in externis bellis, tum in ciuilibus seditionibus, sed maximè insignes & graues nostro tempore, quum Licinnius Crassus, vir ætate sua nulli imperatorum secundus, expeditionem fecit in Parthos, numine aduersante, contemptis innumeris auspiciis, quæ ipsum ab illa expeditione deterrebant. Sed de diuini numinis contemptione, quæ hac nostra ætate inter nonnullos regnat, longum & difficile esset dicere.

2 ¶ CAETERVM *Romulus diis hominibusq; fauctibus hoc modo rex creatus cõmuni omnium cõsensu & rebus bellicis magnus & periculorũ contẽptor, & in repub. optimè administranda prudẽtissimus fuisse fertur. Recensebo autem res ab illo tam domi quàm militiæ gestas, quæ memoratu sunt dignæ. Ac primùm quidem de eam de reipub. forma, quam ego cæteris omnibus reipub. formis, & pace, & bello vtpotè suis omnibus numeris absolutissimam præferendam duco. Erat autem huiusmodi. vniuersa multitudine trifariam diuisa singulis partibus clarissimos viros præfecit. Deinde rursus vnamquamque illarum trium partium in decem diuisit, & his quoque totidem fortissimos viros præfecit: maiores autem partes appellauit Tribus, minores, Curias, vt & hodie vocantur. Quòd si hæc nomina græcè interpreteris, Tribus nihil aliud significat quàm φυλὴ & τριττύς: Curia verò φρατρία & λόχος. Et Tribuum præfecti, φύλαρχοι &*

τριτ-

τριττύαρχοι quos Romani tribunos vocant. Curiarũ verò præfecti, φρατριάρχοι & λοχαγοί, quos illi Curiones appellant. Diuisæ etiam fuerunt ab eo curiæ in decurias, & cuique suus dux præerat, qui eorum patrio sermone decurio appellatur. Ita igitur toto populo in Tribus & Curias distincto, & agro in triginta æquales partes diuiso, vnicuique Curiæ vnam partem sortitò attribuit: sed prius exemit quantum ad ministeria sacrorum & templorum satis esset, & quandam partem quæ esset iuris publici reseruauit. Atque hæc fuit vna diuisio tam virorũ, quàm agrorum, quam Romulus fecit, quæ summam inter omnes æquabilitatem continebat. Nunc alteram sum dicturus virorum duntaxat, quæ ad subditorum curam, honores, & dignitates pertinet. Illustres genere, & virtute celebres & opibus (vt tunc ferebant tempora) abundãtes, quibus iã erãt liberi, ab obscuris, & humilibus, & egenis secreuit. Deteriores auẽ fortunæ homines, Plebeios vocauit, quos Græci δημοτικοὺς appellarent: potioris verò fortunæ, Patres siue quòd alios ætate anteirẽt, siue quòd liberi illis essent, siue propter generis nobilitatẽ, siue propter hæc omnia: exemplo (vt cõiicere est) ab Athenienſium repub. sumpto, quæ ex illo tempore adhuc florebat. Illi enim multitudine bifariã diuisa, eos qui ex illustri familia erant, & qui opibus valebãt εὐπατρίδας, id est, patricios, vocabãt, penes quos erat reip. gubernatio. Cæteros verò ciues, ἀγροίκους, id est, rusticos, appellabãt, qui nullũ in repub. suffragium habebant: Sed tamẽ progressu temporis hi quoque ad honores capiendos admissi sunt. Qui igitur res maximè probabiles de republica Romana scribunt, ob hasce causas aiunt viros illos Patres vocatos & progeniem eorum Patricios: qui ve-

rò priuata inuidia impulsi hac de re loquuntur & generis obscuritatem illi ciuitati falsò obiiciunt, non propterea patricios eos appellatos aiunt, sed quòd soli patrē ciere possent: quasi alij essent fugitiui, neque suos patres ingenuos ciere possent. Atque ad huius rei fidē faciēdā hoc argumento vtuntur, quòd patriciorum vnum quenque, quoties regibus eos conuocare visum fuisset, præsones de suo ac patris nomine appellarent. Plebeios verò ministri quidam iique frequentes cornibus bubulis concinentes ad concionem conuocarent. Sed neque illa per præconem euocatio, nobilitatis Patriciorum est argumentum, neque etiam buccinæ vox ignobilitatis Plebeiorum est indicium: sed illud quidem honoris, hoc verò, celeritatis est. Neque enim breui temporis spatio tota plebs nominatim conuocari poterat. Romulus porrò, postquam secreuit potioris conditionis homines, à deterioris fortunæ hominibus, leges tulit, & quid vtrisque faciendum esset præscripsit, vt patricij sacra curarent, & magistratus gererent, & ius dicerent, & secum rempub. administrarent, & vrbana munia assiduè obirent: Plebei verò, horum quidē negotiorum essent immunes, quòd eorum imperiti essent, & ob rerum inopiam ipsis vacare non possent: agros verò colerent, pecus alerent, & artes quæstuosas exercerent: ne seditiones orirentur, sicut in aliis ciuitatibus dum aut humiliores à potentioribus contemnuntur, aut viles & egeni excellentioribus inuident. Patriciis autem plebeios commendauit, vnicuique de plebe libera optione data, vt sibi quem vellet patronum eligeret, quem morem græcum & antiquum quo diu Thessali & prisci Athenienses fuit vsi, ipse in melius conuertit. Illi enim superbè clientibus vtebātur, illis imperantes

rantes opera, liberos ac ingenuos homines parum decentia, & si quando omnia imperata non feciſſent, verbera intentantes, & cæteris in rebus abutentes illis tanquam mancipiis. Athenienſes autem hoc clientes, ob ſeruitutem Θῆτας appellabant: Theſſali verò, Πενέστας, vocabulo fortunam illis continuò exprobrantes. At Romulus decora etiam appellatione hãc rem honeſtauit, patronatum nominans pauperum & humilium patrocinium: & commoda vtriſque addidit officia, & eorum coniunctionem perhumanam ac ciuilem reddidit. Ius autem patronatus tunc ab illo conſtituti quod apud Romanos diu durauit, erat huiuſmodi: oportebat patricios ſuis clientibus ius interpretari & de eo reſpondere, cuius illi eſſent imperiti, & illorum æquè alſentium, atque præſentium curam gerere, facientes quicquid liberorum cauſa parentes facere ſolent, & in rationibus pecuniarum, & in earum contractibus: & lites pro clientibus iniuria affectis ſuſcipere, ſiquis in ipſo contractu detrimentum accepiſſet, & eorum cauſam contra accuſatores ſuſtinere, & (vt paucis multa expediam) oportebat eos clientibus tam à priuatis quàm à publicis negotiis omnem quietem, qua maximè opus illis erat, præſtare. Oportebat verò viciſsim ipſos clientes iuuare ſuos patronos in elocandis filiabus, ſi ea um parentes eſſent inopes, & ab hoſte redimere, ſiquis aut ipſorum, aut ex liberis eorum captus fuiſſet, priuatarũ quoq; litium perditarũ æſtimationes, & mulctas publicas pecuniarias pro ipſis proprio ære diſſoluere pecuniã, non mutuò: ſed referendæ gratiæ cauſa dantes, & in magiſtratibus, honoribus, aliiſque publicis impenſis ſumptuum participes eſſe, non ſecus ac genere coniunctos. Commune autem vtriſque

erat, vt neque pium, neque fas esset alteris alteros in iudiciis accusare, aut testimonium aduersum dicere, aut suffragium contrarium ferre, aut inter inimicos censeri. Quòd si quis in aliquo huiusmodi facinore deprehensus fuisset, proditionis lege, quam Romulus sanxerat, tenebatur: Et cum qui eius criminis fuisset conuictus, cuiuis, vt Diti sacrum, interficere licebat. Mos enim erat Romanis, vt quos vellent impunè occidi, eorum corpora alicui deo, præcipuè verò inferis, deuouerent: quod & ipse Romulus tunc fecit. Quapropter ad multas ætates permanserunt hæ clientium & patronorum coniunctiones, posteris omnibus commendatæ ita vt nihil ab ipsarum necessitudinum vinculis differrent: & magnæ vertebatur laudi nobilibus quamplurimos clientes habere, & hæreditarias maiorum clientelas conseruare, aliásque virtute propria parare: magnúmque certamen erat vtríque de benevolentia ne mutuis beneficiis alteri ab alteris vincerentur, ipsis clientibus pro virili parte nullum ministerium patronorum causa recusantibus: & vicissim patronis nullo modo volentibus molestiam suis clientibus exhibere, nec vllum pecuniarum damnum accipientibus. Tanta erat illorum in omni vita temperantia, & felicitatem virtute, non fortuna metiebantur. Non solùm autem in ipsa vrbe plebs patriciorum patrocinio defendebatur: sed & coloniarum Romanarum, & ciuitatum, quæ societatis & amicitiæ causa se populo Romano adiunxerant: & bello subactarum vnaquæq; quos Romanorum custodes & patronos voluisset habebat. Et sæpe senatorum & vrbium & gentium controuersiis ad ipsarum patronos remissis, ipsorum iudicia rata habuit. Adeo autem Romanorum concordia constans fuit, nullo sumpto ab illis nouibus,

ribus, quos Romulus introduxit & constituit, vt intra sexcentos & triginta annos ad sanguinem & cædem mutuam ciues nunquam venirent: licet inter plebem & magistratus multæ & graues de repub. controuersiæ exortæ fuerint (quemadmodum accidere solet in omnibus tam paruis quàm magnis ciuitatibus:) sed suadentes, & docentes mutuò, & partim res concedentes, partim à volentibus eas impetrantes, similiter controuersias diremerint. Sed ex quo C. Gracchus tribunitiam potestatem adeptus reip. concordiam perturbauit, non cessant se mutuò cædere, & in exilium expellere, nec ab vllo nefario scelere absistent, vt vincant. Sed de his alibi opportunius agetur. Romulus igitur, quum hæc constituisset, statim decreuit senatores creare, vt cum eo rempub. administrarent, electis centum viris ex ordine patricio. Illos autem ita elegit: Ipse ex omnibus vnum decla uit, quem maximè idoneum iudicauit cui rerum vrbanarum administrationem committeret, quoties ipse copias extra agri Romani fines duceret. Tribuum vnamquanque iussit tres viros sibi eligere, qui per ætatem maximè saperent: quique ob nobilitatem essent illustres. Post hos nouem, imperauit vt vnaquæque curia tres patricios maximè idoneos eligeret: deinde, quum ad primos illos nouem, qui à tribubus electi fuerant, addidisset XC, quos curiæ suis suffragiis legerant, hisque ducem præfecisset, quem ipse ante elegerat, centum senatorum numerum expleuit. Hoc autem consilium si Græcè vocabulum interpreteris γερουσίαν id est, senatum, significat, & ad hanc vsque diem ita à Romanis vocatur. Vtrum verò ob senectutem eorum qui in id consilium lecti venerant, an ob virtutem hoc nomen habuerit, certò affirmare non

possum. Prisci enim, viros ætate & virtute præstantes, senes appellare solebant. Qui autem senatory ordinis erant, Patres conscripti vocati fuerunt, & ad mea usque tempora hanc appellationem retinebant. Hic autem mos & ipse Græcus erat: etenim reges & quotquot à patre traditum regnum accepissent, & quos ipsa plebs sibi principes constituisset, consilium habebant quod ex optimatibus constabat: vt Homerus & antiquissimi poetæ testantur. Neque (vt nostro seculo) regum priscorum dominatus erat nimium sui iuris, neque ab vnius sententia pendebat. Constituto igitur senatu ex centum viris, animadvertens (quod verisimile erat) sibi etiam aliqua iuuenum instructa & armata manu opus fore, tum ad corpus suum tutandum, tum etiam vt ad vrgentes necessitates eorum opera vteretur, CCC viros illustrat: simarũ familiarum, corpore robustissimos elegit, quos Curiæ designarant (eodem modo quo Senatores) vnaquæque Curia decem iuuenes: hisque viris semper erat stipatus. Illis autem omnibus commune nomen fuit, vt etiam nunc est in vsu, Celeres, vt plerique scribunt, à ministerij celeritate, nam promptos & ad opus veloces, Romani celeres vocant. Sed, vt Valerius Antias ait, à duce suo hoc nomen habent: nam his dux erat maximè insignis, cui tres centuriones parebant, & illis alij, qui minores præturas gerebant, qui per vrbem illum hastati sequebantur, & imperata faciebant. In ipsa verò militia propugnatores & defensores erant. Et sæpe isti in prælijs victoriæ autores erant, quòd & pugnandi initium facerent, & omnium postremi recederent, & ex equis pugnarent, vbi campus ad equestre certamẽ esset commodus: pedibus verò, vbi locus esset asper, & ad equitandum incommodus.

Hunc

Hunc autem morem Romulus mihi videtur à Lacedæmoniis accepisse, postquam cognouit, & apud illos genero sissimos quosque iuuenes regum satellites fuisse, quorum opera illi vterentur in bellis, vt sibi & in equestri & in pedestri pugna propugnatores essent. His constitutis, distribuit honores & potestates, quas vnumquemque habere volebat. Ac regis quidem hæc munia eximia esse iussit: primùm, vt sacrorum & sacrificiorum principatum haberet, & omnes res diuinæ ac piæ per eum agerentur. Deinde, legum ac morum patriorum custos esset, & omnes iuris naturalis, & ex communi hominum consensu pactóque scripti curam gereret, & de grauissimis iniuriis ipse cognosceret: leuiorum verò causarum cognitionem senatoribus permitteret: (ita tamen vt caueret ne quid interim in iudiciis peccaretur) & senatum cogeret, populúmque conuocaret, primúsque sententiam diceret, & quæ pluribus visa fuissent, ea faceret. Atque hos honores regi detulit: præterea verò, vt in bello summum haberet imperium. Consessui verò senatus hunc honorẽ & potestatem dedit, vt de re qualibet, quam rex ad ipsum retulisset, cognosceret & suffragium ferret, & quod plurium sententiis approbatum fuisset, id vinceret. Atque hoc quoque ex Laconica repub. desumptum est, neque enim Lacedæmoniorum reges summum habebant imperium, ita vt quicquid libuisset facerent: sed summa totius reipub. administratio penes senatum erat. Plebi verò hæc tria concessit, magistratus creare, leges sancire, & de bello decernere, quoties rex permisisset, ita tamẽ, vt ne horum quidem absolutam haberet potestatem, nisi idem senatui visum fuisset. Suffragia autem ferebat non simul totus populus, sed per curias conuocatus: quod verò plures

curiæ comprobassent, id ad senatum referebatur. Sed nostra ætate hæc consuetudo est mutata neque enim senatus cognoscit de plebiscitis, sed senatusconsultorum ipsa plebs est arbitra. Vtra verò consuetudo sit melior, rem in medio omnibus proponimus, vt, qui voluerint, eam cõsiderent. Quum igitur munia in hunc modum distribuisset, non solum res ciuiles prudenter & ordine administrabantur, sed etiam res bellicæ celeriter & magna cum obedientia gerebantur. Quoties enim ipsi copias educere visum fuisset, neque tribuni tributim tunc erant creandi, neque centuriones centuriatim, neque magistri equitum: neque tunc exercitus erat lustrandus, aut recensendus, neque cuiquam ad ordinem aliquem proprium eundem: sed rex tribunis imperabat: illi verò centurionibus, & ab his edocti decuriones singuli milites sibi subditos educebant. Itaque, ad vnum edictum, siue totus exercitus, siue aliqua eius pars euocaretur, cum armis ad locum sibi designatum parata aderat. Romulus igitur his institutis ciuitatem instructam & ornatam, tam ad pacem quàm ad res bellicas satis habilem & idoneam reddidit: eámque hac ratione & magnam & frequentem fecit. Primùm quidem eius colonis necessitatem imposuit educandi omnem virilem prolem, & è filiabus, eas quæ primogenitæ essent. & vetuit ne vllum fœtum triennio minorem necarent, nisi, siquis infans mutilus aut prodigiosus statim in ipso partu editus fuisset. Nam non vetuit istiusmodi monstrosos partus à parentibus exponi, dummodo eos prius ostenderent quinque vicinis proximis, si & ipsi id comprobarent. In eos verò qui contra leges istas fecissent, mulctas statuit, cùm alias, tum etiam hanc, qua dimidium bonorum, quæ illi possiderent, ærario addixit.

Deinde,

Deinde, quum animaduertisset multas Italiæ ciuitates male administrari à Tyrannis & paucorum dominatu, multos qui ex illis ciuitatibus profugiebant, dummodo essent liberi, non inquirens vlterius, vel in eorum calamitates, vel fortunam: excipere & ad se traducere conabatur: eo consilio vt Romanorũ potentiã augeret, & vicinorũ vires imminueret. Hæc autẽ ille faciebat commentus speciosam causam, & rem ad dei gloriã simulatè referẽs. Locũ enim qui est medius inter capitoliũ & arcẽ (qui hodie Romano sermone appellatur interstitium duorũ lucorũ) & qui tunc à re ipsa id nomen habebat, ob syluas dẽsas opacũ, ab vtroq; latere, quod eos colles cõiungit, conseruauit, & asylũ supplicibus aperuit: & ibi extructo templo (sed cui deorum aut geniorũ, nihil certi habeo quod asserã) confugientibus in hoc templũ supplicibus, per speciem pietatis in deos spopondit fore vt nullã ab inimicis iniuriã paterẽtur, & si apud se manere vellent, iura ciuitatis & partem agri, quem hostibus adeptũ quæsisset, ipsis impertiretur. Illi verò vndique confluebant, fugientes domestica mala, nec alio amplius migrabãt, quia quotidianis colloquiis & beneficiis ab eo detinebantur. Tertium etiam fuit Romuli institutum, quod præcipuè Græcos exercere opportuisset, vt omnium institutorum præstantissimum (quemadmodum ego iudico), quod etiã fuit Romanæ libertatis firmissimũ fundamentũ, quó quenon minimum profuit ad res quæ ad parandum imperiũ pertinent: hoc videlicet, quo vetuit omnes puberes in vrbibus bello captis trucidari aut in seruitutem ipsos ciues rapi, aut agrum earum desertum relinqui, &, quo iussit colonos in eas mitti, agrique partem ipsis assignari, vrbesque deuictas fieri Romanorum colonias, & nonnul-

lis etiam ius ciuitatis dari. His igitur atque aliis huiusmodi institutis Romulus colonian ex parua magnam effecit, vt ipsa res indicat. Qui enim cum eo Romam cõ diderunt, non erant plures quàm bis mille pedites, & pauciores quàm trecenti equites: qui verò relicti ab eo fuerunt, quum ex hominum conspectu sublatus est, erant quadraginta & sex millia peditum, & equites non multò pauciores quàm mille. Quum autem ipse horum institutorum autor fuisset, cùm reges eius successores in repub. gubernanda eandem rationem sunt sequuti, tum etiam, qui magistratus annuos post illos gesserunt, addentes & alia quædam: ita vt populus Romanus nulla gente, quæ hominum multitudine abundantissima haberetur, numero inferior esset. Dum autem Græcorum mores cum his confero, non possum vllo modo laudare illam consuetudinem Lacedæmoniorum, & Thebanorum, & Atheniensium, qui de se ob sapientiam magnificentissimè sentiunt: qui, quòd suam nobilitatem retinere vellent, nec vlli, nisi rarò iura suæ ciuitatis impertirẽtur (illud enim omitto, nonnullos etiam solitos esse hospites expellere) non solùm nihil commodi ex hac sua arrogantia percepe runt sed etiam maxima propter eam damna acceperunt. Spartani certè post cladem in prælio ad Leuctra acceptam, in quo mille & septingentos viros amiserunt, ob istam calamitatem nunquam postea ciuitatem suam in integrum restituere potuerunt, sed imperium cum ignominia amiserunt. Thebani verò & Athenienses, ob enẽtum infelicem vnius prælij ad Chæroneam commissi, simul & Græciæ principatu & libertate patria à Macedonibus spoliati fuerunt. At Romanorum resp. quamuis in Hispania & Italia magna bella gereret, & occupata

cupata esset in recuperãdis Sicilia & Sardinia, quæ de fecerant: quamuis etiam Macedoniæ & Græciæ res ei aduersarentur, & Carthago principatum demùo affectaret. & Italia non solùm pene tota iam defecisset, sed etiam contra populum Rom. accerseret id bellum quod fuit vocatum Annibalis: quamuis unquam uno eodémque tempore in tot pericula incidisset, non solùm tamen non est afflicta illis casibus, sed etiam inde longè maiorem, quàm anteà potentiam sibi comparauit, militum magnum numerum ad quæuis grauia discrimina semper sufficiens: sed non (vt quidam arbitrantur) fortunæ beneficio. Siquidẽ quod ad eam attinet, funditus periisset ob vnam illam cladem ad Cannas acceptam, quum ei sex millibus equitum, trecenti & septuaginta reliqui facti fuerunt: ex peditum verò octoginta millibus in publicũ exercitum conscriptis, paulò plures quàm ter mille incolumes euaserunt.

3 ¶ Hæc igitur in illo viro demiror, & ea præterea quæ sum dicturus: quòd quum animaduertisset ciuitatum felicitatis eas esse causas, quas omnes quidem polliciti prædicãt, sed tamẽ pauci assequũtur: primũ deorum benevolentiam, qua præsente omnes res hominum in melius cedunt: deinde temperantiam & iustitiam, ob quas homines se minus mutuò lædentes magis sunt cõcordes, & felicitatẽ non fædissimis voluptatibus, sed honestate metiuntur: postremò verò bellicã fortitudinem, quæ effecit vt & aliæ virtutes ipsis earum possessoribus sint fructuosæ: existimauit, vnũquodq; horum bonorũ nõ fortuitò contingere: sed vidit, bonis legibus & honestorũ studiorum æmulatione, piam & temperantẽ & iustã, & re bellica præstantẽ ciuitatẽ reddi. Itaq; in istas res plu-

rimũ curæ impendit, ducto initio à deorũ & geniorum cultu. Templa igitur, & fana, aræq; & simulacrorũ delubra, eorumq; effigies, & insignia, & potestates, & dona quæ in humanũ genus cõtulerunt, & dies festos, quos cunq; vnicuiq; vel deorũ vel geniorum celebrari connexit, & sacrificia, quibus se ab hominibus coli gaudẽt, & ferias, & celebritates, & laborũ quietẽ, & omnia istiusmodi instituit, sequutus optimos quosq; Græcorum ritus. Traditas autẽ de ipsis fabulas, in quibus sunt maledicta, aut crimina in eos sceleſtas, inutiles, & turpes ratus, & non solum diis, sed ne hominibus quidẽ probis dignas, omnes reiecit: & ciues suos assuefecit ad optimè de diis & loquendũ & sentiendum, nullum beata natura indignum studium ipsis attribuentes. Neq; enim Cœlus exectus à suis liberis apud Romanos auditur, neque Saturnus proprios natos absumens, quòd metuat ne illi vim sibi afferant: neque Iupiter, Saturni regno euerso, inclusum patrem suum in Tartari carcere detimens: neq; bella, neq; vulnera, neque vincula, neque deorum seruitutes apud homines. Et nullus dies festus apud ipsos atratus aut lugubris agitur, habens planctus & luctus muliebres, ob deos raptos: vt à Græcis fit in Proserpinæ raptu, & in Bacchi casibus, & alia huiusmodi. Neq; quispiã videat apud eos, (quamuis mores iam sint depraua ti) aut homines numine afflatos, aut furores corybãticos, aut cœtus clãdestinos, aut bacchanaria, & mysteria occulta, aut vigilias nocturnas virorũ cum mulieribus in tẽplis mixtorũ, aut vllum aliud istiusmodi monstrũ, sed videat, cautè omnia quæ ad deos spectãt, & fieri & dici, præter Græcarũ, & barbararũ gentiũ morẽ. Et (quod omniũ maximè ego sum miratus) licet innumeræ gentes in vrbem venerint, quibus omnino necesse est colere deos

patrios ritu domestico, nulla tamen peregrina sacra hæc ciuitas est æmulata, ita publicè ea sint receptа: (id quod multis vrbibus iam accidit) sed etiã siqua sacra, oraculis iubentibus in rempub. introducũtur, suis ritibus ciues ea colunt, reiectis omnibus fabulosis superstitionibus: cuiusmodi sunt sacra matris Idææ. Quotannis enim prætores, ex Romanorũ institutis illi sacrificia & ludos faciunt. Sacra aũt eius peragunt vir Phrygius & mulier Phrygia: & isti per vrbem ea circunferunt, matri deorum stipem cogentes, vt mos eorum fert, de pectore pendentes imagines gestantes, & ad modulos eorum qui tibiis ludẽtes ipsos sequuntur, & matris magnæ carmina canunt, incedentes, & tympana pulsantes. Nullus enim est Romanus indigena qui matri magnæ stipem cogat, aut qui ad sonum tibiarum per vrbẽ incedat indutus veste varia, aut Phrygiis ceremoniis deam colat, idque ex lege vel senatusconsulto. Adeò prudenter ab omnibus externis deorum ritibus ea ciuitas sibi cauet, & ab omni vana superstitione, in qua nihil decori ineſt, abhorret. Nequis tamen existimet me ignorare, aliquas fabulas græcas hominibus esse vtiles: alias quidem, quòd naturæ opera per allegorias demonstrent: alias verò, quòd ad humanarum calamitatum consolationem compositæ fuerint: alias verò, quòd eximant animi perturbationes, & terrores, & nonsanas opiniones euellãt: alias verò, quod ad aliquam aliam vtilitatem sint confictæ. Sed licet hæc ego æquè bene atque alius quiuis sciam, tamen in istis cautè me gero, & Romanorum theologiam potius probo: cogitans commoda quæ ex græcis fabulis prouenium, parua esse, nec multis prodesse posse, sed iis tantùm qui in causas cur illæ compositæ

fuerint, inquirunt. Pauci autem sunt qui huius philosophiæ sint participes: sed vulgaris turba, quæ magna est, quæq; huius philosophiæ est imperita, solet in deteriorem partem accipere quæ de illis dicuntur: eique horum alterum accidere solet, vel vt deos contemnat, vt magna infelicitate implicitos, vel à nullis fœdissimis & maximè scelestis facinoribus abstineat, quòd vel ipsos deos his obnoxios esse videat. Sed hæc quidem illis qui hanc solam partem contemplationis à philosophia separant, considerandæ relinquantur. Quod verò ad rempub. à Romulo constitutam attinet, hæc quoque memoratu digna existimauit primùm, quòd multos diuino cultui addixit. In alia certè recèns condita vrbe tot sacerdotes, & deorum ministros statim creatos nullus demonstrare posset. Nam præter eos qui sacerdotia gentilitia habebant, alij sexaginta, qui publica sacra pro ciuitate & tributim & curiatim facerent, illo regnante constituti fuerunt. Ea autem dico quæ Terentius Varro in suis antiquitatibus scripsit, vir omnium, qui ea ætate floruerint, peritissimus. Deinde quòd, quum alij malè quodammodo & inconsideratè plerumque eligant sacerdotes, & alij censeant huius honoris pretium vocì præconis subijciendum, alij verò sacerdotia sorte diuidant, ipse sacerdotia neque venalia esse, neque sorte diuidi voluit: sed legem tulit, qua iussit ex singulis curiis creari duos, qui annum ætatis quinquagesimum iam præterijssent, qui & genere aliis præstarent, & virtute essent insignes, & censum sufficientem haberent, & corpore essent integro. His autem non ad certum aliquod tempus, sed quandiu viuerent hos honores concessit, cósque militiæ, ob ætatem, & negotiorum vrbanorum ob

rum ob legem immunes fecit. Quoniam autem nonnulla etiam sacra per mulieres fieri oportebat, & alia per pueros patrimos matrimósque, vt hæc quoque optimè peragerentur. iussit vxores sacerdotum cum suis maritis sacerdotio fungi, & siqua sacra nefas esset patrio more à viris fieri, hæc ab illis peragi, eorúmque liberos ministeria publica, & debita obire iussit. Illis verò qui sine liberis essent permisit, vt ex aliis familiis, ex singulis curiis elegantissimos, puerum & puellam eligerent: hunc quidem, ad pubertatem vsque in sacris ministrum futurum: illam verò, quandiu in virginitate mansisset. Et hæc quoque (vt credo) ex Græcorum institutis in suam rem p. introduxit. Quæcumque enim illæ quæ κανηφόροι, id est, canistriferæ appellantur, in græcis sacris faciunt, hæc ipsa apud Romanos peragunt illæ quæ virgines Vestales vocantur. Hoc autem faciunt caput habentes ornatum eorollis, cuiusmodi sunt illæ quibus Ephesiæ Dianæ simulacra apud Græcos ornantur. Quæcumque verò apud Hetruscos, & multo antè apud Pelasgos faciebant in Curetum, & magnorum deorum sacris, illi qui ab ipsis Cadoli appellantur, hæc eodem modo ministrabant sacerdotibus: qui nunc à Romanis vocantur Camilli. Præterea iussit ex vnaquaque tribu vatem vnum sacris interesse. quem nos ἱεροσκόπον vocamus: ipsi verò Romani, exigua quædam prisca appellationis vestigia retinentes, aruspicem appellant. Omnes autem sacerdotes, & deorum ministros lege lata iussit à curiis eligi, & confirmari ab illis qui deorum voluntatem per vaticinia interpretantur. His que constitutis quæ ad diuinum cultum pertinent, rursus, vt dixi, valdè appositè dimisit sacra curiis: assignans singulis

deos & genios, quos perpetuò colere deberent: & certam pecuniam ad sumptus in sacra faciendos constituit, quæ ipsis ex ærario daretur. Et curiæ cum sacerdotibus sacrificia sibi attributa faciebant, & una epulabantur diebus festis in curiali domo, cœnaculum enim singulis curiis erat extructum, & præter id consecrata erat quædam (vt apud Græcos prytanea) domus communis omnibus curiis: ipsáque cœnacula curiæ vocabantur, & ad hanc vsque ætatem ita appellantur. Hoc autem institutum videtur mihi sumpsisse ex Lacedæmoniorum disciplina, quæ eo tempore ibi vigebat in sodalitiis: quam ipse Lycurgus à Cretensibus edoctus introduxisse, & quam plurimùm reipub. suæ profuisse videtur. Nam hoc modo pacis tempore ciues ad frugalitatem & temperantiam quotidiani victus assuefecit: at in bello vnicuique pudorem & cautionem iniecit ne suum socium desereret, cum quo libasset & sacrificium fecisset, & communium sacrorum particeps fuisset. Ille autem vir non solùm laudandus est ob sapientiam, qua in his rebus est vsus, sed etiam ob sacrificiorum frugalitatem, quibus deos coluisse: quorum maxima pars vsque ad hanc nostram ætatem permanet, licet non omnia prisco more fiant. Equidem vidi in sacris ædibus cœnas diis appositas in antiquis mensis ligneis, in canistris & in catinis fictilibus hordacea liba, & placentas, & far, & fructuum quorundam primitias, & alias eiusmodi res tenues & paratu faciles, & ab omni inepta magnificentia remotas. Vidi etiam libationes fieri non in argenteis, aut aureis vasis, sed in testaceis calicibus, & vtcis: & valde

valde eos homines sum admiratus, quòd patrios ritus constanter seruent, nihil priscorum sacrorum in insolentem luxum commutantes. Sunt etiam quædam quæ Numa Pompilius Romuli successor instituit memoratu digna, vir prudentissimus, & rerum diuinarum interpres præstantissimus, de quibus posteà agam: & Tullus Hostilius, qui tertius à Romulo regnauit, & omnes reges illius successores: sed Romulus semina & principia illis præbuit, & cultus diuini præstantissimos ritus constituit.

4 ¶ ILLE etiam videtur reliquæ disciplinæ, qua usi Romani reipub. suæ felicitatem ad multas ætates constanter retinuerunt, author fuisse, latis legibus honestis & vtilibus, quarum maxima pars nullis scriptis est mandata: nonnullæ etiam sunt scriptæ, quas omnes à me recenseri non est opus: sed quas maximè sum admiratus, & ex quibus existimari facilè cognosci posse quanta fuerit illius viri in omnibus legibus condendis prudentia, & quàm seuerus & vtilis infensus fuerit, & quomodo proximè ad illud vitæ heroicæ genus accesserit, & paucis commemorabo: vbi prius illud dixero, me existimare omnes eos qui & barbaras & Græcas respubl. constituerunt, commune quidem bonum rectè vidisse, omnem ciuitatem, quæ ex multis familiis constat, verisimile esse tunc florere quum priuatorum res florent: & contra magnis tempestatibus agitari, quum res vniuscuiusque priuati se male habent: & oportere eum qui mente sit præditus, peritúsque reipubl. administrandæ, siue is sit legislator, siue rex, eas leges ferre

quæ iustam & temperantem priuatorum vitam efficiant. Sed quibus studiis, quibúsve legibus id fieret, non etiam æquè omnes intellexisse mihi videntur. Sed alij quidem multum, imò penitus, (vt ita dicam) in maximè necessariis & præcipuis legislationis partibus errasse. Et ne longius abeam, quum agitur de nuptiis & consuetudine virorum cum fœminis (vnde oportet legislatorem initium ducere, quemadmodum ipsa natura inde vitam nostram conciliare cœpit,) alij quidem exemplum à brutis sumentes, solutos & communes concubitus maris cum fœmina fecerunt, quòd hoc modo humanam vitam ab amatorijs furoribus à se liberatum iri putarent, quódque zelotypiam mutuarum cædium causam esse iudicarent: denique, quòd homines à multis aliis malis, quæ & priuatas domos, & integras ciuitates, propter mulieres solent inuadere, à se liberari posse existimarent. Alij verò expulerunt è ciuitate preter uos istos & belluinos concubitus, viros singulos cum singulis mulieribus coniungentes, sed vt matrimonium & mulierum pudicitia conseruaretur, nullis legibus nullisque verbis aut asperioribus aut mitioribus cauere sunt ausi: sed ab ea re, quasi nulla ratione fieri posset, abstinuerunt. Alij verò, neque rebus venereis omnem licentiam dederunt, vt quidam barbari: neque tamen passi sunt, vt Lacedæmonij, vxores esse incustoditas: sed leges multas tulerunt quæ earum castitatem conseruarent. Sunt etiam qui magistratum quendam constituerint, cui mulierum castitas cura esset, ipsorum tamen prouidentia huic castitati seruandæ non satis prospexit, sed remissior fuit quàm oportuit: neque potuit, eos qui essent malæ naturæ homines, cogere vt temperanter

viuerent.

viuerent. At Romulus, quum neque viro actionem concessisset contra uxorem, quæ stuprum fuisset passa, aut quæ iniuste domum reliquisset: neque uxori quæ maritum rei male administratæ aut iniusti repudij accusasset: neque de dote restituenda, aut asserenda, ullas prorsus leges tulisset, neque ullam aliam istiusmodi rem determinasset, sed unam tantùm ad omnia accommodatam legem (ut ipsa res docuit) constituisset, effecit ut mulieres valde modestæ & pudicæ essent. Lex autem hæc erat, Mulierem neptam quæ ex sacratis legibus in manum mariti conueniset, cum eo omnium & bonorum & sacrorum participem esse. Vocabant autē antiqui sacras nuptias, Romana quadam appellatione rē exprimentes, confarreationem, à farris communicatione, quod nos ζεα vocamus. Et quemadmodum nos Græci hordeum existimantes omnium frugum antiquissimum, in sacrificijs ab hordeo initium ducimus, vocantes id ἀπὸ ἀλῶν: ita Romani existimantes far esse omnium frugum pretiosissimum, & antiquissimum, ab hoc in omni sacrificio, in quo victima creinatur igne, initium faciunt. Ea enim consuetudo adhuc manet, nec ad priscam illam frugalitatem quidquam additum est. Quid igitur mulieres cum viris sacratissimi & primi cibi fierent participes, & valde bona fortuna conuenirent, ea res appellata fuit, farris communicatio, quæ virum & uxorem necessario coniugij inseparabilis vinculo coniungebat: & nihil erat quod has nuptias posset dissoluere. Hæc lex coëgit mulieres nuptas, vtpote quæ nullū aliud refugiū haberēt, ad vnius sui mariti mores vitam suam conformare, & ipsos maritos, vt rem necessariam & à qua nullo modo diuelli possent, uxorem retinere. Vxor enim si pudica

fuisset, & marito in omnibus rebus morem gessisset, erat familiæ domina æquè atque ipse vir, & in eius defuncti bona vt filia in patris hæres succedebat. Et si sine liberis & intestatus obisset, erat omnium bonorum relictorum domina: sin autem liberos habuisset, ex æquo cum liberis bonorum particeps erat. Si qua autem in re deliquisset ipsum qui iniurias passus erat, iudicem habebat, qui pœnæ magnitudinis erat arbiter. De his verò cognoscebant ipsi cognati cum viro, vbi violata fuisset pudicitia, & (quod omnium peccatorum leuissimum Græcis videretur) si quam mulierem vinum bibisse constitisset. Romulus enim hoc vtrumque, vt muliebrium delictorum grauissimum, puniri iussit: quia stuprum, dementiæ, eòrietatem verò, stupri originem esse iudicauit. Et diu durauit hoc vtrumque apud Romanos, ita vt inexorabilis esset ira. Quod autem lex illa de mulieribus lata præclara fuerit, ipsa temporis diuturnitas fidem facit. Hoc enim confessum est, intra quingentos & viginti annos Romæ nullum matrimonium dissolutum fuisse. Sed centesima trigesima septima olympiade, M. Pomponio, & C. Papyrio Coss. primus vxorem repudiasse fertur Sp. Caruilius, vir non obscurus, coactus à Censoribus iurare se liberorum suscipiendorum gratiâ vxorem dimittere: eius enim vxor erat sterilis. Qui tamen ob hoc factum, quamuis esset necessarium, in perpetuum exosus fuit populo. Atque hæ sunt præclaræ leges quas Romulus de mulieribus tulit, quibus eas erga suos maritos modestiores reddidit. Leges verò, quas tulit de liberorum reuerentia & pietate erga parentes, vt eos colerent omnia eorum imperata facientes, longè maiorem quàm hæc ipsa grauitatem & splendorem habet, & no-

stra

stras leges longè superant. Qui enim græcas reŭpub. formas constituerunt, quoddam tempus admodŭ breue statuerunt patriæ potestatis in liberos: alij quidē donec tertium pubertatis annum expleuissent: alij verò quandiu cœlibes mansissent: alij verò donec eorum nomē inter viros, & eos qui ad magistratus gerēdos sunt idonei, publicè relatum esset, vt ex Solonis & Pittaci & Charondæ legibus acceperant, quorum ingens sapientia omnibus est testata. Et in contumaces liberos pœnas statuerunt non graues, permittentes patribus vt illos domo expellerent & exhæredarent, præterea nihil. Sed pœnæ leues non possunt refrænare iuuētutis insaniam, & ingenij ferocitatē: neque possunt rerum honestarum contemptores ad temperantiam reducere. Quare apud Græcos multa in parentes turpia liberi committunt. At Romanorum legislator, omnem (vt ita dicam) potestatē in filium patri concessit, idque toto vitæ tempore, siue eŭ in carcerem conijcere, siue flagris cædere, siue vinctum ad rusticum opus detinere, siue occidere vellet: licet filius iam rempub. administraret, & inter summos magistratus censeretur, & propter suum studium in rempub. laudaretur. Certè ex hac lege, viri illustres, conciones pro rostris habentes senatui quidem aduersarias, plebi verò gratas, & propterea valde celebres, è suggesto detracti à patribus abducti fuerunt, pœnas eorum arbitratu daturi: quos, quum per medium forum abducerentur, nullus eorum qui aderant poterat eripere, non consul, non tribunus plebis, non ipsa turba, cui illi assentabantur, licet aliam omnem potestatem sua minorem existimaret. Non dicam enim omnem quot viros fortes ipsi patres interfecerint, qui virtute & animi quodā ardore impulsi sunt

ad aliquod generosum facinus edendum, præter patrum mandatum: quemadmodum de Manlio Torquato, & multis aliis accepimus, de quibus suo loco dicemus. Neq; Romano legislatori hoc satis fuit, quòd hanc potestatem patri dedisset, sed etiam ei filium vendere permisit: nihil eo deterritus quòd homines hanc potestatem patri concessam crudelem essent iudicaturi, & grauiorem quàm naturalis affectus & amor patiatur. Et (quod maximè quis admiretur in dissoluta Græcorum disciplina educatus, vt acerbũ & tyrannicum) hoc quoque patri cõcessit, vsque ad tertiam venditionem ex filio quæstum facere, data patri in filium maiore potestate, quum domino in mancipium. Nam seruus semel venditus, deinde libertatem adeptus in posterum est sui iuris: at filius à patre venditus, si liber fuisset factus, redibat in potestatem patris: & iterum venditus, & libertate donatus seruus patris vt antè fiebat. Sed post tertiam demum venditionem ex patris potestate exibat. Hanc legem prisci illi reges, siue scriptam, siue non scriptam (neque enim certi quidquam possum afferre) omnium præstantissimam ducentes obseruarunt. Sed sublato regno quum primùm populo R. visum est omnes patrios mores & leges vnà cum ascititiis in foro palàm omnibus ciuibus proponere, ne ius publicum cum ipso magistratuum dominatu interciderent, decemuiri, quibus à populo potestas data fuerat colligendarum & conscribendarum legum, eam inter cæteras retulerunt: & extat in quarta illarum XII. tabularum, quæ in foro positæ ita vocantur. Quòd autem non decemuiri, qui trecentis post annis legum conscribendarum causa creati fuerant, primi in rempub. Romanam hanc legem introduxerint, sed

sed multò antè latam & receptam tollere ausi non fuerint, cùm ex multis aliis colligimus, tum verò præcipuè ex Numæ Pompilij legibus qui post Romulum regnauit: in quibus etiam ita scriptũ est, SI PATER PERMISERIT FILIO VXOREM DVCERE, QVAE EX LEGIBVS PARTICEPS SIT, ET SACRORVM, ET BONORVM, PATRI POSTHAC NVLLVM IVS ESTO VENDENDI FILIVM. Quod non scripsisset, nisi per reliquas omnes superiores leges patri filium vendere licuisset. Sed de his satis. VOLO autem summatim & aliud Romuli egregium institutum percurrere, quo priuatorum vitam ornauit. Quum enim animaduerteret, cœtus ciuiles vt temperanter viuerent, & iustitiam lucro anteponerent, & labores cum tolerantia exercerent, & virtutem omnibus rebus pretiosiorem existimarent, verborum doctrina non facilè adduci (quòd maior horum pars sit intractabilis) sed consuetudine operum, quæ homines ad vnamquamque virtutem ducunt: & quum sciret, eos qui coacti potius quàm sponte ad ea accederent, si nullum esset impedimentum, redire ad suũ ingenium, artes sedentarias ac illiberales, & quæ ad fœdas cupiditates impellerent, vt corpus & animum hominum eas exercentium perdentes & labefactantes, seruis & exteris exercendas dedit: & diu apud Romanos hæc opera habita sunt ignominiosa, nec vllus indigena ea exercuit: duo verò sola studia ingenuis hominibus reliquit, agriculturam, & bellicam artem: quia videbat horum vitæ generum beneficio homines venti imperare, & illicita venere minùs capi & quæstus sequi non eos, qui ex iniurijs mutuis fiunt, sed eos qui ex hostibus emo-

lumenta afferunt. Ratus autem hoc vtrunque vitæ genus, si alterum ab altero separaretur, imperfectum & litigiosum esse, non attribuit aliis quidem agrum colendum, aliis verò, hostium res agendas & ferendas, vt mos Lacedæmoniorum ferebat: sed eosdem & bellicam & rusticam vitam exercere iussit. Pacis quidem tempore ad rusticæ opera omnes assuefaciens, nisi quando mercatu opus ipsis fuisset, (tunc enim patiebatur eos in vrbem conuenientes mercatum exercere, & negociari, nono quoquo die ad nundinas destinato) belli verò tempore eos militare docens, & neutros alteris cedere aut in laboribus aut ipsis lucris. Ex æquo enim diuidebat illis agrum quem hostibus ademissent, & mancipia, & pecunias: & ad expeditiones lubenti animo suscipiendas paratos reddebat. De iniuriis autem inter eos vltrò citróque illatis & acceptis nulla interposita dilatione statim cognoscebat. partim ipse per se de iis iudicans, partim aliorum iudicio eas permittens: & in eas pro delicti magnitudine pœnas statuebat. Et quum videret ipsum metum homines ab omni facinore deterrere maximè posse, multa ad eam rem parauit, & tribunal, vbi sedens iudicabat, in fori loco maximè conspicuo, & milites numero trecentos, qui ipsum sequebantur. Speciem maximè formidabilem & virgas, & secures à duodecim licloribus prælatas, qui verbera promeritas in foro cædebant, & ceruices illorum qui grauissima scelera patrassent in omnium conspectu percutiebant. Hæc igitur fuit reipub à Romulo constitutæ forma. ex his enim facilè de reliquis etiam coniecturam ducere possumus.

5 ¶ RELIQVAE verò res ab illo vir tam militiæ quàm domi gestæ, quarum etiam quia is in

historia scribenda rationem haberet, ferè huiusmodi fuisse traduntur. Quum undique multæ gentes & magnæ & bellicosæ essent urbi finitimæ, quarum nulla Romanis amica erat, has per connubia sibi conciliare volens (qui mos contrahendæ amicitiæ à priscis firmissimus habebatur,) & cogitans, eas ciuitates nunquam ultrò secum amicitiam inituras, utpote cum nouis colonis, qui neque opibus valerent, neque vllum præclarum facinus edidissent, sed vi allata cessuras (præsertim si in ipsa vi inferenda omnis contumelia abesset) decreuit (quod etiam Numitor auus eius probauit) captis non paucis virginibus connubia facere. Quare quum hæc statuisset, primùm deo consiliorum occultorum præsidi, si ex animi sententia ille conatus sibi successisset, vouit, se quotannis sacrificium facturum, & dies festos celebraturum: deinde re ad senatum relata, quum ipsi quoque patres id consilium probassent, diem festum, & ludos solennes Neptuno se facturum indixit, & dimisit circa vicinas vrbes qui vocarent quicumque vellent & conuentus & certaminum esse participes. etenim varia certamina tam equorum quàm virorum commissuri erant. Quum itaque multi peregrini conuenissent ad eam celebritatem cum vxoribus & liberis, post sacrificia & certamina Neptuno peracta, postremo die, quo illum conuentum erat dimissurus, iuuenibus imperauit vt simulatque ipse signum dedisset, raperent virgines quotquot ad illa spectacula venissent, in quas quisque incidisset, & illam noctem castas seruarent. sequenti verò die ad se adducerent. Iuuentus igitur Romana catervatim diuisa, postquam signum de quo inter eos conuenerat elatum vidit, ad virgines rapiendas discurrit. Statim

autem peregrinorum tumultus & clamor exortus est, quòd grauius aliquod malum sibi impendere suspicarentur. Sequenti die virginibus productis Romulus consolatus earum mœstitiam, docuit, non iniuriæ, sed connubij causa ipsas raptas fuisse: & demonstrauit morem istũ & Græcum, & antiquum esse, istámque rationem omnium, quibus inter viros & mulieres matrimonia contrahuntur, esse maximè insignem. Quare rogauit eas vt viros sibi à fortuna datos diligerent. Postea verò numeratis puellis, & sexcentis octoginta & tribus inuentis, delegit totidem viros cœlibes, quibus eas in matrimonium dedit, patrio vniuscuiusque more, nuptias inter eos his conditionibus concilians, vt ignis, & aquæ eiusdem participes esset: quemadmodum adhuc & nostra ætate fit. Non nulli autem hæc anno primo regni Romuli accidisse tradunt: at Cn. Gellius quarto, quod etiam verisimilius est. Absurdum enim esset dicere, vrbe recens condita ipsum principem ante ciuitatis statum constitutum tantum facinus aggressum fuisse. Et raptus causam alij quidem ad mulierum penuriam referunt, alij verò ad belli occasionem hoc modo quæsitam. Quorum verò scripta proximè ad veritatem accedunt, quibus & ego assentior, aiunt hoc accidisse vt necessitudo cum vicinis ciuitatibus contraheretur. Illum autem diem festum tunc à Romulo consecratum, mea etiam ætate Romani celebrabant, Consualia vocantes; quo die ara subterranea ædificata iuxta maximum Circum, terra circum circa fossa: & sacrificiis, & primitiis, quæ igne adolentur, colitur & decoratur: & certamen equorum & iunctorum & non iunctorum committitur. Deus autem in cuius honorem hæc faciunt, à Romanis vocatur Consus, qui (si nostra

lingua

lingua vocẽ interpretemur) erit, vt nõnulli aiũt, Ποσειδῶν σάισχθων. id est, Neptunus terræ quassator, & propterea dicunt ei aram subterraneam fuisse consecratam: quia iste Deus terram in sua potestate habet, cámque ambit. Ego verò & aliam hac de re hominũ opinionem scio, quia audiui festum diem Neptuno celebrari, & certamen equestre in huius dei honorem fieri: illam verò aram subterraneam deo cuidam ignoto, consiliorum occultorum præsidi & custodi, postea fuisse consecratam. Neptuno enim aram occultam nusquam terrarum aut à Græcis aut à barbaris dicatam fuisse scio. Difficile verò est rei veritatem dicere. Quum autem de virginum raptu & earum connubiis fama ad vicinas ciuitates manasset, alias quidem ob id facinus indignatio inuasit: aliæ verò & qua mente id factum fuisset, & quem finem res habuisset, secũ reputantes æquo animo id tulerunt. Res tamen aliquantò post erupit in bella: quorum cætera quidem leuia fuerunt, sed vnum cum Sabinis gestum magnum & graue fuit. Horum tamẽ omniũ felix fuit finis, quemadmodum oracula illi prædixerant antequam rẽ aggrederetur: quæ labores quidem & periculæ ingentia subeunda, sed tamen horum felicem exitum fore significarant. Ciuitates verò quæ primæ bellum ei intulerunt, hæ fuêre, Cænina & Antemnæ, & Erustumerium, quæ prætendebant illæ quidem ipsarum virginum raptum, & earum vindictam: sed reuera molestè ferebant Romam conditam, & magna incrementa quæ breui temporis spatio ceperat, & commune omnium accolarum malum, & vires colligere minimè ferendum putabant. Tunc igitur ad Sabinorum gentem missis legatis petierunt vt ductu auspiciisque suis istud bellũ susci-

perent: quòd & maximas vires haberent, & opibus essent cæteris longè potentiores, & se dignos censerent qui vicinis populis imperarent: præcipuè verò quòd maximam omnium iniuriam accepissent: raptarum enim virginum maior pars illorum erat. Sed quum nihil proficerent, quòd Romuli legati ipsis resisterent, & verbis, & re ipsa gentem eam delinirent, temporis moras ægrè ferentes, cunctantibus semper Sabinis, & belli consilia in longum tempus differentibus, ipsæ per sestatuerunt Romanis bellum inferre, ratæ suas copias sufficere, si tres ciuitates in vnum vires suas contulissent, ad vrbem vnam, eámque non magnam, expugnandam. Atque hæc quidem illæ decreuerunt, non tamen conspectæ fuerunt omnes in vnis castris congregatæ, quia Cæninenses promptiùs quàm alij copias ex suis finibus eduxerant, qui etiam præcipui autores belli inferendi esse videbantur. Quum igitur isti ex suis finibus exercitum eduxissent, & agrorum finitimum vastarent, Romulus eductis copiis hostes incautos ex improuiso aggreditur, & castris eorum vix dum munitis potitur, hærénsque vestigiis eorum qui in vrbem refugiebant, antequam oppidani suorum cladem audirent, muros incustoditos nactus, & portas apertas, primo impetu vrbem capit, & Cæninensium regem, qui ipsi obuiam venerat cum valida manu, pugnans propria manu obtruncat, armisque spoliat. Hoc autem modo vrbe capta, iussis ciuibus arma tradere, & obsidibus quos voluerat acceptis, in Antẽnates est profectus. Quũ autem illorum etiam copias adhuc palantes & in prædã intentas, vt superiores, insperato aduẽtu adortus superasset, & captiuos eodẽ modo tractasset, domũ exercitũ reduxit, spolia in prælio hostib. detracta, & prædæ primitias

diis

diis ferens, quibus etiam ex manubijs multa sacrificia fecit. Ipse verò pompam extremus claudebat, veste purpurea indutus, & lauream in capite gestans, & quadrigis inuectus, & vt regiam maiestatem seruaret. Reliquæ verò tum pedestres tum equestres copiæ eum sequebantur, acie instructa, & patrijs hymnis deos celebrantes, & carminibus ex tempore compositis suum ducem laudãtes. Ciues verò ex vrbe cum coniugibus & liberis ab vtraque viæ parte ei obuiam venerunt, vt ei ob partam victoriam congratularentur, & omni comitate eum excipe rent. Postquam verò exercitus vrbem est ingressus, offerdit crateras vini plenos & mensas variis cibis onustas, quæ ante illustrissimorum virorum ædes positæ erant, vt quilibet se satiaret. Pompa igitur, & sacrificium, quod ob partam de hostibus victoriã, & trophæũ de illis erectũ diis fieri solet (id quod Romani vnico vocabulo triũphum nominant) à Romulo primum institutum tale fuit. Nostra verò ætate triumphus magno luxu & fastu quodam tragico agitur ad diuitiarum potius ostentationem, quàm ad virtutis opinionem, omni pristina frugalitate neglecta. Post triumphum autem & sacrificium peractum Romulus quum in vertice collis Capitolini templum non magnum Ioui ædificasset, quem Romani Feretrium vocant, (adhuc enim extat eius vestigium vetus, quod habet latera minora quidem magnitudine quinum pedum, maiora verò denũm) in hoc spolia regis Cæninensiũ, quem propria manu confecerat, cõsecrare statuit. Iouem autem Feretriũ, cui Romulus arma consecrãsuit siue quis Τροπαιοῦχον, siue Σκυλεσφόρον, (vt nonnullis placet) siue quòd omnibus excellat, & omnem rerum naturam & motum complectatur, ὑπερφερῆ τῶν voca-

re velit, à veritate nõ aberrarit. Postquã igitur rex dijs persoluit votiua sacrificia & primitias, vt illis pro parta victoria gratias ageret, antequam aliud quidpiã ageret ad senatum retulit de vrbibus captis, quidnam de illis statuendum censerent: primúsque ipse sententiam, quæ optima videbatur, protulit. Quum autem omnes qui illi consilio intererant principis sui consilia, vt tuta & præclara comprobassent, & cætera omnia commoda, quæ inde ad rempublicam redundatura essent, collaudassent, non solùm tunc sed & in perpetuum prudentiæ laudem sibi cõparauit. Quum enim iussisset eas omnes conuenire quotquot Antemnatum & Cæninensium generis erant, quæ vna cum aliis captæ fuerant, postquam illæ conuenerunt lugentes, & ad genua ipsius se prosternentes, & fortunam patriæ deflentes iussit eas fletus compescere. & tacere & sic eas est alloquutus {Vestri patres, & fratres, & integræ ciuitates extrema quæuis mala perpeti deberent quòd bellũ neque necessarium neque honestum susceperint, idque quàm nostram amicitiam maluerint; tamen nos multis de causis decreuimus moderatè cum illis agere quod timeamus deorum indignationem omnibus superbis imminentem & hominum inuidiam metuamus, & existimemus misericordiam non parum conferre ad leuandas communes mortalium miserias, quem & nosmetipsi aliorum misericordia olim indiguerimus, & vobis quæ ad hoc vsque tempus vestris maritis obsequium præstitistis ita vt de vobis conqueri non possint, hunc honorem & beneficium non paruum fore censeamus. Hoc igitur delictum ipsis cõdonamus, neque propter id pœnas reposcimus, neque libertatem neque possessiones, neque vlla alia bona vestris ciuibus adimimus,

Quinetiam

Quinetiam ijs qui ibi remanere cupiunt, aut qui huc sedes transferre malunt, permittimus vt hoc tutò faciant: & pollicemur fore vt nunquam eos huius optionis pœniteat. Sed tamen ne amplius in idem peccatum relabātur, neue vlla occasio reperiatur quæ efficiat vt illæ ciuitates amicitiam nobiscum contractam dissoluāt: remediū optimum fore putamus & ad gloriam & incolumitatem vtrisque vtile, si eas ciuitates Romanorum colonias fecerimus, & hinc eò colonorum numerum quātus sit satis miserimus. Bono igitur animo abeatis, & amore duplo maiore quàm ante viros vestros amplectamini & collatis, per quos & parentes & fratres vestri seruati sunt, & patrijs vestris libertas est concessa. ¶ Mulieres igitur his auditis perfusæ lætitia, & multis præ voluptate lachrymis effusis è foro discesserunt. Romulus verò trecētos colonos in vtramque misit, quibus illæ ciuitates tertiam agri sui partem sorte inter ipsos diuidendam dederunt. Cænimenses verò & Antemnates quotquot Romam habitandi causa migrare voluerunt cum coniugibus & liberis traduxit: ea conditione vt & agros suos retinerent, & pecunias ferrent quascunque sibi quæsissent, quos statim descriptos in tribus & curias rex tulit nō pauciores tribus millibus, ita vt tunc primùm vniuersorum peditum Romanorū sex millia censa fuerint. Cænina igitur & Antemnæ ciuitates non ignobiles à Græcis originem ducentes, (Aborigines enim eas Siculis ereptas tenuerūt, quū ipsi essent pars Oenotrorum qui, vt à me antè est dictū, ex Arcadia venerant) post hoc bellum Romanorum coloniæ sunt factæ. Romulus, his peractis in Crustumerinos exercitū duxit, qui se lōgè melius præparauerant quàm priores illi. Eos autē acie victos, & expugnatis

mœnibus in deditionẽ acceptos, quãuis in prælio se fortiter gessissent, ideo tamẽ duriùs tractare noluit: sed hanc quoque ciuitatem coloniam Romanorum fecit, vt & priores. Crustumerium autem erat Albanorum colonia, multis annis ante Romam conditam missa. Quum autem fama per multas vrbes bellicam fortitudinem ducis illius & erga victos clementiam diuulgaret, se ei adiunxerunt multi & fortes viri, & non contemnendas vires, cum totis familiis migrantes adduxerunt (à quorum duce quodam ex Hetruria profecto, cui nomen erat Cœlius, quidam collis, vbi etiã cõsedit ad hanc vsque ætatem Cœlius vocatur) & integri populi se eius fidei commiserunt ab agro Medullino initio facto, populique Romani facti sunt coloni. Sabini verò, hæc animaduertentes, indignabantur, & se mutuò culpabant, quòd Romani imperij primordijs non obstitissent. sed cum eo iam valde aucto sibi res futura esset: quare visum est illis priorem inscitiam ac negligentiam, misso valido exercitu corrigere. Et mox habito cõsilio vniuersali in vrbe maxima, & quæ plurimam in eagẽte authoritatem habebat, cui nomen erat Cures, bellum communi suffragio decreuerunt: creato exercitus duce Tito, cui cognomen erat Tatius, qui Quiritum rex erat. Sabini igitur hoc inito consilio & dimisso concilio in suas quique vrbes reuersi, res ad bellum necessarias parare cœperunt, vt vere incẽte Romam magna manu peterent. Interea verò & ipse Romulus vicissim se diligentissimè parabat, vt propulsaret viros bellicosos, murum Palatij vt tutiores essent qui in eo erant, excelsioribusque munitionibus erigens, & adiacentes illi colles Auentinum & Capitolinum (qui nunc ita vocatur) fossa & vallo firmo circumdans, vbi

greges

& reges & rusticos noctu stationem habere iussit: & utrũque satis firmo præsidio muniens, & si quis alius locus illius incolumitatem præstare poterat, eum fossa vallóque cingens & custodiens. Quidam autem vir strenuus, & rebus bellicis insignis nomine Lucumo, qui non multò antè cum eo amicitiam contraxerat ex vrbe Solonio Hetrusca auxilia satis firma adduxit. Et ab Albanis venerunt multi & milites & ministri, & bellicorum armorum artifices, quos auus ipsi miserat. Cõmeatus verò, & arma, & quæcumque alia huiusmodi ad bellum necessaria erant, omnia suppeditabantur. Vtrisque verò ad bellum paratis, quum vere ineunte Sabini copias educturi essent, legatos ad hostem mittere decreuerunt, qui mulieres repeterent, & earum raptores ad supplicium deposcerent: vt ita necessitate coacti bellum suscepisse viderentur, quod ius suum obtinere nõ potuissent. Atque caduceatores horum causa miserunt. At Romulo rogãte vt sinerent mulieres cum viris suis manere, præsertim quum non inuitæ cum illis vitam degerent: quod si quid aliud postularent, id vt ab amicis accíperent: nec bello se lacesserent: illi his omnibus postulatis contemptis exercitum eduxerunt, peditum viginti quinque millia, equites non multò pauciores quàm mille. Romanorum verò copiæ Sabinis non multò inferiores erant, peditum viginti millia, equites octingenti. Et castra ante vrbem in duas partes diuisa posuerant, atque harum altera pars collem Esquilinum occuparat (vbi & ipse Romulus erat:) altera verò Quirinalem, qui nondum ita appellabatur, cui Lucumo dux Hetruscorum præerat, Tatius autem rex Sabinorum, cognito ipsorum apparatu, noctu motis castris exercitum per medium agrum duxit,

ratus se id sine agrestium damno factu rum. Et ante solis ortum in campo qui inter Quirinalem & Capitolinũ collem erat, castra posuit. Quum autem animaduerteret omnia loca firmis hostium præsidijs teneri sibi verò nullum locum munitum esse reliquum, omnis consilij inops hæreb at, existimans fore vt ibi tempus frustrà tereret. Illi autem ita hæsitanti insperata contingit felicitas, prodita ipsi omnium firmissima munitione, quodam huiusmodi casu. Sabinos enim, prætereuntes radices Capitolij vt explorarent si qua fortè collis pars vel clam vel vi aperta capi posset, virgo quædam de sublimi aspiciebat filia viri illustris cui illius loci custodia mãdata erat nomine Tarpeia: quam (vt Fabius & Cincius scribunt) cupido cepit armillarum, quas in sinistris brachiis illi gestabant, & annulorum quos ferebant. Tunc enim Sabini auersus ornamentis gaudebant, & non minus quàm ipsi Hetrusci molli victu cultúque delectabantur. Sed (vt L. Piso, vir censorius tradit,) præclari facinoris desiderio id fecit: vt hostes armis corpus protegentibus denudatos suis ciuibus obiceret. Vtrum verò horum ad veritatem propius accedat, ex ijs quæ p stea acciderunt licet coniicere. Illa igitur emissa quadam ancilla per ostiolum occultum, nullo sentiente apertum, regem Sabinorum rogauit: vt remotis arbitris omnibus secum in colloquium veniret, quòd cum ipso de re necessaria & magni momenti iactura esset. Quum autem Tatius spe proditionis eam orationem lubenter audisset, & in locum designatum venisset, virgo progressa quousque potuit, dixit patrem suum noctu egressum ex arce negotij cuiusdam causa, & se portarum claues seruare: seque ipsis arcem prodituram noctu veniẽtibus, si pro proditionis pretio accepisset armillas

armillas & ornamenta, quæ omnes Sabini in sinistris brachiis gestabant. Quum autem Tatius rem probasset fide utroque citróque data & accepta, iureiurando interposito, nequa fraus in pactis fieret, & loco munitissimo, quem Sabini peterent, designato, & præstituta hora noctis, qua custodias maxime remissas agi putabat, clam iis qui in arce erant se recepit. Atque hactenus omnes Romani scriptores consentiunt: at in sequentibus dissentiunt. Piso enim, vir censorius (cuius paulò antè mentionem feci) asserit nuntium ex arce à Tarpeia noctu missum, qui Romulo significaret quid virgo cum Sabinis pacta esset: nempe, vt eorum arma quæ corpus protegunt peteret, illis pactionum ambiguitate deceptis: & qui postularet vt noctu alias copias in arcem mitteret: fore enim vt cum ipso duce hostes armis nudatos opprimeret. Sed nuntium ad regem Sabinorum transfugisse, & illi consilia Tarpeiæ indicasse. Fabius verò & Cincius nihil tale accidisse dicunt, sed puellam eam pacta proditionis seruasse affirmant. At in iis quæ sequuntur omnes consentiunt. Aiunt enim Tarpeiam, vt promissa seruaret, rege Sabinorum cum exercitus parte lectissima aduentante, hostibus portulam, de qua inter eos conuenerat, aperuisse, & excitatos custodes qui ibi erant, monuisse vt ocius se seruarent per aliam portam hostibus incognitam, quòd Sabini arcem occupassent. Quum autem isti diffugissent, Sabinos nactos portas apertas, occupasse arcem à custodibus desertam: Tarpeiam verò, quòd quæcunque pollicita fuerat præstitisset, petisse vt sibi darent proditionis mercedem, quam in eiurando promiserant. Hic rursus Piso ait, Sabinis paratis aurum puellæ tradere, quod in sinistris brachiis gestabant, Tarpeiam non

ornatum illum, sed eorum scuta petiisse. Tunc autem Tatium ob istã fraudem ita correptũ fuisse, rationem tamen pacti non violandi habuisse. Vsum autem illi arma quidem tradere, vt puella postulabat, sed ita vt iis acceptis vti non posset: quare mox totis viribus vibratum scutum in puellam iecisse, & vt idem aly facerent imperasse: atque ita vndique petitam Tarpeiam multitudine & vi ictuum cecidisse, & scutis vndiq; obrutam obiisse. Fabius verò hanc fraudem Sabinis attribuit: ait enim eos, quum aurum vt Tarpeia postularat ex pactis tradere deberent, indignatos mercedis magnitudine, arma quibus se tegebant in eam iecisse: quòd hæc, quo tempore iurassent, illis promisissent. Sed quæ postea sunt consequuta, faciunt vt Pisonis sententia ad veritatem propius accedere videatur. Nã eam quæ sacratissimũ vrbis collẽ tenebat, sepulcri honore in eo loco vbi ceciderat, Romani dignati sunt, eiq; inferias quotannis faciunt. (dico autem quæ Piso scribit:) quorũ neutrũ, vt verisimile est, si prodita hostibus patria obiisset, aut ab ipsis ciuibus proditis, aut ab interfectoribus consequuta fuisset: sed etiã, siquæ reliquiæ corporis ipsius superfuissent, eandem effossæ & eiectæ fuissent, vt à tali facinore cæteri in posterum deterrerẽtur, & auerterentur. Sed de his vnicuique libe rum sit iudicium. Tatius verò & Sabini, arce munita potiti, & maximo Romanorum apparatu sine vllo labore capto, iam in tuto bellum trahebant. Multæ igitur pro varia occasione, castris breui spatio inter se distantibus, velitationes & prælia leuia periculi faciendi gratia inter eos facta, quorum euentus neutrorum exercitui neq; magna commoda, neque magna incommoda afferebant. Sed bis in acie totis viribus acerrimè pugnatum est, &

magnæ

magna hinc inde cædes facta. Quum autem tempus protraheretur, idem utrisq; placuit, totis viribus de summa rerum prælio decernere. Progressique in mediam castrorum planitiem, & duces rebus bellicis præstantissimi, & milites multis certaminibus exercitati, mira facinora ediderunt, se mutuò inuadentes, & adorientium impetum excipientes, & alternatim sese conuertentes, & prælio æquo marte redintegrates. Qui verò in munitionibus erant spectatores æqui certaminis, & nunc huc nunc illuc inclinantis victoriæ suis rem fortiter gerentibus, & vincentibus adhortatione, & militari acclamatione animos ad fortitudinem plurimum accendebant. Illos verò qui laborabant & ab hoste premebantur, precibus & fletibus impediebant ne animum penitus abiicerent, néve ignauiter se gererent. Quare utrique cogebantur vel supra vires quæuis pericula sustinere. Quum igitur per totum illum diem æquo marte pugnassent, iam tenebris aduentantibus utrique læti in sua castra se receperunt. In sequentibus verò diebus sepultis cadaueribus, sauciisque curatis, & aliis copiis paratis, quum utrisque visum esset alterum prælium committere, in eodem quo ante loco congressi, ad noctem usque pugnarunt: in ea pugna Romanis ab utroque cornu vincentibus: à dextro autem præerat Romulus, læuo Lucumo Hetruscus. Sed quum de acie media nullum adhuc iudicium fieri posset, vir quidam nomine Metius Curtius, magno corporis robore præditus & manu strenuus, præcipuè verò celebris quòd nullum periculum aut metum formidaret, impediuit ne Sabini penitus vincerentur, & reliquæ copiarum parte hostibus victoribus opposita prælium redintegrauit. Hic præfectus fuerat mediæ aciei, & hostes sibi oppositi

tos vicerat: sed quum vellet & ipsa Sabinorum cornua, quæ laborabant, & iam loco pellebantur, in integrum restituere, suos adhortatus, persequebatur hostes fugientes dissipatósque: eósque ad portas vsque egit, ita vt Romulus coactus fuerit, relicta victoria semiparta se conuertere, & ad hostium victricem partem contendere. Sabinorum igitur ea pars quæ laborabat, iam æquo marte pugnabat, postquam discessit illa manus militum qui cũ Romulo erant. Omne autem periculum in ipsum Curtium, & in eius commilitones victores est conuersum, atque aliquanti: per Sabini Romanorum impetum sustinentes, egregiè pugnarunt: sed quum multi postea in eos confluerent, aciem inclinarunt, & se in sua castra incolumes receperunt. Curtius enim diligenter impediuit, ne hostis ipsos perturbatos insequeretur, & effecit vt sensim pedem tutò referrent. Ipse enim pugnabat, & Romuli impetum excipiebat, atque graue & præclarum certamen inter ipsos duces, qui sibi inuicem occurrerant, commissum est. At Curtius, iam exanguis & telis saucius pedetentim recedebat, eúmque à tergo palus profunda excepit, quam circumire ipsi difficile erat, vndique hostibus circunfusis: transire verò non poterat, tum ob cœni copiam, quæ erat in stagnis circum circa tum ob aquæ profunditatem, quæ in eius medio erat. Itaque quum ad hunc accessisset, armatus se in aquam coniecit. At Romulus quia sperabat eum breui in palude perituru: simul etiam quia non poterat cum persequi per multum cœnum & aquam profundam, in alios Sabinos impetum conuertit. Curtius verò, diu lustatus, tandem ex palude cum ipsis armis euasit, & in castra abductus est. Iste locus iam terra conge-

congesta est repletus: adhuc tamen ob illum casum vocatur Curtius lacus, qui fermè in medio Romanorum foro est. Romulus verò alios persequens, quum iam ad Capitolium accessisset, & in magnam spem venisset arcis capiendæ, præter alia vulnera, quibus erat fatigatus, maximo etiam ictu saxi de locis superioribus in eius tempora delati sauciatus, semimortuus à proximis sublatus est. & in vrbem relatus. Romanos autem timor inuasit, quod non viderent amplius ducem suum: & eorum dextrum cornu versum est in fugam. Qui vero in læuo cùm ipso Lucumone instructi erant, aliquandiu hosti restiterunt, quod ipsorum animos confirmaret dux rebus bellicis clarissimus, qui in hoc prælio plurima egregia facinora edidit: sed postquam & ipse per latus traiectus, viribus Sabinorum iam deficientibus, cecidit, ne ipsi quidem in pugna perstiterunt: sed postea omnes in fugam sunt versi, & Sabini audacter eos vsque ad vrbem sunt persequuti: sed quum iam ad portas accederent, repulsi sunt. Nam iuuentus cui rex murorum custodiam commiserat, in eos eruptionem fecit: & quum ipse quoque Romulus (iam enim ex vulnere melius se habebat) celeritate quanta maxima potuisset, in eos eruptionem fecisset, confestim certaminis fortuna conuersa, & valde mutata est. Qui enim fugiebant, vbi ex insperato ducem suum viderunt, receptis ex recenti metu animis, ordines instaurarunt, & sine vlla mora manus cum hoste conseruerunt: qui verò tunc intra mœnia se continebant, & qui existimabant fieri nulla ratione posse, quin vrbs sua per vim caperetur, postquam

mutationem tam repentinam, & præter omnem opinionem viderunt, suæ saluti consulere cœperunt. Difficilis autem erat illis receptus in castra, quia eos è loco superiore, & per viam cauam hostes persequebantur: atque in hac fuga ingens eorum cædes facta. Quum igitur ita illo die æquo marte certassent, & in casus inopinatos vtrique incidissent, sole iam ad occasum vergente, dirempti sunt. Diebus verò sequentibus Sabini consultare cœperunt, vtrum copiæ domum essent reducendæ, agro hostili pro viribus vastato, an nouus exercitus domo esset accersendus, & in bello constanter perseuerandum, donec præclarissimum finem victores eis imponerent. Graue enim illis videbatur, cum dedecore re infecta redire, & manere, re nulla sibi succedente, vt sperauerant. De compositione verò cum hostibus agere (qua sola ratione existimabãt se honestè bello liberari posse) non sibi potiùs quàm Romanis conuenire arbitrabantur Romani verò, non minùs quàm Sabini, imò etiam magis hærebant, dubitantes quidnam facturi essent. Neque mulieres reddere volebant, neque retinere: rati ex altero quidem hoc sequuturũ, vt victos se fatercntur, & quæuis alia imperata facere cogerẽtur: ex altero verò, vt multa & grauia viderent, & agri vastationem, & iuuentutis fortissimæ cædes, & si de amicitia & pace cum Sabinis egissent, se nullas æquas conditiones impetraturos arbitrabantur, cùm ob alias multas causas, tum verò præcipuè, quòd in superbo hoste nihil moderati, sed omnia grauia sint erga aduersarium, qui se ad comitatis officia conuertit. Dum autem hæc vtrique secum cogitantes, & neutri aut initium prælij facere, aut de pace agere audentes multum tempus terunt, Romanorum vxores, quæ

quæ ex gente Sabina erant (quarum causa bellum illud conflatum fuerat) quum in vnum locum remotis viris conuenissent, & inter se colloquutæ fuissent, decreuerunt vtrósque ad fœdus & amicitiam inuitare. Quæ autem huius rei author fuit, & quæ istud consilium mulieribus illis dedit, Hersilia vocabatur, quæ genere non obscuro inter Sabinos erat. Hãc autem alij aiunt, iam nuptam, cum aliis puellis tanquam virginem raptam fuisse: sed qui proximè ad veritatem accedunt, eam sponte cum filia in vrbe remansisse tradunt: raptam enim fuisse illius quoque filiam vnicam. Quum igitur hæ mulieres hoc consilium iniissent, in senatum venerunt, & impetrata dicendi copia, prolixa oratione sunt vsæ, petentes vt sibi cum eorum venia ad cognatos exire liceret: dicebant enim se in certissimam spem venisse, duas illas gentes in vnam contrahendi & amicitiæ inter vtranque conciliandæ. Hæc quum audissent regis assessores, vehementer lætati sunt, & existimarunt in rebus perplexis solam hanc esse rationem qua inde se expedirent. Postea tale senatus consultum factum est, vt quotquot gentis Sabinæ liberos haberent, his liceret, relictis filiis apud maritos suos, legationem ad suos gentiles obire: quæ verò plurium liberorum essent matres, secum adducerent eorum partem quantamcunque voluissent, & darent operam vt inter has gentes amicitiam conciliarent. Postea egressæ sunt veste lugubri indutæ & earum nonnullæ infantulos secum ferentes. Quum autem ad Sabinorum castra venissent lugentes, & ad omnium genua se prosternentes, magnam hominibus ipsas spectantibus misericordiam commouerunt, neque quispiam lachrymas continere potuit. Et concilio ex senatus primoribus earum cau-

sa conuocato, rege iubente eas aduentus sui causam exponere, tunc Hersilia illius consilij autor, & eius legationis princeps, oratione prolixa, & affectuum ad eliciendam misericordiam plena, usa est: supplicíter petens vt sibi, quarum causa hoc bellum susceptum esse dicebant, precantibus pro viris pacem concederent. Quibus verò conditionibus bellum esset dirimendum, ipsos duces in vnum coeuntes pro arbitrio decreturos, ad communem vtilitatem spectantes. Atque his dictis omnes vnà cum suis liberis ad regis genua acciderunt, & prostratæ iacuerunt: donec qui aderant eas è terra erexerunt, promittentes se facturos omnia quæ æqua essent, & quæ fieri possent. Ac mox quum eas ex concilio excedere iussissent, consultatione inter se habita, pacem faciendam esse decreuerunt. Ac primùm quidem inducias inter has gentes factas deinde regibus coeuntibus, amicitia etiam facta, & fœdus ictum est. Quæ verò illi inter se pacti fuerunt & quorum confirmandorum causa iusiurandum interp fuerunt, hæc sunt: vt Romulus & Tatius essent Romanorum reges pari potestate & pari honore fruentes: vrbs verò vocaretur à conditore, idem Romæ nomen seruans: & vnusquisque ciuis, Romanus vt antè, appellaretur sed vniuersi à Tatij patria, communi appellatione comprehensi, Quirites vocarentur: & qui de Sabinis vellent Romæ degerent, & communicatis vtrinq; sacris in tribus & curias distribuerentur. Hæc quum iurassent, & aras ad fœdus faciendum erexissent, in media fermè via, quæ sacra vocatur permixti inter se sunt, atque cæteri duces cum copijs domum redierunt. Sed Tatius rex & cum eo tres viri illustrissimi Romæ remanserunt, & honores habuerunt, quibus

eorum

eorum posteritas adhuc fruitur, Valerius Volesius, & Tallus cognomine Tyrămus, & postremus Metius Curtius, qui armatus paludem transauerat. Quibuscum permanserunt, & alij cognati, & clientes, non inferiores numero ipsis indigenis.

6 ¶ Rebvs autem compositis, visum est regibus, quando ipsa multitudo non parum creuisset, duplicare patriciorum numerum, allectis in eum ordinem præter illustrissimas familias totidem de colonis nouis quot erant priores, quos & ipsos patricios vocarunt, ex quibus centum viros curiarum suffragiis creatos ad veterem senatorum numerum addiderunt, atque in his quidem ferè omnes historiæ Romanæ scriptores consentiunt: sed pauci quidam de numero adscriptorum senatorum variant. non enim centum, sed quinquaginta in Senatum allectos fuisse asserunt. De honoribus autem quos reges mulieribus dederunt, quòd inter se amicitiam conciliassent, inter omnes Romanos scriptores non conuenit. Eorum enim alij tradunt reges cùm alia multa, eáque magna mulieribus largitos, tum etiam curias, (quæ erant triginta, vt dixi) de ipsarum nomine nominasse: tot enim fuisse mulieres quæ legationem obierant. Sed Terentius Varro hac in parte illis non assentitur, asserens iam multò antè à Romulo hæc nomina curiis imposita fuisse quam primum multitudinem diuisit, partim quidem ab ipsis ducibus desumpta, partim verò ab antiquis patriis. Mulieres verò quæ legationem obierant fuisse non triginta, sed quingentas & triginta, tribus demptis. Et existimat verisimile non esse, reges tot mulieribus honorem ereptis paucis quibusdam solis concessisse. Sed hæc neq; silentio præterire, neq; prolixiore quàm par erat, oratione perse-

qui visum est mihi. De cvribvs autem, ex qua vrbe Tatius ciúsque socij venerant (ipsa enim narratio postulat vt de his etiam, qui, & vnde essent dicam,) hæc accepimus. In agro Reatino quo tempore Ab origines eum tenebant, virgo quædam indigena, clarissimo genere prognata, chorcas ducens in templum Enyalij ingressa est, Enyalium autem Sabini & Romani ab illis edocti, Quirinum appellant: nihil tamen certi afferre possunt, vtrum sit Mars, an alius quis, qui eosdem honores habeat. Alij enim arbitrantur de vno deo bellicorum certaminum præside vtrunque nomen dici: alij verò, hæc nomina duobus diis bellatoribus tribui. Illa igitur puella in templo huius dei saltans, repentè diuino numine afflata est, & relicta chorea, in dei adytum secursu proripuit: deinde (vt omnes credunt) à deo compressa & grauida facta, peperit filium nomine Modium cognomine Fabidium: qui quum ad virilem ætatem peruenisset, formam non humanam, sed diuinam habebat, & omnium in rebus bellicis clarissimus fuit: eumque cepit desiderium vrbis de suo nomine condendæ. Coacta igitur magna accolarum manu, perexiguo temporis spatio vrbem cui nomen Cures, condidit, vt nonnulli produnt, à deo ex quo eum ortum esse rumor erat, nomine vrbi imposito: sed, vt alij scribunt, ab hasta, hastas enim Sabini vocant Cures. Atque hæc quidem Terentius Varro scribit. At Zenodotus Trœzenius historicus tradit, Vmbrorum gentes indigenas, primùm quidem habitasse in eo agro, qui Reatinus vocatur, inde verò expulsos à Pelasgis, in hunc agrum venisse vbi nunc habitãt, & gentis nomine vnà cum ipsis sedibus mutato, Sabinos pro Vmbris appellatos. At Porcius Cato nomen

Sabi-

Sabinorum genti inditum fuisse ait à Sabino, filio Sami, qui erat loci illius genius. Hunc autem Samum à nonnullis vocari Dium Fidium. Primas autem eorum sedes asserit fuisse vicum quendam nomine Testrinam, situm propè vrbem Amiternum, vnde Sabinos profectos in agrum Reatinum irruptionem fecisse dicit, vbi tunc Aborigines simul habitabant: & Cotynas vrbem eorum nobilissimam armis captam tenuisse. Ex agro autem Reatino coloniis missis, cùm alias multas vrbes condidisse, quas immunitas incolebant, tum etiam eam quæ Cures vocatur. Agrum autem occupasse distantem ab Adriatico mari circiter ducēta & octoginta stadia, à Tyrrheno circiter ducenta & quadraginta. Eius autem longitudinem mille stadiis paulò minorem esse tradit. Est aūt etiam alia opinio de Sabinis in illius regionis historiis. Aiunt enim, Lacedæmonios cum illis habitasse, quo tempore Lycurgus, tutor Eunomi fratris filij, leges Spartanis condidit. Nonnullos enim, illam legum severitatem molestè ferentes, & ab aliis secedentes, ex vrbe omnino excessisse. Deinde, longo maris tractu enauigato, diis vouisse (desiderium enim qualiscunque terræ eos subijsse) quò terrarū primùm appulissent se ibi habitaturos. Delatos autem ad campos Italiæ, qui Pomptini vocantur, & agrum, quò primùm appulerāt. Feroniam vocasse, ab ipsa maris nauigatione, in qua ipsis contigerat vt huc illuc ferrentur, & deæ Feroniæ templum erexisse: cui vota nuncuparant, quam iam vnius literæ immutatione Faroniam vocant. Inde autem profectos nonnullos eorum cum Sabinis habitasse: & propterea multa eorum instituta esse Laconica, præcipuè verò belli studia & frugalitatem, & in omnibus vitæ officiis duriticm. Atque hæc

de Sabinorum origine sufficiunt. CAETERVM, Romulus & Tatius statim vrbem auxerũt, additis illi aliis duobus collibus, Quirinali & Cælio: & diuisis sedibus, ita vt alia ab aliis essent separatæ, vtriq; in propriis regionibus seorsum degebant. Romulus enim tenebat Palatium & montem Cælium, is enim Palatio est contiguus. Tatius verò Capitolium, quod etiam ab initio occuparat, & collem Quirinalem. In planitie autem quæ Capitolio subiacet, excisa sylua, quæ in ea erat, & maxima ex parte stagno, quod propter illius loci concauitatem abundabat aquis, quæ de vicinis mõtibus eò confluebant, terra congesta repleto, forum constituerunt, quo ad hanc vsque diem Romani vtuntur. Et hic habebant cõcilia, in Vulcani templo, quod parum supra forum eminet, de rebus ad rempublicam pertinentibus agentes. Et templa erexerunt, aræque consecrarunt, quas in prælijs vouerant diis: Romulus quidem, Ioui Statori, ad portam quæ vocatur Mugonia, quæ à via sacra ad Palatium ducit: quòd deus eius precibus exauditis exercitus fugã stitisset, & vt ad vim propulsandam se conuerteret effecisset. Tatius verò & Soli & Lunæ, & Saturno Rheæ, præterea Vestæ, & Vulcano, & Dianæ, & Marti, & diis alijs quorum nomina græco sermone efferre difficile esset: & in omnibus curiis Iunoni Quiritiæ mensas dicauit, quæ ad hanc vsque ætatem extant. Annos igitur quinque simul regnarunt in nulla re discordes, quo tempore spatio cõmunibus auspicijs contra Camerinos expeditionem susceperunt. Camerini enim, quum latrocinia exercerent, & eorum agros valde vastarent, non conuenebant tamen ad causam dicendam, licet sæpe euocati fuissent, quos quum acie vicissent (cum illis enim conflixerant)

xerant) & postea eorum vrbe expugnata, per vim cepissent, armis spoliarunt, & tertia agri parte mulctarunt: quem quum illi iterum infestarent, tertio die eductis copiis, & fusis fugatisque illis res omnes eorum suis militibus distribuerunt: ipsis verò hominibus permiserunt, vt quotquot vellent, Romæ habitarent. Erant autem circiter quatuor millia hominum, quos in curias distribuerũt, & eorum vrbem coloniam Romanam fecerunt. Albanorum autem colonia erat Cameria, multis annis ante Romam condita. Olim autem fuit Aboriginum valde nobile domicilium. SEXTO autẽ anno ciuitatis principatus ad vnum Romulum rediit, extincto Tatio per insidias, quas, communi consensu Lauinienſium, optimates ei tali de causa struxerunt. Quidam ex Tatij amicis cum prædatorum manu, facta in agrum Lauinẽsem excursione, multas res eorum rapuerant, & pecoris greges abegerant: horum autem qui opem tulerant, alios trucidarunt, alios sauciarunt. Quum autem legati ab illis qui iniuriam acceperant, missi fuissent, & sibi suum ius tribui postularent, Romulus æquum esse censuit vt malefici autores iniuriam passis dederentur, vt ad supplicium abducerentur: at Tatius, amicorum causam defendens, indignum iudicabat aliquos ab inimicis alio in iudicium vocari: præsertim verò ciues Romanos à peregrinis. Quare, iussit eos qui de iniuria sibi illata quærebantur, Romam profectos, iure cum aduersariis disceptare. Legati igitur quum nihil æqui impetrare potuissent, indignabundi discesserunt. Illos autem sequuti quidam Sabini irati, in ipsa via considentes (nox enim eos oppresserat) dormientes inuaserunt, & pecunijs spoliarunt, & quotquot deprehenderunt adhuc iacentes in cu-

bilibus, iugularunt. Qui verò insidias eorum statim præsentire & euadere potuerunt, in vrbem suam redierunt. Postea tam è Lauinio quàm ex multis aliis ciuitatibus legati missi sunt, qui de violato iure gentium conquererentur, & bellum inciderent, nisi ius suum obtinerent. At Romulo quidē graue videbatur, (vt reuera erat) id quod legatis acciderat: idque expiatione matura egere existimabat, quòd lex sanctissima violata fuisset. Nec re diutius neglecta, quum animaduertisset Tatiũ hoc parui facere, ipsemet comprehendit homines huic piaculo obnoxios, & vinctos legatis abducendos tradidit. Tatiũ verò ira ob istam contumeliã subijt, qua se à suo regni socio affectum aiebat, ob illorum hominum deditionem: simul etiam commotus est misericordia eorum qui abducebãtur: nam & quidam eius cognatus huic piaculo obnoxius erat. Atque statim militibus stipatus, eos qui abducebantur, eripuit. Non multo autem pòst (vt nonnulli aiunt) cum Romulo profectus Lauinium sacrificij causa, quod diis patriis oportebat pro ciuitatis salute à regibus fieri, facta in eum conspiratione, à legatorum cæsorum amicis & affinibus, ad ipsam aram cultris culinariis, & verubus magnis percussus, cecidit. Sed, vt Licinius scribit, quum neque cum Romulo, neque sacrorum causa eò iniisset, sed solus sua iura læsis, vt iram in sontes remitterent, plebe ægrè ferente quòd illi viri sibi dediti non fuissent (vt & Romulus æquum esse censuerat, & ipse Romanorum senatus decreuerat) & ab hominum cæsorum cognatis, magna manu, facto in eum impetu, quũ non posset amplius effugere præsentem vindictam, lapidibus ab illis obrutus interijt. Hic igitur fuit finis Tatij, qui tres annos bellum cum Romulo gesserat, &

cum

cum eo quinque regnarat. Romam autem delatus honorifico funere sepultus fuit, & quotannis ciuitas publicè eius manibus fert inferias. Romulus autem, demno solus principatum adeptus, piaculum illud legatorum cæsorum expiauit, illis omnibus qui id scelus perpetrarant, aqua & igne interdicens. Omnes enim statim post Tatij mortem ex vrbe fugerant. Et Lauinienses, qui conspirarant in Tatium, à ciuitate deditos in iudicium ad suum tribunal vocauit: sed quum æqua dicere viderentur, quòd nimirum vim vi repulissent, crimine liberauit. His autem peractis exercitum duxit contra Fidenas, vrbem quadraginta stadia à Roma distantem, quæ tunc & magna, & hominum frequentia abundans erat. Quum enim commeatus Romam nauigiis fluuialibus veheretur, quem Crustumerini Romanis fame laborantibus miserant, Fidenates, magna manu impetu facto in nauigia, & commeatum diripuerunt, & nonnullos, qui opem tulerant, interfecerunt. Et quum pœnæ à noxiis repeterentur, nullas dederunt. Quas ob causas indignatus Romulus, in eorum agrum cum ingentibus copijs irruptionem fecit, & præda ingenti potitus, suas copias domũ reducere parabat. Sed quum Fidenates copias in eum eduxissent, prælium cum ipsis commisit. Acri autem prælio commisso, & multis hinc inde cæsis, Fidenates victi in fugam se dederunt. Ille verò vestigia eorum sequens, & tergo hærens, vnà cum ipsis fugientibus in vrbem eorum irrupit. Primo autem impetu vrbe capta, sumpto supplicio de paucis illorum, & præsidio trecentorum virorum ibi relicto, & agri parte iis adẽpta, quam suis militibus diuisit, hãc quoque vrbẽ Romanorũ coloniã fecit. Erat autem Albanorũ colonia

eodem tempore quo Nomentum & Crustumerium condita: eiusque coloniæ tres fratres duces fuerant, quorum maximus natu Fidenas condidit. Hoc autem bello confecto exercitum duxit in Camerinos, qui suos colonos adorti fuerant, quo tempore Romana ciuitas peste laborabat. Quamobrem etiam maximè elati Camerini, & rati Romanorum gentem funditus haccalamitate extinctum iri, colonos partim interfecerunt, partim ex oppido expulerunt. Quas ob causas Romulus eos vlturus, eorum vrbe iterum expugnata, defectionis autores interfecit, & militibus vrbem diripiendam concessit, & agri dimidia parte illis adempta, præter partem quæ prioribus colonis iam distributa fuerat. & satis firmo præsidio ibi relicto, ne quid noui amplius eius incolæ molirentur, ita demum exercitum abduxit. Atque ex hac expeditione secundum triumphum egit, & ex manubiis quadrigas æreas Vulcano dicauit, & iuxta ipsas suam statuam collocauit, cum rerum à se gestarum elogio græcis literis scripto. Tertium bellum gessit cum Veientibus Hetruscorum populo cuius vrbs tunc erat potentissima, & ab vrbe circiter centum stadia distabat. Sita autem erat in excelsa & prærupta rupe, Athenarum magnitudine. Veientibus autem belli prætextus fuit Fidenarum expugnatio. Quare missis legatis iubebant Romanos ex vrbe præsidium educere, & agrum quem Fidenatibus ereptum tenebant suis pristinis dominis restituere. Quod quum impetrare non possent, profecti cum ingenti exercitu, propè Fidenas in loco occulto castra posuerunt. Quum autem Romulus præsensisset eos egressos, ipse quoque firmissimum exercitum eduxit, & Fidenis paratus hostem expectabat. Rebus autem omnibus ad certa-

certamen paratis, utrique progressi in planitiem manus conseruerunt, & ad multum diem fortiter pugnantes perstiterunt, donec nox interuentu suo incerta victoria eos diremit. atque tunc quidem ab illis ita pugnatum est. Non multo autem post altero prælio commisso, Romani sui ducis prudentia vicerunt, qui noctu montem quendã occuparat, non longè ab hostium castris distantem, & ibi fortissimas tam equitum quàm peditum copias, quæ recens ex vrbe venerant eumque sequutæ fuerant, in insidiis collocarat. Quum autem utrique in planitiem conuenissent, & eodem modo pugnarent, postquam Romulus signum dedit illis qui in monte erant, tunc qui insidias hosti struxerant, clamore sublato, à tergo in Veientes impetum fecerunt, & ipsi recentes ac integri facta impressione in homines iam defessos, breui temporis spatio eos in fugam verterunt. Pauci verò eorum in prælio ceciderunt: sed plerique in Tiberim (nam iuxta Fidenas fluit) se proïcientes, flumen tranaturi, interierunt: etenim sauciati, & labore grauati, id tranare non potuerunt. Alij verò etiam nandi imperitia, præ metu animo perturbato, periculum non considerantes, in ipsis gurgitis vorticibus perierunt. Si igitur Veientes agnouissent se primùm mala inisse consilia, & in posterum quieuissent, nequaquam maiorem cladem accepissent. Iam verò prælio redintegrato se belli superioris offensiones sarcire posse sperantes, & si maioribus copiis Romanos adorti fuissent, facilè se bello superiores fore existimantes, quum magnum ex suis ciuibus exercitum conscripsissent, & auxilia ab eiusdem gentis populis, ex fœderum pactis, aduenissent, iterum contra Romanos copias duxerunt. Itaque alterum atrox

prælium prope Fidenas commissum est, in quo Romani superiores fuerunt multis Veientibus cæsis & longè pluribus captis. Capta etiam fuerunt eorum castra pecuniis & armis, & seruis referta, & naues fluuiales onustæ magno commeatu, interceptæ, in quibus captiuorum turba Romam per fluuium delata est. Iste autem tertius triumphus, quem Romulus egit, prioribus longè fuit magnificentior. Nec multo post, quum legati Veientium pacem petitum venissent, postulassentque vt sibi delictorum venia daretur, Romulus illis hanc irrogauit mulctam, vt Romanis agrum Tiberi contiguum darent, qui septem pagi vocantur: & à Salinis abstinerent, quæ sunt ad fluminis ostia: néve quid noui molirentur, fidem darent, adductis quinquaginta obsidibus. Quum autem Veientes hæc omnia æquo animo tulissent, Romulus fœderis cum ipsis in centum annos icti conditiones in columnis incidit. Captiuos verò, qui ad suos reuerti voluerunt, nullo pretio pro iis redimendis accepto, dimisit. Illos verò qui in vrbe remanere maluerunt, quorum numerus longè maior fuit quàm aliorum, ciuitate donatos in curias distribuit, & ipsis agrum, qui erat cis Tiberim, sortitò diuisit. Atque hæc sunt bella quæ Romulus memoratu digna gessit. QVOD autem nullam præterea vicinam gentem subegerit, mors subita (qua ille rebus bellicis adhuc florens sublatus est) in causa videtur fuisse: de qua multa eáque varia traduntur. Qui igitur fabulosiora de eo produnt, aiunt eum concionantem in castris, repentè cæli serenitate in atram caliginem mutata, & ingenti tempestate cum fragore coorta ex hominum conspectu sublatum,

tum, & à Marte patre suo eum sublimem abreptum credunt. Qui verò proximè ad veritatem accedunt, à suis ciuibus cæsum tradunt. Cædis autem eius hanc causam afferunt, quòd obsides, quos à Veientibus acceperat, præter morem, sine communi totius populi consensu, dimisisset: quódque non amplius parì comitate tractaret veteres ciues & adscriptitios: sed illos quidem in maiori pretio haberet, eos verò qui asciti fuerant, despiceret. Præterea eius crudelitatem in delinquentium supplicijs, eiúsque arrogantiam, cædis causam fuisse dicunt. Quosdam enim ciues Romanos accusatos, quòd in vicinorum agro latrocinia exercuissent, viros neque ignobiles, neque paucos, de saxo præcipites dari iussit, ipse solus ea pœna sine aliorum consensu illis irrogata: sed præcipuè quòd iam grauis & arrogans esse, & imperium non regiè, sed tyrannicè exercere videretur. Ob has igitur causas aiunt patricios, conspiratione in eum facta, cædis consilia iniisse: facinus autem in senatu patrasse, & eius corpore discerpto ne cadauer appareret, egressos occultasse sub vestibus quod quisque eius frustrum habebat, posteáque clam terra iniecta texisse. Alij verò aiunt, eum concionantem à nouis ciuibus robustis cæsum: illos autem tum cædem aggressos fuisse, quum nimirum tenebræ obortæ sunt, dispersa populi concione, & duce à suis satellitibus destituto. Propterea etiam aiunt, eum diem quo clades illa accidit, à turbæ populique fuga, populi fugiuũ nominatum, & ad nostra usque tempora ita appellatum. Iis autẽ qui mortales in deos referunt, & animas illustriũ virorũ in cœlũ tollunt, ea quæ diuinitus in illius viri & ortu & obitu

acciderunt, vid. ntur occasionem non paruam talis opinionis præbuisse. Nam & dum vis eius matri afferretur siue ab aliquo homine, siue à deo, aiunt totius solis defectionem factam, & interdiu terras omnes tenebris, quæ nocturnis omninò similes erant, tectas fuisse: &, quum obyt, idem accidisse ferunt. Romulus igitur, Romanæ vrbis conditor, qui ab illis primus rex creatus est, hunc exitum vitæ habuisse fertur. Nec vllos liberos reliquit, regno per triginta & septem annos potitus: & quinquagesimum & quintum ætatis annum agens. Iuuenis enim admodum principatum est adeptus, natus decem & octo annos, vt omnes qui res eius memoriæ prodiderunt, vno consensu tradunt.

7 ¶ ANNO sequenti nullus Romanorum rex creatus est. sed magistratus quidam, quem vocant interregem reipublicæ curam gessit. qui in hunc modum creabatur. Ducenti patres conscripti, ex quibus senatum à rege Romulo constitutum diximus, in decurias distributi, decem viris, quibus primis sors obtigisset, summum reipublicæ imperium sorte committebant. Illi verò non omnes simul imperabant, sed per vices vnusquisque quinque dies: quibus diebus & fasces, & reliqua regiæ potestatis insignia habebant. Qui autem primus imperio functus erat, id secundo tradebat, & ille tertio: idque deinceps vsque ad vltimum fiebat. Transacto autem proscripto quinquaginta dierum spatio, quo illi decem primi regnarant, alij decem eum magistratum accipiebant, & ab illis rursus alij. Deinde visum est populo decemuirale imperium abrogare, quòd ægrè ferret tam crebram potestatum mutationem: quia nec eadem omnibus voluntas, nec idem ingenium erat. Tunc igitur Patres, populo

populo ad concionem tributim & curiatim conuocato, ipsi de reipublicæ forma consultare permiserunt, vtrum regi, an magistratibus annuis reipublicæ administrationem vellet committere. Populus tamen eam optionem sibi non vindicauit: sed eius rei cognitionem ad senatum reiecit, lubenter admissurus vtrumcunque reipublicæ administrandæ genus illi approbassent, & in eo acquieturus. Illis verò omnibus visum est regem creare: sed ex vtro ordine rex iste creandus esset inter eos non conueniebat. Eorum enim alij censebant ex veteri patrum numero eum creandum, qui reipublicæ administrationem esset habiturus: alij verò ex ijs qui postremùm in senatum ascripti fuerant: quos nouos appellabãt. Sed post longam contentionem, tandẽ conuenit inter eos his conditionibus, vt horum duorum alterum fieret, vt nimirum vel veteres senatores nullum regem de suo numero crearent, sed ex aliis quem maximè idoneum iudicarent: vel noui hoc ipsum facerent. Veteres senatores eam conditionem acceperunt, & post longam deliberationem inter se habitam, hæc decreuerunt. Quando ipsi ex conditionibus à regno arcerentur nulli saltem infidiatorum committendum imperium: sed quærẽdum aliquem externum, & neutrarum partium fautorem, vt hoc potissimùm modo omnis seditionis materia tolleretur: eúmque regem creandum. Itaque hoc inito consilio regem designarunt quendam hominem Sabinum, filium Pompilij Pomponi, viri illustris, nomine NVMAM. (posterior autem syllaba producta graui accentu est notanda) ætate ea quæ solet esse prudentissima, (nam non multum aberat à quadragesimo anno) & formæ dignitate planè regia præditum. Ob sapientiam autem maxima eius erat

gloria non solùm apud Quirites, sed etiam apud vicinos populos. Quum igitur hoc ipsis placuisset, populum ad cõcionem conuocarunt, & qui tunc Interrex eorum erat, in medium progressus, dixit omnes patres communi consensu rempublicam regi committendam censuisse, se verò huius cognitionis arbitrum, ad quem regis creandi potestas delata fuisset, regem ciuitatis Numam Pompilium eligere. Itaque postea legatos de patriciorum ordine delectos misit, vt virum illum ad regnum accipiendum adducerent, anno tertio decimæ sextæ olympiadis, qua victor in stadio fuerat Pythagoras Lacon. Atque hactenus quidem non possum vlla in re contra illos dicere qui historiam de hoc viro in lucem ediderunt: sed in sequentibus quid sit dicendum dubito. multi enim scripserunt, Numam Pythagoræ discipulum fuisse: & quo tempore à Romanis rex designatus fuit, Crotone fuisse, & ibi philosophiæ operam dedisse. Sed tempus ætatis Pythagoræ cum his rationibus pugnat: non enim paucis annis, sed quatuor integris ætatibus Pythagoras ipso Numa posterior fuit, vt ex publicis historiis accepimus. Iste enim circiter mediam decimam sextam olympiadem Romanorum regnum est adeptus: Pythagoras verò post quinquagesimam olympiadem in Italia habitauit. Sed aliud isto validius argumentum afferre possum, vt demonstrem temporum supputationem non conuenire cum historiis de hoc viro scriptis: quia quo tempore Numa ad regnum à Romanis vocatus est, nondum erat vrbs Croto. Quadriennio enim integro post regnum Romanorum à Numa acceptum, Myscelus eam condidit, anno tertio decimæseptimæ olympiadis. Fieri igitur non potest vt

Numa

Numa cum Pythagora Samio, qui quatuor post ætatibus floruerit, philosophiæ operam dederit, atque manserit Crotone (quæ nondum erat condita,) quum Romani ipsum ad regnum vocarunt. Sed videntur, qui vitam ipsius scripserunt, si modò suam cuique sententiam aperire licet) pro confessis hæc duo accipisse, Pythagoræ habitationem in Italia & Numæ sapientiam (omnes enim uno ore fatentur virum illum sapientem fuisse) hæcque coniunxisse, & fecisse Numam Pythagoræ discipulum: non inquirentes vlterius in eorum vitas, an vterque iisdem temporibus floruerit: id quod ego iam feci. Nisi fortè quis alium Pythagoram sapientiæ doctorem hoc Samio antiquiorem fuisse dicat, cum quo Numa consuetudinem habuerit. Sed nescio quomodo hoc ille probare posset, præsertim quum nullus scriptor memoratu dignus aut Romanus, aut Græcus (quod ego sciam) hoc memoriæ prodiderit. Sed de his hactenus. Cæterùm, Numa, quum venissent hi legati qui ipsum ad regnum vocabant, principiò quidem illis restitit, & diu in eadem sententia permansit, repugnans ne regnum acciperet. Sed quum fratres instarent precibus, & tandem ipse quoque pater tantum honorem vltrò oblatum minimè reiiciendum censeret, ipsis assensus est, regémque se creari est passus. Quum autem Romani hæc ex legatis audissent, antequam virum illum præsentẽ viderent, maximo eius desiderio flagrare cœperunt, existimantes hoc esse satis firmũ argumentũ eius sapientiæ, quòd, quum cæteri regnum supra modũ in pretio haberent, & in eo summam suæ felicitatis ponerent, id ille solus, vt rẽ vilẽ, & penitus aspernandam cõtemneret.

Illi autem aduentanti, dum adhuc in ipso itinere esset, obuiam processerunt cum multis laudibus & gratulationibus aliisque honoribus in vrbem prosequentes. Postea verò concione conuocata, in qua de eo tribus curiatim suffragia tulerunt, quum ipsi patres plebiscita rata fecissent, & postremò ipsi quoque augures diuinitus signa fausta apparuisse renuntiassent, regnum accepit. Romani aiunt hunc virum nullam expeditionem fecisse, sed pietati ac iustitiæ deditum, in pace omne sui regni tempus trãsegisse, & optimis institutis ciuitatem ornasse. Multa autem eáque admiranda de eo dicunt, referentes humanã eius sapientiam ad deorum monita. Fabulosè enim dicunt illi congressum fuisse cum quadam nympha Egeria, quæ illum assiduè regiam sapientiam doceret, alij verò eã non nympham fuisse, sed vnam musarum. Atque hoc omnibus manifestum factum fuisse dicunt. Quum enim homines (vt verisimile est) initio fidem illi non haberent & existimarent illum de numine sermonem fictum esse, ferunt ipsum, quum vellet ostendere incredulis hominibus apertum aliquod indicium suæ cum dea consuetudinis, vt se ab illa edoctum hæc facere probaret, Romanorum multos probósque viros in ædes vbi degebat vocasse, deinde quum iis qui eò venerant, suppellectilem vilẽ, & domum omni alio apparatu malè instructam, quineti am rebus omnibus ad cõuiuium extemporaneum necessariis carentem ostendisset, iussisse tunc quidem discedere, sub vesperam verò eos ad cœnam inuitasse, ipsis verò ad horam conductam reuersis, ostendisse & lectos splendidos, & mensas poculis multis & elegantibus onustas: ipsisque iussis discumbere, omnigenas epulas & cibos apposuisse, quos nullus illius seculi homo tempore quantum-

uis

sis longo facilè paraſſet. Tunc autem Romanos & valde obſtupuiſſe ob varietatem rerum, quas videbant, & ab illo tempore ſine vllo dubio exiſtimaſſe, deam aliquam cum eo conſuetudinem habere. Sed qui res omnes fabuloſas ex hiſtoria tollunt, Numam hæc quæ de Egeria dicebat finxiſſe dicunt, vt qui numen diuinum metuerent, facilius animum ad ſe aduerterent, & leges quas eſſet laturus, lubenter, vt à dijs latas acciperent. Aiunt autem eum in his ſequutum eſſe exemplum Græcorum, Minois Cretenſis, & Lycurgi Lacedæmonij, ſapientiæ æmulatione impulſum, quorum alter quidem ſimulabat ſibi eſſe cum Ioue congreſſum: quare montem Dictæum frequentans, vbi Iouem Cretenſes fingunt, à Curetibus adhuc recens natum educatum fuiſſe, in ſacrum antrum aſcendebat, & leges ibi conditas in vrbem afferebat, quas ſe à Ioue accipere affirmabat. Alter verò Lycurgus profectus Delphos, ſe ab Apolline legum ferendarum rationem didiciſſe dixit. Accurate igitur ſcribere de rebus fabuloſis, quæ ſcriptis ſunt proditæ, præcipuè verò de ijs quæ ad deos pertinent, quum hoc longa oratione indigere animaduertam, nunc miſſum faciam: ſed quæ bona Romani videntur mihi ex illius viri imperio percepiſſe, vt ex ipſorum domeſticis monumentis comperio, ea narrabo: vbi priùs monuero quàm perturbatus eſſet reipublicæ ſtatus antequam ille ad regnum accederet. Poſt Romuli obitum, quum ſenatus omnem reipublicæ adminiſtrationem adeptus fuiſſet, & per integrum annum (vt dixi) eo principatu potitus fuiſſet, ipſi patres inter ſe diſſidere, & de principatu & iuris æquabilitate contendere cœperunt,

Quotquot enim eorum erant ex numero Albanorum, qui cum Romulo coloniam deduxerant, & in sententiis dicēdis & summis honoribus capiendis prærogatiuam se habere, seque à nouis colonis soli æquū censebāt: quotquot verò ex nouis colonis postea in patrum ordinem relati fuerant, à nullo honore se arcendos esse existimabant, & putabant conditionem suam quàm cæterorum deteriorem esse non debere: præcipuè verò quotquot erant Sabini generis, & qui ex fœdere quod Romulus cum Tatio fecerat se iactabant à priscis colonis ciuitate donatos, ut pari iure fruerentur, aut qui se parem gratiam illis reliquisse dicebant. Simul autem quòd senatus dissideret, ipsa quoque clientium multitudo bifariam diuisa se utrique factioni adiunxit. Erat autem & quædam plebis pars non parua, quæ nuper in ciuitatem recepta fuerat: quæ quòd nullo in bello Romulum adiuuisset, ideò à duce neglecta nullam agri partem aut aliud commodum acceperat. Hæc sine laribus, & mendica vagans, necessariò ipsis potentioribus erat inimica, & ad res nouandas paratissima. Numa igitur remp. tali tempestate iactatam nactus primùm quidem egenos de plebe refecit, agri parte, quem Romulus quæsierat, illis diuisa præterea de publico agro exigua quadam portione ipsis data. Deinde, quum patriciis nullos honores ademisset quos ipsi vrbis conditores adepti fuerant, & nouis colonis alios honores pro his attribuisset, ita demum eorum discordiā sedauit. Quum autem omnes populi ordines, vt musici instrumenti sonos inter se conciliasset, ita vt tantum sibi reipub. commoda ponerent ob oculos, & Quirinalem collem vrbis mœnibus ampliatis complexus fuisset (tunc n. nondū muris

muris cingebatur) tum demum ad alia instituta animum conuertit, hæc duo agens, quibus ornatam rempublicam beatam & magnam fore existimabat. Primùm quidem homines pietatem docens, deos videlicet omnium bonorum autores & custodes humano generi esse: deinde iustitiam per quam demonstrabat, bonis diuinitus accepti licere ipsis possessoribus honestè frui.

8 ¶ QVIBVS autem legibus quibúsque institutis vtrumque horum fundarit, & ad tantum incrementum prouexerit, non omnia scribenda censeo, (quia vereor ne nimium prolixa sit oratio: simul etiam quia video parùm esse necessarium hæc Græcæ historiæ mandare:) sed quæ præcipua sunt, quæque possunt illius viri omnes consilium notum facere, summatim attingam ductu initio à diuini cultus forma quam instituit. Quoscunque igitur ritus aut leges à Romulo constitutas accepit, hæc omnia optimè ab eo constituta ratus, immota reliquit: quæcunque verò ab illo prætermissa arbitratus est, hæc de suo addidit. nam & multa sacella dicauit diis, quibus nullus adhuc honor habitus fuerat: & multas aras & templa condidit, & dies festos vnicuique eorum attribuit: & sacerdotes constituit, qui eorum curam gererent & leges tulit de sanctimonia, ceremoniis, expiationibus aliísque diuinis cultibus & plurimis honoribus, quos nulla aut Græca aut barbara ciuitas habet: ne illæ quidem ciuitates quæ quondam pietatis nomine maximè se iactabant ipsum quoque Romulũ, Quirinum cognomine, vt humana natura longè augustiorem, templo in ipsius honorem extructo, sacrificiis anniuersariis coli instituit. Romanis enim adhuc dubitãtibus vtrũ diuina prouidẽtia, an aliquibus humanis insidiis ille è conspectu hominũ

sublatus fuisset, quidam nomine Iulius ab Ascanio oriũ
dus, bonus colonus, & vitæ inculpatæ vir, qui quæstus
priuati causa non fuisset mentitus, in concionem progres-
sus dixit se dum ex agro rediret, vidisse Romulum ex
vrbe armatum abeuntem. & quum accessisset, hæc eum
dicentem audisse, Nuntia Romanis Iuli, mea hæc man-
data: me mortali æuo expleto in deorum cœtum abduci
ab eo ingenio qui mihi nascenti contigit & me esse Qui-
rinum. PORRO, Numa omnia quæ ad cultum di
uinum & ceremonias pertinent, scriptis complexus, di-
uisit in octo partes, quot etiam erant sacrorum ordines.
PRIMVM sacrorũ ministeriorum ordinem assignauit
curionibus, quos dixi publicè pro suis curialibus rem diui
nam facere. SECVNDVM ijs qui à Græcis vocantur φλα-
μίνοι, à Romanis Flamines: quos à gestatione pileorũ
& insularum (quas etiam nunc gestant, flamea vocan-
tes) ita nominant. TERTIVM verò Tribunis Cele
rũ quos equites & pedites fuisse dixi: qui designari sole-
bant, vt regũ ad bellũ proficiscentiũ satellites & custodes
essent. Nam & isti solennia quædã ac statuta sacra pera
gebant. QVARTVM verò illis qui signa diuinitus
missa interpretantur quique dignoscũt ac declarant, ad
quas res vtrũ priuatas, an publicas ea spectẽt: quos Ro-
mani ab vna specie artis ipsorum nimirum ab auiũ ob-
seruatione vocãt Augures: nos verò diceremus οἰωνόμο-
νους, omnis diuinationis qua ipsi vtuntur, peritos tã eius
quæ in signis cœlestibus & sublimibus quàm eius quæ in
terrestribus versatur. QVINTVM verò virginibus
sacri ignis custodibus, quas illi à dea quam colunt, Vestã
les vocant: cui ipse primus Romæ tẽplum sacrauit, & vir
gines quæ eius sacra facerent lectas dicauit. Quibus de

rebus

rebus pauca eaq; maximè necessaria operis argumenta id postulante, mihi sunt dicenda. Res enim est quæstione digna: & multi scriptores Romani hoc loco rei veritatẽ disquirendam esse censuerunt. Qui enim harum rerum causas diligenter non inuestigarunt inania scripta in lucem ediderunt. Quidam igitur templum illud à Romulo cõditũ asserunt, existimantes fieri non posse quin, quum vrbs condita fuerit à viro vaticinij perito, publicũ Vestæ templũ ante omnia extructum fuerit: præsertim verò quum ipsius vrbis conditor Albæ educatus fuisset, vbi antiquũ huius deæ templũ erat extructũ, & ipsius mater huius deæ sacerdos fuerat. quumq; sacra omnia in duo genera diuidant, & eorũ alia publica & ciuilia, alia verò gẽtilitia faciant: ob duas istas causas, aiunt omnino necesse fuisse hanc deã à Romulo coli. Nihil enim hominibus magis esse necessarium, quàm ipsum Vestæ templum publicum, neque Romulo ob generis successionem quicquam antiquius esse debuisse: quippe qui esset à maiorib. oriũdus, qui ex Ilio illius deæ sacra transtulerant, & matre sacerdotem habuerat. Qui igitur propterea à Romulo potius quàm à sacram ædem publicam Vestæ primùm erigi oportuisse, Numa hoc templum conditum existimant, videntur illi quidem generaliter rectè dicere, in vrbe condenda præcipuè verò à viro scientiæ rerum diuinarum perito: sed specialiter, & templi huius quod iam extat structura, & virgines deæ ministras ignorasse. Neque enim hunc locum vbi sacer ignis seruatur, illi deæ Romulus consecrauit. Validissimum autem huius rei argumentum est, quòd sit extra Romam, quæ quadrata appellatur, quam ipse muniit. Vestæ verò communis templum in præstantissimo totius vrbis loco fermè

omnes locare solent. at nemo extra mœnia. Neque etiã virgines constituit quæ illi deæ sacra facerent: memor (vt opinor) materni casus. Eius enim matri accidit vt virginitatẽ amitteret inter illius deæ ministeria: quo fiebat, vt si quam sacerdotum stupratam deprehendisset, ex legibus patriis in eã animaduertere non posset, ob domesticæ calamitatis probríque recordationem. Propterea igitur publicum templum Vestæ non ædificauit, neque virgines sacerdotes constituit, quæ deam illam colerent: sed in vnaquaque triginta curiarum, extructo templo vbi curiales rem diuinam facerent, iis sacris ipsos curiones præposuit, sequutus morem qui adhuc in antiquissimis Græcorum vrbibus seruatur. Nam quæ φρατρίαι ab illis vocantur, sunt quædam loca publica sacra, & eorum cura pertinet ad eos qui summum magistratum in republica gerunt. At Numa regno potitus propria curiarum templa suo loco non mouit: sed vnum templum omnibus commune erexit, in eo spatio quod est medium inter Capitolium & Palatium. Iam enim eos colles idem murorum ambitus cingebat, & forum inter vtrunque erat medium, vbi hoc templum ædificatum est: & sacrorum custodiam patrio ritu virginibus lege lata assignauit. Incertum autem est quidnam sit id quod in illo templo seruatur, & qua de causa eius cura virginibus sit commissa. Nonnulli enim asserunt, id quod seruatur nihil aliud esse quàm ignem omnibus conspicuum. Eius autem custodiam virginibus potius quàm viris commissam verisimiliter aiunt: quia vt ignis est incontaminatus: sic etiam ipsa virgo est impolluta. Castissimo autem numini mortalis res purissima est grata. Vestæ autem ignem

putant

putant dicatum, quia quum ea dea sit Terra, & medium mundi locum occupet; sublimis ignis inflammationes parit. Sunt etiam qui dicunt, præter illum ignem, alia quædam sacra vulgò incognita in deæ fano esse, quæ solis pontificibus & virginibus sunt nota: argumentum non leue huius rei proferentes, id quod accidit in incendio ipsius templi, tempore primi belli Punici, quod inter Romanos, & Carthaginienses propter Siciliam est ortum. Incenso enim templo, & virginibus ex igne fugientibus, quidam de numero pontificum Lucius Cæcilius, qui Metellus vocabatur, vir consularis qui Carthaginiensibus in Sicilia deuictis, in illo celebri triumpho centum triginta & octo elephantos traduxerat, neglecta propria salute vtilitatis publicæ causa, summo cum periculo est ausus in ardens penetrale irrumpere, & sacra à virginibus deserta ex ipso incendio erepta seruauit: ob quod præclarum facinus magni honores à ciuitate ei delati fuerunt, vt ipsum elogium eius statuæ in Capitolio erectæ testatur. Hanc igitur rem illi professa sumentes, de suo quasdam coniecturas addunt. Quidam enim dicunt sacra, quæ hic seruantur, esse partem eorum sacrorum quæ Aeneas translata ex Samothracia seruabat: Dardanus enim ex insula ista in vrbem à se conditam ea transportarat: at Aeneas cum ex agro Troiano fugit, cum alijs hæc quoque in Italiam deportarat. Alij verò asserunt esse cæ lo delapsum Palladium quod apud Ilienses erat, quódque Aeneas rei gnarus secum portarat. Achiui enim simulacrum ad eius similitudinẽ factũ surripuerant: de quo multa à poetis & historicis scripta sunt. At ego quæ dã sacra

vulgò incognitã, & non solùm ipsum ignem à virginibus seruari, ex plurimis indiciis colligo. Sed quænam hæc sint, neque à me, neque ab alio quopiam eorum qui pietatis in deos sunt studiosi, curiosius inquirendum censeo. Virgines autem, quæ deæ sacris operabantur, initio quatuor erant: quarum optandarum ius penes ipsos reges erat, idque ex præclaris Numæ institutis: postea tamen ob multitudinem sacrorum quæ peragunt, ad senarium numerum auctæ, in eodem numero ad nostra vsque tempora permanent, & in deæ fano degunt: vnde interdiu nullus qui ingredi velit arcetur: sed nulli mari illic pernoctare fas est. Oportet autem illas puras à nuptiis manere per integros triginta annos, sacra facientes & reliquas cerimonias de more peragentes: quo tempore decem primis annis eas mysteria discere oportebat, decem sequentibus sacra facere: reliquis verò annis alias docere. Expleto autem triginta annorum tempore, nihil illis impedimento erat, quominus infulis & reliquis sacerdotij insignibus depositis, eæ quæ vellent nuberent. Hoc autem perpaucæ fecerunt: quibus vitæ finis non optandus, neque admodum felix contigit. Itaque reliquæ earum casum pro ominoso accipientes, virgines vsque ad mortem apud deam manent. Tunc verò in locum illius, quæ integro numero decesserat, & quæ desiderabatur siue ob mortem, siue ob aliam causam & casum, alia à pontificibus substituebatur. Honores autem illis à ciuitate delati sunt multi & insignes quorum causa neque liberorum, neque nuptiarum desiderium eas subibat. Graues autem pœnæ statutæ sunt in earum delicta, quorum quæsitores & vindices ex legibus sunt ipsi pontifices: alias quidem, quæ leuiter pec-

ter peccarint flagris cædentes, eas verò quæ stuprum passæ fuerint fœdissimo & miserrimo mortis genere necantes. Viuæ enim in lecto, non aliter quàm mortuæ, funebri pompa efferuntur, eas defluentibus & prosequentibus amicis & cognatis. Delatæ autem vsque ad portam Collinam, intra mœnia in cella subterranea ad id parata cum omnibus funereis ornamentis sepeliuntur, sine vllis monumentis, sine parentatione, denique sine iis omnibus rebus, quæ defunctorum manibus dari solent. Cùm igitur ex multis aliis indiciis cognosci potest an sacerdos sanctè & piè rei sacræ operam nauarit: tum verò præcipuè, si ignis extinguatur. Quod malum Romani maximè omnium formidant, rati id excidium ciuitati portendere, quomodocunque id acciderit, magnisque delinimentis & curationibus placantes ipsum, referunt in templum. quibus de rebus suo loco à me dicetur. Dignissimum autem est quod historiæ mandetur, quomodo illa dea virginibus iniuriâ accusatis sua præsentia manifestam opem tulerit. Romani enim hoc credunt, licet incredibile sit, & historici his de rebus multa scriptis prodiderunt. Qui igitur impiæ philosophiæ dant operam, (si tamen ea est appellanda philosophia,) quum ludibrio habeant quicquid de præsentia diuini numinis aut apud Græcos aut apud barbaros fertur, has quoque historias valde irridebunt, humanæ arrogantiæ eas ascribentes, quasi res humanæ nulli deorum sint curæ. Qui verò deos de hominibus sollicitos, eorumque curam gerere existimant, atque adeò eos viris probis propitios arbitrantur, & improbis infensos, si multas historias legerint, ne hoc quidem incredibile iudicabunt, deos hominibus apparuisse ipsisque suam præsentiam manife-

ſtam feciſſe. Fertur igitur quondam igne extincto ob quandam negligentiam Aemiliæ (quæ tunc eum ſeruabat, quæque alteri virgini nuper in virginum Veſtalium ordinem cooptatæ & recens edoctæ eius curam mandarat) ingens tumultus in tota vrbe ortus. & à pontificibus inquiſitio facta an fortè aliquod piaculum à ſacerdote in ignis cuſtodia admiſſum fuiſſet. Tunc igitur aiunt Aemiliam, inſontem quidem, ſed in tali caſu conſilij inopem præſentibus ſacerdotibus, & aliis virginibus manibus ad aram extenſis dixiſſe, Veſta, Romanæ vrbis cuſtos, ſi ſanctè & iuſtè ſacra tua feci per tempus annorum fermè triginta, & animo puro, & caſto corpore, appareas iam, & mihi opem feras, neque patiaris tuam ſacerdotem miſerrimo mortis genere perire. Quod ſiquid piaculi à me eſt commiſſum, meo ſupplicio piaculum ciuitatis expia. His dictis, abſciſſam laciniam à veſte carbaſina, qua induta erat, in focum proiecisse: poſt preces autem, aiunt ex cinere iam pridem frigido, & nullam ſcintillam ſeruante, flammam ingentem per carbaſum emicuiſſe, ita vt ciuitati nullis amplius expiationibus aut igne nouo opus eſſet. Sed quod ſum dictu us, longè admirabilius eſt, & ad fabulas propiùs accedit. Aiunt vnam de virginibus ſacris, nomine Tuciam, à quodam falsò accuſatam fuiſſe, qui ignem quidem extinctum illi obiicere non poterat: ſed alias quaſdam probationes falſas, & argumenta veriſimilia, quinetiam falſa teſtimonia proferebat. Iuſſam autem virginem ad omnia reſpondere, & ſe purgare, hoc ſolùm dixiſſe, ſe reipſa falſum crimen obiectum diuturam: & quum hæc dixiſſet, & deam inuocaſſet, vt ſibi viæ dux eſſet, ad Tiberim

rim proceſsiſſe pontificum permiſſu, & tota vrbana turba eam proſequente, & quum ad flumen acceſsiſſet, id quod trito prouerbio circunfertur, vt res audaciæ nimiæ plena, & quæ præcipuè nullo modo fieri poteſt, cribrova cuo & perforato, è flumine anſam fuiſſe haurire aquam, eamq; ad forum vſque latam ad pedes pontificum effudiſſe. Poſtea aiunt eius accuſatorem multum diuq; quæſitum, neque viuum neque mortuũ inuentum fuiſſe. Sed de manifeſta præſentia illius deæ quum poſsim & alia multa dicere hæc tamen ſufficere arbitror. Cæterùm, SEXTA pars inſtitutorum ad rem diuinam pertinentium, erat ea quæ attributa eſt iis qui Salij à Romanis vocantur. Hi autem erant duodecim iuuenes forma & virtute longè omnium præſtantiſsimi, quos Numa ex ordine patricio delectos creauit, quorum ſacra ſunt in Palatio, ipſiq; Palatini appellantur. Nam Agonales, qui à nonnullis Collini Salij vocantur, quorum ſacrarium eſt in Collino tumulo, poſt Numæ obitum à rege Hoſtilio inſtituti fuerunt, ob votum quoddam quod in bello contra Sabinos vouerat. Iſti omnes Salij ſunt quidam ſaltatores, & laudatores deorũ illorum qui armorum ſunt præſides. Eorum autem dies feſti, qui plures erant, incidunt in Panathenæa quæ fiebãt menſe Martio, & à toto populo publicè celebrantur: quibus diebus per vrbem ire ſolent, cum tripudiis in forum & Capitolium: & multa alia cùm priuata tum publica loca, æneis balteis ſupra tunicas pictas cincti, & geſtantes prætextas ſubtegminis punicei fibulis aſtrictas, quæ ab illis Trabeæ vocantur. (Hæc autem veſtis eſt Romanorum propria, & eſt in ſummo pretio:) & geſtantes in capite Apices, quos appellant, pileos rotundos & in altum faſtigiatos, quos

Græci vocãt κυρβασίας. Et eorum vnusquisque gladio ſit accinctus ac manu dextra lanceam, aut virgã, aut aliquid huiuſmodi tenet, læua verò peltam. Thoracem geſtat: hæc autem ſimilis eſt ſcuto oblongo, latera anguſtiora habenti, cuiuſmodi apud Græcos illi, qui curetum ſacris ſunt initiati, geſtare feruntur. Salij autem, quantum ego intelligo, ſi græcè nomen interpreteris, ſunt Curetes, quos ἀπὸ τῆς κούρων, id eſt, à iuuenibus, ab ipſa nimirum ætate, ita vocamus: à Romanis verò à concitato motu ita appellantur. Quod enim nos ἐξάλλεσθαι & σκιρτᾶν dicimus, id illi ſalire vocant, & ob eandem cauſam omnes alios, quos Græci ὀρχηστὰς appellant, quia hi quoque tripudijs, & ſaltationibus multis vtuntur, ipſi deflexo nomine à Saliis ſaltatores vocant. Verum autem rectè an non rem ſim aſſecutus dum hanc appellationem ipſis tribuo, quiuis ex iis quæ faciunt coniicere poterit. Nã ad tibiæ modulos armati concinnè ſaltant, modò omnes ſimul, modò per vices, & patria quædam carmina inter ſaltandum canunt. Tripudium autem & ſaltationem hominum armatorum, & ſtrepitum qui colliſis ad ſcuta gladijs editur, ſi qua fides antiquis autorum ſcriptis eſt habenda, vt ex his coniecturam aliquam ducamus, primi Curetes inſtituerunt. Non eſt autem opus fabulam de his vulgatam narrare apud illos qui propemodum omnes eam ſciunt. Inter ſcuta autem quæ & Salij geſtant, & quidam eorum miniſtri bacillis ſuſpenſa ferunt (quorum permagnus eſt numerus) vnum cœlitus delapſum aiunt. Hoc autem inuentum fuiſſe dicunt in Numæ regia, à nullo mortali illatum: ac ne viſam quidem ante talem in Italia formã. Quibus duabus cõiecturis adductos Romanos, exiſtimaſſe hoc ſcutũ à dijs cœlitus demiſſũ. Quũ autem

autem Numa vellet id in honore haberi, & per vrbem à præstantissimis iuuenũ festis diebus circunferri. & annus sacrificiis honorari. sed inimicorum insidias timeret, & vereretur ne clam surriperetur, aiunt eũ multa alia scuta illi cœlitus demissa simulia fabricasse, vsum operæ cuiusdã Mamurij opificis, qui illud opus faciendũ condu xerat, vt insidiatoribus illa cœlestis scuti species ac forma esset incerta, & ad dignoscẽdũ difficilis ob operis hu manã indiscretã similitudinẽ. Ista autem Curetica saltatio patrijs Romanorum moribus est recepta, magnóque in honore est, vt cũ ex multis aliis rebus, tum verò præcipuè ex circensibus & theatralibus põpis & spectaculis conijcio. In illis omnibus pueri puberes, indutí tunicis elegantibus, galeas, & enses, & palmas gestantes, ordine incedunt: huicque pompæ præsunt illi qui ab ipsis vocãtur à ludo, cuius inuentores Lydi creditur. Ludiones: imaginem quandam Saliorum (meo iudicio) referentes. siquidem nihil cureticum, vt Salij faciunt neque in carminibus, neque in saltatione. Oportebat autem eos ingenuos esse, & indigenas & patrimos matrimosq;. hi verò sunt cuiuscũq; fortunæ homines. Sed quid plura de ipsis sunt scribẽda? SEPTIMA verò pars sacrarũ legum, collegio fecialium qui ita vocãtur, attributa erat. Hi autem græco sermone εἰρηνοφύλακες appellari possent. Sunt autẽ viri ex nobilissimis familijs delecti, toto vitæ curriculo sacerdotiũ exercẽtes. quod sacrũ collegium rex Numa primus Romæ constituit. Vtrũ autẽ ab Aequicolis, qui ita vocãtur, exẽplũ sumpserit, vt nonnulli arbitrãtur, an ab Ardeatibus, vt scribit Gellius, affirmare nõ possum. Illud tãtum monuisse mihi satis est, ante Numæ regnũ fecialiũ collegium nondum Romæ fuisse. Numa enim id

constituit, quum esset bellū Fidenatibus illaturus, qui latrociniis & incursionibus in ipsius agrū factis, eum vastarant, nisi secū sine armis trāsigere maluisset, quod etiā tandē necessitate coacti fecerūt. Arbitror autē, quandoquidē non est receptū moribus Græcorū collegium faciliū, necesse mihi esse disserere de eius potestate, & demōstrare quāta esset, vt, quibus hactenus ignota fuit Romanorū pietas, cuius adeò sunt studiosi, minimè nouū & incredibile videatur, quòd omnia bella quæ gesserunt felicissimū exitū habuerint. Cōperiemus enim illos iustissimis de causis omnia bella suscepisse, propterea etiā potissimùm in periculis deos propitios habuisse. Omnia verò munera quæ sunt horū fecialiū, propter eorū multitudinē recēnsere non est facile: sed, vt rē summatim aperiā, hæc sunt: vt caueant ne populus Rom. vlli fœderatæ ciuitati bellū iniustū inferat. Quòd si aliq; cōtra ipsum priores fœdus violarint, vt legationē obeant, & ius suū repetāt, primùm quidē verbis: deinde verò nisi illi postulatis pareāt, tunc bellū decernāt. Similiter quoq; si qui populi fœderati se à Romanis iniuriā passos dicentes, ius suum repetāt, vt hi viri cognoscāt si quid cōtra fœdus illi passi fuerint, &, si visi fuerint iustē cōqueri, sontes cōprehensos in iuria affectis dedant, vtq; de legatorū iniuriis cognoscāt, & fœderū conditiones ac iura seruent, & pacem faciāt, & factā nisi ex sacratis legibus facta videatur, irritam faciant. Præterea, si quid imperatores vel cōtra iusiurādum, vel fœdera admiserint, id causa cognita expient. Quibus de rebus suo loco opportunius dicemus. Quòd autem attinet ad officium caduceatorum, quo illi funguntur quoties repetunt pœnas à ciuitate, quæ iniuriam fecisse videtur (hæc enim quoque digna sunt quæ sciantur,

tur, quippe quæ cum magna & pietatis & iustitiæ cura fiunt) hæc accepi. Vnus ex fecialibus, quem reliqui delegerint, ornatus veste & sacris insignibus, vt præter cæteros sit conspicuus, ad vrbem eorum qui fecerunt iniuriam, venit, & in ipsis eorum finibus stans, & Iouem cæterósque deos inuocans, testatur se venire vt pro populo Romano pœnas repetat. Deinde, postquam iurauit, se ad ciuitatem venire, quæ populo Romano fecit iniuriam, postquam etiam grauissimas imprecationes sibi & ciuitati suæ imprecatus est, siquid mentiatur: tum demum fines ingreditur, deinde in quem primum incidit, siue ille rusticus, siue vrbanus sit, eum testatus & iisdem execrationibus adhibitis vrbem petit, atque antequam eam ingrediatur, portarum custodem, vel eum qui primus ad portas sibi occurrit, eodem modo testatus in forum progreditur, atque ibi gradum sistens, magistratibus sui aduentus causam aperit, semper iusiurandum & imprecationes adiiciens. Quòd si illi iudicium subeant, & sontes dedant, tunc illos abducens, amicus ab amicis discedit. Quòd si tempus ad deliberandum petant, conceßis decem diebus eò redit, & quandiu illi petunt, ipse eorum postulata admittit: sed triginta diebus elapßis, nisi ciuitas ea ius suum ipßi tribuat, obtestatus & superos & inferos deos, & illud tantùm addens, populum Romanum de illis per otium deliberaturum, discedit. Postea reuersus cum reliquis fecialibus ad senatum, refert à se peractum quicquid ex sacratis legibus fas est, & si bellum decernere velint, per deos illis licere. Quòd si nihil horum factum fuerit, neque in senatus, neque in

populi potestate est bellum decernere. De festis igitur hæc accepimus. Vltima verò Numæ institutorum pars continebat sacra quæ sertiti erant ij qui apud Romanos summum sacerdotium & summam potestatem habent. Isti eorum linguæ ab uno opere quod faciunt à reficiendo ligneo ponte, pontifices appellantur. Res autem maximi momenti sunt penes eos. Etenim hi cognoscunt de omnibus causis ad sacra pertinentibus, & inter priuatos, & magistratus, & deorum ministros. Et leges ferunt de sacris quæ non sunt scripta, aut quæ moribus non sunt recepta, & ipsimet arbitratu suo leges & consuetudines eligunt, quas omnium optimas iudicarint. Et omnes magistratus, quorum curæ sacrificia & deorum cultus est commissus, & omnes sacerdotes examinant. Isti etiam cauent, ne quid eorum famuli & ministri, quorum opera in sacris vtuntur, contra sacratas leges admittant: priuatisque hominibus qui deorum vel gentium cultum ignorant, sunt enarratores, & interpretes, & si quos animaduertant suis mandatis non parere, pro cuiusque delicti magnitudine eos mulctant: ipsique nulli iudicio, nulliquæ multæ sunt obnoxij, neque senatui, neque populo dictorum factorumve rationes reddunt. Hos igitur sacerdotes siue quis vocarit ἱεροδιδασκάλους, siue ἱεροσυμους siue ἱεροφύλακας siue (vt nos censemus) ἱεροφάντας à veritate non aberrauit. Defuncto autem aliquo eorum in eius locũ sufficitur alius nõ à populo delectus, sed ab illis ipsis qui omnũ ciuium maximè idoneus visus fuerit: qui antè probatus fuerit, ita demũ sacerdotiũ accipit, si fausta auguria illi contigerint. Leges igitur quas Numa de rebus diuinis tulit, & quas dimisit pro sacrorũ ordinibus, unde factũ est vt ci-

uit as

uitas pietatem studiosius coleret, præter alias minores hæ maximæ & clarissimæ sunt.

9 ¶ Quæ verò ad frugalitatem & temperantiam uni cuiusque vitam ducunt, & impellunt ad studium iustitiæ (quæ ciuium concordiam alit & conseruat) plurima sunt partim legibus scriptis comprehensa, partim sine scriptis, quæ in morem longo usu & exercitatione abierunt. De quibus omnibus dicere valde difficile esset: sed satis erit hæc duo maximè memorabilia afferre, vt & de cæteris coniectura fieri possit. Vt enim vnusquisque sua sorte contentus esset, nec res alienas appeteret, cauit lege de terminandis prædiis lata. Quū enim iussisset vnumquenque suum agrum circunscribere, & lapides in finibus ponere, lapides illos Ioui Terminali sacros esse voluit, iussitque omnes die stato, quotannis in eum locū conuenientes, illis sacrificia facere, die festo cum primis nobili in deorum etiam Terminalium honorem sacrato. Romani hunc à terminis Terminalia vocāt, & fines, quos τερμονας appellamus, ipsi facta vnius literæ mutatione, nostram linguam imitantes, terminos appellant. Si quis verò sustulisset, aut suo loco mouisset terminos, eum qui tale quid patrare ausus fuisset, huic deo sacrum esse sanxit, vt cuilibet impunè eum interficere, tanquam sacrilegum, liceret, & purus ab eo piaculo esset. Hoc autem ius non solum in priuatis agris constituit, sed etiam in publicis illos quoque terminis complexus, vt etiam pop. Ro. agrū à vicino & publicum à priuato dij Terminales discerneret. hoc vsq; ad nostram ætatem Romani seruant illius seculi monumentum, idq; sanctitatis tantum gratia. Nā existimant ipsos terminos esse deos, & ipsis etiam nunc sacrificant, nullam quidem rem animatam (nefas enim

lapides cruentare) sed liba cerealia, & quasdã alias frugum primitias. Oportet autem eos etiã nũc seruare rem ipsam, cuius causa existimarũt Terminos vocandos esse deos, contentos suis possessionibus, neque quicquã alienũ vel vi vel dolo interuertere & sibi vendicare. Iam verò neque rectè, neque more maiorum quidã res suas ab alienis disterminant, non lege sed rerũ omniũ cupiditate possessiones finiente, quod est indecorũ: sed hæc aliis consideranda relinquamus. Numa igitur ad frugalitatẽ & tẽperantiam exercendã, ciues suos his legibus propensiores reddidit, & effecit vt in contractibus id quod æquũ est sequerentur: excogitata re, ab omnibus qui celebres rerumpub formas antè instituerant, ignorata. Quũ enim animaduertisset, cõtractus eos qui palàm & testibus adhibitis fierẽt, pudore, quo homines afficiuntur ob præsentiam eorũ qui illis interfunt, seruari, & à perpaucis quibusdã violari: eos verò qui sine testibus fierent (quorũ lõgè maior est numerus quàm aliorum) sola contrahẽtium fide custodiri, huic præcipuè præter cætera omnia strenuã operam dandã, hancq; diuinis honoribus dignandam cẽsuit. Nã iustitiam, & Themin, & Nemesin & eas quæ à Græcis vocantur Erinnyes, & quæcũq; numina his sunt similia, à maioribus satis amplos honores, & cultũ cõsequuta existimauit: sed fidẽ qua apud mortales nulla res est aut maior, aut sanctior, animaduertit, nullos diis cultus vel apud respub. vel apud priuatos homines consequutam. Hæc igitur cogitans primus omnium mortalium templum Fidei publicæ erexit, dicauitq;, eiq; sacrificia instituit, vt & aliis diis, quæ publico sumptu fiebant. Nã publica ciuitatis fides & cõstantia erga homines, temporis progressu priuatorum quoque mores tales erat reddi-

tura.

tura. Fides autem res adeò veneranda & non violanda habebatur, vt sua cuique fides maximũ esset iusiurandũ, vel omni testimonio longè validius: & quoties de contractu sine testib facto inter aliquos aliquid controuersiæ ortum fuisset, ipsa fides alterius partis disceptantium litẽ dirimebat, neque vlterius contentionẽ progredi patiebatur. Et magistratus, & iudices maximã controuersiarũ partem fidei iureiurando interposito dirimebant. Atque hæc ea sunt quæ Numa, vt homines ad temperantiã adhortaretur ac impelleret, & ad iustitiã cogeret, tunc excogitauit: quibus meliorem ordinem in republica Romana constituit, quã qui esse posset in domo optimè administrata. SED quæ mox sum dicturus, effecerunt vt ea in rebus necessariis esset diligens, vtique faceret ea quæ bona sunt. Quum enim vir ille videret, ciuitatem quæ esset iustitiam amatura, & vitæ temperantiam constanter cultura oportere rebus ad victum necessariis abundare: diuisit totum agrum in eos qui pagi vocantur, & singulis pagis singulos præfectos præfecit, qui essent portionis sibi commissæ inspectores & circuitores. Isti enim frequenter circumibant agros tam bene quàm malè cultos, eósque in tabellis notatos ad regem deferebant. Ille verò diligentes agricolas collaudatos summa comitate excipiebat, at segnes colonos obiurgatione atque etiam mulcta castigatos, ad agros melius colendos accendebat. Qui enim bellorũ erant immunes, & qui ab omnibus negotiis vrbanis penitus vacabant, quum otij & ignauiæ pœnas cum dedecore darent, omnes facti sunt coloni, vt victũ sibi manibus propriis pararẽt, & terræ diuitias, quæ omniũ sunt iustissimæ, militari & incerta rerũ

affluentia iucundiores esse iudicarunt. Atque inde factum est vt Numam subditi charum haberent, & ipsi finitimi populi æmularentur, & posteritas celebraret. Siquidem eius opera & industria neque intestina seditio ciuium concordiam dissoluit, neque bellum externum de præstantissimis illis, & maximè admirandis institutis ciuitatem dimouit. Tantum enim aberat vt vicini populi Romanorum illud otium bellorum immune, existimarent occasionem sibi eos inuadendi præbere, vt etiam siquod inter eos bellum conflatum esset, Romanos pacificatores eligerent, & inimicitias Numæ arbitratu dirimendas censerent. Non igitur puderet me si hùc virum inter primos qui felicitatis ergò celebrantur, recenserem. Nam fuit & genere regio & forma regia præditus, & operam dedit disciplinæ, non ei quæ versatur in verbis inutilibus: sed ei, vnde pietatem & aliarum virtutũ studium edidicit. Dignus autem est habitus qui Romanorũ imperium acciperet, quamuis adhuc iuuenis esset, ob celebre nomen virtutis quæ erat ornatus, ad regnum ab ipsis accitus: & toto vitæ tempore subditos suos obsequentissimos habuit. Et omnibus sensibus & corpore adhuc integro extremam ætatem attigit, nullo fortunæ incommodo vexatus, & mortis facillimo genere obijt, senio confectus, ei eodem genio semper fauente quem à principio sortitus fuerat, donec ex hominum cõspectu sublatus est. Vixit supra LXXX. annos, XLIII. regnauit, & sobolem reliquit, vt nonnulli scribunt, quatuor filios mares, & vnam fœminam: quorum genus adhuc supereſt. Sed (vt Cn. Gellius tradit) vnicam filiam reliquit, vnde natus est Ancus Marcius: qui tertius ab illo fuit rex Romanorum. Eo autem defuncto in tota vrbe fuit ingens luctus,

Elus, eúmque P. R. funere splendidissimo & monumento maxime insigni decorauit. Hoc autem situm est vltra flumen Tyberim, in Ianiculo. Atque hæc quidem de Numa Pompilio accepimus.

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSÉI,

ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER TERTIVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Tulli Hostilij, tertii Romanorum regis electio, & res bello gestæ contra Albanos.

2 Orationes quatuor Metij Suffetij & Tulli Hostilij, de pace inter Albanos & Romanos constituenda.

3 Albani & Romani de controuersia sua armis decidenda consentiunt: modus autem is est vt Horatij, & Curiatij, fratres tergemini, committantur.

4 Trigeminorum pugnæ ampla descriptio.

5 Horatij, victoris à pugna redeuntis, infortunium, accusatio & mulcta.

6 Tullus Hostilius dum se ad bellum contra Fidenates comparat, Albani ad cruentam proditionem à Metio Suffetio sollicitantur.

7 Fidenatibus prælio victis, atque Suffetij detecta coniuratione, Tullus rem totam defert ad exercitum: de Suffetio eiúsque sociis supplicium sumitur: Alba diruta, Fidenæ à Tullo captæ sunt.

8 Bellum in Sabinos & Latinorum ciuitates: mors Tulli Hostilij.

9 Ancus Martius, III. rex Romanorum, Republica instaurata bellum gerit aduersus Latinos, Fidenates, Sabinos, Veientes & Volscos: Romam vrbem non mediocriter auget, & placidè ex vita discedit.

10 Lucius Tarquinius, V. Romanorum rex, quibus artibus ad regnum peruenerit: eius bella contra Latinos populos, Latinorúmque in agrum Romanum irruptiones: Tarquinij deinde de Latinis reportata victoria & triumphus.

11 Bella Tarquinij aduersus Sabinos, Veientes, Hetruscos, Cæretanos & Fidenates, eiusdémque triumphus, ac pax Hetruscis, principatum Romanis relinquentibus, concessa.

12 Sabinos cum Romana ciuitate de principatu contendentes Tarquinius iterato bello aggreditur, superat, & de hostibus victis triumphum agit.

13 Quæ Tarquinius ad ciuitatis administrationem vel ornatum pertinentia fecerit: Accij Nauij, auguris celeberrimi historia: tandem ab Anci Martij filiis Tarquinius dolosè interficitur.

Continet autem Tulli, Martij, & Tarquinij historia, hoc libro descripta, nonaginta duorum annorum spatium.

I DEFVNCTO *Numa Pompilio, quum reipub. administratio ad senatum rediisset, is eandem ciuitatis formam seruare statuit, ne ipso quidem populo dissentiente. Quare de senioribus certum quendam numerum interregum constituit: à quibus totius populi consensu & approbatione creatus est rex* TVLLVS HOSTILIVS: *cuius hoc fuit genus. Ex vrbe Medullia, quam Albani condiderant, & Romulus*

lus deditione captam Romanorum coloniam fecerat, vir nobilis & opibus pollens, Hostilius nomine, quum habitandi causa Romam migrasset, duxit vxorem genere Sabinam, Hersilij filiam, quæ suis gentilibus autor fuerat vt pro maritis suis ad patres legationem obirent, quo tempore Sabini cum Romanis bellum gerebant, & quæ amicitiæ inter illos duos principatus conciliatæ causa præcipua fuisse videbatur. Hic vir quum Romuli ductu multis bellis interfuisset, & præclara facinora edidisset, tandem in prælio cum Sabinis commisso cecidit, relicto filiolo vnico: & à regibus sepultus est in maximè conspicua fori parte, monumento cum inscriptione eius virtutem testante, decoratus. Ex eo autem vnico filio quum ad ætatem virilem peruenisset, & nobilem matronam vxorem duxisset, natus est Tullus Hostilius, vir industrius, qui tunc legitimis populi suffragiis rex declaratus est, diis etiam plebiscitum per fausta auspicia ratum facientibus. Annus autem quo regnum est adeptus fuit secundus vigesimæ septimæ olympiadis qua in stadio vicit Eurybates Athenicnsis, archonte Leostrato. Hic, simulatque regnum est adeptus, edito facinore longè omnium præclarissimo, omnes qui de plebe erant mercenarij & egeni sibi deuinxit. Id autem eiusmodi fuit. Superiores reges eximium, magnum & vberem agrum habebant, ex cuius prouentibus & diis sacra faciebant, & res ad victum suum necessarias abundè habebant, quem Romulus iure belli ademptum iis, qui tunc eum possidebant sibi parauerat: sed quum ille sine liberis obiisset, Numa Pompilius rex, qui ei successit, eo fruebatur. Is autè ager non amplius erat publicus, sed

propria regũ sors & possessio semper erat. Tullus igitur permisit vt hæc possessio Romanis, quibus nullus ager esset, viritim diuideretur: assirens patrimonium sibi & ad sacra & reliquos domesticos sumptus sufficere. Hac autem liberalitate ciues inopes recreauit, effecitque ne aliis amplius seruirent. Nequis verò expers domitiij esset, eum collem qui Cælius nuncupatur, murus vrbis adiunxit: vbi omnes Romani, quotquot sine lare erant, adepti quantum loci sat erat, domos ædificarunt, ibique ipse suas sedes fixit. Atque hæ quidem sunt res memoratu dignæ, quas ab illo viro in reipub. administratione domi gestas ferunt. RES verò foris gestæ multæ & variæ memorantur, de quibus mox dicam, ducto exordio à bello cum Albanis gesto. Dissidij autem & cognationis dissolutæ inter has ciuitates autor fuit Albanus quidam nomine Cluilius, qui summum magistratum apud Albanos gerebat. Hic ægre ferens Romanorum res secundas, & inuidiæ impotens, & ingenio arroganti & maligno præditus, dissidium ac bellum inter hos duos populos excitare decreuit. Sed quum nullam rationem videret qua Albanis persuadere posset, vt sibi exercitum contra Romanos ducere permitterent, & neque iustas, neque necessarias belli causas haberet, tale quiddam comminiscitur. Albanis omnium pauperrimis, & audacissimis permisit vt Romanorum agros popularentur, impunitatem pollicitus, & effecit vt multi quæstum omni periculo vacantem secuti (siquidem nihil eorum quæ cepissent, metu coacti, erant restituturi) totam finitimam regionem latrociniis replerent: hoc autem fecit consilio non temerario, vt ipsa res docuit. Existimabat enim Romanos rapinas non laturos, sed ad arma ituros, & sibi

sibi oblatum iri occasionem cos apud populum criminandi, quasi priores bellum inferrent. Existimabat etiam plurimos felicitatis suorum colonorum invidia. Eos, libenter crimina admissuros, & bellum illis illaturos: quod etiam accidit. Nam quum utriusque civitatis malefici homines prædas agerent, & alteri alterorum res diriperent: & Romanus exercitus tandem in agrum Albanum fecisset irruptionem, in qua multi latrones partim cæsi, partim capti fuerunt, Cluilius convocata ad concionem multitudine, longa oratione acriter in Romanos est invectus, & multos ostendens saucios, & producens eos, ad quos res raptæ pertinebant, & eos qui defunctorum erant necessarij & præterea longè plura quàm revera essent, mentitus, primùm decrevit legatos mittere, qui iniuriæ authores ad supplicium deposcerent: quòd si Romani æquitatem spernerent, tunc arma illis inferre statuit. Quum igitur legati eorum Romam venissent, suspicatus Tullus eos venire ut res raptas repeterent: pœnasque pro iniuriis illatis repoſcerent: ipse eos hac in re anteuertere statuit, causam violati fœderis cum sua colonia facti in illos retorquere volens. Fœdera enim Romulo regnante inter duas has civitates facta fuerant: quæ cùm alias æquas iustásque conditiones continebant, tum etiam hãc, ut neutra alteram bello lacesseret, & quæ de aliquo maleficio conquereretur, diſceptaret apud eos qui iniuriam fecisset, quod si ius suum obtinere non potuisset, tunc necessario bellum inferret, ut ruptis iam fœderibus. Quare, cauens ne Romani Albanis prius res suas suumque ius repetentibus negarent, atque ita se illis obnoxios redderent, mandauit præcipuis & nobilissimis amicis suis ut Albanorum legatos hospitio exciperent, eósque

omni humanitatis genere tractarent, & domi apud se detinerent. Ipse verò simulans se necessariis quibusdam negotiis districtum, eorum aduentum eiusit. Proxima autem insequenti nocte, illustres quosdam ciues Romanos, quum antè præcepisset quid esset agendum, misit Albam cum Fecialibus, qui peterent, vt pro iniuriis illatis Albani pœnas Romanis persolucrent, qui ante solis ortum itinere confecto, manè ipsum Cluilium in foro iam pleno versantem offenderunt: & expositis iniuriis, quas Romani ab Albanis acceperant, postularunt, vt præstaret quod continebatur in conditionibus fœderis inter duas ciuitates icti. At Cluilius, quòd priores Albani Romam legatos misissent, qui pœnas iniuriarum repeterent, neque responso Romani eos dignati fuissent, iussit Romanos discedere, vt fœderum violatores: illíque bellum indixit. Legationis autem princeps discedens, hoc solum ex Cluilio audire voluit, num fateretur eos demum fœdera violasse, à quibus prius iniuriarũ pœnæ repetitæ fuissent, & qui nil æqui pitiq; facere voluisse. Id cõfitẽte Cluilio, {Ego (inquit) testor illos ipsos deos quib. testibus fœdus inter nos olim ictũ fuit, Romanos qui ius suũ non obtinuerunt priores bellũ piũ iustúmq; contra fœderũ violatores suscepturos, & vos hoc iudiciũ fugitare, vt res ipsa demõstrat. Vos.n. priores nobis res nostras petẽtibus negastis, nec ius nostrum nobis tribuistis, & priores bellũ nobis indixistis. Quare, nos breui armis iniuriã vlturos, expectate.} Tullus quũ hæc audisset ex legatis Romã reuersis, ita demũ imperauit vt Albani adducerentur, & sui aduentus causam exponerẽt, qui quũre tulissent omnia Cluilij mandata, & nisi ius suum obtinuissent, bellum minarentur. {Equidem prior (inquit) hoc

hoc feci, & quum videam nihil eorum, quæ in fœderibus continentur, à vobis seruari, hæc antè vobis violatæ & contempta satis patet. Quare, & necessarium & iustum bellum Albanis indico, non solùm armatis domesticis copiis, sed etiam subditorũ auxiliis accersitis. } Rebus autem omnibus ad bellum paratis (postea enim ob has speciosas causas vtrique ad bellum se parârunt, non solùm domesticas copias instruentes, sed etiam subditorum auxilia accersentes) in vnum conuenerunt, & castra posuerunt quadragesimo ab vrbe stadio. Albani quidem ad fossas quæ Cluiliæ vocantur: seruani enim adhuc nomen eius à quo factæ fuerunt. Romani verò in loco paulò interiore, quem elegerant, & ad castra metandum commodum iudicarant. Postquam autem mutuò vtrique copias conspexerunt, neque numero inferiores, neque vili armorum genere instructas, neque ob reliquum apparatum contemnendas, primum illum ardorem ac impetum, quo principio ad conflictum ferebantur, vt prima impressione hostes fugarent, sedarunt: & de vi propulsanda potius quàm inferenda cogitare cœperunt, vallum vtrique altius erigentes. Eorum verò prudentissimis quibusque, qui optimè de rebus sentiebant, optimóque iudicio & consilio præditi erant, in mentem venit, vt duces suos reprehenderẽt. Quũ enim tẽpus frustra traheretur (nihil enim quod esset memoratu dignũ faciebãt) incursionibus & velitationibus, aut equestribus præliis se mutua clade afficiebant. Cluilius verò, qui huius belli autor fuisse videbatur, molestè ferẽs ignauũ otiũ decreuit exercitũ educere, & hostes ad præliũ prouocare, & si certamẽ detrectarẽt, eorum munitiones adoriri. Quare, paratis omnibus rebus ad pugnam necessariis, paratis etiam, si

murorum oppugnatione opus fuisset. iis omnibus quæ ad eam rem faciebant, noctu in prætorio cubans, astante solito satellitio, circa matutinum crepusculum mortuus inuentus est, neque cædis, neque laquei, neque veneni, neque vllum aliud violentæ necis vestigium in corpore habens. Quum autem iste casus admirandus, (vt reuera erat) omnibus videretur, & causa quæreretur: (neque enim morbum præcessisse quisquam poterat causari:) qui ad diuinam prouidentiã omnes humanos casus referunt, asserebant eum ira diuina extinctum, quòd veterem patriam ad bellum neque iustum neque necessarium contra suam colonium incitasset, qui verò id bellum sibi quæ stuosum fore existimabant: & se magnis commodis priuatos arbitrabantur, id facinus ad insidias & humanam inuidiam referebant: insimulantes quosdam eius aduersarios, quòd occulta & deprehensu difficilia venena comparasset, hi que hominem necassent. Alij verò præ dolore, & consilij inopiæ eum sibi mortem voluntariã consciuisse aiebant, quòd omnes suos conatus difficiles & irritos videret, & ex animi sententia nihil eorum ipsi succederet, quæ à principio, quum rem aggressus est sperarat. At qui neque amore, neque odio ipsius ducis mouebantur, & qui optimè de eo quod acciderat iudicabant: existimabant virum illum neque diuina indignatione, neque aduersariorum inuidia, neque rerum desperatione extinctum, sed ipsa naturæ necessitate & fato: quippe quòd debitam sortem, quæ omnibus nascentibus est destinata, impleuisset. Cluilius igitur, antequam vllum egregium facinus ederet, talem vitæ exitum est sortitus. In eius autem locum suffectus & dictator creatus est ab exercitu Metius Suffetius, vir neque

belli

belli dux idoneus, neque pacis custos firmus: qui, si quisquam alius Albanorum, quum ab initio cuperet discordiam inter has duas ciuitates excitare, & propterea post Cluilij obitum imperio dignus ab Albanis iudicatus fuisset: tamen postquam imperium est adeptus, & cognouit incommoda & difficultates omnes præsentis rerum status, non perstitit amplius in eadem sententia, sed censuit cunctandum, & tempus terendum: quòd videret neque omnes Albanos amplius ad bellum eadem animi alacritate propensos, neque sibi sacrificanti victimarum exta satis felicem prælij exitum portendere. Quare tandem statuit hostes ad pacem inuitare, missis ante caduceatoribus, quia videbat periculum quod ab extraneis impendebat, & Albanis, & Romanis, nisi inter se fœdus facerent: bellum videlicet improuisum, quod vtrunque exercitum erat deleturum. Id autem erat huiusmodi, Veientes & Fidenates, qui vrbes magnas habebant, regnante Romulo cum Romanis de principatu, & dominatu armis contenderant, & in eo bello vtrique multis exercitibus amissis, & agri parte mulctati, victorum imperata facere sunt coacti: de quibus in superiore libro accuratè egi. Sed Numa Pompilio regnante, pace stabili fruentes, valde & virorum copia & diuitijs & reliquis felicitatis partibus aucti sunt. Hac igitur felicitate elati, ad libertatem iterum aspirabant, & elatiores spiritus assumebant, & se parabant ad Romanorum imperium in posterum detrectandum. Aliquandiu igitur consilium defectionis ipsorum dissimulatum est, sed Albano demum bello patefactum est. Quum enim audissent Romanos ex suis finibus egressos totis viribus,

vt prælio cum Albanis decernerent, rati se optimam eos inuadendi occasionem nactos, clam potentissimi quique coniurarant, vt omnes qui per ætatem arma ferre possent, Fidenas conuenirent, clam & rati eò vementes, vt ita insidiæ quæ Romanis parabantur, minimè innotescerent: atque ibi subsistentes occasionem expectarent, quando Romanorum & Albanorum copiæ castris derelictis ad certamen prodirent. Hoc autem illis erant significaturi signo dato speculatores quidã, in montibus delitescentes. Dato autem signo omnes armis correptis in eos celeriter impetum facere oportebat: spatium autem inter Fidenas & castra non longum erat: sed ad summum erat quantum duabus, tribusve horis confici posset. & de creuerant prælio iam confecto derepentè in conspectum hostiũ venire, & vt erat verisimile, omnes pro hostibus habere, & siue Albani, siue Romani vicissent, ipsos victores interficere. Hæc sunt quæ principes illarũ ciuitatũ facere decreuerant. Si igitur audacius Albani contẽptis Romanis in certamẽ cũ impetu iussent, & vnico prælio de rerũ summa decernere statuissent, nihil prohibere potuisset, quominus insidiæ ipsis paratæ latererent, & vterque exercitus deleretur. Iam verò & ipsa belli mora, quæ præter omnium expectationem fiebat, & temporis diuturnitas, diu se vtrique instruunt, eorum consilia diffudit, & irrita fecit. Quidam enim de coniuratorum numero, siue priuatis commodis studentes, siue suis principibus & eius rei authoribus inuidentes siue veriti ne quis alius rei index existeret (quod multis accidit in coniurationibus, quarum multi sunt participes, quæque sunt lentæ ac diuturnæ) siue etiam coacti ipsis conscientiæ stimulis, quòd nollent facinus tam impium ad felicem

exitum

exitum perduci, dolum hostibus prodiderunt. Suffetius igitur his cognitis maiore studio controuersias dirimere, pacémque facere enixus est, quippe qui videret sibi aliter faciendi nullam optionem relinqui. Huius autem coniurationis indicia & ad ipsum regem Romanorum ab amicis, quos Fidenis habebat, delata fuerant. Quare ne ipse quidem diutius cunctatus, Suffetij conditiones, ad quas ab eo inuitabatur, admisit. Quum autem ad colloquium conuenissent, in locum qui erat medius inter vtraque castra, vtrique cum consiliariis viris prudentibus, primùm se inuicem salutarunt, vt olim solebant, (non aliter quàm amici, & cognati, qui se inuicem amicè salutant) deinde de pace agere cœperunt.

2 ¶ PRIOR autem Albanus ita est exorsus, {VIDETVR mihi necessarium esse ante omnia causas demonstrare, quæ me impulerunt vt prior de pace facienda agerem, quum neque à vobis prælio fuerim superatus, neque vllo modo commeatu intercluſus: ne fortè putetis me domesticis viribus diffisum, & vestras vires inuictas existimantem, honestam aliquam rationem, qua hoc bello liberaremur, quærere. Certè enim intolerabiles essetis ob istam vestram grauem arrogantiam, siquid tale de nobis crederetis, & ad nullas æquas conditiones, quasi armis iam superiores, descendere velletis. Ne fortè igitur putetis huius mei propositi aliquas esse falsas causas, quæ faciant vt ad pacem sim propensior, veras accipite. Ego à mea patria dictator creatus, simulatque hoc imperium accepi, cœpi considerare quænam præcipuæ causæ nostras ciuitates turbassent, quas quum viderem exiguas & leues, neque idoneas quæ tantã amicitiã & cognationẽ dirimerent, existimabã ne-

que ipsos Albanos, neque etiam nos optimũ consilium cepisse, sed longè melius hoc cognoui. & magnam vtrorumque insaniam damnaui postquam ad ipsam rerum administrationem acceßi, & vniuscuiusque voluntatis periculum feci. Na n neque in priuatis, neque in publicis conuentibus omnes Albanos de bello idem sentire vidi. Quum autẽ iampridem in humana ratiocinatione multæ difficultates deprehenderentur, & diuina signa, quo tempore de prælij exitu victimarum exta consului, nihil læti mihi portenderẽt, vehemẽter tristari, & animo dubio atque anxio esse cœpi. Hæc igitur cogitãs illũ pugnãdi impetum repressi, pugnã differens, & moras nectens, ratus vos priores de pace acturos. Et sanè, Tulle, oportuisset vos priores hoc facere quũ sitis nostri coloni, nec expectare donec vestra antiqua patria vos ad pacẽ inuitaret. Quẽ. n. honorẽ parẽtes à liberis, eũ vrbiũ cõditores à suis colonis sibi deferri volunt. Dũ aũt nos cunctamur, & inuicẽ alteri alteros spectamus, vti priores de cõpositione agant, alia quædã externa necessitas, cui vix humano cõsilio resisti potest, nos conciliat: quã quum audierim vobis adhuc occultam, existimaui non esse mihi ita enixè spectandã honestã pacis faciendæ rationem. Graues enim, ô Tulle, in nos machinationes struuntur, & in vtrósque dolus ineuitabilis est consutus, qui instar ignis, vel torrentis ingruens, facilè & nullo cũ labore res omnes nostras atteriturus & perditurus erat. Authores autẽ horũ scelestorum consiliorũ sunt Fidenatiũ & Veientium potentissimi quique ciues, qui coniurationem fecerunt. Rationem autẽ insidiarum, & modum quo occulta ipsorum consilia cognouerim, audite. His dictis, literas quidam eorum qui aderant, tradidit legendas: quas ei attulerat

quidam

quidam ab hostilibus Fidenatibus: & eum qui ipsas attulerat, produxit. Literis autem lectis, & rebus omnib. ab illo viro enarratis, quas audierat ex eorum ore qui ipsas epistolas scripserant, & omnibus qui aderant mirum in modū obstupefactis (quē admodū verisimile est accidisse tanto malo præter spē audito) breui mora interposita, Suffetius rursus ita loqui cœpit: Audistis Quirites, cur hactenus manus vobiscū cōserere cunctatus sim, & cur ego prius vos ad amicitiā & pacē iā prouocare voluerim. Vestrū erit iā videre vtrum putetis satius obsidiones & oues raptas bellū implacabile semper gerere cum vestris cōditoribus & patribus, in quo & victi & victores perituri sitis, an depositis in cognatos odiis nobiscum cōtra cōmunes hostes ire, qui nō solum à vobis defectionē facere sed etiā in vos insurgere decreuerūt, neq; vlla iniuria à vobis affecti, neq; etiā metuentes nequid dāni in posterum accipiāt. Neq; verò apertè nos erant aggressuri, vt belli legitimi ius cōmune postulat, sed clā, nequis ipsorum insidias præuideret, ac sibi ab illis caueret. Sed n. q. in pios homines totis viribus nobis sit eundum inimicitiis depositis (insani n. esset aliter sentire) nō est opus pluribus agere, & vos hortari, præsertim quum vos quoq; idem statueritis & facturi sitis. Sed quomodo ex vtriusque ciuitatis dignitate & cōmodo pax fieri possit (hoc enim fortasse iampridem audire cupitis) iam dicere conabor. Equidem censeo eam pacem, quæ fit inter cognatos & amicos esse præstantissimam & honestissimam quum omni ira extincta, & omnibus malis obliuioni mandatis, omnes sibi inuicē sine dolo vtro citróque illatas & acceptas iniurias condonant. Minus verò honestam eam esse iudico in qua ipsa quidem populi mul-

titudo criminibus liberatur, sed illi soli qui se mutuis iniuriis affecerunt coguntur iudicium subire, causam dicere, & iure disceptare. Harum igitur pacis faciendæ rationum alteram, quæ sit & honestior, & magnanimis viris dignior, nobis eligendam censeo, & communi decreto omne malorum præteritorum, & iniuriarum vltrò citróque illatarum & acceptarum memoriam abolendam. Quòd si tibi, Tulle, pacem ita fieri non placet: sed querimonias iniuriarum mutuarum iure finiri mauis, ad hæc etiam parati sunt Albani, dummodò priùs publicæ inimicitiæ deponantur. Quod si quem alium præter hunc honestiorẽ, aut iustiorẽ reconciliationis modũ habes, nõnne ocius eũ in mediũ proferes? nã magnam tibi habebo gratiã. His à Suffetio dictis Romanorum rex eius orationem excipiens, ET NOS (inquit) ô Suffeti, grauẽ cladẽ nos accepturos arbitramur, si sanguine & cæde cõtrouersias inter cognatos ortas dirimere, ac finire cogamur: & quoties sacra fecimus vt deorũ belli euentu volũtatem cognosceremus, prælij initiũ facere prohibiti fuimus, & de occultis Fidenatum, & Veientium coniurationibus, quas in nos vtrosque fecerunt, paulò ante ab hospitibus, quos ibi habemus, certiores fuimus facti & ab illis nobis cauemus: vtque nullũ detrimentũ acciperemus, & illos vlcisceremur, pro eo ac merentur eorũ insidias, tã nos parauimus. Nõ minus autẽ quàm tu bellum hoc potiùs sine pugna, quàm armis finire volebamus: sed priores de pace legatos mittere noluimus, quia belli initiũ à nobis non est factũ, sed lacessiti à vobis vim propulsauimus. Quòd si vos arma deposueritis lubenter conditiones, ad quas nos inuitatis, accipiemus, neq; in pacis conditionibus moro si ac difficiles erimus, sed præstãtissimas, & viris magna-

nimis maximè dignas admittemus, condonantes Albanæ ciuitati omnem iniuriam, omnèque delictũ (si tamen publica ciuitatis delicta ea sunt vocanda, quorum vester Imperator Clœlius erat autor) qui pro vtrisque nostrũ meritas pœnas diis persoluit. Omnis igitur materia & occasio tam priuatarũ quàm publicarũ criminationũ tollatur, & omnis præteritorũ malorũ memoria aboleatur, vt & tu, Suffeti, cesses. Sed nõ satis est nos hoc solũ spectare, quomodo præsentes inimicitias quæ sunt inter nos dirimere possimus, sed etiã ne vnquã posthac bellũ inter nos iterũ geramus aliqua ratio est inuenda. Neque. n. conuenimus vt inducias, sed vt pacem faceremus. Quo modo igitur pacẽ firmã facere possimus, & quid vtrisque faciẽdũ sit vt & nunc & posthac in perpetuũ amici simus, tu ô Suffeti omisisti, at ego hoc quoque addere conabor. Si nimirum Albam Romanorũ bonis inuidere desinant, quæ non sine magnis periculis & laboribus quæsiuerunt. Nulla. n aut grauiore aut leuiore iniuria à nobis accepta: propterea tãtum nos odio prosequimini, quia fortuna magis prospera quàm vos vti videmur. Itẽ si Romani Albanos suspectos habere, quasi sibi semper insidiẽtur, & si ab illis, tanquã ab hostib. sibi cauere desinant. Nullus. n. amicus firmus esse potest ei cui est exosus. Quomodo igitur hoc vtrũque fieri poterit? Nõ si in fœderis cõditionibus hæc scripserimus, neque si vtriq. per sacra iurauerimus, parua. n. & infirma sunt hæc præsidia. sed si alteri alterorum prosperitatẽ cõmunem duxerimus. Vnũ. n. est, ô Suffeti, doloris, quẽ homines ex aliorum bonis capiunt, remedium, si nimirum qui inuident aliorum bonis, non putent ea esse amplius aliena. Vt igitur hoc fiat, author sum Romanis vt in commune conferant, & Albanos in-

pertiant omnia bona, quæ iam habent, & quæ in posterum sint habituri: Albani verò alacriter accipiant, & contenti sint iis quæ dantur, vtque vos omnes, vel, nisi omnes, at saltem maior pars & præstantissimi quique de vobis Romanæ vrbis coloni fiatis. Neque enim Sabinis quidem & Hetruscis honorificum fuit delictis suis vrbibus ad nos habitandi causa migrare, vobis verò genere coniunctissimis si idem feceritis, turpe est futurum. Quod si recusatis vnam & eandem vrbem nobiscum incolere, quæ iam ampla est, & longè amplior futura, & patriarum sedium amore detinemini, hoc saltem facite, consilium vnum publicum designate, quod commodis vtriusque ciuitatis consulat, & imperium tradite alterutri ciuitati, quæ visa fuerit potentior, & quæ pluribus commodis inferiorem afficere possit. Atque hæc quidem est mea sententia: & si hæc fiant tum demum nos constantes amicos fore sed si duas vrbes æque excellentes, vt nunc incolamus, nunquam nos concordes fore puto. } His auditis, Suffetius tempus ad deliberandum petiit: & quum ex consilio secessisset, cum Albanis an eæ conditiones admittendæ essent consultauit. Cognitis autem omnium sententiis, reuersus in consilium ita est loquutus, } NOBIS, Tulle, patriã relinquere nõ placet, neq. deserere sacra patria, & maiorũ lares, & locum quem fermè per quingentos annos maiores nostri tenuerunt, præsertim quum nullum bellum, neque alia necessitas fatalis nos cogat. Vnum verò consilium publicum constitui, & vnam esse ciuitatẽ quæ alteri imperet non displicet. Atque hoc etiam caput in fœderibus scribatur si ita videtur & omnis belli materia tollatur. } Quum autẽ hactenus inter eos conueniret contendebant de ciuitate cui imperium

riũ esset committendum, & multa verba ab utrisque ea de re sunt facta, quòd uterque indicaret æquum esse ut sua ciuitas alteri imperaret. Albanus enim hoc iure ni tebatur, {Nos Tulle, digni sumus qui uel reliquæ Italiæ imperemus, quia gens Græca, & omnium earum quæ hanc regionem incolunt, maxima sumus. Latinæ verò gentis imperium si ullius alius ad nos pertinere dicimus, idq; non sine causa, sed communi omniũ hominum iure, quod natura ipsa omnib. dedit, ut nimiriũ generis authores suæ soboli imperent. Sed præ omnibus coloniis, de quibus hactenus nihil cõquerimur, uestræ urbis imperium ad nos attinere existimamus, quum coloniam in eam miserimus non multis ante seculis, sed tertia ante hanc ætate, ita ut iam nostrum genus, uetustate antiquatum, ex hominum memoria non sit deletum. Quod si natura iure humano inuerso statuat iuniores senioribus imperare, & posteros maioribus: tunc nos quoque patiemur conditores coloniæ suæ imperio parere: sed non ante. Atque hoc quidẽ unũ est ius, quo freti imperiũ ad nos pertinere dicimus, quod nunquam sponte nostra uobis concedemus. Alterum verò est huiusmodi, hoc autem ita accipite ut minimè putetis à nobis dici quòd uos criminari aut probro afficere, & aliquid uobis exprobrare uelimus, sed quia necessitas hoc postulat: Albanorum genus quale fuit olim dum urbs conderetur, tale etiam usque ad hanc nostram ætatem permanet: neque quispiam demonstrare posset ullam hominum nationem præter Græcam & Latinam, cuius nostræ ciuitatis imperiti fuerimus. At uos uestram illã accuratam reipub administrandæ rationem corrupistis, receptis Hetruscis, & Sabinis, & aliis quibusdam lare carentibus, & permul-

tis barbaris erronibus, ita vt iã parua pars germani nostri generis apud vos supersit, imò potius multis partibus maior sit numerus adscititiorũ & alienigenarum. Quòd si nos imperio vobis cessérimus spurÿ germanis, & barbari Græcis & adsciticÿ indigenis imperabunt. Neque enim hoc possetis dicere, aduenarũ turbã à reip. administratione à vobis arceri, vos verò indigenas reip. gubernacula & imperiũ habere: quinetiam peregrinos reges creatis, & maxima senatus vestri pars ex aduenis cõstat quorum nihil vobis volentibus contigisse dicere potestis. Quis enim si sit potentior, sponte imperium inferioris ferat? Magnæ igitur esset demẽtiæ & ignauiæ, si ea quæ dicitis vos necessitate coactos patimini spõte nostra ferre vel lenius. Postrema aũt ratio, qua nostrũ ius tuemur hæc est, in Albanæ reip. administratione nihil prorsus adhuc immutatũ fuit licet iã sit decima & octaua ætas ex quo hæc resp ita administratur sed omnes patrÿ mores ac ritus decorè seruãtur. At vestra resp. est inornata & inordinata, ac sine bona disciplina, vt pote quæ recens est cõdita, & ex collunie multarũ gentiũ cõstat, cui lõgo tẽpore & varia fortuna opus est, vt cõponatur, & turbæ & seditiones, quæ nũc in ea sunt, sedẽtur. Omnes aũt facilè fateãtur oportere sedata turbatis, & ea quorũ aliquod periculũ factum est, cõtrarÿs, & sana ægrotis imperare. Quare vos qui contra facere conamini, nõ bene facitis. {Hæc quũ dixisset Suffetius Tullus eius orationẽ excipiẽs ita est loquut', {Naturæ & morũ ius ô Suffeti & vos Albani, nobis vtrisq. est cõmune: vtriq; nos ex iisdẽ maioribus nos esse gloriamur: quare nõ est quod propterea alteri nostrũ vel meliore vel deteriore sint cõditione. Quod aũ tẽ dicitis, oportere omnino colonias suorum conditorum

imperio

imperio parere quasi hoc sit lege quadã naturæ necessaria cõstitutum, certè hoc neq; verum, neq; æquum iudicamus, vestraq; postulata sunt iniqua: multæ enim sunt gentes apud quas conditores coloniarũ nõ imperant sed parẽt suis colonis. Maximũ autem & manifestissimũ huius rei exemplũ est ipsa Spartana ciuitas, quæ nõ solùm aliis Græcis, sed etiã Dorien sibus, vnde originem ducit, vult imperare. Sed quid de aliis, verba sunt faciendã? Vos enim ipsi qui missa colonia nostrã vrbẽ cõdidistis, Lauiniẽ siñ estis coloni. Si igitur naturæ lex postulat vt suæ coloniæ cõditores ipsi imperent, nónne Lauinienſiũ causa erit potior quàm vtrorúmque nostrũ? Quòd igitur attinet ad primũ ius quo nitimini, & quod valde egregiam habet speciẽ, hæc sufficiunt. Sed quando, ô Suffeti, vtriusque ciuitatis vitã examinare, & conferre es aggressus, asserens Albanorum nobilitatẽ semper in eodẽ statu permãsisse, nostrã verò corruptam fuisse alienigenarũ cõmerciis, quando etiam dis ægnũ nõ esse vt spurij germanis aut aduenæ indigenis imperent, scias te vel maximè in hoc ipso tuæ causæ firmamẽto errare. tantũ enim abest vt nos pudeat quòd cum quibuslibet nostrã ciuitatẽ cõmunicarimus vt etiam maximè hac re gloriemur, nos tamen huius præclari facinoris non sumus authores, sed imitati sumus exemplũ Atheniensis reip. cuius maxima est gloria inter Græcos, idque ob hanc ipsam reip. formã. si nõ maximè, at certe nõ minimè. Et rem eã quæ nobis multorũ bonorũ fuit causa, dãnare non possumus: neque nos eius pœnitet quasi peccarimus. Et apud nos imperat, & senator est, ac reip. consulit, aliísque honoribus fruitur, nõ qui multũ opibus pollet, neque qui longã suorum maiorum indigenarum seriem potest ostendere, sed quicunque

his honoribus fuerit dignus: humanã enim nobilitatem in nulla alia re quàm in ipsa virtute p̃sitam cẽsemus. Reliqua verò turba est ciuitatis corpus, vim ac robur ad virorũ præstantissimorũ consilia exequenda ministrãs. Et nostra ciuitas ex parua euasit magna, & ex contemptissima facta est formidabilis vicinis populis ob talẽ humanitatẽ. Atque huic potissimùm instituto, quod tu, Suffeti, dãnas, Romani acceptũ ferũt imperiũ, de quo nullus cætero rũ Latinorũ id sibi vendicans nobiscum amplius contendit. In armorũ enim vi sita est ciuitatũ potentia. hæc autem multorũ hominũ beneficio comparatur. Vrbes verò exiguæ & infrequentes, ac propterea infirmæ, neque alias, neque seipsas regere poßunt. In summa autẽ, ego tũc existimo aliorũ reip. administrandæ formas esse vituperãdas, & propriã laudandã, quum quis potest demonstrare suã quidẽ remp. his institutis quæ profert fortunatam, & amplã esse factã. Eas verò quæ vituperãtur, eo quòd nolint eadem sequi infelices esse: sed res nostræ non sic se habent. Nam vestra ciuitas ex sublimiori fastidio, & amplioribus opibus in exiguum domicilium est contracta. At nos ortí à tenuibus primordiis, non magno temporis spatio Romam fecimus maximam omnium vrbium finitimarum, hisce institutis vsi, quæ tu reprehendis. Seditiones verò nostræ, quia has etiam nobis obiicis, ô Suffeti, non ad perniciem vel diminutionem, sed ad salutem & incrementa reip. faciunt. Contendimus enim nos iuniores cum senioribus, & aduenæ cum indigenis, vtri maiora beneficia in remp. conferant. Et, vt paucis rem expediam, iis, qui aliorum imperium sunt habituri, hæc duo adesse oportet, in bello vires & in consilijs prudentiam, quæ vtraque in nobis sunt. hoc autem nõ

esse

esse inanem iactationem, ipsa experientia, quæ omnis oratione est præstantior, nobis est testis. Certè ad tantam amplitudinem & potentiam nostra resp. intra tertiam ab urbe condita ætatem excrescere non potuisset, nisi & eximia fortitudo & prudentia in ea fuisset. Multæ autem Latinæ gētis ciuitates vestræ coloniæ, magnæ ipsius potentiæ fidem facere possunt: siquidem contempta vestra ciuitate se nobis defectione à vobis facta iunxerunt, & Romanorum, quàm Albanorū imperio parere maluerunt, quia videbant nos vtrumque posse, & amicos beneficiis, & hostes maleficiis afficere: at vos neutrum posse. Multa præterea eáque valida argumenta Suffeti, aduersus rationes quas adiuris tui defensionem attulisti, possem afferre. Sed quum videam esse verba inania, & bona ex parte æquè facilè atque tua confutari posse, finem dicendi faciam apud vos aduersarios nostros, qui estis æqui iudices. Nam verò & solam omnium optimam rationem, quæ nostras controuersias dirimat, esse puto, qua etiam multi & barbari & Græci vsi sunt, alij quidem de principatu, alij verò de agro controuerso animis inimicis contendentes. Hanc vbi indicaro, finem dicendi faciā. Suadeo igitur vt vtrique cum parte aliqua exercitus nostri certamē ineamus, hominum numero in minimum contracto, quibus belli fortuna committatur, & vtrius vrbis ciues victoriā de hostibus reportarint, illorū ciuitati imperiū in alteram concedamus. Quæ oratione dirimi nō possūt, de his decerni solet armis. Atque hæc sunt argumenta, quæ prolata fuerunt ab vtroque imperatore, vt vterque probaret imperium ad suam ciuitatem iure pertinere. Tandem tamen in Romani imperatoris sententiam omnes inierunt. Qui enī mē

Albanis & Romanis in illo cõcilio intererant, quòd se citò illius belli molestiis liberari cuperent, controuersiam armis dirimendam esse cẽsuerunt. Hac aut. mo de re quũ inter eos conueniret, de numero eorum qui essent certatu ri disceptabatur: quia non idem vtrique imperator sentiebat. Tullus enim minimo hominum numero belli totius fortunam committendam esse censebat, ita vt vnus Albanorum præstantissimus cum vno Romanorum fortissimo prælio singulari decerneret, & ipse ad dimicandum pro patria paratus erat, prouocans Albanum ducem ad parem virtutis emulationem, & declarans præclarum esse certamina quæ imperatores pro principatu & potentatu suscipiunt, non solùm si viros fortes superent, sed etiam si ipsi à viris fortibus superentur: & recensens multa imperatorum atque regum exempla qui reip. causa caput periculis obiecerant quòd indignum putarent sibi quidem maximos honores deferri, minimum verò belli carum molestiarum à se suscipi. Albanus verò indicabat rectè ab eo dictum utrique ciuitati paucorum periculo controuersiam esse dirimendam: sed de singulari certamine non assentiebatur Romano, quia dicebat ipsis quidem imperatoribus, quum sibi potentiam quæsierunt, præclarum & necessarium esse certamen quod inter se de principatu suscipiunt: ipsis verò ciuitatibus, quum de principatu inter se contendunt, prælium singulare nõ solùm esse periculosum, sed etiam turpe tã victoribus quã victis. Quare suadebat vt tres viri ex vtraq; ciuitate lecti in omniũ & Albanorũ & Romanorũ cõspectu dimicarẽt. Albanum hunc numerũ aptissimũ esse ad omnẽ rei controuersiã dirimendã: quod principiũ, medium, & finẽ in se continet. Quũ igitur Romani & Albani

bani in hanc sententiã iuissent, & concilium dimissum est, & utrique in sua castra se receperunt. Deinde utrique imperatores exercitu ad concionem vocato, narrarunt quid in eo colloquio actum fuisset, & quibus conditionibus se pacẽ facturos promisissent. Quũ autẽ uterque exercitus magno consensu conditiones fœderis, de quibus inter imperatores conuenerat, approbassit & ratas fecisset, mira illius honoris cupiditas & centuriones & milites inuasit, multis admodum cupientibus huius pugnæ palmam referre, & non verbis tantùm ad id aspirantibus, sed etiam re ipsa prægloriæ cupiditate sese ad eam dimicationem offerentibus, ita ut eorum duces non sine magna difficultate possent dignoscere quinam essent ad eã rẽ omniũ aptissimi. Siquis enim erat aut maioriũ nobilitate clarus, aut corporis robore excellens, aut manu strenuus, aut aliqua alia re, aut facinore audaci insignis, se primum in illorum trium numerum referri volebat. Sed Albanorum dux istam ambitiosam contentionem, quæ in utroque exercitu longius serpebat, compressit: animadvertens diuinam prouidentiam multò ante præsciam certaminis inter has duas ciuitates futuri, eos qui pro ipsis essent periclitaturi parasse ex familijs minimè obscuris, & viro bellicis rebus præstantes & forma eximia præditos, & natalibus non vulgaribus sed rariis & admirandis ob rei nouitatem. Sequimur enim Albanus gemellas filias, alteram Horatio cuidam Romano, alteram Curiatio qui erat genere Albanus, eodem tempore desponderat. Horum amborum uxores grauidæ simul factæ primo partu prolem masculam ediderunt, eamque trigeminam, quam ipsi parentes ut augurium felix & patriæ & suæ familiæ oblatum, educauerunt totam, do-

nec adoleſceret. Deus verò (vt dixi initio) dedit illis & formam & robur, quinetiam animi generoſitatem, ita vt nullo optimæ indolis iuuene eſſent inferiores. Quare, Suffetius ſtatuit, iis viris certamen pro patriæ principatu committere: & vocatis ad colloquiū Romanorum regē ita eſt alloquutus, {DEVS aliquis, Tulle, vtriuſque ciuitatis curam gerens, cùm in multis aliis rebus, tum etiam in hoc ipſo certamine ſuam in nos beneuolentiam patefeciſſe videtur. Nam quòd inuenti fuerint, qui pro rerum ſumma decernant, viri genere nemini ſecundi, & bello egregij, & forma præſtantiſſima præditi, præterea eodem patre eadémque matre geniti, & (quod maximè eſt admirādum,) eodem die in lucem editi, apud vos, Horatij, apud nos, Curiatij, hoc certe admirādum quod dam & diuinum beneficium omninò videtur. Quin igitur compleſtimur hanc tantam diuini numinis prouidentiam, & vtrique trigeminos fratres ad certamen de principatu ſubeundum adhortamur? quæcunq; enim alia in hominibus fortiſſimè dimicaturis deſideraremus, hæc etiam inſunt in his viris, & hoc commodum præterea ineſt, quòd hi potiſſimum quum ſint fratres, non tam facilè in ipſa dimicatione laborantes propugnatores deſerent quam alij Romani & Albani facerent: & æmulatio illa reliquorum iuuenum, quam alia ratione ſedare eſt difficile, ocius ſedabitur. Coniicio enim apud vos etiam multos eſſe qui virtutem ſibi vendicent, vt & apud Albanos: quos ſi docuerimus quomodo diuina quædā fortuna humana ſtudia præuenerit, quæ viros ex æquo pro ſua quoſq; patri dimicaturos obtulerit, nō difficile vt quieſcant, perſuadebimus. neque enim putabunt ſe virtute inferiores eſſe trigeminis fratribus, ſed quadā

felici

felici naturæ forte & fortuna aptè admodum certamen cõtra hostes æquante. } His à Suffetio dictis, eáque sententia ab omnibus collaudata, (Romanorum autem & Albanorum præstantissimi quique cum utrisq; aderãt) aliquantum cunctatus Tullus, ita est loquutus, { CAETERA quidem, Suffeti, mihi videris rectè excogitasse: admiranda enim est quædam fortuna, quæ generis similitudinem nunquam ante visam in utraque nostra ciuitate, hoc nostro seculo protulit. At unum illud mihi videris ignorare, quod illos iuuenes valde remorabitur & ad certamẽ minus alacres reddet, si ab ipsis petamus ut inter se confligant. Hoc rationum enim nostrorũ mater est, vestrorum Curiatiorum matertera, & ipsi iuuenes in ambarum mulierum sinu nutriti fuerunt, atque inter ipsos mutua charitas & amor, non secus ac inter proprios & germanos fratres intercedit. Vide igitur ne fortè impium sit his arma tradere, & eos ad mutuam cædem inuitare: præsertim quum sint fratres, & simul educati. Illud enim cognatorum piaculum, si coacti fuerint se mutuis vulneribus conficere ac polluere, in nos qui eos coegerimus iure optimo redũdabit. Cui respondit Suffetius. NEQVE me latet, Tulle, illorum adolescentum cognatio, neque statui eos cogere vt cum suis consobrinis dimicent, nisi ipsi vltrò certamen subire voluerint: sed quum primum mihi hoc consilium in mentem venit statim Curiatiis Albanis accersitis ipse solus ipsorum animos pertentaui, an vltrò certamẽ istud subire vellent, qui quum incredibili quadam & admiranda alacritate meam orationem admisissent, tum demum ego meum cõsilium aperire & in medium proferre decreui, & vt idem tu quoque facias, suadeo: & accersitis ad te trige-

minis, qui apud vos sunt, quænam sit eorum voluntas explores. Si igitur illi quoque lubenter vltrò se pro patria periculis offerre voluerint, id beneficium accipias: quòd si illi hoc recusarint: nullam ipsis afferas necessitatē. Auguror tamen de illis idem quod de nostris. Si enim tales sunt quales accepimus, paucis nimirum optimè indolis similes, & re bellica præstantes (gloria enim eorum virtutis ad nostras aures peruenit) summa animi alacritate, & nullo cogente pro patria dimicare non recusabunt. Tullus eam admonitionē non est aspernatus: sed factis decē dierū indiciis per quos deliberaret, & cognita Horatiorum voluntate, respondere posset, in vrbē est reuersus. Sequentibus autem diebus consultatione cum optimatibus habita postquam maiori parti visum est, Suffetij conditiones & admonitionem admittere, accersiuit trigeminos fratres, atque ita eos est alloquutus, {HORATII, Suffetius quū venisset mecum in colloquium, in postremo concilio in castris habito, dixit diuina prouidentia factum vt tres viri fortes ad certaminis periculum pro vtraque ciuitate subeundū iā parati essent, quibus neq; alios generosiores, neq; magis idoneos reperire possemus: ex Albanis quidē Curiatij, ex Romanis verò vos ipsi: atque hac re cognita, dixit se illud primum perscrutatū esse, an vellent vestri consobrini patriæ sua corpora donare. Quare, quum eos ad decernendum de summa rerum paratos vidisset, magna animi alacritate & confidentia, tum demum suum consilium in medium protulisse, & me rogasse vt explorarem quisnam sit vester animus, vtrum pro patria cum Curiatiis dimicantes periclitari, an istum honorem aliis concedere velitis. Equidem illi ego mox respondi, vos, tum quia forti animo,

tum

tum quia manu strenui estis, (quod certè neminem latet) summa animi alacritate præter omnes, pro honore, & gloria periculum subituros. Sed veritus ne cognatio, quæ vobis cum trigeminis Albanis intercedit vestram alacritatem impediret, tempus ad deliberandum postulaui, factis decem dierum induciis. Et simul atque huc veni, senatum coegi, & rem in medio proposui, vt ab omnibus despiceretur. Quum autem maior senatus pars decreuerit, vt si lubenti animo certamen honestum vobisque cõsentaneum susceperitis, ad quod pro omnibus subeundum ego solus paratus eram, vos collaudemus vestrúmque beneficium accipiamus. Si verò cognationis piaculũ veriti, hoc recusaritis, nullam vobis necessitatem afferamus. Quum inquam senatus hoc decreuerit, neque iniquo animo sit laturus si hanc prouinciam grauate susceperitis, neque paruam gratiam vobis sit habiturus, si recto consilio iuito patriam vestram cognationi prætuleritis, vestrum est iam deliberare quidnã facturi sitis. ¶ Iuuenes his auditis alio secesserũt, & post breue colloquiũ, redierunt vt responsum darẽt, & pro omnibus is qui natu erat maximus ita est loquutus, { Si, Tulle, liberi & nostri iuris essemus, ac nobis potestatem feciſſes consultandi de certamine cum consobrinis ineundo nulla interposita mora respondiſſemus tibi quænam sit nostra voluntas: sed quando nobis pater est superstes, sine quo nihil ne minimum quidem aut dicere aut facere nobis licere putamus, rogamus te vt paulisper nostrum expectes responsum, donec cum patre hac de re agamus. Laudata a Tullo eorum pietate, & iussis illis ita facere, ad patrẽ uerunt. Postquam autem declararunt quid Suffetius proposuisset, & verba quæ Tullus fecerat, & tandem

suam responsionem, eum rogarunt vt diceret suam hac de re sententiam. Ille verò excepta eorũ oratione, ¶ Rem (inquit) ô filij facitis, qui ad patris voluntatem viuatis, neque quidquam sine meo consensu faciatis. Sed iam tempus est vt & vos ipsi vestram in tanto negotio prudentiam declaretis: fingite igitur me iam fato defunctum, & declarate mihi quidnam consultantes de vestris rebus patris consilio destituti facere statueritis: Tũc maximus natu ei respondit, Susciperemus, mi pater, hoc certamen pro principatu, & si timeremus quidnis ferre quod deo videretur. Malle enim nos mori quã viuere præter tuam & maiorum nostrorum dignitatem. Cognationem autem quæ nobis cum consobrinis intercedit, non nos priores solumus: sed quia à fortuna fuit dissoluta, hoc æquo animo feremus. Si enim Curiatij honestatem cognationi anteponant, certè ne Horatij quidẽ gemus virtuti præferent. Pater igitur cognita eorum voluntate, lætitia perfusus, & sublatis in cœlum manibus magnam se diis gratiam habere dixit, quòd sibi liberos egregios & fortes dedissent. Deinde complexus singulos, & suauissimis amplexibus ac osculis amicissimis datis: Habetis, inquit, meam quoque sententiam. ô filij boni: & reuersi Tullo tam pium & tam honestum responsum referte. Illi igitur læti patris adhortatione, abierunt & quũ ad regem accessissent, certamen susceperunt. Rex verò, conuocato senatu iuuenes prolixiore oratione collaudauit, & legatos ad Albanum misit, qui significarent Romanos eam conditionem admittere, & præbere Horatios, vt de principatu certarent.

4 ¶ Nvnc, quia præsens argumentum postulat vt accuratè ipsum etiam pugnæ modum describam,

vtq

vtq; diligenter narrem casus, qui in hac subsequuti sunt tragicis similes, hæc singula pro virili percensere conabor. Quum enim tempus venisset, quo pactorum conditiones ad finem perducendæ erant, omnes Romanorum copiæ prodierunt. Postea verò prodierunt & ipsi iuuenes patrios deos precati, & cum ipso rege incedebant, eósque tota vrbana multitudo summis laudibus in cælum efferebat, & eorum capita floribus conspergebat. Iam autem & Albanorum copiæ exierant. Tum castris non longè à se inuicem positis, medium campum, qui Romani & Albani agri fines dinidit, vbi etiam antea vtrique castra metati fuerant, pugnæ destinarunt. Ac primùm quidem mactatis victimis, iurarunt super eas ardentes se infortuna acquieturos, quamcunque ex eo prælio consobrinorum vtraque ciuitas retulisset, & fœdera constanter seruaturos, & neque se, neque posteros suos vllam fraudem ipsis facturos. Rebus verò diuinis ritè peractis, vtrique armis depositis prodierunt ex castris pugnæ spectatores futuri, relicto ipsis certaturis medio spatio trium, quatuór ve stadiorum, nec multo post duæ Albanorum producit Curiatios, & Romanorum rex Horatios, elegantissimè armatos, & reliquis ornatos ornamentis quæ solent gestare homines morti destinati. Quum autem propius vtrique accessissent, gladios suis armigeris tradiderunt, & accurrentes se flentes inuicem complexi sunt, & suauissimis appellationibus se salutantes, ita vt omnes in lachrymas prorumperent & suam suorúmque ducum nimiam immanitatè incusarent, quòd quum potuissent per alios homines pugnam illam cõmittere & contentionem dirimere, eò rem redegissent vt consanguinei, & cognati non sine piaculo pro vtraque

ciuitate inter se dimicare cogerentur. Quum autem iuuenes illi sese mutuò salutandi finem fecissent, & gladios à suis armigeris accepissent, & omnes qui eos circunstabant retrò cessissent, aciem pro cuiusque ætate instruxerunt, atque ita demum congressi sunt. Hactenus igitur quies & silentium in utroque exercitu fuerat. Posteà verò si sequentes acclamationes inter utrosq; exortæ sunt, nunc his nunc illis vicissim suos propugnatores adhortantibus, & deos in vota vocantibus, & gemitus edentibus & crebras voces variarum affectionum plenas, quales in certaminibus audiri solent, emittentibus, quod utrique non solùm in ea quæ tunc gerebantur & cernebantur, intenti essent, sed etiam de ipso pugnæ exitu cogitarent, atque de eo soliciti essent. Erántq; longè plura quæ quisq; sibi fingebat & quæ fieri existimabat, quàm quæ re vera fiebant. Aspectus enim ex remotiore loco spectantiũ oculos valde fallebat, & prout utriq; erga suos propugnatores affecti erant, ita etiam res quæ gerebantur accipiebant, eásque tales esse putabant quales ipsi cogitarãt, & crebri dimicantium insultus, & recessus, & quòd utrique vicissim & crebrò sese converterent vt ad uersariis resisterent, hæc, inquam, spectatorum animos dubios reddebant. Atque ita æquo marte diu certatum est: utrique enim erant pari corporis robore & pari animi generositate, & corpora habebant elegantissimis armis munita, nullámque corporis partem nudam reliquerant, quæ vulnerata mortem celerem afferre posset. Quare, multi ex Romanis & Albanis ob illud victoriæ studium quo suis enixè fauebant, obq; suorum commiserationem, non animaduertebant se factos participes illarum affectionum, quæ in ipsis propugnatoribus

toribus periclitantibus erant, & certare quàm quæ gerebantur spectare, malebant. Tandem tamen Albanorum natu maximus cum aduersario sibi opposito manus conseruit, & vulnera alia super alia intulit & accepit, donec casu quodam Romanum gladio per inguen traiecit. Ille verò, quum iam aliis vulneribus esset grauatus, & hoc quoque postremo vulnere lethali ictus fuisset, membris dissolutis collapsus obijt. Quum autem hoc vidissent pugnæ spectatores, omnes simul clamorem sustulerunt, Albani quidem vt iam victores, Romani verò vt victi. Existimabant enim duos illos, qui ex suis superstites erant, facilè ab Albanis cæsum iri. Interea verò is qui Romano prolapso defensor astabat, Albanum victoria exultantem cernens, celeriter in eum facit impetum, & multis vulneribus illatis, multis etiam acceptis, ipse quoque casu quodam gladium in eius iugulum infixit, eúmque interfecit. Quum autem breui temporis spatio fortuna & ipsam dimicantium conditionem & spectantium affectationem mutasset, & Romani ex pristino mœrore animos recollegissent & Albani gaudio suo priuati fuissent, rursus alius aduersus casus secundas Romanorum res atque spem afflixit, & hostium animos erexit. Albano enim cæso, frater qui illi proximam stationem tenebat cum percussore manus conseruit, & eodem tempore vtrique ingentibus vulneribus se mutuò affecerunt. Albanus enim gladium per Romani tergum ad viscera vsque adegit: Romanus verò aduersarij scutum subijt, & alterum poplitẽ ei succidit. Qui igitur lethale vulnus acceperat, statim obijt: alter verò, qui poplite sauciatus erat, nõ poterat amplius firmo gradu stare: sed claudicãs,

& passim se clypeo sustentans, ad aliquod tempus tamẽ aduersario restitit, & iuit cum fratre qui reliquus erat, contra Romanum qui solus supererat, & ipsorum impetũ sustinebat. Atque eum circumdederunt, alter quidem ex aduerso adortus, alter verò à tergo. Sed quũ Romanus timeret ne ab illis circumuentus facilè conficeretur, quòd cum duobus pugnaret, & à duobus inuaderetur. (erat autem adhuc integer consilij) hostes segregare, & cum vtroque seperatim pugnare statuit. Facillimè autem illos à se separari posse arbitrabatur, si fugæ opinionem ipsis præbuisset. Nam persuasum habebat fieri non posse vt frater vterque se insequeretur: sed alter tantùm, qui fratrem pede adhuc infirmo videbat. Capto igitur hoc consilio, quanta maxima potuit celeritate fugit, eique accidit vt spe sua minimè frustraretur. Albanorum enim alter, qui nullam lethalem plagam acceperat, eius vestigiis insistens, ac à tergo vrgẽs, eum insequebatur. Alter verò qui incedere non poterat, longiùs quàm oportuisset à tergo remansit. Tunc Albanus clamore suos accendentibus, Romanis verò suam propugnatorem obiurgantibus, eique ignauiam exprobrantibus, atque illis quidem iam pæana canentibus, & se quasi parta iam victoria coronantibus: his verò lugentibus, quasi à fortuna erigi amplius non possent, Romanus prudenter obseruato tempore celeriter se conuertit, & Albanum antequàm sibi caueret in brachio vulnerauit, cubitumque diuisit: prolapsa autem manu vnà cum ipso gladio, alio vulnere lethali illato Albanum interfecit, eóque casu imperium in postremum fecit, eumque iam semimortuum & languẽtem ingulauit: atque spoliatis consobrinorum cadaueribus ad vrbem pro-

properabat, quòd ipse primus suæ victoriæ nuntium patri afferre vellet.

5 ¶ Sed oportebat hunc etiam, quia homo erat, non vsquequaque felicẽ esse: sed etiam aliquid incõmodi ab inuida fortuna accipere, quæ quum ex paruo magnũ exiguo tẽporis spatio fecisset, & ad summũ splendoris & gloriæ fastigiũ præter omnium opinionem extulisset, eodem die afflixit, & in miserandã calamitatem ob sororis cædem coniecit. Quũ enim ad portas accessisset, cùm aliã turbã ex vrbe effusam, tũ etiam sororem accurrentẽ cõspexit, primóque aspectu turbatus, quòd virgo iam nubilis deserta matris custodia turbæ incognitæ se cõmisisset, post multas absurdas cogitationes, tandẽ ad æquas & rationi consentaneas ac humanas ratiocinationes animum inclinauit, & id factum in meliorem partem est interpretatus, & existimauit, eã q̃ primùm quidẽ fratrẽ incolumem salutare cupieret, d inde verò ex ipso cognoscere vellet quàm fortiter cæteri occubuissent, more mulierum decori aliquantulum oblitam. At illa non fratrũ desiderio in vrbẽ insolitam ausa fuerat progredi: sed amore capta vnius è consobrinis, cui à patre desponsa fuerat, amorémque suũ hactenus occultauerat. Sed quũ audisset pugnæ euentum, quem quidam miles ex castris reuersus renuntiarat, non potuit amplius se continere: sed domo relicta, instar baccharum ad portas ferebatur, nutricem reuocantem ac insequentem nihil curans. Egressa autem ex vrbe quum fratrẽ conspexisset exultantem, & victricibus coronis ornatum, quibus eum rex coronarat: eiusque sodales ferentes cæsorum spolia, inter quæ erat paludamentum variũ, quod ipsa adiuuante matre confecerat, & sponso pronuptiali dono miserat. (Moris.n.

oſt Latinis vt proci, qui mulierum nuptias ambiunt, pa-
ludamento vario induantur.) Quum igitur hoc paluda-
mentum sanguine fœdatum conſpexiſſet, & tunicam la
cerauit, & vtraque manu pectus tundēs, lugebat & cō
ſobrinum repetitis vocibus vocabat ita vtommes qui ibi
aderant, valde obſtupeſcerent. Defleta autē ſponſi mor-
te, fixis in fratrem oculis hæc protulit. {O ſceleſtiſſime
mortalium, exultas quòd tuos conſobrinos interfeceris, &
me tuam ſororem miſerrimam nuptiis orbaris? ô infelix,
neque te miſeret cognatorum cæſorum, quos fratres ap-
pellabas? ſed quaſi præclarum aliquod facinus patraris,
præ lætitia mentis es impos, & in tantis calamitatibus
coronatus incedis? Cuiuſnam feræ animum habes? Cui il
le reſpondit. Imò verò, ciuis patriam amantis, & eos qui
male ei volunt vlciſcentis, ſiue externi ſiue domeſtici
ſint. In quo numero te quoque pono, quæ vno eodémque
tempore, quum cognoris & ſumma bona & ſumma
mala quæ acciderunt nobis, victoriam patriæ partam,
quam ego frater tuus, iam reporto, & fratrum cædem: tu
tamen, ô ſceleſta, neque ob publicam patriæ felicitatem
lætaris, neque ob domeſticas calamitates doles: ſed, con-
temptis tuis fratribus ſponſi mortem deploras, neque in
malam rem te abdis, ſed hoc in omnium oculis facis, &
mihi fortitudinem, & coronas exprobras, ô virgo non
virgo, & fratribus iniqua, & maioribus tuis indigna.
Quando igitur non luges fratres, ſed conſobrinos, &
corpus quidem inter viuos, animam verò apud mor-
tuum habes, abi ad eum quem toties vocas, neque
patrem neque fratres dedecora.} Hæc dictis dum impro
bitatem ſororis auerſatur, modum non ſeruauit, ſed,
vt erat iratus, per latus eius enſem adegit: & cæſa ſo-
ror

rore ad patrem venit. Adeo autem mores & animi Romanorum tunc improbitatem detestabantur, & seueri ac rigidi erant, & (si quis velit eos cum nostræ ætatis factis, & vita conferre) crudeles & duri, & ad ferinam quandam immanitatem propius accedentes, vt pater eius, tam atroci facinore audito, non solum id iniquo animo non tulerit, sed etiam præclarum & decorum existimarit, si quidem neque passus est filiæ cadauer in ædes inferri, neque permisit, vt in patriis monumentis conderetur, aut particeps fieret exequiarum & ornamentorum funebrium, aliarumve rerum, quæ defunctorum manibus solent dari: sed qui præteribant, eam iacentem in eo ipso loco vbi cæsa fuerat congestis lapidibus & terra, vt cadauer destitutum cura domesticorum, sepelierunt. Atque hæc quidem illius viri duritiem indicant. Sed præter hæc, ea quæ sum dicturus sunt longè acerbiora. Vt enim re præclarè & feliciter gesta, eo ipso die fecit sacrificia, quæ diis patriis vouerat & cognatis splendidum conuiuium, vt in maximo festo exceptis, dedit priuatarum calamitatum quàm publicorum patriæ bonorum rationem minorem habens. Hoc aũt non ipse solus Horatius, sed ẽt post illũ multi alij Romani viri illustres fecisse dicuntur: sacrificium fecisse, inquam & coronati inesse, & triumphasse liberis suis recèns orbati, quoties ipsorum opera felicitas aliqua reipublicæ contigisset. De quibus rebus suo tempore dicetur. CAETERVM, post pugnã trigeminorum, Romani, qui in castris erant, quũ splendidè defunctos humassent, in illis ipsis locis vbi ceciderant, & sacrificia fecissent, vt ob partam victoriã diis gratias agerẽt, genio indulserunt. At Albani mœsti ob triste casum,

& ducem suum accusantes, vt malum imperatorem, ple-
rique impasti & neglecta omni corporis cura eo vespere
manserunt. Postero die rex Romanorum, illis ad concio-
nem conuocatis, & multis eos consolatus, promisit se ni-
hil turpe, nihil graue, nihil denique contra cognationis
iura illis imperaturum, sed eodem animo vtriusque ciui-
tatis vtilitati, & commodis consulturum. Quumque
Suffetium eorum imperatorem in eodem magistratu re-
liquisset, quin etiam nullum reip. ipsorum institutum mu-
tasset, aut innouasset domum copias reduxit. Quumque
ex S.C. triumphasset, & iam se ad ciuiles causas cogno-
scendas vertisset, venerũt ad eum ciues non obscuri, qui
Horatium, vt sanguine domestico ob cædem sororis pol-
lutum, rcum egerunt. Quibus cum in iustitissent, lon
ga oratione sunt vsi leges proferentes, quæ non patiun-
tur quenquam indicta causa occidi, & recensentes exẽ-
pla iræ diuinæ in ciuitates, quæ scelera impunita reli-
quissent. At pater purgabat filium, accusans filiam: eam
non cædem sed potius vltionem appellandum dicens, &
se, qui esset vtriusque pater, domesticorum malorum iu-
dicem esse æquum censebat. Multis autem hinc inde in
vtramque partem dictis, rex valde hærebat, dubitans
quænam sententia pronuntianda esset, vt eam litem fi-
niret. Neque enim cæde absoluere eum, qui fatebatur a
se sororem indemnatam occisam, præsertim ea de causa,
ob quam leges quenquam occidi vetabant, bene factum
arbitrabantur: ne diras & piaculum eius qui cædem pa
trarat, in suam familiam conuerteret: neque etiam præ-
clarum putabat vt parricidam interficere eum qui pro
patria caput suum periculis obiectare non dubitarat, &
qui tanti imperij accessionis sibi autor fuerat, præsertim

quum

quum pater eum crimine illo liberaret, cui potissimùm & natura, & lex ipsa filiæ irasci permittebat. Dubitãs igitur quidnam esset faciendum, tandem optimum factu iudicauit, eius rei cognitionem populo permittere. Tunc autem primùm P. R. capitalis iudicij potestatem adeptus, patris sententiam est sequutus, & parricidio adolescentem absoluit. Verumtamen rex arbitrabatur non sufficere iis qui pietatem erga deos custodire vellent, tale de illo hominum iudicium: sed accersitis pontificibus, iussit deos & genios placari, & lustrari hominem lustrationibus quibus solent cædes non voluntariæ expiari. Illi verò duas erexerũt aras, alteram quidem Iunoni, ad quam sororum cura pertinet: alteram verò cuidã deo indigenæ, siue genio, qui eius regionis lingua Ianus vocatur, cuius nomen Curiatij consobrini ab Horatio interfecti ferebant, & supra illas sacris quibusdam factis cum aliis expiationibus usi sunt, tum verò postremo Horatium sub iugum miserunt. Est autem Romanis mos, vt quoties hostes traditis armis deditionẽ faciunt, duas hastas rectas humi defigant, & tertiam supra illas duas transuersam accommodent ac ligent, deinde captiuos sub illas mittant: & vbi transierunt, eos domum suam liberos dimittant. Hócque ab illis iugum vocatur quod etiam postremum inter cæteras expiationes legitimas, illi qui tunc iuuenem lustrarunt, adhibuerunt. Locum autem vrbis vbi expiationem eam fecerunt, omnes Romani sacrum arbitrantur. Est autem in angiporto, quod fert à Carinis deorsum eos qui ad Cyprium angiportum eunt, vbi aræ tunc erectæ stant & lignum supra eas transuersum infixum duobus parietibus inter se aduersis, quod capiti exeuntium imminet, & sermone

Romano tigillum sororium vocatur. In hoc igitur loco calamitatis illius viri monumentum in vrbe seruatur, quod annuersariis sacrificiis P.R. honorat. Alterum verò testimonium fortitudinis, quam in prælio demonstrauit, est columella angularis, à qua altera fori basilica incipit, supra quam posita erant trigeminorum Albanorum spolia. sed arma illa vetustate consumpta sunt, at columella eandem appellationem retinens, Horatia pila vocatur. Quinetiam lex apud ipsos ob casum illum est lata, qua ad meam vsque ætatem vtebantur, in honorem & gloriam immortalem illorum iuuenum, quæ iubet filiis illorum quibus trigemini filij nascuntur, de publico alimenta ad pubertatem vsque suppeditari. Quæ igitur Horatiorum familiæ acciderunt, quæq; admirandos & inopinatos casus habuerunt, talem exitum sunt sortita.

6 ¶ At Rex intermisso integro anno, quo res omnes ad bellum necessarias parauit, exercitu contra Fidenatum vrbem educere statuit, belli causas prætendēs, quòd citati ad causam dicendam de insidiis: quas conspiratione facta pararant Romanis & Albanis, mortem non gessissent. sed statim armis correptis, & portis clausis, & accitis Veientium auxiliis, aperte defeciissent, & legatis Romanorum eo missis, & scisscitantibus defectionis causam, respondissent rem nullam amplius sibi cum populo Rom. communem esse, ex quo Romulus rex ipsorum obiisset, cum quo fœdus iureiurando interposito fecissent. His igitur causis motus domesticas instruebat copias, & alias à sociis accersebat. Maximam autem & firmissimam suarum copiarum partem Metius Suffetius ex Albanorum ciuitate adduxit, ita vteli-

quas

quas auxiliares copias superaret. Quamobrem Tullus Metium, vt promptum & fidum, & ad omnia belli munia secum obeunda paratum laudauit, omniaque sua consilia cum illo communicauit. At ille, quum à suis ciuibus accusaretur quòd bellum malè administrasset, & proditionis insimularetur, quum tertium iam annum dictaturam, Tullo ista volente, retineret, indignum iudicans se imperium precarium & alteris subditum habere, & aliis imperare quàm parere malens, facinus nefarium excogitauit. Legatis enim clam missis ad Romanorum hostes, qui de facienda defectione adhuc dubitabant, eos impulit vt abiecta omni cunctatione rem aggrederentur: pollicitus fore vt in ipso prælio Romanos inuaderet. atque hæ machinationes & consilia eius omnibus erant occulta. Tullus verò, postquam domesticas & auxiliares copias iam parauit, eduxit eas contra hostes: & trajecto Amieni fluuio, prope Fidenas castra posuit. Quum autem ante vrbem offendisset ingentem exercitum instructum cùm ex ipsis Fidenatibus, tum ex illorum sociis, illo quidem die quieuit: at sequenti, accersito Albano, & ceteris primariis amicis, cum illis consultabat quænam ratio belli gerendi esset sequenda. Et quum omnes censuissent quàm celerrimè confligendum, nec tempus terendum, loco & ordine quem vnusquisque esset habiturus designato, & sequenti die ad prælium destinato, concilium dimisit. Suffectus verò Albanus (nondum enim multis suis amicis proditionem, quam moliebatur, patefecerat) conuocatis præcipuis Albanorum centurionibus & tribunis, talem ad eos habuit orationem. {TRIBVNI, & centuriones, res magnas

& præter omnium expectationem sum vobis iam declaraturus, quas hactenus occultaui. Sed vos suplex oro, vt eas silentio tegatis: alioqui enim me perdetis. Quòd si has ad finem perductas vobis profuturas putatis, me in his peragendis adiuuate. Multa autem verba à me fieri temporis angustiæ non patiuntur: sed quæ maximè sunt necessaria vobis dicam. Ego, per totum illud tempus ex quo in potestatem Romanorum fuimus redacti, ad hunc vsque diem, perpetuò vitam dedecoris & doloris plenam transegi, licet ab eorum rege dictatura fuerim honoratus, quam tertium iam annum teneo, & si vellem, in perpetuum tenerem. Sed quia omnium malorum hoc summum ducebam, me solum in publica calamitate felicem esse: & quia mecum ipse reputabam nos præter omnia humana iura & contra fas imperio ab illis spoliatos, cogitare cœpi qua ratione ipsum possemus recuperare sine graui cladis alicuius periculo. Post multas igitur & varias rationes à me initas, comperio vnam solam viam facillimam & omni periculo vacantem, quæ me huius rei compotem facere posset, si quod nimirum finitimarum ciuitatum bellum contra eos exoriatur. In hoc enim bello illis & sociorum auxilio, & præcipuè nostra opera opus fore arbitror. Cæterùm, existimo non prolixiore oratione vos docendos, honestius & iustius esse pro nostra ipsorum libertate quàm pro Romanorum imperio certare. Hæc animo cogitans clandestinis meis artibus bellum subditorum contra Romanos suscitaui. Nam persuasi Veientibus & Fidenatibus vt arma caperent, pollicitus me ipsis belli socium futurum. Et huc vsque conatus mei Romanos latuerũt, mihique reseruaui ipsam temporis opportunitatem qua

eos

eos adoriar. Considerate autem quanta commoda inde ad nos sint redundatura. Primùm quidem, quòd non apertè de defectione consilia inierimus: (qua in re anceps erat periculum, aut ne præ nimia festinatione imparati, & solis domesticis copiis freti de summa rerum iaceremus aleam: aut ne, dum nos paramus & auxilia solicitamus, ab ipsis iam præparatis anteuerteremur) neutrum horum grauium malorum experti vtrumque commodum percipiemus. Deinde verò aduersariorum vires magnas, & penè inuictas, & fortunam non vi, sed iis artibus qui bus capiuntur omnes res superbæ, & quæ non facilè vi euertuntur, nimirum dolo & fraude, euertere conabimur, neque hoc nos primi aut soli faciemus. Præterea quum domesticæ nostræ copiæ nõ sint ita firmæ, vt omnibus Romanorum ac sociorum viribus oppositæ resistant, Fidenatum & Veientium tantas copias quantas videtis, nobis adiunximus, atque vt auxiliaribus copiis, quas sumus habituri, tutò fidere possimus, hoc à me iam antè est prouisum. Neque enim in nostro agro Fidenates sunt dimicaturi: sed pro suo periclitantes, vno eodémque tempore nostrum quoque defendent. Quod verò omnium est iucundissimum hominibus & quod paucis quibusdã idque rarò superioribus seculis contigit, id etiam nos consequemur. Nam beneficium accipientes à sociis, in illos conferre videbimur, & si res nobis ex animi sententia successerit (quemadmodum est verisimile) Fidenates & Veientes, qui graui imperio nos liberauerint, quasi hoc beneficium à nobis acceperint gratiam nobis habebunt. Atque hæc sunt quæ magna cura à me prouisa existimo facilè posse vos ad defectionem considenter & alacriter faciendam impellere. Sed quo modo rem aggredi sta-

tuerim, hæc à me accipite. Tullus mihi assignauit locum ad montis radices: & me alteri cornu præesse iussit. Quum verò erit cum hoste confligendum, incipiam ego solutis ordinibus ad montem me subducere: vos verò instructa acie me sequemini. Quum autem montis iugum superaro & in tuto fuero, quid postea sim facturus, ex me audite. Si videro ex animi sententia mihi succedere quæ cogito, & hostes audaciores esse auxilij nostri pollicitis fretos, contrà verò Romanos demissis & consternatis animis, vt à nobis proditos, & de fuga potiùs quàm de pugna cogitare (quod est verisimilius) adoriar eos, & campum cadaueribus replebo, de loco superiore à dextra in loca decliuia & planiciem descendens, & cum exercitu pleno fiduciæ & bene instructo, in hostes iam pauentes & dispersos impetum faciens. Grauis enim est ac perniciosa in bellis vel inanis proditionis sociorum, vel nouorum hostium aduentus opinio quæ animos militum occupat: multósque exercitus, eósque ingentes ob nullum alium formidabilem casum magis, quàm ob inanem metum iam funditus deletos scimus. At quæ ego dico non erunt verba inania, neque aliqua obscura & inanis ostentatio: sed facinus & specie & re ipsa maximè formidandum. Sin autem contra meam sententiam rem succedere animaduertero (dicantur enim etiam ea quæ præter hominum opinionem accidere solent, quandoquidem vita affert multa, eáque contra expectationem nostram) ipse quoque sententiam mutabo, & rem alia via aggrediar. Duram enim vos cum Romanis contra hostes & eos in paranda victoria adiuuabo, & loca superiora à me occupata simulabo, vt aduersarios nobis oppositos circumdarem. Meæ autem orationi fides habe-

habebitur, quia facta verbis, & simulationi respondebunt, ita ut nos neutrius calamitatis participes futuri, at fortunæ melioris commoda ex utriusque perceptura simus. Hæc igitur ego decreui, & diis immantibus conficiamque non solùm Albanis, sed etiam aliis Latinis maximè conducunt. Vestrum autem erit primùm quidem rem silentio custodire, deinde ordines seruare, & celeriter imperata facere, & vosmetipsos in prælio alacres, & viros fortes præstare, & milites vobis subditos ad eandem animi alacritatem incitare: illud cogitantes, non eodem modo quo nobis aliis omnibus, pro libertate certandum qui assuefacti sunt aliorum imperio quibus maiores talem reipublicæ formam tradiderunt. Liberi enim ex liberis orti sumus, & maiores nostri nobis imperium infinitimos tradiderunt, iámque per quingentos annos hanc ciuitatis formam conseruarunt, qua posteri nostri minimè sunt priuandi. Ne quis verò vestrûm ab harum gerendarum consilio deterreatur quasi fœdera rupturus, & iusiurandum ad ea adhibitum violaturus sit: sed illud cogitet, fœdus à Romanis iam antè violatum à se in integrũ nunc restitutum iri. Idque non minimi momenti: sed quod & ipsa natura humana constituit, & omnium tam Græcarum quàm barbararum gentium commune ius confirmauit: quod iubet patres natis imperare, & iura reddere, & conditores suis coloniis. Hoc igitur fœdus, nunquam è rerum humanarum natura tollendum, non nos violamus, qui cupimus id perpetuò firmum manere: neque vllus deorum aut geniorum nobis, vt facinus impium, patrantibus succenseat, quod seruire illis qui à nobis sunt oriundi, ægrè feramus: sed ij qui ab initio ruperunt, quique rem nefariam

ausi sunt, legem diuinam humanæ subijcere, & numinis ira non nobis, sed istis aduersabitur, vt est verisimile: & humana indignatio istos, non autem nos premet. Si igitur hæc optima vobis omnibus fore videntur, ea faciamus deorum & geniorum auxilio implorato. Quòd si quis vestrum aliter sentit, & è duobus alterum censet vel nunquam recuperandam pristinam nostræ ciuitatis dignitatem, vel aliquod aliud tempus hoc ipso commodius expectandum, & præsentem occasionem differendam ne pigeat eum suam sententiam in medium proferre. Quod enim vos omnes optimum consilium esse indicaritis, id sequemur.

7 ¶ Qvvm igitur qui aderant collaudassent eius consilium, & se omnia facturos promisissent, postquam singulos iureiurando obstrinxit, ita demum concilium dimisit. Postridie verò Fidenatum & sociorum copiæ ex castris prodierunt sub ortum solis, & aciem ad pugnam instruxerunt: Romani etiam ex aduerso prodierunt, & aciem ipsi quoque instruxerunt. Sinistrum autem cornu ipse Tullus & Romani Veientibus oppositum tenebant: isti enim dextrum hostium cornu tenebant. At in dextro Romanorum cornu Metius Suffetius, & Albani ad latus montis aciem Fidenatibus oppositam habebant. Postquam autem acies appropinquarunt inter se, antequam intra teli iactum veniretur, Albani diuisi à reliquo exercitu, instructa acie montem petere cœperunt. Fidenates igitur quum hoc animaduertissent, & crederent reuera proditionem sibi successuram, prout Albanus promiserat, iam audacius in Romanos ferebantur, atque dextrum Romanorum cornu nuditum sociorum auxilio disrupebatur, & valde laborabat: at sinistrum for-

titer

tter pugnabat, ubi erat & ipse Tullus inter equites le-
ctos pugnans. Interea verò quidã equo citato vectus, ad
eos qui cũ rege pugnabant, Nostrũ, inquit, cornu dextrũ
laborat, ô Tulle: nam & Albani deserta acie ad lo-
ca edita festinant, & Fidenates, quibus illi oppositi fue-
rãt, iam imminentes nobis cornu nudatum sunt circumue
turi Romanos, quum hæc audissent, & animaduertis-
sent Albanos ita ad montẽ properare timor inuasit, qua
si iamiam hostes essent ipsos circumdaturi, ita vt neque
pugnare neque consistere valerẽt. Tunc Tullus prudenti
consilio vsus fuisse fertur, nihil animo perturbatus, tanto
& tam inspERato malo exorto, quo non solũ ipsum Ro-
manorum exercitum ex manifesto exitio eripuit, à quo
iam circumuentus erat: sed etiam res hostium attriuit &
perdidit. Statim enim audito nuncio, exclamauit alta
voce, ita vt ipsi quoque hostes eam exaudirent, Vicimus,
inquit, Romani nostros hostes. Albani enim hunc proxi-
mum montem occuparunt, vt cernitis, meo iussu, vt ho-
stes à tergo adoriantur. Quum igitur animaduertis hos-
tes nobis infensissimos in tã opportuno loco interseptos à
nobis teneri, aly à fronte, alii à tergo inuadentes quando
neque vlterius progredi, neque retro cedere possunt, flu-
uio & monte à latere intercluſi, intrepidè impetum
in ipsos facite. Hæc omnes ordines percurrens dicebat,
& statim vice versa Fidenates metus proditionis sub-
iit quasi ab Albano fuissent stratagemate decepti,
quia neque eum contra Romanos cum suis instructum,
neque in illos, vt pollicitus fuerat, impetum statim
facere videbant. At illa oratio Romanorum animos
excitauit ad audaciam & fiduciæ plenos reddidit: qua-
re magno clamore sublato conferti, impressionem in

hostes fecerunt. Postea Fidenates in fugam versi sunt, & nullis seruatis ordinibus vrbem fuga petierunt. At Romanorum rex immisso equitatu in ipsos territos & perturbatos, quum aliquandiu eos persequutus fuisset, postquàm alios ab alijs ita dissipatos vidit, vt non amplius de instaurandis ordinibus cogitare possent, neque vllas vires habere: omissis iis qui fugiebant in reliquam hostium partem etiam tum ordines integros seruantem & aduersarijs resistentem init. Ibi inter pedites acre certamen est commissum: sed inter equites longè acrius. Neque enim Veientes, qui in ea parte collocati fuerant, impetu Romani equitatus territi cesserunt, sed diu restiterunt: at postquam cognouerunt suum sinistrum cornu superatum, & totum Fidenatum, & sociorum exercitum effusa fugere fuga, veriti ne circumuenirentur, conuersis in se qui illos profligauerant, & ipsi solutis ordinibus in fugam se dederunt, & per flumen euadere conabantur. Quotquot igitur ex illis robustissimi erant, & vulneribus minime grauabantur, & quotquot natare poterant, armis abiectis fluuium tranantes, incolumes euadebant: at quos horum aliquid deficiebat, illi in ipsis verticibus peribant. Tiberis enim concitatus & vorticosus circa Fidenas fluit. Caterùm Tullus immissa parte equitum, qui hostes ad fluuium compulsos trucidarent, ipse ad oppugnanda Veientium castra cum reliquo exercitu profectus illis primo impetu est potitus. Atque rerum Romanarum quibus insperata salus contigit, talis erat status. At Albanus, quum vidisset egregiam Tulli victoriam, ipse quoque suis copijs ex locis editis in planitiem deductis Fidenates fugientes est persequutus, vt omnibus Romanis aliquam socij operam præstare videretur. multòsque

tósque in fuga dispersos oppressit. At Tullus, cognita eius mente, nouam illam proditionem est detestatus: & tunc quidem eum minimè arguendum esse censuit, donec ipsum in suam potestatem redegisset: quinimo in præsentia multorum qui aderant, quòd ille se ad loca edita recepisset, quasi id optima mente ab eo factum fuisset simulatè probauit: & equitum parte ad illum missa, rogauit vt sui animi in opera nauanda postremam alacritatem demonstraret, orauitque vt Fidenates, qui intra mœnia refugere non potuerant, & qui per agros dispersi erant, quorum magnus erat numerus, diligenter quæreret & interficeret. Ille verò quasi iam alterum eorum quæ sperarat assequutus esset, & quasi Tullus proditionis illius esset ignarus, exultabat, diuque per campos obequitans trucidabat quotquot deprehendisset. Et iam sol occiderat quum equites ab insequendis hostibus in castra Romana reduxit, & ibi cum cæteris eam noctem in omni voluptatis genere transegit. At Tullus quum in Veientium castris vsque ad primam vigiliam mansisset, & ex nobilissimis captiuis exquisuisset quinam illius defectionis duces fuissent, postquam cognouit & ipsum Metium Suffetium Albanum inter coniuratos esse, & vidit res ab illo gestas congruere cum indicijs captiuorum, equum conscendit, & fidissimis amicis secum adductis ad vrbem contendit: & ante mediam noctem singulis senatoribus domo euocatis, Albanorum proditionem illis aperuit, productis testibus de captiuorum numero, & narrauit quomodo ipse, & hostes Fidenates stratagemate decepisset. Bello autem felicissimè confecto, eos vt de cæteris rebus inter se consultarent, rogauit, & quo supplicio proditores essent afficiendi, &

quomodo Albanorum ciuitas in posterum modestior ac sapientior esset reddenda. In eos igitur animaduertere, qui ausi fuissent facinora tam scelesta: omnes æquum & necessarium esse iudicarunt: Sed quomodo & facillimè, & tutissimè id fieri posset dubitatum est. Occulta enim & clandestina morte multos Albanos, eósque viros fortes nullo modo tolli posse putabant. Quòd si palàm comprehendere & vlcisci sontes aggressus quis fuisset, arbitrabantur Albanos id non passuros, sed ad arma ituros. Nolebant autem vno eodémque tempore cum Fidenatibus, & Hetruscis & Albanis socijs suis bellum gerere. Illis autem dubitantibus quid faciendum esset, Tullus suam sententiam patefecit, quam omnes laudarunt: quam paulò post dicam. Quum autem quadraginta stadiorum spatio Roma à Fidenis distaret, totis viribus citato equo in castra rediit, & antequam dies clara luceret, vocatum ad se Marcum Horatium, qui ex trigeminis reliquus erat, cum lectissimis quibúsque equitibus & peditibus quos ei dedit, ad Albanorum vrbem iter dirigere iussit, & mœnia ingressum vt amicum captis qui in ea essent, solo vrbem æquaret, nullis vel priuatis vel publicis ædificiis parcendo, exceptis fanis: at ab omni hominum cæde & iniuria abstinere, & permittere vt omnes secum res suas absportarent. Hoc autem emisso, acciuit & tribunos & centuriones & senatusconsulto illis exposito, eorum satellitio se stipauit. Nec multò post aduenit Albanus ob victoriam publicam exultans, & Tullo gratulaturus. At Tullus adhuc tegens suum consilium eum laudabat, & magnis donis dignum esse affirmabat, & eum hortabatur vt scripta nomina Albanorum qui præclarũ aliquod

quod fascinus in prælio edidissent, ad se ferret, vt & illi meritum victoriæ fructum pro parte sua pereiperent. Ille verò lætitia profusus fidissimos Albanos amicos suos, & suorum consiliorum arcanorum conscios, in tabella notatos ei obtulit. At res Romanorum omnes depositis armis ad concionem conuocauit: qui quum venissent, ducem Albanorum cum tribunis & centurionibus ad ipsum tribunal stare iussit, & post eos cæteros Albanos in concione stare, post Albanos reliquam sociorum multitudinem: Atque hos omnes circundedit Romanis militibus, inter quos erant fortissimi quique sub vestibus enses occultantes. Postquam autem arbitratus est à se inimicos opportunè & tutò interseptos teneri, surgens hanc habuit orationem, {QVIRITES, & cæteri amici, & socij, duorum ope Fidenates, eorúmque socios ausos palàm bellum nobis inferre vlti sumus: & è duobus alterum facient, aut desinent nobis in posterum negotium facessere, aut certè pœnas his longè acerbiores dabunt. Tempus autem postulat, quando nobis primus conatus ex voto successit, vt reliquos quoque hostes, qui amicorum nomen habent, & qui à nobis in hoc bello assumpti fuerunt, vt communem hostem nobiscum infestarent & tamen fidem suam erga nos fregerunt, & cum hostibus fœdere clam facto nos omnes perdere sunt aggressi, vlciscamur. Isti enim longè deteriores sunt vel ipsis manifestis hostibus & longè graviori pœna digni. nam facile est cuiuis ab istorum insidiis sibi cauere, & eos quiuis hostiliter congressos repellere potest: sed ab amicis qui hostiliter se gerunt, illi qui iam sunt præuenti, neque facilè sibi cauere, neque eos pro-

pulsare possunt. Istiusmodi sunt qui nobis ab Albanorum ciuitate malo dolo socij missi fuerunt, nulla à nobis accepta iniuria, sed contrà multis & magnis beneficiis affecti. Quum enim eorum simus coloni, nihil eorum imperio detraximus, sed nostras vires & potentiam ex nostris hostibus bello superatis nobis comparauimus, quia aduersus maximas ac bellicosissimas gentes nostram vrbem muniuimus, eos ab Hetrusco & Sabino bello tutissimos reddimus. Cuius vrbis felicitate omnium maximè illos gaudere oportebat, & rebus aduersis non minus quàm suæ ipsorum vrbis calamitate angi. Illi verò non solùm nobis ob res secundas, sed & sibiipsis, ob prosperitatem qua nostra opera fruebantur, perpetuò inuiderunt, & tandem postquam occultum odium amplius continere non potuerunt, nobis bellum indixerunt. Sed quum viderunt nos ad certamen bene paratos, & nihil detrimenti se nobis afferre posse, ad reconciliationem & amicitiam nos inuitarunt. & vt controuersia illa de principatu, trium virisque vrbis virorum periculo deciderentur, petierunt. Accepimus etiam has conditiones nobis oblatas, & prælio victores eorum vrbem in nostram potestatem redegimus. Eia, quid postea fecimus? Quum liceret nobis obsides eorum capere, & præsidium in vrbe relinquere, & præcipuos autores dissidij inter duas istas ciuitates exortis partim necare, partim pellere in exilium, & eorum reipublicæ formam ad nostram vtilitatem mutare, & agri & pecuniarum parte eos mulctare, &, (quod omnium erat facillimũ) eos armis spoliare, quibus rebus nostrum imperium magis firmassemus, nihil tamen horum facere voluimus, maiorem pietatis quàm nostri imperij incolumitatis rationem habentes:

& Me-

& Metium Suffetium, quem ipsi summo magistratu ornarat, tanquam omnium Albanorum præstantissimum, ad hoc vsque tempus rempublicam administrare passi sumus. Pro quibus beneficijs quam gratiam nobis retulerint, eo tempore, quo potissimùm amicorum & sociorum benevolentia nobis opus erat, audite. Clam cum hostibus communibus pacti vt in ipsa pugna nos inuaderent, vnà cum illis quum acies vtrinque inter se appropinquassent, deserto ordine in quo collocati fuerant, cursu ad proximos montes contenderunt, loca munita præoccupatè enixè cupientes. Si igitur conatus iste ex animi sententia ipsis successisset, nihil impediuisset quominus nos omnes ab hostibus & amicis circundati periremus, & multi labores quos pro nostræ ciuitatis imperio subiimus, vno die interirent: at quia eorum consilia irrita fuerunt facta, primùm quidem deorum beneficio (omnes enim res præclarè & bene gestas illis acceptas fore) deinde verò meis imperatorijs artibus, quæ non parum hostium terrorem & nostrorum audaciam auxerunt. Quæ enim ego in prælio dixi, meo iussu ab Albanis montes præoccupari, vt hostes circumuenirent, commenta & stratagemata mea fuerunt. Quamobrem quum res iam nobis ex voto successerint, non erimus tales viri quales nos esse decet nisi animaduertamus in proditores, qui præter aliam necessitudinem, quam saltem cognationis causa violare non debebant, nuper etiam facto nobiscum fœdere & iureiurando interposito, contemptis diis, quos pactorum testes fecerunt, neque ipsum ius & humanam indignationem veriti, neque periculi magnitudinem, nisi proditio ipsis ex animi sententia successisset secum reputantes miserri-

mè nos suos colonos & bene de se meritos fœdissimè nostris infensissimis hostibus iunctis, prodere sunt conati. Dum autem ille hæc diceret, Albani vlulare, & ad omnes preces descendere cœperunt. Atque ipsum quidem vulgus negabat se vllarum Metij machinationum conscium fuisse: ipsi verò præfecti simulabant se occulta eius consilia non ante cognouisse, quàm ipso prælij tempore, quum neque impedire, neque imperata facere amplius possent. Nonnulli etiam rem in necessitatem non voluntariam transferebant, ob affinitatem & cognationem se ad id impulsos dicentes. Quos rex silere iussos, ita est alloquutus. {Neque me latet, Albani, quidquam horum quæ vestri purgandi causa profertis, sed multitudinem quidem vestram arbitror proditionem ignorasse: (hoc inde coniiciens, quia quæ multi sciunt, ea neminem per minimum quidem temporis spatium silentio tegi solent) at tribunorum & centurionum exiguam quandam partem, quæ contra nos conspirarit esse arbitror: sed maximam partem deceptam & ad non voluntariam necessitatem fuisse compulsam. Quod si nihil horum verum esset, & omnes Albanos qui hic adsunt, & reliquos qui in vrbe remanserunt, desiderium nos maleficio afficiendi inuasisset, idque non nunc primùm, sed iam multo ante à vobis decretum fuisset, tamen cognationis saltem causa, omnino necesse esset Romanis has vestras iniurias ferre. Sed ne in posterum quidquam iniustè contra nos moliamini, aut coacti à vestræ ciuitatis præfectis aut decepti, sola hac ratione & cauere & prospicere nobis possumus, si nimirum omnes in vnam ciuitatem redacti, vnam etiam & eandem patriam ducamus, in qua vnusquisque tam prosperæ, quàm aduersæ fortunæ portionem fe-

frat, quæ ipsi obtigerit. Donec enim discordes erimus vt nunc, & vtrique per contentionem alteris superiores esse conabimur, non erit firma inter nos amicitia præsertim si qui priores aliis insidiati fuerint, vel re feliciter gesta meliore conditione sint futuri, vel spe sua frustrati, nihil damni ob ipsam cognationem sint perpessuri, & si illi quos adoriri decreuerint, in eorum potestatem redacti extrema quæque mala sint laturi, aut (id quod in præsentia accidit) si euaserint, omnes iniurias ab illis acceptas obliuioni sint tradituri, nec eos vt hostes sint tractaturi. Sciatis igitur superiore nocte hæc à Romanis esse decreta. Senatu à me coacto, & senatusconsulto à me scripto, vt vrbs vestra euertatur, nec vllum aut publicum, aut priuatum ædificium (exceptis fanis) erectum relinquatur: omnes verò, qui in ea sunt, saluis suis fortunis, quas iam habent, nullis mancipiis nullo pecore, nullis aliis pecuniis priuati Romæ in posterùm degant: vtque totus noster ager publicus, Albanis qui nullam agri portionem habent diuidatur, exceptis sacris possessionibus, ex quarum reditibus diis sacrificia fiunt, & ego prouideã, in quibus ciuitatis locis domos ædificare oporteat, vbi vos qui migratis vitam possitis degere, & eos qui de vobis maximè sunt egeni, sumptibus ad opus peragendum inuem, & reliqua vestra multitudo cum nostro populo in tribus, & curias distributa pecuniam contribuat, atque hæ familiæ ad senatum, & magistratus gerendos admittantur Iulia Seruilia, Gebania, Metilia, Curiatia, Quintilia, & Cloelia. Sed Metius & eius proditionis socij pœnas luant, quas nos Iudices in singulos reos sedentes in tribunali nostro statuemus. Nullum enim fraudabimus aut iudicio, aut causæ dictione. His ab eo dictis

quotquot inter Albanos pauperes erant, contenti erant ea conditione, quòd Romæ habitaturi & agri portionẽ habituri essent, regisque orationem magnis acclamationibus approbabant, at viri illustriore dignitate, & meliore fortuna præditi, ægrè ferebant, quòd patria relicta & maiorum laribus desertis in posterum sibi esset habitandum in regione peregrina, ipsique ad extremam necessitatem redacti, nihil quod dicerent venit in mentẽ. Tullus verò animo multitudinis cognito, iussit Metium causam dicere si quid vellet ad hæc respondere. Sed quũ Metius nesciret quid esset dicturus contra accusatores, & eos qui contra se testimonium dicebant: respondit Albanorum senatum sibi clam ea dedisse mandata, quo tempore eduxit copias ad bellum: & Albanos orabat, quibus principatum restituere conatus fuerat, vt sibi opem ferrent, neque patriam euerti, neque nobilissimos quosque ciues ad supplicia rapi paterentur. Orto autem tumultu in concione, & quibusdam ad arma corripienda properantibus, illi qui tubam circumdederant, sublato quodãm signo gladios sustulerunt. Omnibus autẽ consternatis, denuo Tullus surgẽs, ita est loquutus. NIHIL noui vobis, Albani, moliri neq; peccare licet. Nam si velimus vos mouere ausi fueritis, omnes ab his trucidabimini. simúlque ius ostendit eos qui gladios tenebant. Accipiatis igitur ea quæ vobis dantur, & in posterum Romani sitis: vobis enim necesse est è duobus alterum facere, vel Romam incolere, vel nullam aliam patriam habere. Manè enim missus est à me M. Horatius, vt vestram urbem funditus euertat: & omnes homines Romam traducat. Hæc igitur fierè iam peracta sciatis: quare in vestram perniciem ruere desinatis, & imperata faciatis. In

Metium

Metium verò Suffetium, qui clam nobis est insidiatus, & qui ne nunc quidem veritus est ad arma turbulentos & seditiosos homines concitare pro eo ac meretur improbus, & fraudulentus eius animus, animaduertam. Hunc ab illo dictis, concionis pars, quæ irritata fuerat, territa est, quòd necessitate inuitabili implicita teneretur. Ipsum verò Suffetium indignantem, & solùm vociferantem, & fœdera implorantem quæ ab ipso violata fuisse constabant, & ne in malis quidem de sua audacia quidquam remittentem, virgis multùm cecidérunt ac propemodum lacerarunt. Sed postquam in eum hoc supplicij genere satis sæuitum est: binas bigas admouerunt ad eum & eius brachia ad alteras, ad alteras ipsos pedes loris longis alligarunt, atque ipsis aurigis in diuersas partes bigas agentibus humi raptatus, & ab vtrisque bigis in contrarias partes tractus, breui temporis spatio discerptus est. Atque Metius Suffetius hunc miserum & fœdum vitæ finem est sortitus. In eius verò socios & proditionis conscios rex iudicia constituit, & quotquot conuicti fuerunt, eos ex lege in militiæ desertores & proditores lata, capitali supplicio affecit. Interea autem M. Horatius qui præmissus fuerat cum militibus lectis ad Albam euertendam, celeriter confecto itinere, quum nactus fuisset portas apertas, & muros incustoditos facilè vrbe est potitus. Conuocato autem populo ad concionem, quidquid in prælio gestum fuisset illis declarauit, & Romani senatus decretum recitauit. Illis autem eum orantibus, & tempus ad legationem postulantibus, sublata omni mora, & domos, & muros & siquod aliud ædificium vel priuatum vel publicum erat, demolitus est, & ipsos homines agentes & portantes res suas Romam, magna cura est

prosecutus: quos Tullus ex castris Romanorum reuersus in tribus & curias distribuit, & eos adiunit in ædificandis ædibus, in qua vrbis parte ipsi voluerunt, & de publico agro, quantũ satis esset, diuisit illis qui opera mercenaria exercebant, & omni alio humanitatis genere eã multitudinẽ excepit, & recreauit. Albanorũ igitur vrbs, quã condiderat Ascanius, ex Aeneæ Anchisæ filio, & Creusa Priami filia progenitus, quæ steterat per quingentos annos, tredecim minus, ex quo fuerat cõdita: quo tempore multũ hominum frequentia, & opibus, & reliqua felicitate creuerat & quæ triginta Latinas colonias condiderat, & semper eius gentis imperium habuerat, à nouissima sua colonia euersa ad hoc vsq; tẽpus deserta permanet. Cæterùm, Tullus rex interm sso bello per eã hyemem, vere meunte iterũ in Fidenates copias eduxit. Fidenatibus autem publicè quidem à nullis ciuitatibus sociis auxilia venerant, sed ad eos quidam mercede conducti ex multis locis confluxerant, quibus freti ex vrbe copias educere sunt ausi. Collatis autem signis, & magna cæde in prælio edita, iterum intra mœnia compulsi fuerunt. Tullus verò, quum circumuallasset eorum vrbem, & fossis eam cinxisset, & eos qui in ea erant ad extremam inopiam redegisset, coacti sunt se regi, quibus voluit conditionibus dedere. Rex itaque hoc modo potitus vrbe, supplicio affectis defectionis autoribus, cæterisque omnibus dimissis, permisit ipsis vt eodem modo, quo antea suis rebus fruerentur, & ciuitatis statu pristino ipsis restituto, exercitum dimisit. Romam autem reuersus triumphans, diis pompam & sacrificia, quæ vouerat, persoluit: atque ille fuit secundus triumphus quem egit.

8 ¶ Hoc bello confecto, alterum ortum est à gente Sabina

Sabina: eius autem origo & causa hæc fuit, Fanū quoddam est quod communiter à Sabinis & Latinis colitur inter cætera maximè sanctum, dicatum deæ Feronæ, ita nuncupatæ, quam, qui vocem istam græco sermone vertunt, modò ἀνθηρόν, modò ἀνθοφόρον, modo etiam φερεσφόνην appellant. In hoc fanum ex finitimis ciuitatibus ad statos dies festos conueniebant multi sacrificia votiua huic deæ persoluturi: multi etiam & mercatores, & artifices, & agricolæ, ob conuentus celebritatem negotiaturi, nam ibi erat totius Italiæ forum nobilissimum. Ad eam igitur celebritatem, & conuentum Romanos quondam profectos viros non ignobiles, Sabini quidam correptos vinxerant, & pecuniis spoliarant. Et legatis hac de causa ad missis, nihil æqui facere voluerunt: quinetiam & ipsos homines, & pecunias quas illis abstulerant retinuerunt: ipsi quoque crimini dantes Romanis, quòd Sabinorum exules aperto asylo sacro susceptissent: qua de re antè à me actum est. Ob has igitur mutuas criminationes bello inter eos orto, magnas vtrique copias ex suis finibus eduxerunt, & acie instructa conflixerunt: sed æquo marte pugnarunt, & noctis interuentu victoria dubia diuepti sunt. Insequētibus verò diebus, quum vtrique vidissent, & cæsorum, & sauciorum multitudinem, alterum prælium tentare amplius noluerunt: sed relictis castris discesserunt, & bello per annum illum intermisso, demùm egressi sunt alij in alios longè maioribus copiis paratis, & ad vrbem Ericum, centum & septem stadia ab vrbe distantem prælium commiserunt, in quo accidit, vt multi hinc inde caderent: sed quum in illa quoque pugna æquo marte ad multas horas continuo certaretur, Tullus, sul latis in

cœlum, manibus diis vouit si illo die Sabinos vicisset, se Saturno & Rheæ dies festos publicis sumptibus celebrandos instituturum, quos quotannis Romani celebrant post omnes terræ fruges collectas: & saliorum, qui ista vocantur, numerum duplicaturum. Isti autem, nobilis genere orti, statis temporibus armati ad modulos tibiarum saltant, & quædam patria carmina canunt, vt in superiore libro declarauimus. Post hæc vota, ingens audacia subiit Romanos, & tanquam integri in defessos facta impressione, iam circa crepusculum serotinum eorum ordines disiparunt, & coegerunt ipsos præfectos initium fugæ facere, & sequuti ipsos fugientes ad castra circa ipsas fossas longe plures comprehenderunt: sed ne sic quidem inde reuersi sunt, at ibi permanentes eam noctem, quæ ipsos oppresserat, & iis qui ex vallo pugnabant repulsis ac repressis, potiti sunt castris. Hac re peracta, præda quantam voluerunt ex agro Sabino abacta, quum nullus amplius esset qui pro agri defensione cum ipsis pugnaret, domum redierunt. Ex hac autem pugnarex tertium triumphum egit. Nec multo post legatione à Sabinis missa bellum deposuit, pacémque fecit, postquam captiuos ab illis recepit, quos in pabulationibus ceperant, & trans fugas, & pecus, & iumenta, & cæteras res, quæcunque agrestibus eripuerant, mulcta exacta, quam senatus Rom. irrogarat, damna accepta pecuniis æstimans. Atque his conditionibus Sabini pacem fecerũt & fœderis exemplar in columnis inciſũ in templis reposuerunt. Sed quũ à Latinorũ coniuratis ciuitatibus bellũ graue & diuturnũ contra pop. R. esset conflatũ, (quibusnã de causis paulo post aperiã) huiusmodi rerũ euentũ alacri animo acceperũt & iurisiurandi, & fœderũ illorũ, nõ

aliter

aliter quàm si nunquam fuissent facta, obliti sunt. Rati autem se nactos occasionem opportunam, qua pecuniam Romanis persolutam maximo cum fœnore ab ipsis reciperent, primùm quidem pauci, & clàm egressi agrum vicinum populabantur. Deinde verò multi in vnum coeuntes, & palàm quum primus conatus ipsis ex animi sententia successisset quòd nulla auxilia ad rusticorum præsidium venissent, contemptis hostibus, Romam ipsam petere decreuerunt. Quare, ex omnibus ciuitatibus copias cogerunt, quinetiam Latinorum ciuitates ad eius belli societatem solicitarunt: illis tamen non successit vt amicitiam & belli societatem cum illa gente facerent. Tullus enim cognito eorum consilio factis inducis cum Latinis, decreuit in istos exercitum ducere, & omnes pop. Rom. copias armare, quæ iam duplo maiores erant, quàm antè, ex quo Albanos iterum sibi adiunxerat: & aliorum quoque sociorum auxilia quanta maxima posset, accersere. Iamque Sabinorum exercitus in vnum coiuerant, qui postquam ad eam syluam, quæ Maleficorum vocatur, castra posuerunt spatio exiguo inter vtraque relicto. Postera die collatis signis pugnarunt, & diu æquo marte conflixerunt: sed iam circa vespertinum crepusculum, Sabini cœperunt cedere, à Romano equitatu loco pulsi, & magna eorum strages in ipsa fuga edita est. At Romani hostium cadaueribus spoliatis, & pecuniis, quæcunque in castris erant, direptis, & agri optimam partem depopulati domum redierunt. Atque bellum ortum inter Romanos & Sabinos, Tullo regnante, hunc habuit exitum. LATINORVM verò ciuitates tunc primùm Romanis factæ sunt inimicæ, quòd nollent, euersa Albanorum vrbe, Romanis,

qui eam demoliti fuerant imperium concedere. Anno enim decimo quinto post Albæ excidiũ rex Romanorum missis legatis ad triginta ciuitates ipsius colonias, eique subditas, iussit eas Romanorum imperio parere: quod ipsi cum reliquis rebus, quas Albani habebant, Latinæ gentis imperium etiam accepissent. Duósque possessionis modos esse demonstrabat, quibus homines rerum alienarum fiunt domini, vnum necessarium, alterum voluntarium. Romanis verò vtroque modo imperium illarum ciuitatum, quibus Albani imperabant, obtigisse dicebat: nam eos & in bello armis deuictos, & post amissam vrbem suam in ciuitatem à Romanis receptos dicebat. Itaque æquum esse, vt vel sponte vel inuiti Albani Romanis subditorum imperio cederent. At Latinorum ciuitates nihil priuatim responderunt legatis: sed concilio totius gentis ad Ferentinum indicto, Romanis imperio nõ cedere decreuerunt: & confestim duos imperatores creârunt, penes quos esset pacis, bellique arbitrium, Ancum Publicium Coranum, & Sp. Vecilium Lauinienſem. His igitur de causis bellum inter Romanos & eiusdem gentis populos ortum est, & per quinque integros annos duranit: fuitq; bellum quoddam ciuile, & more prisco gestum. neque enim omnibus copiis in aciem vtrinque descendentibus, & confligentibus magna aliqua clades & cædes totius exercitus sequuta est, neque vlla eorum vrbs armis deuicta, aut euersa, aut in seruitutem redacta, aut aliqua alia insanabili calamitate affecta est: sed irruptione facta alteri in alterorum agrum, quum iam frumẽtum ad maturitatem accederet, & præda abacta copias captiuorum permutatione facta domum reducebant. Vsicam verò vrbem nominis Latini Medullią,

quò

quò iampridem Romani regnante Romulo coloniam deduxerant (vt suprà à me est demonstratum) quia facta defectione à pop. Rom. ad suorum gentilium partes transierat, rex Romanorum obsidione expugnatam à rebus in posterum nouandis deterruit. Nullum verò præterea malum, quod bella secum afferre consueuerunt, toto illo tempore alteruter is accidit. Quare Romanorum animi nõ admodum exasperati facile ad pacem faciendam inclinarunt. Hæc Tullus Hostilius regni sui tempore gessit, vir singularis & eximia laude dignus, cùm ob animi præsentiam in rebus bellicis, tum verò ob prudentiã qua in ipsis periculis vtebatur: præcipuè verò quòd in bello suscipiendo non esset præceps, & in eo semel suscepto constanter perseueraret, donec omnibus rebus aduersarios superaret. Quum autẽ regnasset annos triginta & duos, obiit, domo incensa, & cum eo & vxor & reliqua domestica turba incendio absumpta periit. Quidam autẽ aiũt domum fulmine ictam conflagrasse, irato deo ob quorundam sacrorum curam neglectam. Eo enim regnante sacrificia quædam patria intermissa, & alia quædam Romanis ritibus non recepta in rempub introducta fuisse dicunt. Plerique tamen id ei ob humanas insidias contigisse aiunt: id facinus Marcio, qui post eum regnauit, attribuentes. Hunc enim aiunt Numæ Pompilij regis nepotem, ex filia procreatum ægrè tulisse se regio natum sanguine priuatum degere, & quum videret filios iam hæredes à Tullo scriptos, maximè suspicatum fuisse, si quid humanitus Tullo accidisset, ad eius liberos regnum deuolutum iri. Hæc igitur cogitantem multo antè regi insidias struxisse, quòd haberet multos Romanos sibi regnũ adstruentes, & esset Tulli amicus, ac inter fidissimos cẽ-

seretur: & obseruasse tempus opportunum, quo eum aggrederetur. Quum itaque Tullus domesticum quoddam sacrificium esset facturus, ipsos solos familiarissimos ad id adhibuisse, quibus id notum volebat, & quum fortè illo die valde aspera tempestas orta fuisset, cum imbribus & procellis, & caligine, ita vt totum regiæ vestibulum à custodibus desereretur, ratum id opportunum esse tempus cum sociis suis sub veste gladios gestantibus fores introiisse. Cæso autem rege, eiusque liberis, & aliis quotquot ibi aderant, ignem in varias ædium partes iecisse, atque hac re peracta rumorem illum de fulmine sparsisse. Sed ego hanc hominum opinionem non admitto, neque veram, neque probabilem duco. Sed priorem opinionem sequutus, arbitror fortuito illum hunc vitæ finem habuisse, negi enim est verisimile tale facinus, quod à multis struebatur celari diutius potuisse: neque eius autor pro comperto habebat fore vt post Tulli Hostilij mortem Romani ciuitatis imperium ad se deferrent, & se regem crearent: neque, licet hominum iudiciis fretus esset, ita vt de iis dubitare non posset, propterea tamen & ipsa deorum voluntas humanis consiliis similis fuisset. Nam post suffragia à tribubus lata, oportebat ipsos deos faustis auspiciis regnum ei addicere: hominem verò scelestum, & tot cædibus iniustis pollutum, quis deorum, aut geniorum ad suas aras accedere, & victimas immolare, & cæteras sacra ministeria facere passus fuisset? Quamobrem ego non ad humanas insidias, sed ad dei voluntatem id facinus refero: cuique tamen liberum sit iudicium.

9 ¶ Post Tulli Hostilij obitum interrex creatus à senatu more patrio, regē ciuitatis ANCVM cognomine

mine MARCIVM elegit. Quum autem populus ratũ feciſſet S.C. & deus lætum exitum portenderet, rebus omnibus ritè peractis, Marcius regnum eſt auſpicatus anno ſecundo trigeſimæ & quintæ olympiadis, qua vicit Sphærus Lacedæmonius, quo tempore Athenis annum magiſtratum gerebat Damaſias. Rex iſte quum animaduertiſſet multa ſacrificia negligi, à Numa Pompilio ſuo auo materno inſtituta, & vidiſſet pleroſque Romanorum rebus bellicis & turpi quæſtui deditos, neque amplius vt antè terram colere, conuocato ad concionem populo ad intermiſſum deorum cultum eos reuocabat, vt quemadmodum Numa regnante cœperant, ita pergerent: demonſtrans, ob deorum contemptionem, & morbos, & peſtes, & multas alias calamitates in vrbem immiſſas, quibus populi pars non minima abſumpta fuiſſet, ipſumque regem Hoſtilium qui ea, vt oportuerat, non cuſtodierat, laborantem multos annos variis morborum generibus, neque amplius ſuæ mentis compotem, ſed mente vnà cum ipſo corpore labefactata & corrupta, & ipſum, eiuſque progeniem miſerandum exitum ſortitam: & adminiſtrandæ reip. genus à Numa in vrbe conſtitutum laudans, vt præclarum & ſapientiæ plenum, quòd ex iuſtiſſimo quæſtu abundè victum quotidianum cuique præberet, hortabatur vt ad id redirẽt, & agriculturæ, & rei pecuariæ, cæteriſque iuſtis operibus: à rapina & violẽtia alienis operam darent, & bellicos quæſtus aſpernarentur. Hæc & his ſimilia concionatus, & in animos omnium iniecto magno deſiderio quietis pacatæ, & induſtriæ honeſtæ, deinde accitis pontificibus, ſacrorum commentarios ab ipſis acceptos, quos Pompilius compoſuerat, in tabulas tranſcripſit, eaſque

in foro proposuit quibuslibet videndas, quæ tandem ve
tustate absumptæ sunt: nondum enim æneæ columnæ tũc
erant in vsu, sed in quernis tabulis sculpebãtur & leges
& instituta, quæ ceremonias, & sacra scriptis mandata
complectebantur: sed post exactos ad publicum vsum
reuocatæ sunt à C. Papirio summo pontifice. Instaura-
tus autem sacris quæ per negligentiam fuerant intermis-
sa, & ablegata otiosa turba ad opus sunm, laudabat a-
gricolas diligentes, & obiurgabat eos qui suo prædia
malè curabant, vt ciues minimè bonos. Hac ciuita-
tis forma instituta, quum speraret se sine bello & mole-
stiis totam vitam perpetuò transacturum, vt fecerat a-
uus maternus, fortunam suo proposito aduersam est ex-
pertus, & contrà quàm statuerat, coactus est bellator es
se, & nunquam sine periculo & tumultu viuere. Statim
enim simulatque ad imperium accessit, & quietum reip.
statum constituit, Latini eum contemnentes, & existi-
mantes ipsum ob ignauiam non esse idoneum ad bellum
administrandum, latronum manus singuli per agros suis
finitimos dimittebant, à quibus multi Romani detrimẽ-
ta accipiebant. Missis autem à rege legatis, & po-
stulantibus, vt ex fœdere Romanis ius suum tribuerent,
suásque res ipsis redderent, simulabãt se penitus igna
ros latrociniorum de quibus ipsi conquerebantur, quasi
nihil eorum publico consensu factum esset, seque nulla
in re pop. Rom. iudicio obnoxios esse dicebant: neque e-
nim se cum eo fœdus fecisse sed cum Tullo, mortuo au-
tẽ Tullo ruptas esse fœderis & pacis conditiones. Mar-
cius igitur ob has causas & responsa coactus exercitũ
in eos duxit, & Politorio eorum vrbe obsessa, ante-
quam vlla auxilia ab aliis Latinis mitterentur, ciuibus

obsessis

obsessis urbem certis conditionibus in deditionem accepit. Nullo tamen malo homines affecit, sed omnes cum suis fortunis Romam traduxit, & in tribus distribuit. Sequente autem anno quum Latini in Politorium desertum colonos misissent, & Politoriorum agrum iam colerent, Marcius cum copiis in eos est profectus. Quum autem Latini ex urbe in aciem prodire ausi fuissent, victis illis, urbem iterum cepit. Incensis autem ædificiis, & muris solo æquatis, ut hostes ibi nullam amplius belli sedem haberent, néve agrum colerent, copias domum reduxit. Sequente anno, Latini suscepta expeditione contra urbem Medulliam, ubi erant coloni Romanorum, qui se ibi præparārant ad hostium impetum sustinendum ac propulsandum undique muros oppugnantes, vi eam ceperunt. At Marcius Tellenem urbem Latinorum insignem eodem tempore cepit, & cives in acie victos & oppugnatione in deditionem acceptos, & captivos nulla re spoliatos ex ea urbe Romam traduxit, & ad domos fabricandas locum illis assignauit, & Medulliam per triennium à Latinis detentam, quarto demum anno multis & ingentibus prœliis superatā deditione facta recepit. Neque multo post Fidenas expugnauit, ex qua urbe tertio ante anno per deditionem capta multitudinem omnem Romam traduxerat, & quod nullo præterea detrimento urbem affecisset, consilium mitius quàm prudentius cepisse videbatur. Latini enim, missis in eam colonis, & eius agro occupato, ipsi Fidenatum agro fruebantur, ita vt denuo coactus fuerit Marcius ducere exercitum contra urbem illam, eáque non sine magno negotio potitus, ædificia incendere, & muros demoliri. postea duo prœlia inter

Latinos & Romanos commissa sunt. In priore quū dū pugnassent, & æquo marte certasse visi fuissent, dirempti sunt, & utrique se in sua castra receperūt. Posteriore verò Romani Latinos vicerunt, & eos usque ad castra persequuti sunt. Post hæc prælia nusquam amplius in acie certatum est inter eos: sed ab utrisque incursiones cōtinuæ in agros finitimos fiebant, & inter equites, & velites qui agrū circumibant prælia committebantur, ex quibus plerunque Romani victores discedebāt, quia copias suas sub dio in castellis opportunis ad agri præsidiū collocatas habebāt quibus Tarquinius Hetruscus præerat. Eodem autem tempore & Fidenates à Romanis defecerunt, non apertè bello indicto: sed exigua hominū manu, & occultis incursionibus agrum eorum vastantes. In quos Marcius cū expedito exercitu profectus, res ad bellum necessarias apparauit, & prope urbem castra posuit. At illi principiò quidem simulabant se ignorare ob quas iniurias Romanorum exercitus contra se venisset: sed quum rex respōdisset se venire ut repeteret ab ipsis pœnas ob agrum suum populatum & vastatum, se de his purgabant, & nihil horum maleficiorum publico cōsensu factum dicebant: tempúsque postulabant ad cognitionem eius causæ, & ad noxios perquirendos. Ac multos dies consumpserunt, nihil eorū quæ fieri oportebat facientes. sed clam sociorum auxilia implorantes, & bellico apparatui operam nauantes. Sed Marcius, cognito eorū consilio, cuniculos à suis castris usque ad urbis mœnia agere cœpit, & opere iam absoluto castra mouit, & copias cōtra urbem duxit, allatis secum multis scalis, & machinis, & cæteris instrumentis ad oppugnationem paratis, non ab ea murorum parte, in qua cuniculi agebantur,

tur, sed ab alia. Quum autẽ Fidenates ad loca vrbis quæ oppugnabantur, frequentes accurrissent, & strenuè hostium assultus repellerent, Romani quibus id negotium mandatum fuerat, aperto summo cuniculorum ore intra mœnia se insinuarunt, & obstantes quẽque sternentes, suis qui vrbẽ obsidebant portas aperuerũt. Quũ autem multi cæsi fuissẽt dũ vrbs caperetur, Marcius reliquos Fidenates armatradere iussit, & per præconem omnes in certũ vrbis locũ conuocauit, & aliquot ex ipsis defectionis auctores virgis cæsos securi percussit, militibúsque omnium domos diripere permisit: atque ita demum præsidio satis firmo in vrbe relicto, in Sabinos exercitum duxit. Nam ne illi quidem seruarant conditiones fœderis quod cum rege Tullo fecerant: sed facta irruptione in agrum Romanum agros suis finitimos vastabant. Marcius verò per exploratores & transfugas cognita opportunitate hostis adoriendi, Sabinis palantibus, & agros depopulantibus ipse cum peditatu ad hostiũ vallum exiguo præsidio munitum profectus, munitionem primo impetu occupauit: interim iussit in hostes, qui in pabulationibus erant dispersi, ocius equitatum ducere. Sabini verò quũ vidissent Romanum equitatum contra se venire, omissa præda, & cæteris rebus quas agebant ac ferebant, ad castra refugere cœperunt. Sed quum illa quoque ab hostium peditatu occupata vidissent, dubitantes quò se verterent, ad syluas & montes contenderunt. Sed quum eos leuis armaturæ milites & equites persequerentur, pauci quidam incolumes euasserunt, at maior eorũ pars interiit. & hac clade accepta rursus legatis Romã missis pacem quam petebãt impetrarunt. Nam bellũ quod cum Latinis populis Romani adhuc gerebant, essi-

cichat vt nec. ſſ: eſſet cum cæteris aduerſariis vel inducias vel pacem habere. Quarto autem fermè anno poſt hoc bellum, Marcius Romanorum rex vrbanas copias eduxit, & ſociorum auxilia quanta maxima potuit accerſiuit, atque ita Veientes eſt profectus, magnámque eorum agri partem vaſtauit: Illi enim priores ſuperiore anno in agrum Romanum irruperant, & magnam prædam abegerant, magnámque hominum cædem fecerant. Sed quum ingens exercitus à Veientibus emiſſus fuiſſet, & transflumẽ Tyberim ad Fidenas caſtra poſuiſſet, Marcius, quãta maxima potuit celeritate ducto exercitu, primùm vias omnes quà in patriam redire poterant ipſis intercluſit, quòd eſſet equitatu longe ſuperior, deinde eos in aciem prodire coactos vicit, & eorum caſtris eſt potitus. Quum autem hoc eti im bellum ipſi ex animi ſententia ſucceſſiſſet, in vrbem reuerſus de more triumphauit, diiſque ob victoriam ab hoſte reportatam debitos honores perſoluit. Secundo autem poſt anno quum Veientes iterum inducias cum ipſo factas rupiſſent & cæteras vrbes recuperare vellent, ex quibus Romulo regnante ex fœderis conditione ceſſerant, alterum prælium priore maius ad Allas cum ipſis commiſit, ex quo facilè victoriam reportauit, & ab eo tempore reliquas ciuitates ſine vlla controuerſia retinuit. Tarquinius autem dux equitum, ob operam egregiè nauatam, ex ea pugna palmam retulit, eúmque Marcius virtutem omnium præſtantiſſimum indicauit, & cum aliis honoribus perpetuò affecit, tum etiam in patriciorum & ſenatorum numerum retulit. Marcius autem bellum geſſit cum Volſcorum gente, quòd inde quoque latrones in Romanorum agrum incurſiones feciſſent, & cum ingenti-

ingentibus copiis in eos profectus, ingentem prædam inde partam retulit, & Velitras eorum urbem obsedit, & fossa vallóque cinxit, totóque agro potitus oppugnationem parabat. Sed quum maximi natu supplices prodiissent, & se regis arbitrio damna data sarturos promisissent, & pollicitis fuissent fore ut socios ad supplicium dederent, cum illis induciis fecit, quumque ius suum ab ipsis volentibus sine vi impetrasset, eos in fœdus & amicitiam recepit. Nouum inde bellum exortum est iterum à quibusdam Sabinæ gentis hominibus, qui urbem fortunatam & amplam incolentes, Romanorum virtutem nondum experti fuerant: & licet de Romanis conqueri non possent, eorum tamen felicitatem vix credibilem præ inuidia ferre non poterant, viri alioqui valde bellicosi, qui primùm contracta exigua manu, agros latrociniis, & incursionibus infestare cœperunt, deinde lucris allecti, apertè expeditionem contra eos susceperunt, & magnam agri finitimi partem depopulati valde vastarunt. Illis tamen non licuit prædam impunè abigere, nec omnes incolumes abire potuerunt. Nam rex Romanus occurrens properè, & castris suis iuxta eorum vallum positis, eos ad prælium prodire coëgit. Atrox igitur pugna commissa est, & multi hinc inde ceciderunt, idque ob tolerantiam laborum, quibus iam multò antè erant assuefacti: sed tamen Romani Sabinis longè superiores fuerunt, eorúmque milites fugientes ad castra, sparsos & nullum ordinem seruantes, è vestigio sequentes, cædem magnam fecerunt. Potiti autem & ipsis castris variarum opum plenis & recuperatis captiuis, quos Sabini in pabulationibus ceperant, domum redierunt. Res igitur quas rex iste

militiæ gesſit, & quæ à Romanis ſcriptoribus memoriæ ſunt proditæ, hæ feruntur fuiſſe. RES verò domi geſtæ ſunt eæ, quas mox dicam. Primùm quidem vrbem non mediocriter auxit. Auentinum, qui ita vocatur, iſdem mœnibus complexus. Eſt autem collis modicè altus octodecim fermè ſtadiorum ambitu, qui tunc varia materia refertus erat: ſed præcipuè lauri elegantis magna copia, vnde à Romanis quædam eius loci pars Lauretum vocatur: ſed iam totus ædificiis eſt refertus. Hic inter cæteras res præclaras templum etiam Dianæ extructum eſt. Diuinebatur autem (quamuis nunc vtrumque collem muri Romani complectantur) à colle Palatino, vbi primùm vrbs condita fuerat, profunda & anguſta valle. Sed poſtea totum illud ſpatium medium, quod inter duos colles erat vacuum, terra aggeſta repletum fuit. Quum igitur Ancus videret hunc collem futurum munitionem contra ipſam vrbem, ſi quis exercitus eam inuaſiſſet, eum muro foſſáque cinxit, & eos quos traduxerat ex Tellene & Politorio, & cæteris vrbibus, quas ceperat, in hoc loco collocauit. Atque hoc eſt vnum regis facinus ad rempub. pertinens, vt traditur, ſimul & præclarum & valde vtile, quo factum eſt vt vrbs creſceret altera vrbe addita, & minus facilè expugnari poſſet, ſi hoſtes cum ingentibus copiis contra eam veniſſent. Sed eſt & alterum priore præſtantius, quod in rebus omnibus ad vitam ſpectantibus eam fortunatiorem reddidit, & ad res maiores gerendas impulit. Quum enim Tiberis amnis ex Apenninis montibus deſcenderet, & iuxta ipſam vrbem flueret, & in litora importuoſa

eáque

eáque vicina erumperet, (quæ mare Tyrrhenum facit) & ipsi vrbi exiguam, nec memoratu dignam vtilitatem afferret, quòd circa ostia nullum haberet castellum, quod naues mari eò delatas & ex mari supero venientes, & merces cum negotiatoribus commutaret, quum alioqui nauigiis fluuialibus mediocris magnitudinis ad ipsos vsque fontes nauigari posset, inde verò ad ipsam vrbem magnis marinis onerariis: naualia ad eius ostia facere decreuit, ipso fluuij ore pro portu vsus. Nam mari contiguus longè latéque panditur, & amplos complectitur sinus quales solent habere præstantissimi maritimi portus: &, quod maximè quis miretur, non clauditur ore obstructo arenæ marinæ aggeribus, quod accidit multis magnis fluuiis, neque in paludes, aut stagna vagans modò hic, modò illic consumitur antequàm in mare fluat, sed perpetuò vbique nauibus est permeabilis, vt per vnicum natiuum ostium erumpit, maris dorsa in altum assurgentia diuerberans, quamuis ibi ab occidente valde vehemens ventus spirare soleat. Itaque longæ naues quantumuis magnæ, & ex onerariis eæ quæ vsque ad tria millia modiorum ferunt, per eius os intrant, & Romam vsque remigio & funibus tractæ feruntur. At quæ sunt his maiores, ante ostium ipsum anchoris in salo firmatæ scaphis fluuialibus euacuantur & exonerantur. In eo autem spatio quod est inter fluuium & mare, quodq; cubiti speciem refert, rex vrbe condita, quâ à re ipsa Ostiam appellauit, quâ nos diceremus θύραν, effecit vt Roma non solùm bonis, quæ in continenti nascuntur, sed & maritimis frueretur, quinetiã transmarina gustaret. Muro & cinxit Ianiculum, montẽ aliũ trans flumẽ Tyberim

situm, & præsidium firmum in eo collocauit, vt tutius flumen nauigari posset. Hetrusci enim latrocinijs negotiatores infestabant, occupantes totum illum oræ tractum, qui est trans fluuium & sublicium pontem, qui ex sola ligni materia est compactus, & cui nihil æris, aut ferri addere licet, ille Tiberi imposuisse fertur, quem ad hoc vsque tempus seruant, sacrum existimantes. Quòd si qua eius pars laboret, eam pontifices curant, quædam patria sacrificia facientes dum ipsum sarciunt. Quis autem rex iste has res memoria dignas in suo regno gessisset, & Romam suis successoribus tradidisset, non paulò meliorem quàm ipse accepisset, regno potitus per viginti & quatuor annos, obijt relictis duobus filijs, altero adhuc puerili ætate, altero, qui natu erat maior, iam pubescente.

10 ¶ POST Anci Marcij mortem senatus decreuit, quum populus ipsi permisisset vt quam vellet ciuitatis formam constitueret, in eadem manere statuit, & interreges creauit. Illi verò conuocata multitudine ad comitia, regem elegerunt L. TARQVINIVM, quin & ipsa auspicia & diuini numinis signa, plebiscitum confirmassent, Tarquinius circiter secundum annum quadragesimæ primæ olympiadis, qua fuerat victor in stadio Cleonides Thebanus, archonte Athenis Eniochilo, regnum est auspicatus. Quinam autem fuerint huius Tarquinij parentes, quæ patria, & quibus de causis Romam venerit, & quibus artibus ad regnum peruenerit, dicam, vt in illius gentis annalibus reperi. Corinthius quidam, nomine Demaratus ex Bacchiadarum gente, quum mercaturam exercendam sibi proposuisset, in Italiam nauigauit, priuato sumptu instructa naue, & suis

suis mercibus onerata. Quum autem suas merces distraxisset in Hetruscorum ciuitatibus, quæ tunc omnium Italiæ ciuitatum fortunatissimæ erant: & inde magnũ quæstum fecisset, noluit amplius ad alios portus appellere, sed per idem mare semper vltrò citróque commeans, græcas merces ad Hetruscos vehebat, & Hetruscas in Graciam ferebat atque ita magnas opes sibi comparauit. Sed quum seditio Corinthi esset orta, & Bacchiadæ Cypselo tyrannide premerentur, existimans sibi multas habenti fortunas parum esse tutum in tyrannide viuere, præsertim quum esset ex illustri familia & factione optimatum, conuasatis rebus suis quascunque secum afferre potuit, Corintho discessit. Quum autem multos, eósque bonos amicos in Hetruria haberet ob continua commercia, præcipuè verò Tarquinii, in vrbe quondam magna ac fortunata, domicilium ibi sibi comparauit, & mulierem genere illustrem duxit in matrimonium. ex qua quum duos filios suscepisset, iis Hetrusca nomina imposuit, alterum Aruntem alterum Lucumonem appellans: & quũ vtrumque Græca & Hetrusca disciplina instituisset illis iam viris factis, vxores ex illustrissimis familiis dedit. Nec multò post illius filiorum alter, qui maior erat natu, nulla certa progenie relicta obiit. & paucis post diebus ipse Demaratus præ dolore moritur, relicto omnium suarum fortunarum herede Lucumone, qui solus ex liberis superstes erat: qui adeptus tam amplum patrimonium, immiscere se rebus & Remp. gerere, & inter præcipuos ciues censeri volebat. Sed quum vndique ab indigenis repelleretur, & ne inter mediocres quidem locum obtinere posset, nedum inter primarios, eam ignominiam iniquo animo ferebat. Quare quum audisset populum

Romanum omnes peregrinos lubenter recipere, & ciuitate donare, ac pro dignitate vnumquenque honorare, eò sedes transferre statuit, vndique suis omnibus rebus collectis, & adducta vxore, cæterísque amicis ac domesticis quotquot sequi voluissent. Magnus autem fuit numerus eorum qui cum eo lubenter discedere voluerunt. Quum autem ad Ianiculum (quod ita vocatur) venissent, vnde Romanis qui ex Hetruria veniunt primùm conspicitur, aquila derepentè deuolans, pileum quem in capite gestabat abripuit, & rursus se in altum sustulit supra carpentum circumuolitans, eúmque in aeris circumfusi profunditate occultauit: deinde ex improuiso pileum Lucumonis capiti aptè, vt erat antè, iterum imposuit. Quum autem id prodigium omnibus admirandum & præter opinionem apparuisset, Lucumonis vxor, nomine Tanaquil, à maioribus Hetruscam auspiciorum disciplinam bene docta, ipsum seorsum adductum complexa est, & optimè sperare iussit, dixit in fore vt ex priuata fortuna ad regiam potestatẽ euaderet. Suasit tamẽ daret operam vt à Romanis volentibus principatũ impetraret, se eo honore dignum præstans. Ille verò lætus eo prodigio, quum iã ad portas accederet, deos precatus vt id auspiciũ ratum facerent, & ad felicem exitum perducerent, summq; introitum fortunarent, ita demũ vrbem est ingressus, & postea quum in colloquium venisset cũ rege Marcio, primùm declarauit quis esset, deinde dixit se cũ toto suo patrimonio venisse in vrbẽ, quod in ea habitare vellet, dixítque se id in publicos regis & Reipublicæ Romanæ vsus collaturum quòd maius esset quàm priuati hominis facultates ferrent. Quum autem lubenti animo rex illum recepisset, eúmque cum omnibus Hetruscis,

qui

qui cum ipso venerant, in tribu & curia collocasset, quam ipsis assignauit, ipse domum ædificauit, tantum loci in vrbe sortitus, quantum sat esset, & agri portionem accepit. Quum autem hæc peregisset, & ciuis factus fuisset, animaduertens vnicuique Romanorum nomen commune esse, & præter illud commune, aliud etiam quod cognationis & patronimicum esset: quoniam volebat hac quoque in re illis similis esse, Lucij nomen commune pro Lucumone sibi imposuit, & Tarquinij pro cognationis nomine: quod sumptum est ab vrbe in qua & natus & educatus fuerat. Et breuissimo temporis spatio regis amicitiam sibi conciliauit, quòd ei donaret ea quibus ipsum maximè egere sentiebat, quódque pecunias suppeditaret ad bellicos vsus, quibus indigebat, & in ipsis expeditionibus dimicaret optimè omnium & peditum & equitum, & consilio optimo, sicubi opus eo fuisset, præditus esset, ita vt in prudentissimorum consiliariorum numero poneretur. Quum autem apud regem esset in honore aliorum quoque Romanorum beneuolentiam sibi conciliauit: quin etiam multos patricios beneficiis sibi deuinxit & plebeiæ multitudinis fautorem sibi comparauit, comiter quosque salutando, & iucundis appellationibus omnes appellando, & largitione, & omni genere humanitatis prosequendo. Talis igitur erat Tarquinius: & his de causis viuente adhuc Marcio omnium Romanorum illustrissimus erat, & eo mortuo ab omnibus regno dignus est iudicatus. Quum autem regnum adeptus fuisset, primum quidem bellum intulit Apiolanis, qui ita vocantur, populo gentis Latinæ non ignobili. Apiolani enim & reliqui omnes Latini, post Anci Marcij obitum arbitrati pacis conditiones ruptas, ita

erocinijs ac pabulationibus Romanorum agrum infestantes populabantur. Quare Tarquinius volens iniuriã ab illis acceptam vlcisci, cum ingentibus copijs in eos profectus est, & agri eorum præstantissimam partem vastauit. Quum autem ex finitimis locis Latinorum, magna auxilia Apiolanis venissent, bis cum illis pugnauit. Et quum in vtroque prælio vicisset, se ad vrbis oppugnationem conuertit, & copias ad muros admouit: & alij alios deinceps excipiebant, iisque succedebãt. At oppidani quum pauci multis resisterent, nec vnquam tempus ad quiescendum daretur, tandem expugnati sunt. Oppido autem per vim capto, maior Apiolanorum pars in ipsa pugna cæsa fuit: pauci verò, armis traditis, vnà cum reliqua præda venditi fuerunt, & eorum liberi & coniuges in seruitutem à Romanis abductæ fuerunt, & ipsa vrbs direpta, incensa fuit. Rex his peractis, & mœnibus sunditus euersis domum copias reduxit: & postea aliam expeditionem fecit in Crustumerinorum vrbem. Hæc erat Latinorum colonia, sed regnante Romulo in Romanorũ ditionem venerat: at postquam Tarquinius regnum est adeptus, rursus Latinorum partibus studere cœpit, verumtamen neque oppugnatione, neque alio quopiam magno labore ipsi recipienda fuit. Quum enim Crustumerini vidissent & munerum copiarum quæ contra se venerant, & suam imbecillitatem, quumque nulla auxilia sibi à Latinis mitti animaduertissent, portas aperuerunt, & progressi omnium ciuitatis maximi natu & honoratissimi quique, vrbẽ ei dederunt, suppliciter orãtes vt se clementer ac moderate tractaret. Ille verò res ex voto successit: & vrbẽ ingressus nullũ Crustumerinorũ interfecit: sed paucos quosdã defectionis autores, iã vltro ex vrbe egressos, exilio

exilio mulctauit. Cæteris verò omnibus res suas habere permisit, & ius Romanæ ciuitatis vt antè habuerant. Sed nequid in posterum innouarent, Romanos qui cum illis habitarent, reliquit. Nomentani quoque, qui eadem ceperant consilia, eandem fortunam sunt experti. Isti enim missis prædonibus in Romanorum agrum, apertè se eorum hostes esse professi sunt, Latinorum societate, freti. Quum autem Tarquinius expeditionem aduersus eos suscepisset, & Latinorum auxilia serius venissent, nec ipsi soli possent tantis copijs resistere, cum ramis oleæ lana obuolutis more supplicantium, egressi sunt ex vrbe & se ei dediderunt. Qui verò Collatiam incolebant, ausi sunt illi quidem cum Romanorum copiis dimicare, atque ex vrbe prodierunt: sed quum ex omnibus præliis deteriore conditione discederent & multa vulnera acciperent, coacti fuerunt denuo intra mœnia refugere, & ad Latinorum ciuitates legatos dimiserunt, qui societatē & auxilia peterent. Sed quum illi cunctarentur, & hostes variis murorum partibus ipsos oppugnarent, tandem vrbem dedere coacti sunt. Sed non æquè clementer atque Nomentani & Crustumerini tractati fuerunt. sed rex illis arma ademit, eōsque multa pecuniaria mulctauit & satis firmum præsidiū in vrbe reliquit, & Aruntem Tarquinium filium sui fratris illis præfecit, eique dedit imperiū nullis rationibus reddēdis obnoxium, quod gereret quandiu viueret: quia post patris Aruntis & aui Demarati mortem natus, neque paternorum, neque auitorum bonorum hereditariam portionem sibi debitā habuerat. & propterea Egerius fuit cognominatus: pauperes enim & mendicos Romani ita appellant. Ex quo autem illius vrbis curam suscepit, & ipse Colla-

tinus est vocatus, & omnes eius posteri. Post Collatiam deditam, rex contra Corniculum copias duxit: illa autem vrbs erat ipsa gentis Latinæ: populatus autem eorum agrum sine vllo prorsus metu, quia nullus cum defendebat, ad ipsam vrbem duxit exercitum, ciues ad amicitiam prouocans. sed quum illi nollent ad vllas pacis conditiones venire, sed murorum munitionibus freti essent, & vndique auxilia ventura sperarent, vrbem exercitu circundatã oppugnare cœpit. Corniculani verò, diu quidem restiterunt, hostes fortiter repellentes, multáque oppugnatoribus vulnera intulerunt: sed assiduitate laborum defatigati, nec omnes amplius concordes (alij enim censebant vrbem dedendam, alij verò ad finem vsque resistendũ) ob illud diũ magis fatigati, expugnati sunt. Præstantissima igitur eorũ pars, dũ vrbs caperetur, pugnans cæsa est: at pars ignobilis & ignaua, cui propterea salus concessa est, instar mancipiorum vendita est cum vxoribus & liberis. Horum autem vrbs à victoribus direpta incensáque fuit. Quod ægrè ferentes Latini, decreuerunt collatis in vnum viribus in Romanos exercitum ducere, & paratis copiis ingentibus, in vberrimam eorũ agri partem fecerunt irruptionem, vnde multos captiuos abduxerunt, & magna præda potiti sunt. At rex Tarquinius egressus quidem est contra illos, secum expeditum ac paratum exercitum ducens: sed quum non amplius eos assequi potuisset, corrupit in eorum agrum, eumque eodem modo tractauit, atque ita crebris, mutuisque excursionibus in agros conterminos factis, multa & incommoda & commoda vtrique censerunt. Semel tantum ad Fidenas totis viribus in acie inter eos certatum est, quo in prælio multi vtrinque ceciderunt: sed tamen Romani

vicerunt,

vicerunt & coegerunt Latinos desertis castris noctu suas vrbes repetere. Post illud prælium, Tarquinius cum Romanorum copiis instructis ad eorum vrbes profectus, ad amicitiam eas solicitabat. Illi verò quum neque copias totius nominis Latini coniunctas haberent: neque suis apparatibus satis fiderent, conditiones oblatas acceperunt, & nonnulli eorum vrbes dediderunt, quòd viderent vrbes per vim captas, ciuium seruitutem, & ipsarum euersionem sequi: at illis quæ certis conditionibus se dedidissent, illud solum incommodum accidere, nimirum vt victorum imperio parerent, nihil verò præterea grauius paterentur. Primi igitur Fidenates certis pactionibus & æquis conditionibus vrbes nobiles Romanis dediderunt, & post eos Camerini idem fecerunt: quas vrbes sequuta sunt alia quædam oppidula & castella munita, quibus rebus cæteri Latini turbati & veriti ne illam totam gentem in suam potestatem redigeret, ad Ferentinum conuctu indicto decreuerunt domesticas copias ex omnibus ciuitatibus educere & gentium finitimarum fortissimas quasque accire: quare legatos miserunt ad Hetruscos & Sabinos auxilia petentes. Sabini igitur polliciti sunt illis, simulatque audissent eos in agrũ Romanum irrupisse, se sumptis armis finitimum eorum agrum populaturos. Hetrusci verò promiserunt se missuros auxilia, quibus illis opus esset futurum. Non omnes tamen in eadem fuerunt sententia: sed quinque tantùm ciuitates, Clusini, Aretini, Volaterrani, Rusellani, & præter hos Vetuloniẽses. Hac spe elati Latini paratis ingẽtibus copijs domesticis, & aliis assumptis quas Hetrusci miserant in agrum Romanum irruperũt, & eodem tẽpore ex gente Sabina populi, qui se belli socios futuros

promiserant, agrũ suo finitimũ vastarunt. Rex autẽ Romanorũ ipse quoque magnũ & validum exercitum, quẽ interea pararat, celeriter eduxit in hostes. Cum Sabinus igitur & Latinis simul bellum gerere, & exercitum in duas partes dimidere, parum tutum esse arbitrabatur. Quare omnes copias in Latinos ducere decreuit, & prope eos castra posuit. Principiò igitur vtrique cunctabantur totis viribus periclitari, alteri alterorum apparatus timentes. sed leuis armaturæ milites, ex munitionibus vtrorumque descendentes crebrò leuia certamina committebant, & plerumque æquo marte dissẽrebant. Tandem postea, quum ex istiusmodi velitationibus contentio inter vtrosque orta esset, dum vtrique suis opem ferrent, primùm quidem pauci, mox verò omnes ex castris progredi coacti sunt. Atque congressi viri bellicis certaminibus exercitatissimi, & peditum ac equitum numero alteri alteris non multò inferiores, & pari animi alacritate ad prælium cõcitati, quòd extremam periculorũ aleam sibi subeundam existimarent, inter se pugnarunt vt decet viros fortes. Sed noctis interuentu æquo marte dirempti sunt. Veruntamen post eã pugnam, vtrorumq; cõsilia diuersa satis patefecerunt quinam prælio superiores fuissent: postero enim die Latini ex castris egressi non sunt: at rex Romanus copiis in campũ apertũ eductis paratus erat ad alterã pugnã cõmittendã, & ad multas horas aciẽ instructam tenuit: sed quũ hostes obuiã non exirent, eorum cadaueribus spoliatis & suis sublatis, multa cum iactantia exercitũ in castra sua reduxit. Sed quũ postridiè eius dici alia auxilia Latinis ab Hetruscis missa venissent altera pugna cõmissa est, lõgè atrocior priore, ex qua rex Tarquinius maximè insignẽ victoriã reporta-

tauit, cuius eum autorem fuisse omnes facilè fatebantur. Quum enim Romana acies iam laboraret, & in sinistro cornu ordines iã dissoluerentur, & ipse suorũ aciẽ inclinari ac malè ab hostibus tractari vidisset, (tunc autẽ in dextro cornu pugnabat) fortissimas equitum alas conuertit & lectissimos quosque pedites secũ assumpsit eósque à tergo sui exercitus duxit, & præterito sinistro cornu ultra aciem progressus est, deinde infestis hastis, & calcaribus citatis equis in transuersas Hetruscorũ cohortes impetũ fecit. Isti enim in dextro hostiũ cornu pugnantes oppositos sibi aduersarios in fugam verterant. Sed quum se illis ex improuiso in conspectũ dedisset, valde eos terruit & turbauit. Interea verò & ipse Romanorũ peditatus collectis animis ex priore metu in hostem contendit. Postea ingens Hetruscorũ cædes facta, & totum dextrum cornu in fugã versum. Tarquinius verò iussis peditũ ducibus se ordine & pedetentim sequi, ipse ad hostium castra iuit, totis viribus concitatis equis, & quũ anteuertisset eos qui exercitu in fugã verso euaserant, statim primo impetu castris potitur: qui enim in castris relicti fuerant, quum nondum suorum cladem resciuissent, neque equites aduentantes ob repẽtinum aduentum dignoscere potuissent, passi sunt eos ingredi. Captis autem Latinorũ castris qui ex fuga se recipiebant ad tutũ refugium, ab equitibus qui ipsa castra occuparant cædebantur. At qui ex castris in planitiem fugere maturarant, in Romanas legiones incidentes, ab illis interficiebantur. Plerique verò eorũ se inuicem trudẽtes & conculcantes, impacti in vallos aut fossas, miserrimo & indignissimo mortis genere perierunt. Quare qui reliqui erant coacti fuerunt, quum nullam aliã salutis viam inuenire possent, se victoribus

dedere. Tarquinius autem multis hominibus & pecuniis potitus captiuos vendidit: at quæ in castris inuenta sunt militibus est largitus. His rebus gestis, exercitum contra Latinorum vrbes duxit, vt prælio vrbes quæ se vltro dedere nollet, expugnaret. Verùtamẽ nulla oppugnatione illis opus fuit: omnes enim ad deprecationes & preces se conuerterunt, & legatis cõmuni totius Reip. consensu missis rogarunt vt quibus vellet conditionibus facere pacẽ, eique vrbes dediderunt. His autem conditionibus Tarquinius vrbibus potitus, clementissimè & moderatissimè eas omnes tractauit. neque enim quenquam Latinorum aut interfecit, aut solum vertere coëgit, neque pecunijs mulctauit: & illis permisit vt agro suo fruerentur, & concessit vt patrijs legibus ac institutis vterentur. Sed iussit eos reddere Romanis & transfugas & captiuos sine vllo redemptionis pretio, & suis dominis restituere seruos quotquot in pabulationibus ceperant, & pecunias quascunque rusticis eripuerant persoluere. & si quod aliud damnum dedissent, aut si quid corrupissent in irruptionibus in agrum factis, id sarcire. Atque his conditionibus Tarquinius eos in populi Romani amicitiã & societatẽ receptũ iri dixit, ita tamẽ vt omnia ipsius imperata facerent. Bellum igitur quod Romani cum Latinis gesserunt hunc habuit exitũ, & rex Tarquinius ob victoriã ex hoc bello reportatã triumphauit.

II. ¶ SEQVENTI anno exercitũ in Sabinos duxit, qui iã multò ante animũ ipsius & apparatũ cõtra se cognorãt. Qui quũ nõ expectassẽt donec in suo agro bellũ gereretur, sed satis firmũ exercitũ ipsi quoq; parassent obuiã ei venerũt. Prælio aũt inter eos cõmisso in ipsis agri cõfinijs ad noctẽ vsque neutri quidẽ vicerunt, sed vtrique valde

valde atrociter pugnarunt. Sequentibus verò diebus, neque Sabinorum dux è castris copias eduxit, neque etiã ipse rex Romanorum: sed utrique motis castris, & hostili agro non vastato domum redierunt. Idẽ autem fuit utrorumque propositum, nimirum vt vere ineunte maiores copias in agrum hostilem ducerent. Quum autem res ad bellum necessarias utrique parassent, Sabini priores egressi sunt, habentes Hetruscorum satis firma auxilia, & prope Fidenas consederunt ad Anienis & Tiberis confluentes, vbi bina fecerunt castra inuicem sibi aduersa & contigua, in medio habentes communem vtriusque fluuii alueum supra quã extructus erat pons ligneus, qui scaphis & ratibus sustinebatur, qui efficiebat, vt expeditior vltrò citróque esset transitus, vtque vna essent castra. Tarquinius autem audita eorum irruptione, eduxit & ipse Romanorum copias, & consedit paulùm supra eorum castra ad Anienem fluuium, in quodam mimito colle. Quanuis autem vtrique maximo animi ardore ad id bellum ferrentur, tamen nullum prælium aut grauius aut leuius acie instructa inter eos commissum est. Tarquinius enim Sabinos stratagemate præuenit, & omnes eorum res attriuit, & vtraque eorum castra deleuit. Eius autem stratagema tale fuit. Quum parassent nauiculas fluuiatiles & rates lignis aridis & cremmis onustas, præterea sulphure & pice, in altero flumine, ad quod ipse castra posuerat, obseruato deinde secundo vento, circa quartam vigiliam, materiam illam incendi iussit, & scaphas ac rates dimitti, vt secundo fluminis cursu ferrẽtur. Ille verò perexiguo tẽpore mediũ spatiũ præteruectæ in põtẽ inciderunt, eumq; variis in locis incẽderunt. Quũ autẽ Sabini cõspecta ingenti flãma, quæ ex

improuiso orta fuerat, concurrissent vt ponti opem ferrent, quùmque omnia remedia, quæ ignem poterant extinguere, experirentur, Tarquinius sub diluculum matutinum venit cum Romanorum exercitu, quem acie instructa ducebat & altera adortus castra, quæ maxima pars custodiarum deseruerat, quod ad incendium extinguendum ocius occurrisset, quum pauci quidam ad vim propulsandam se vertissent sine vllo labore illis est potitus. Dum autem hæc geruntur, altera quoque Sabinorũ castra, quæ erant trans flumen posita, aliæ Romanorum copiæ aggressæ ceperunt, quæ à Tarquinio circa primam vigiliam præmissæ fuerant, & scaphis & ratibus confluentem traiecerant, quâ se clam Sabinis facilè transituras putabant: ad altera autem castra accesserant, simulatque pontem incensum conspexerant, hoc enim illis datum fuerat inuadendi signum. Qui verò in castris deprehensi fuerunt, partim pugnantes à Romanis concisi fuerunt, partim se in confluentem proiicientes, quum non potuissent vortices superare telis confossi sunt: non minima etiam eorum pars interijt dum opem ponti incenso ferret. Tarquinius autem captis vtrisque castris, prædam in ipsis inuentam militibus concessit vt eam inter se diuiderent: sed captiuos quorum maximus erat numerus, & ex Sabinis ipsis & Hetruscis, Romam ductos valdè diligenter custodiuit. Sabinos igitur ea clade fractos facti pœnitentia cepit & missis legatis inducias & fœdus in sex annos fecerunt. At Hetrusci, indignè ferentes se toties à Romanis victos, & à Tarquinio suis legatis captiuos non restitui sed obsidum loco detineri, hoc decretum fecerunt, vt omnes Hetruscorum populi communibus auspicijs bellum Romanis inferrent, & qui il-

lius

lius expeditionis societatem recusasset iis esset expers fœderis. Quum hæc decreuissent, copias eduxerunt, & Tiberi tracto, ad Fidenas castra posuerunt. Potiti autem hac vrbe per proditionem, orta inter ciues seditione, & multis captis, & ingenti præda ex agro Romano abacta domum redierunt, præsidio satis firmo Fidenis relicto. Hæc enim vrbs videbatur ipsis commodissima sedes belli contra Romanos fore. At rex Tarquinius, quum anno sequenti omnes ciues Romanos armassit & assumpsisset sociorum auxilia quanta maxima potuisset, ineunte vere in hostes est profectus, antequàm illi ex omnibus ciuitatibus colleCti, vt antè, contra se venirent: totóque exercitu in duas partes diuiso ipse Romanas copias ducebat: at sociorum auxiliis, quæ maxima ex parte ex Latinis constabant, Egerium cognatum suum præfecit, atque ita contra hostes qui Fidenis erant ire iussit. Sociorum igitur exercitus quum prope Fidenas in loco non tuto castra posuisset quòd hostes contemneret, parum abfuit quin totus deleretur. Qui enim Fidenis erant præsidio, nouis auxiliis ab Hetruscis clam accersitis, & obseruato tempore opportuno, vrbe egressi, vallum hostium malè custoditum primo impetu ceperunt, & magnam ediderunt cædem eorum qui pabulatum tuerant. At Romanorum exercitus cui præerat Tarquinius, quum Vientium agrum vastasset, & depopulatus fuisset, atque ingentem prædam inde abegisset, iámque ex omnibus Hetruscis ciuitatibus magna Vientibus auxilia collecta venissent, cum illis prælio congressus victoriam minimè dubiam reportauit. Postea illorum populorum agrum peragrans, impunè depopulatus est, & multis hominibus captis, & ingenti

præda, vt pote ex agro fortunato, abacta, iam sub æstatis finem domum se recepit. Quum autem Veientes in ea pugna ingentem cladem accepissent, non sunt ausi amplius ex vrbe egredi: sed agrum suum in conspectu suo lædi patiebantur. Tarquinius verò, ter irruptione in agrum Veientium facta, illisque trium integrorum annorum fructibus, quos ex agro suo percipiebant, spoliatis, vt desertam maximam agri partem reddidit. Quumque agrum illum nullo modo amplius vastare posset, exercitum duxit aduersus Cæretanorum vrbem, quæ antequidem vocabatur Agylla, quo tempore Pelasgi eam incolebant: sed in Hetruscorum potestatem redacta, mutato nomine appellata est Cære. Hæc autem vrbs fortunata erat, si quâ alia Hetrusca, & frequentia hominũ abundans: vnde ingens exercitus pro agro pugnaturus exiuit, qui multis hostibus cæsis sed longè pluribus desuis amissis, fuga se recepit in vrbem. Quum autem Romani eorum agri rerum omnium maximam copiam suppeditãtis domini essent, ibi multos dies cõsumpserunt, & quum tempus discedendi venit, abacta præda quantam potuerunt, domum redierunt. Tarquinius autem, quum bellum Veietanum ipsi ex animi sententia successisset, in hostes qui Fidenis erant, duxit exercitum, quia præsidium quod ibi erat extrudere volebat, & eos qui vrbem Hetruscis prodiderant, vlcisci cupiebat. Romani igitur in acie pugnarunt cum illis qui ex vrbe egressi fuerant, & in ipsa murorum oppugnatione atrox certamen conseruerunt: vrbs tamen per vim capta est, & milites præsidiarij in vinculis vnâ cum reliquis captiuis Hetruscis custodiebantur. At qui de Fidenatibus existimabantur defectionis fuisse, partim virgis fœdè cæsi in omnium

nium conſpectu ſecuri percuſsi ſunt, partim exilio perpetuo mulctati fuerunt. Eorum verò bona ſortitò diuiſa habuerunt Romani illi qui relicti ſunt vt vrbem incolerent, eique præſidio eſſent. Poſtremum autem Romanorum & Hetruſcorum prælium commiſſum eſt ad vrbem Eretum in agro Sabino. Illa enim Hetruſci contra Romanos venerant, ſuaſu hoſtium, qui illum agrum tenebãt, qui Sabinos huius ſuæ expeditionis ſocios fore dixerant. Iam enim tempus induciarum in ſex annos cum Tarquinio factarum elapſum erat, & magna Sabinorum pars deſiderabat priores clades corrigere & ſarcire, quòd in ſuis vrbibus ſatis numeroſam iuuentutem adultam haberet. Sed tamen ille conatus ipſis ex animi ſententia non ſucceſsit, quòd Romanorum exercitus citiùs quàm ſperarant ſe in ipſorum conſpectum dediſſet: & accidit vt ex nulla vrbe communia auxilia Hetruſcis mitterentur: ſed voluntary quidam opem illis tulerunt, pauci magna mercede conducti. Hoc prælio, quod fuit omnium ſuperiorum maximum quæ illi inter ſe commiſerunt, res Romanorum mirum in modum creuerunt, quia pulcherrimam victoriam ex eo retulerunt. Senatus autem & pop. Rom. regi Tarquinio triumphum decreuit. At Hetruſcorum ſpiritus collapſi ſunt, quòd omnes omnium ciuitatum copias ad id prælium miſiſſent, & paucos quoſdam ex ingenti numero ſeruatos recepiſſent. Alij enim in acie pugnantes cæſi fuerant, alij verò in ipſa fuga, quum in angustias quæ nullum habebant exitum incidiſſent, ſe victoribus dediderant. Quum igitur illorum populorum principes tantam cladem accepiſſent, facinus quod viros prudentes decebat, fecerunt. Quum enim rex Tarquinius nouam expeditionem in eos feciſſet, ipſi in

communi gentis cõcilio de pace cũ eo agere decreuerunt. Ac mox ex singulis ciuitatibus maximos quosq; natu, & honoratissimos quosq; miserunt cum libera potestate pacis faciendæ quibuscumque conditionibus vcluissent. Quos quũ rex audisset prolixa oratione dissẽtes ac clementia & moderatione, ad quã ipsum hortabantur, & memorantes cognationem, quæ ipsis cum illa gente intercedebat, respondit se hoc vnum ex ipsis scire velle, vtrum adhuc secum de iuris æquabilitate ac principatu disceptare vellent, & aliqua certa verborum formula pacis conditiones accepturi venirent, an verò se victos fateretur, & suas vrbes sibi dederent. Quum autem illi respondissent se ipsi vrbes dedere, & se in pace acquieturos quibuscumque conditionibus (modò æquæ ac tolerabiles essent) eam impetrassent: lætus his responsis. {Audite nũc (inquit) quibus conditionibus pacẽ sim facturus, & quæ beneficia in vos sim collaturus. Neque quenquam Hetruscorum interficerẽ, neque expellere patria, neque fortunis spoliare, aut pecunia mulctare decreui: sed vobis permitto vt omnes vrbes vestræ sint sine præsidiis, & nullum tributum pendant, & sui iuris sint: concedo etiã vnicuique vt pristinã ciuitatis formã & statũ retineat. Quare quum hæc vobis cõcedã, pro meis omnibus in vos beneficiis illud vnũ me à vobis impetrare oportere existimo, nimirum imperium ciuitatũ, quarum vel vobis inuitis donec armis superior ero, dominus sum futurus. Sed hoc à vobis potiùs volentibus quàm nolẽtibus impetrare volo. Hæc renuntiate vestris ciuitatibus, ego verò, donec redeatis, inducias me vobiscũ facturũ polliceor.} His responsis acceptis, legati abierunt, & paucis post diebus redierunt, ei non sola verba afferentes, sed etiam imperij insignia

insignia quibus ipsi suos reges ornare solebant, portãtes, & coronam aureã & sellam eburneam, & sceptrum in summitate aquilã habens, & tunicam purpuream, auróq; distinctam, & togam purpuream, & picta, quales solent & Lydorum & Persarum reges gestare, præterquam quòd minimè quadrata, vt illæ, sed forma semi circulari erat. Eiusmodi autem vestes Romani togas, Græci τήβεννον vocant, nesio vnde sumpto vocabulo. Hoc enim nomen Græcum esse mihi non videtur. Vt autem quidam tradunt, duodecim etiam secures ei attulerunt, ex vna quaque ciuitate vnam accipientes. Mos enim Hetruscus videtur, vt in vna quaque ciuitate regi lictor vnus præcat cum fasce securim ferens. Quoties verò communis XII populorum expeditio fiebat, mos erat vt duodecim secures vni soli, qui summum haberet imperium, traderentur. Non omnes tamen assentiuntur iis qui hæc dicunt, sed aiunt multò antè regnum Tarquinij duodecim secures regibus præferri solitas. Hunc autem morem à Romulo statim post imperium acceptum institutum fuisse. Sed nihil prohibet quominus dicamus id inuentum esse Hetruscorum, primúmque Romulum id ab illis accepisse, eóque vsum fuisse, & Tarquinio inter cætera regia insignia ac ornamenta duodecim quoque secures allatas fuisse, quemadmodum nunc Romani sceptra & dimidiata regibus dono mittunt, his ipsorum potestatem confirmantes: quæ tamen illi habent, licet ab illis ea non acceperint. Tarquinius tamen his honoribus acceptis non statim est vsus, vt maxima pars scriptorum Romanorum scribit: sed quum ad senatũ populúmque, Rõ. eius rei cognitionem retulisset, an honores oblati recipiendi essent, postquam omnes

id velle cognouit tum demum eos accepit, & postea toto vitæ tempore, donec è vita cessit coronã auream gestauit, & toga purpurea eáque picta inducbatur, & tenens sceptrum eburneum, in sella eburnea sedebat, & duodecim lictores duodecim fasces cum securibus ferentes ei iudicanti astabant, & per vias eunti præibant. Eadem ornamenta retinuerunt & reges illius successores, & post reges pulsos ipsi cons. qui quotannis creabantur, excepta tamen corona togaque picta: hæc enim sola illis adempta sunt, quia libertati nimium molesta atque inuidiosa videbantur, quoties tamen ex bello victoriã reportãtes, à senatu digni triumpho iudicati fuerint, hæc illis cõceduntur. Tunc enim & aurũ gestãt, & togis purpureis & pictis induuntur. Bellũ igitur quod Tarquinius cum Hetruscis gesserat, quod annos nouem durarat, hunc exitum habuit.

12 ¶ QVVM autẽ sola Sabinorum gens superesset, quæ cũ Romanis de principatu contenderet, & viros bellicosos haberet, & agrũ latum & fertilem coleret, nec ab vrbe lõgè distaret, valde cupiebat Tarquinius hos etiam in suã potestatẽ redigere: quare bellũ illis indixit crimini dans illorũ populis, quòd Romanis deposcentibus eos qui Hetruscis promiserant si exercitum in pop. Romanorum duxissent, se suæ quoq; patriæ amicitiam ipsis cõciliaturos, & à Romanis suas ciuitates alienaturos, dedere noluissent. Illi verò libẽter bellũ susceperunt, quòd nollent potentissimis quibusq; ciuibus priuari, & antequã Romanorũ exercitus cõtra se veniret ipsi in illorũ agrũ copias duxerunt. Rex autẽ Tarquinius quũ audisset Sabinos Anienem fluuiũ traiecisse, & omnia loca castris vicina circumcirca populationibus infestari, assum-

ptam

ptam expeditissimam & lectissimã Romanorum iuuẽtutem, quant. maxima potuit celeritate eduxit in hostes dispersos in ipsis pabulationibus. Multis autem eorum cæsis, ipsisq; præda quam agebant, adempta, prope hostes sua castra posuit, & paucis quibus iam diebus interpositis, donec reliquæ copiæ ex vrbe ad se venirent, & sociorum auxilia cogerentur, in campum pugnaturus descendit. Sabini verò, quum Romanos conspexissent alacri animo ad certamen ferri, eduxerunt & ipsi suas copias, neque numero neque virtute inferiores hostibus: & congressi pugnarunt, ommem audaciam exerentes, quamdiu ipsis vnicum certamen cum aduersariis fuit. Sed postea quam vidissent nouum hostium exercitum acie instructa, & ordinibus seruatis à tergo contra se venientem, desertis signis in fugam se verterunt. Qui autem à tergo ex improuiso Sabinis apparuerunt, erant pedites & equites Romani lecti, quos Tarquinius noctu in locis opportunis in insidiis collocarat. Sabini igitur horum virorum inopinato atque infesto aduentu territi, nullum amplius prælarum facinus patrarunt: sed vt stratagemate ab hostibus circumuenti & clade inexitabili perculsi, alij huc, alij illuc salutem pro viribus fuga quærere cæperunt. Tum verò præcipuè magna eorum strages est edita, equitatu Romano eos persequente, & vndique illis iter intercludente, ita vt pauci admodum ex illis salui in proximas vrbes euaserint: at maior pars quæ in prælio non ceciderat, in potestatem Romanorum venit. Neque enim qui reliqui erant, impetum Romanorum in se irruentium repellere sunt ausi, neque prælij aleam subire voluerunt, sed consternati insperato malo sine vlla pugna se suaq; castra illis dedidérunt Sabino

rum igitur populi vt hostium stratagemate superati, & non virtute sed dolo victoria ab hostibus priuati, maiores copias parare cœperunt, quas contra Romanos iterũ mittere volebant, & imperatorem rerum bellicarum peritissimũ crearunt. Sed Tarquinius cognito eorum consilio celeriter coegit copias, & antequam omnes illi in vnum coirent eos anteuertit & traiecit fluuium Anienem. Quod vbi cognouit Sabinorum imperator, ei quidem occurrit quàm potuit celerrimè, cum recens collecto exercitu, & castra prope Romanos posuit in quodam colle excelso & prærupto sed à prælio abstinendum censuit, donec reliquæ Sabinorum copiæ conuenirent: at interea in pabulatores equites aliquot subinde emittens, & insidias in syluis & saltibus collocans, impediebat Romanos ne incursiones in agrum facerent. Quum autem ille bellum ita gereret, crebrò inter paucos quosdam velites & equites pugnatum est, at nunquam totis viribus in acie certatum est. Quum autem tempus traheretur, Tarquinius moras illas iniquo ferens animo, statuit copias ad hostium castra ducere, eáque sæpius oppugnauit. Sed quum animaduertisset ea nõ facile expugnari posse, quòd locus esset natura munitus, commeatus inopia eos qui in ipsis erant, expugnare decreuit. Itaque ad omnes vias, quæ eò ferebant, dispositis præsidiis, eos neq; lignari, neq. pabulum equis comportare, neque multas alias res necessarias ex agro suo sumere sinens, ad magnã rerum omnium penuriam redegit. Quare coacti sunt, obseruata nocte imbribus & procellis turbida, ex castris turpiter fugere, relictis ipsi & iumentis, & tentoriis, & sauciis, & omni bello apparatu. Postero die Romani cognita eorum fuga, & sine pugna castris potiti, tentoria, & iumen-

iumenta, & pecunias diripuerunt, & captiuos secum duxerunt, Romámque redierunt. Hoc bellum quinque integros & continuos annos durauit, quo vtriq. agros mutuis incursionibus vastarunt, & prælia multa leuia & grauia perpetuò commiserunt, & rarò quidem Sabini, sepissimè verò Romani feliciter rem gesserunt. Sed postrema pugna bello penitus finem imposuit. Sabini enim non vt antè, per vices, sed omnes simul, qui per ætatem arma ferre poterant, ad bellum profecti sunt, & Romani omnes cum Latinorum & Hetruscorũ & aliorũ sociorum copiis obuiã hostibus prodierunt. Sabinorum autem imperator partitus exercitum in binas partes, bina fecit castra. At rex Romanorum exercitu in tres partes diuiso, & ternis castris non longè à se inuicem positis, ipse Romanis copiis præerat: at Aruntem fratris filiũ auxiliorum Hetruscorũ ducẽ fecit. Latinis verò cæteríque sociis præfecit virum strenuũ illum quidem ac rerum militarium peritissimum & prudentissimum, sed peregrinum & extorrem, cui nomen proprium erat Seruius, cognomen Tullius. Cui Romani post Tarquinij mortem, quòd is nullam virilem prolem suscepisset, regnum commiserunt, illius viri virtutẽ cùm in bellicis tum in ciuilibus rebus admirati. Genus autẽ huius viri, & educationẽ, & varios casus, & manifestũ numinis diuini prodigiũ, quod circa eũ apparuit, quũ ad eã historiæ partẽ venero, narrabo. Tunc igitur rebus ad prælium necessariis vtrinq. paratis conflixerunt. Romani sinistrum tenebãt cornu, dextrum Hetrusci, Latini in media acie collocati ũt. Quũ aũt per totũ diẽ acriter pugnatũ fuisset, Romani longe superiores fuerunt, & multis hostibus qui fortiter dimicarant in pugna cæsis, & longè pluribus in fuga ca-

ptis, & vtrisque castris potiti, & parta ingenti ac opima præda, iã sine metu totius cãpestris regionis erant domini, quã quõ flãma & ferro, omniq. malorũ genere vastassent sub finem æstatis dirutis castris domum redierũt. Et rex Tarquinius sui regni tempore, tertium hunc de hostibus victis triumphũ egit. Sequenti anno quum rex nouum exercitum parasset, quem contra Sabinorum populos duceret, & statuisset eos obsidione in suam redigere potestatem, nullum amplius consilium generosum nec hominis strenui apud vllos eorum fuit sed communi consensu antè quàm in periculum venirent experiundæ seruitutis, & vrbium euersionis, pacem facere decreuerunt. Et ex singulis ciuitatibus præstantissimi quique Sabini venerunt ad regem Tarquinium, qui iam cum toto exercitu ex finibus suis egressus erat: vt ei vrbes suas dederent, eúmq. rogarent, vt æquis conditionibus secum pacẽ faceret. Ille verò lubenti animo recepta ea gente, quæ sine vllo periculo se in ipsius ditionem dedebat, pacem illis dedit, eásq; in societatẽ & amicitiam recepit, iisdem conditionibus quibus antè Hetruscos receperat, & ipsis captiuos sine vllo redemptionis pretio restituit. Atque hæc sunt, quæ Tarquinius militiæ gessisse memoratur.

13 ¶ Atres domi & in ciuitatis administratione gestæ, hæ sunt: (Nèque enim eas silentio prætereundas esse arbitror.) Nam simulatque regnum est adeptus, fauorẽ plebis sibi conciliare studens, quemadmodum superiores reges fecerant, hoc beneficio eam sibi deuinxit. Selectos ex omni plebeiorum numero centum viros, quorum virtus bellica & in rebus ciuilibus prudentia omnibus esset spectata & testata, in patriciorum ordinem retulit, & in senatorum numero posuit. Et tunc primum pop. Rom. re-

centos

centos senatores habuit, qui ducenti tantùm ad eam vsque diem fuerant. Deinde sacratis virginibus Vestalibus, à quibus ignis inextinctus, ac perpetuus seruatur, quum quatuor essent, duas alias à se electas addidit. Quum enim iam numero creuissent sacrificia publica, & cultus diuini ceremoniæ, quibus Vestæ ministras interesse oportebat, quatuor tantùm sufficere posse non videbātur. Tarquinium autem autorem reliqui reges sequuti sunt: & ad nostra vsque tempora sex Vestæ ministræ leguntur. Ille etiā primus videtur excogitasse supplicij genus, quo à Pontificibus afficiuntur eæ quæ virginitatem violarunt, idque siue aliqua ratione adductus, siue, vt nonnulli putant somnijs parens, quod post eius obitum in Sybillinis oraculis pontifices à se repertum asserunt. Illo enim regnante quædam sacerdos, Pinaria, Publij filia, quæ corpore polluto ad sacra accesserat, in ipso facinore deprehensa, & sceleris conuicta est. Quis autem sit modus supplicij, quo virgines stupratæ afficiuntur, in superiore libro à me declaratum est. Forum quoque vbi ius dicitur & conciones habentur, & cætera ciuilia negotia peraguntur, ille officinis aliisque ornamentis circumdatum ornauit, & muros vrbis rudi & vili opere extructos ipse primus ingentibus lapidibus ad regulam formatis fabricādos curauit. Cœpit etiam cloacas fodere factis fossis, per quas omnis aqua ex compitis confluens in Tyberim se exonerat, quæ opera admirāda sunt, & maiora quàm quæ verbis exprimi possint. Ego certè in trib. magnificētissimis Romæ operibus vnde maximè imperij amplitudo apparet, aquæ ductus pono, & vias stratas, & cloacas factas, nō solùm ipsius operis vtilitatē cōsiderās: (qua de re suo loco dicā) sed ēt impēsarū magnitudi-

nem, quam vel ex hac vna re quiuis conijcere potest, sequutus C. Aquilium huius rei autorem, qui asserit neglectas aliquãdo cloacas, nec amplius aquam transmittentes, à Censoribus purgandas, & reficiendas mille talentis locatas fuisse. Tarquinius etiam circum maximũ, qui est inter Auentinum & Palatinum collem, primus ornauit sedilibus, quæ in eo circum circa tecto operta fecit. Nam vsque ad eam diem stantes spectabant ex tentoriorũ tabulatis, quæ furcis ligneis sustinebantur. & spectaculorum loca in triginta curias diuisit, atque vnicuique curiæ vnam partem assignauit, vt vnusquisque suo loco sedes spectaret. Hoc autem opus temporis progressu inter pulcherrima & maximè admiranda totius vrbis opera annumerandum erat. Longitudo enim circi est trium stadiorum cum dimidio, latitudo verò quatuor iugerum, & à duobus maioribus lateribus, & vno minore, cingitur Euripo, qui aquarum recipiendarum gratia factus est, profunditate & latitudine decem pedum. Post Euripum porticus sunt triplici contignatione extructæ. Ex his autem eæ quæ sunt imæ habent, vt in theatris, sedilia lapidea parum supra terram eminentia: at quæ sunt supernæ, habent lignea. Contrahũtur autem in vnum, & duæ maiores à minori coniunguntur, & figura lunari claudũtur, ita vt ex tribus vna tantùm porticus amphitheatrali forma octo stadiorum amplitudine fiat, quæ capere potest centum & quinquaginta hominum millia. Reliquum autem è minoribus latus, quod est subdiale, habet fornicatos carceres, vnde equi emittuntur, qui omnes simul vno repagulo aperiuntur. Extrinsecus verò est & altera porticus vnius cõtignationis, quæ circum ambit & tabernas continet, & supra eas

eas ædificia, quà patet aditus & ascensus ad singulas officinas, iis qui spectandi causa eò veniunt, ita vt nulla confusio oriatur inter tot hominum millia venientia & discedentia. Hic rex aggressus est etiam ædificare templum Ioui, Iunoni, & Mineruæ, vt vota persolueret, quæ iis fecerat in postremo prælio cum Sabinis comisso. Collem igitur, vbi templũ erat fundaturus, laboriosa egentẽ opera (neque enim aditu facilis, neque planus erat, sed præruptus & fastigiatus) multis ex partibus fundibus circumdedit, & illud spatium quod erat inter ipsas fundes & collis verticem aggesta multa terra repleuit, atque ita explanauit & vt commodissimè templa ibi ædificari possent effecit. Templi autem fundamenta iacere non potuit, quòd post bellum confectum quadriennium tantum vixisset: sed multis post annis Tarquinius, qui tertius ab illo regnauit, & qui regno expulsus fuit, fundamenta iecit, & magnam illius ædificij partem fecit. Verumtamen ne ipse quidem illud opus absoluit: sed annuorum magistratuum tempore, qui tertio post anno consulatum gesserunt, id templum absolutum est. Sed operæpretium fuerit ea memorare quæ ante templi illius ædificationem acciderunt, quæ ab omnibus rerum Romanarum scriptoribus memoriæ sunt prodita. Quum enim Tarquinius templum esset extructurus, accersitis auguribus, iussit eos primùm de loco deos consulere, quisnam totius vrbis esset ad consecrationem aptissimus & diis ipsis acceptissimus. Quũ autem illi indicassent collẽ foro imminentem, qui tunc quidem Tarpeius vocabatur, iã verò Capitolinus: & dixissent hîc ædificandum tẽplum, denuo iussit deos consulere, & sibi dicere in qua collis parte fundamenta essent iacienda. Hoc autem nõ

admodum erat facilè. Multæ enim in eo erant aræ deorum, & geniorum paruo spatio inter se distantes, quas aliò transferre oportebat, & totam aream templo quod diis ædificandũ erat, liberã relinquere. Quare auguribus placuit de vnaquaq; ara, quæ erecta erat, deos consulere, & si dij id concessissent, tũ demũ eas mouere. Cæteri igitur dij & genij, permiserunt illis vt aras in alia loca transferrẽt: sed Terminus & Iuuentas nullis augurum precibus aut deprecationibus flecti potuerũt, neque loco cedere voluerunt. Itaque eorum aræ templi ambitu comprehensæ fuerunt, & nunc altera sita est in Mineruæ vestibulo, altera in ipso templo, ipsius deæ simulacro proxima. Atq; inde coniecerunt augures, fore vt Romanæ vrbis terminos nullum vnquam tempus moueret, neque robur mutaret: & ad mea vsque tẽpora vtrumque horũ fuit verũ, iam per ætates XXIIII. Augur autẽ omniũ clarissimus qui aras erectas dicauit, & fanum Ioui consecrauit, & vaticinandi arte præditus populo multa alia prædixit, vocabatur Accius Nauius, qui facilè omnium illius artis professorem diis charissimus fuisse fertur, & propterea nomẽ celeberrimum adeptus putatur, siquidem suæ augurandi peritiæ iam multa, eaq; admiranda, & vix credẽda documẽta dederat, quorum vnũ præcipuè, quod me maxima admiratione affecit, depromã & dicã animitus qua fortuna, & qua occasione sibi à deo oblata, tantũ splendorẽ assequutus fuerit, vt ceteros omnes eiusdem seculi augures antecesserit, eósque secum collatos in nullo penè pretio habendos demonstrarit. Patrem habuit pauperem, gelli tenuis colonum, quem Nauius puer cùm aliis in rebus iuuabat, quas illa ætas poterat ferre, tum etiam sues pastum agebat. Sed quum ali-

aliquando sommo correptus ac sopitus fuisset, & expergefactus non reperisset aliquot sues aliquandiu fleuit patris verbera formidans, deinde profectus ad sacellum quoddam in vinea heroibus consecratum, supplicauit ab heroibus petijt vt se in inueniendis suibus adiuuarent, quod si fecissent, pollicebatur se illis racemum, quem in tota vinea maximum reperisset, oblaturum. Non multo post inuentis suibus, volebat heroibus votum persoluere: sed in magna anxietate versabatur, quòd non posset maximum racemum inuenire. Quare mœstus deos rogabat, vt sibi auspicio significarent id quod quærebat. Deinde quum diuinitus illi in mentem venisset, vineam bifariam diuidere, alteram eius partem à dextra, alteram à sinistra designauit, atque ita vtrinsque partis auspicia obseruare cœpit. Quum autem ab altera parte aues apparuissent, ad vitem sibi à diis per aues indicatam accessit, ibique reperit racemum quendam vix credendæ magnitudinis, quum deferens ad sacellum heroũ conspectus est à patre, cui admiranti racemi magnitudinem, & vnde cepisset quærenti, omnia ab initio narrauit. Ille suspicatus id quod erat, in puero aliqua artis diuinandi semina innata esse, deductum in vrbem ludimagistris commendauit. Quum autem triuiales ætas disciplinas satis edidicisset, eum Etruscorum doctori celeberrimo tradidit, vt artem augurandi disceret. Nauius igitur habens iam naturâ insitam diuinandi artẽ, & a dita ad eam noua, quam ab Etruscis acceperat, lõgè ceteros oẽs augures, (vt dixi) superauit. Ad omnes aũt publicas consultationes, vrbani augures, quãuis ipse ex collegio eorũ non esset, eũ accersebant, q̃ feliciter diuinaret: & nihil prædicebant quod ille nõ approbasset. Iste Nauius, quum aliquando Tarquinius ad veteres

equitum centurias tres nouas ex recenti delectu à se habito adderet, illásque centurias à se additas de suo suorúmque amicorum nomine appellare vellet, solus ei fortiter ſt aduersatus, non ſinens quicquam ex Romuli institutis ab eo mutari. Rex autem iratus quòd ab eo impeditus fuisset, & infensus Nauio, conatus est vanitatẽ eius artis arguere, eámque eludere quasi ille tantummodo se iactaret, & veri nihil diceret. Hæc animo agitans vocauit Nauiũ ad tribunal præsente magna turba quæ in foro erat. Quum aũt eos qui circũ circa astabant prænonuisset quã ratione speraret fore vt augur ille vanitatis à se arguerentur, postquàm accessit, eo comiter salutato, {Nunc, inquit, est tempus ô Naui vt demonstres quàm peritus sis artis diuinandi. Quum enim rem magnam aggredi in animo habeam, an ea fieri possit scire volo: Quare abi, & consultis auibus ocius redi, ego verò hìc sedens te expectabo. Vates imperata fecit, nec multo post rediit, & fausta augaria se accepisse dixit, affirmauitque rem fieri posse. Tunc Tarquinius ob eam orationem ridens, & ex sinu depromens nouaculam & cotem, ei dixit, Iam certè, Naui, patet te nobis imponere, & cõtra numẽ mẽtiri manifestè, quãdo res quæ nullo modo fieri possunt, fieri posse ausus es affirmare. Atqui hoc animo agitaui, an hac nouacula cotẽ mediã percutiens discindere posses. {Tũc exorto risu inter omnes qui tribunal circunstabãt, Nauius nihil eo ludibrio & tumultu turbatus, dixit, {Tarquini cotẽ, vt mente cõcepisti, confidenter feri: diuidetur enim, aut quidui perpeti sum paratus. {Rex aũt vatis cõfidentiã admiratus, cotẽ nouacula percussit. porrò ferri acies toto lapide penetrato cotẽ diuisit, & partẽ manus, quæ eã tenebat, scidit. Cæteri-

teri igitur oẽs conspecta hac re admiranda & vix creden da stupefacti clamorem sustulerunt. At Tarquinius pu dore suffusus, quòd eius artis periculum fecisset, & indignitatẽ illius ignominiæ corrigere volens, primùm ab augendo centuriarum numero (id quod antè fuerat aggressus) abstinuit, deinde statuit ipsi Nauio debitos honores reddere, vt omnium mortaliũ diis charissimo. Quare, cùm aliis humanitatis generibus eum sibi deuinxit, tum verò, vt memoriam sempiternã apud posteros consequeretur, eius æneam statuã fecit, eámque in foro erexit. quæ ad nostra vsque tempora adhuc extabat ante curiã posita, pro pe sacrã ficum, minor hominis mediocris statura, & capite velato. Non procul ab ea cotem quoque & nouaculã sub ara quadã subterranea sculptam memorãt. Locus etiam ille à Romanis Puteus vocatur. Atque hæc sunt quæ de hoc augure memorantur. Rex autẽ Tarquinius, quũ ob senectutem (iam enim octogesimũ annum agebat) rebus bellicis operam amplius dare non posset, ab Ancũ Marcij filijs per insidias oppressus obijt: qui iam antè aggressi fuerant eum regno expellere, idque sæpius ad finẽ perducere conati fuerant, sperantes fore vt illo expulso principatus ad se deuolueretur, vtpote paternus, & iure hereditario ad se pertinens: eúmque à ciuibus facillimè sibi traditum iri credebãt: sed sua spe frustrati insidias inuitabiles illi struxerunt, quas diuinum numen inultas esse non siuit. Narrabo etiã insidiarum modum. Nauius ille, quẽ quondam regi intercessisse dixi quum centuriarum numerum augere vellet, quo tempore potissimùm arte diuinandi florebat, & inter omnes Romanos autoritate præstabat, quum esset augur suæ artis peritissimus, siue alicuius sui æmuli inuidia, siue inimicorum insidiis, siue

alio quocunque casu, repentè ex hominum cõspectu sublatus est, neque quispiam eius necessarius mortem eius conijcere, neque corpus inuenire potuit. Quum autem populus illum casum ægrè & iniquo animo ferret, & multa de multis suspicaretur, Marcij filij quum animaduertissent multitudinis commotæ desiderium, illius piaculi culpam in regem Tarquinium transtulerunt: non potuerunt tamen vllam aliam certam coniecturam aut signum calumniæ suæ afferre: sed his duobus verisimilibus argumentis nitebantur. Dicebant enim eum, quòd apud se statuisset multa & noua in republica contra ius & fas agere, de medio tollere voluisse illum qui sibi vt antea aduersarius erat futurus. Deinde, quòd in tam graui casu ac scelere non inquisiuisset in eius facinoris autores, sed rem eam neglexisset: quod reuera non fecisset alius qui eius sceleris culpa vacasset. Comparata igitur magna factiosorum manu ex patriciis plebeque, quos facultatibus suis sustentabant, iisque stipati, Tarquinium vehemẽter accusarunt, & populum hortati sunt ne pateretur scelestũ hominẽ sacris manus admouere & regiã potestatẽ polluere, præsertim quũ non esset indigena, sed nescio quis aduena & extorris. Itaq; quũ in foro viri dicẽdi periti & diserti tales haberẽt cõciones, multos de plebe cõcitarunt, qui ipsum venientẽ in forũ extrudere sunt conati, vt hominẽ scelestum. Veruntamen neq; ipsam veritatẽ deuincere, neq; ipsi populo persuadere potuerũt vt eum regno expelleret. Sed postquã ipse optimè pro se causa dicta crimina omnia diluit, & Tullius eius gener, cui alterã suarũ filiarũ in matrimonium dederat, maxima apud populũ autoritate pollens, Romanos ad misericordiã flexit, illi, calũniatores & improbi iudicati, ma-

magno cū suo dedecore ex foro discesserunt. Quare quū hic conatus ipsis minimè succesisset, & amicorum opera in gratiā eius rediissent, quū Tarquinius illorū malignitatē æquo & moderato animo ferret, ob paternorū beneficiorum memoriam: & pœnitentiam qua ducebantur, ad temeritatem ipsorum corrigendam satis esse putaret, per tres integros annos in illa simulata amicitia manserunt. Sed quum commodam occasionem sibi oblatam putarunt, talem dolum ei struxerunt. Iuuenes duos coniuratorum audaciſſimos pastoralibus indutos vestibus, & armatos falcibus lignatoriis, circa meridiem in regiam mittunt, edoctos quid dicere oporteret, & præmonitos quomodo regem essent aggressuri. Hi quū ad regiam accesissent quasi iniuriam aliquam accepissent sibi mutuo conuicia dicebant, neque manus à corpore abstinebant, & ingenti clamore vterque regis auxilium implorabat, & ipsis aderant multi coniurati ruſtici verbo tenus, qui simul indignabantur, & alteri huic, alteri illi se adesse simulabant, vt de iniuriis testarentur: sed quū rex eos ad se in regiā vocatos iussisset exponere suas controuersias, & illi se capraū causa contendere simularēt, simul vociferantes, & ruſticorum more commoti, & nihil ad rem dicentes, multum risum omnibus mouerunt: sed quū inter hæc ludibria opportunum rei peragendæ tēpus se nactos existimarūt, falcibus capiti regis vulnera inflixerūt: & hac re peracta se extra fores proripuerūt. Clamore aūt ob illū casum exorto & multis ad opē ferē dā concurrentibus, quū effugere non potuissent, ab insequentib. hominib. cōprehēsi sunt, & postea tormētis torti & coacti insidiarum autores indicare, non multo post merito supplicio affecti sunt. Rex igitur Tarquinius, qui

magna & multa beneficia in Rempub. Romanam contulerat, quum triginta & octo annos regnasset, ita obijt.

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI, ROMANARVM ANTIQVITATVM *LIBER QVARTVS.*

BREVIARIVM LIBRI.

1 Seruij Tullij, vt. Romanorum regis, natales, res gestæ ante regnum, virtutes, & ad eum Tanaquilis, Tarquinij viduæ, Oratio.

2 Post acceptam regni procurationem populum sibi cõciliar, aduersus Patricios habet orationem, multa ad Reipublicæ administrationem & amplificationem sapienter constituit.

3 Quomodo se gererent Romani in iis quæ ad seruia pertinebant: alia item Tullij instituta quibus se populi amicum & concordiæ studiosum esse ostendit.

4 Bella Tullij, in eum coniuratio, Tulliæ filiæ Tarquinium ad regnum occupandum hortantis verba: & ea de re ad Senatum orationes Tarquinij & Tullij.

5 Tarquinius, vxoris Tulliæ consilio, Tullium inuadit & per seruos trucidat: quæ item Tullij obitum sint consequuta.

6 Tarquinius, prænomine Lucius, cognomine Super-

bus,

bus, vi i.rex Romanorũ,tyrãnidem exercet,nouum Se natum constituit,populum opptimit,Sabinos bello aggredi cogitat,ac Turnum Herdonium virum illustrem pessimis artibus tollit è medio.

7 Aduersus Sabinos bellum mouet, & victoria potitur:Gabinos item adoritur,quos præter omnium expectationem clementer tractat.

8 Bellis confectis animum ad templorum fabricam adiicit:caput humanum,dum fundamenta foderentur, repertum:& de nouem libris Sibyllinorum oraculorũ Tarquinio oblatis.

9 Ob stuprum à Sexto Tarquinij filio Lucretiæ illatum,Iunius Brutus & alij de eiiciendo Tarquinio consilia ineunt.

10 Bruti cum aliis deliberatio, quibus modis Tarquinius opprimendus & Reipublicæ status sit constituendus:huius deliberationis effectus, vnde sequuta est Tarquinij ab vrbe & castris eiecti fuga ad Gabios, regiúsque dominatus Romæ aboletur.

Porrò Seruij Tullij & Tarquinij regnum est 69. annorum.

1 REX *igitur Tarquinius, qui magna & multa beneficia in pop. Rom. contulerat, regno per triginta & octo annos potitus it.i obijt, relictis duobus filiis infantibus & duabus filiabus quæ viris iam nupserant & cum iis habitabant.* TVLLIVS *autem eius gener illi in regno successit, anno quarto quinquagesimæ olympiadis, qua vicit in stadio Epitelides Lacon, archonte Athenis Archestratide, de quo iam opus est vt ea dicamus quæ in principio prætermisimus, & ex quibus parentibus natus fuerit, & quas res adhuc priuatus gesserit antequam ad regnum accederet. Quæ igitur de eius ge-*

nere feruntur, quæ mihi maximè verisimilia videntur, & quibus ego fidem maximam adhibeo, hæc sunt. In vrbe Corniculo, quod erat Latinæ gentis, vir quidam regij sanguinis nomine Tullius vxorem habebat Ocrisiam, omnium mulierum quæ Corniculi erant formosissimam & castissimam, atque ipse quidem Tullius, dum vrbs à Romanis caperetur, pugnans cecidit. Rex verò Tarquinius Ocrisiam grauidam ex reliqua præda selectam cepit, donóque suæ vxori dedit. Illa verò cognita omni eius mulieris fortuna, non multò post manumisit eam, & perpetuò maximè omnium mulierum amplexata est, & in honore habuit. Ex hac Ocrisia, dum adhuc serua esset, natus est infans, cui iam educato mater imposuit nomen proprium & gentilitium, à patre quidem Tullium, appellatiuum verò, Seruium, à conditione, quòd serua eum peperisset, quod si Græco sermone hoc Seruij nomẽ interpretari velis, dicetur Δούλιος. In huius tamen gentis annalibus aliter de eius natalibus est scriptum, ita vt quæ de eo traduntur ad fabulas proximè accedant, quemadmodum in multis Romanis historiis comperimus, si modò tale quid de diis & genijs fas est dicere. Ex regiæ ara supra quam Romani cum alia sacrificia faciunt, tum cœnarum primitias sacrant, aiunt membrum virile ex ipso igne exortũ, atque hoc primum Ocrisiam conspexisse, dum afferret de more liba, quæ in ignem coniceret, & confestim reges admisisse, rémque illis indicasse. Tarquinium igitur audito, & postea viso hoc prodigio admirabundum stetisse. Tanaquilem verò mulierem, & alioqui prudentem & artis diuinandi peritia nulli Etruscorum secundam, ei dixisse fatale esse vt ex regia ara proles humana natura

tura præstantior ex muliere quæ cum illo spectro mixta fuisset, nasceretur. Quum autem cæteri quoque prodigiorum coniectores idem affirmassent, aiunt regi placuisse mulierem cui primum apparuisset illud prodigium cum eo coire, & postea mulierem ornatam ornamentis, quibus sponsæ nupturæ ornari solent, solam in cluſam fuisse in iis ædibus, in quibus illud prodigium visum fuerat. Quum autem quidam siue deorum, siue geniorum rem cum illa habuisset, & post coitum è conspectu euanuisset, siue is Vulcanus fuerit, vt nonnulli putant, siue lar familiaris, grauidam factam, legitimis mensibus exactis Tullium peperisse. Quanuis autem hoc quod de illo viro fertur, non admodum credibile videatur, tamen aliud quoddam prodigium quod illi viro accidit admirandum & omnem humanam opinionem superans, facit vt minus de eo dubitetur. Nam quum aliquando sederet in regio cubiculo circiter meridianas horas, & somno correptus fuisset, flamma ex eius capite emicuit, & mater eius, & vxor regis dum per cubiculum ambularent eam viderunt, & reliqui omnes qui tum fortè cum illis mulieribus adcrant, nec prius flamma totum eius caput collustrare desiit quàm mater accurrens cum excitauit, & flamma vnà cum ipso somno dissipata euanuit. Quæ igitur de illius genere feruntur, hæc sunt. Quæ verò ante quam regnaret memoratu digna fecit, ob quæ etiam Tarquinius ipsum est admiratus, & pop. Ro. secundũ à rege in honore habuit. hæc sunt. Dũ adhuc esset puer in prima expeditione quã Tarquinius contra Etruscos fecerat, in equitũ ordine collocatus, ita egregiè dimicasse indicatus est, vt statim valdè celebris eua-

serit, & palmam primus omnium tulerit ob rem fortiter gestam: deinde quum alia quoque expeditione contra eandem gentem facta, ad Eretum vrbem acre prælium commissum fuisset, & omnium fortissimus iudicatus fuisset, iterum coronis pro opera fortiter nauata à rege decoratus est. Aetatis autem anno ad summum vigesimo, socialis exercitus, quem Latini miserant, dux est creatus, & regem Tarquinium in Etruscorum imperio comparando iuuit, & in primo bello, quod contra Sabinos est gestum, equitatus dux creatus hostium equitatum fudit fugauitque, & vsque ad vrbem Antemnas persequutus, ex hoc quoque prælio præmium suæ virtutis ac fortitudinis retulit, & multis aliis prælijs cum ea gente factis, modò equitum, modò peditum præfectus, in omnibus animum fortissimum demonstrauit, & primus ante alios corona honoratus est, & postquam ea gens se suasque vrbes in pop. Rom. ditionē dedidit, eiusque imperata facere cœpit, quòd huius quoque principatus parti præcipuus autor Tarquinio visus fuisset, ab eo victricibus coronis, quæ dari solent illis qui hostes vicerunt, est coronatus. In rebus etiam ciuilibus prudentissimus erat, & ad animi sensa exprimenda nullo inferior, & vir qui ad quamlibet fortunā se accōmodare, & ad quosuis mores se conformare facillimè poterat. Propterea populi Romani suffragijs dignus est iudicatus qui ex plebeio in patricium ordinē asciscereturr, sicut antè Tarquinius, & ante hunc ipsum Numa Pōpilius. Rex autē generū sibi eum fecit, despōsa illi altera è filiabus, & quæcumq; ipse vel morbo vel senio impeditus per se facere nō poterat, vt hic ea munera obiret, imperabat, nō solùm domum suam illi commistens, sed etiam eum di-

gnum

gnũ iudicãs qui rẽpub. administraret. Quibus omnibus in rebus eius fides & iustitia explorata est, & pop. Rom. nihil interesse existimabat, vtrũ Tarquinius an Tullius remp. administrare, tantis illius beneficiis deuinctus fuerat. Itaque vir iste præditus ingenio ad imperium satis idoneo, quum & ab ipsa fortuna multas magnásque rei peragendæ facultates habuisset, postquam accidit vt obiret Tarquinius, sublatus insidijs filiorum Anci Marcij, qui paternum regnum recuperare volebant (vt superiore libro declarauí) ratus se, ab ipsismet rebus ad regnum vocari quum esset vir acer & industrius, non passus est hanc occasionem sibi ex manibus elabi. Defuncti autem regis vxor illis aditum ad regnum parauit, omniúmque bonorum autor fuit, & generum suum adiuuit, quia ex multis oraculis sciebat in fatis esse, vt vir ille rex Romanorum esset. Iampridem autem eius iuuenis filius obierat, qui duos infantulos suos superstites reliquerat. Quare animo voluens domus solitudinem, & metuens ne Marcii regno occupatos filios tollerent, & totam regiam stirpem extinguerent, primùm regiæ fores clausit, & custodes illis præposuit, & imperauit, ne quos vel ingredi vel egredi paterentur: deinde iussit reliquos omnes ex cubiculo exire, vbi Tarquinium seminortuum reposuerant & Ocrisiam, & Tullium, & filiam Tullij vxorem apud se retinuit: & iussis nutricibus ad se infantes adferre, ita eos est allocuta, ¶ REX Tarquinius, Tulli, qui te aluit & instituit, & præ omnibus amicis & cognatis in honore habuit impia cæde cæsus suam fatalem sortem expleuit: ita tamen vt nullum fecerit testamentum, quo aut rebus suis, aut publicis & ciuilibus prospiceret, & statueret quid fieri vellet, quinetiam ne

amplecti quidem quenquam nostrum neque vltimam salutem dicere potuit: soli autem & orbi isti infantes relinquuntur quorum vita iam in maximo discrimine versatur. Si enim ad Marcios eorum aui interfectores reipub. administratio peruenerit, miserrimo mortis genere ab illis necabuntur, & ne vos quidem vitam tuò transigetis, quibus Tarquinius suas filias in matrimonium dedit, contemptis illis: si eius percussores regno fuerint potiti, & cæteros eius amicos & cognatos atque adeò nos miseras mulieres idem inuoluet periculum, & nos omnes aut palàm, aut clam perdere conabuntur. Oportet igitur nos, ista cogitantes, minimè pati illos qui nefariè eum interfecerunt, & qui nobis omnibus sunt inimici, tantum imperiũ sibi parare sed illis iam resistere, eósque & fraude & dolo impedire. Nam præsens rerum status hoc postulat. Vbi verò primus conatus nobis ex animi sententia successerit, tunc aperte oportebit, totis viribus & armis cum illis congredi (si tamen bis fuerit opus) præsertim si ea quæ nunc sunt agenda ad finem perducere velimus. Sed quænam hæc sunt? Primùm quidem regis mortem celemus, & curemus vt apud omnes spargatur rumor illum nulla lethali plaga affectum, & medici dicant fore vt intra paucos dies eum pristinæ sanitati restitutum demonstrent: deinde ego progressa in publicum, populo declarabo, quasi Tarquinius hæc mandarit, regem rerum omnium cum priuatarum, tum publicarum curam & custodiam committere, donec ipse ex vulneribus conualescat alteri genero Seruio Tullio, (nam tuum nomen proferam.) Hoc autem non inuitis sed volentibus Romanis fiet, vt respublica à te regatur, à quo iam sæpe & ante gubernata fuerit. Quum autem præsens periculum

à ne-

à nobis repulerimus (omnes enim inimicorũ vires collabentur simulatque regem viuere nuntiatum fuerit) tunc tu assumptis fascibus, & armorum potestate, eos qui de cæde Tarquinij consilium inierunt ad populi iudicium voca, facto initio ab ipsis Marcii filius, & illis iudicio constituto, illis pœnas infligito. His autem omnibus supplicio capitali affectis, si comparuerint & iudicium subierint: sin autem vadimonium deseruerint, (quod eos potius factiosos arbitror,) iis exilio perpetuo & bonorum publicatione mulctatis, tum demum opes & regnum firma multitudinis fauorem comitate & officijs tibi concilians: præcipuè verò cauens nequid iniustè fiat, & ciues egenos aliqua liberalitate & beneficentia alliciens: deinde quum nobis tempus opportunũ visum fuerit, tunc dicamus Tarquinium obijsse, & palàm illum sepulturæ mandemus. Æquum autem est, Tulli, vt quando à nobis fuisti & nutritus, & institutus, & particeps factus omnium bonorum, quorum à parentibus liberi solent fieri participes, quando etiam filiam nostram cum qua degis, vxorem habes: si rex Romanorum creatus fueris, saltẽ mea causa quæ te hac in re adiuui, paterno amore istos pueros prosequaris. Quum verò ad ætatẽ virilem peruenerint, & ad remp. capessendã fuerint idonei, alterum eorũ maiorem natu, Romanorum regem designes. His dictis, & vtroq; puero in vlnis generi & filiæ imposito, & ob vtrumque magna misericordia illis commota, quum tempus opportunum esset, ex cubiculo egressa est, & domesticos iussit res omnes necessarias ad regis vulnera curanda parare, & medicos conuocare. Intermissa autem illa nocte, sequenti die, quum ingens turba ad regiã concurrisset, prodiit in omnium conspectum, stans ad

feneſtras quæ ſpectabant ad regiæ veſtibulum, ac primùm quidem ijs qui aderant indicauit, eos qui regi cædem moliti fuerant, & eos qui ad id facinus patrandũ ab illis miſſi fuerant vinctos produxit. Deinde, quũ vidit multos illum caſum lugere, & cædis autoribus infenſos, tãdem dixit eos nihil ſceleſtis his inſidijs profeciſſe quòd regem interficere non potuiſſent. Quum autem omnes eã orationem hilari animo excepiſſent, tunc Tullium ipſis commendauit, vt ab ipſo rege conſtitutum rerum omnium & publicarum & priuatarum curatorem, donec ipſe melius ſe haberet. Populus igitur diſceſſit lætus, quòd rex nihil mali grauioris accepiſſet, & in ea opinione diu & conſtanter manſit. Tullius verò valida militum manu ſtipatus & adductis ſecum regijs lictoribus faſces ferentibus, prodiit in forum & Marcios per præconem in iudicium ad cauſam dicendam venire iuſſit: ſed quum illi non parerent multatis iis exilio perpetuo, & eorum bonis publicatis, tum demum tutò regnum Tarquinij tenuit. Volo autem, ſequentis narrationis curſum ſiſtẽs, reddere rationes cur neque Fabio aſſentiar, neque aliis hiſtoricis, qui ſcribunt illos pueros, qui à Tarquinio relicti fuerant eius filios fuiſſe: nequi eorũ qui illorũ hiſtorias legerunt. me hæc comminiſci arbitrẽtur: quod illos pueros, nõ filios, ſed nepotes Tarquinii fuiſſe dixerim. Omnino enim inconſideratè & negligenter horum ſcriptores hanc hiſtoriam ediderunt in lucem, non examinatis iis, quæ, quum nullo pacto fieri potuerint & abſurda ſint, fidem eius tollunt quæ ſingula ego paucis explicare dilucidè conabor. Tarquinius ex Etruria cum tota familia, & rebus conuaſatis migrauit, ea ætate qua homines maximè prudentes eſſe ſolent. Quum enim iam & res ciuiles tra-

Ctare,

ctare, & magistratus gerere, & remp. administrare vel let: quod in urbe ad nullos honores admitteretur, inde discessisse traditur. Alius igitur quispiam diceret, eum tunc ad minimum fuisse tricenarium quum ex Etruria discesserit, (hanc enim ætatem plerunque leges iis præfiniunt qui magistratus gerere, & remp. administrare volunt.) at ego quinque integris annis iuniorem eum fuisse statuo, & facio illum vigesimo & quinto ætatis anno inde migrasse. Quinetiam eum uxorem Etruscam adduxisse, quam viuente adhuc patre duxerat, omnes Romani scriptores consentiunt. Romam verò venit Anco Marcio regnante, vt Gellius tradit, anno regni primo: sed vt Licinnius scribit octauo. Sed faciamus eum venisse eo anno, quo Licinnius cum venisse scribit, non autem ante: fieri enim potest vt postea venerit, si quidem nono anno regni Anci equitum magister in expeditionem contra Latinos à rege missus est, quemadmodum vterque scriptor tradit. Si igitur Romam venit, non plures quàm XXV annos natus, & cum Anco rege octauo regni anno in amicitiam receptus, reliquos septendecim annos apud eum exegit, & Ancus regnauit viginti & quatuor annos, ipse verò XXX & octo annos regno est potitus, vt omnes fatentur vno ore: octogesimum igitur ætatis annum agebat quum obiit. Hic enim numerus ex annorum computatione colligitur. Eius autem vxor illo quinque annis iunior erat, vt verisimile est: quare septuagesimũ & quintũ annũ agebat, quum mortuus est Tarquinius, si modò filiorũ minorem natu postremũ anno ætatis suæ quinquagesimo peperit. vltra enim hoc tẽpus mulieres vteriũ non ferũt, sed hic est partus i pl'arum finis quemadmodum scribunt

qui hæc diligentius perscrutati sunt. Iste igitur non erat minor viginti quinque annis quando pater obyit. Lucius verò, qui natu erat grandior, non minor erat XXVI annis. Ergo Tarquinius nullos filios ex hac vxore susceptos reliquit, qui infantes essent. Quinetiam si filii virili ætate fuissent, neque eorum pater interfuisset, neque eorum mater adeò scelesta & mente capta fuisset, vt filios suos regno quod pater ipsis reliquerat priuaret, & alieno filio, atque ex serua nato, id donaret. neque ipsi paterno regno spoliati ignauiter & negligenter eam iniuriam tulissent: præsertim ea ætate, qua maximè & dicendi & agendi facultate florebant. Neque enim Tullius generis nobilitate illis præstabat, neque ætatis dignitate admodum eos antecedebat: sed tribus tantùm annis altero erat maior. Quare nunquam sponte sua illi regno cessissent. Præterea hæc res alias quasdam absurditates habet, quas omnes rerum humanarum scriptores ignorarunt vno excepto, cuius nomen mox dicam. Illud enim confessum est, post Tarquinij mortem, Tullium regno potitum quadraginta annos regnasse. Itaque, si illo tempore natus fuisset viginti & septem annos, quum Tarquinij filius maior natu regno est fraudatus, plures quàm LXX annos natus fuisset quum Tullium interfecit. At verò illum florentissima ætate tunc fuisse scriptores produnt, & Tullium ab eo arreptum, & ex curia elatum per gradus præcipitem datum fuisse, eumque vigesimo quinto post anno regno expulsum tradunt & annotes facientem, & omnia belli munia per se obeuntem. Absurdum autem est in militum & militantium numero

ponere

ponere hominem, qui nonagesimum & sextum ætatis annum præterierit. Et regno pulsus bellum cum Romanis gessit per annos non minus quam quatuordecim, ita vt ipsemet rebus gerendis interesset, vt aiunt, quod præter communem omnium opinionem est. Ita enim illum vitam vltra centesimum & decimum annum produxisse constat re, sed tã longam vitam regiones nostræ nõ ferũt. Has igitur absurditates quum quidam Romani scriptores animaduerterent, eas aliis absurditatibus diluere sunt conati, dicentes matrem illorum puerorum fuisse non Tanaquilem, sed quandam Gemaniam, de qua nihil in historiis accepimus. Adde illud etiam, intempestiuas futuras fuisse nuptias Tarquinij, qui iam accederet ad octogesimũ annum: & minimè credendum quempiam qui ea sit ætate, liberos procreare posse. neque enim sine liberis erat, ita vt tanto sobolis desiderio teneretur: sed duas habebat filias eásque iã nuptas. Considerans igitur hæc singula, quæ fieri nõ potuisse cõstat, quæque absurda sunt, hos pueros, nõ filios, sed nepotes Tarquinii fuisse scribo sequutus L. Pisonis Frugi sententiã. Ille enim solus in annalibus, quos scripsit hoc prodidit, nisi fortè natura quidẽ nepotes fuerint regis, at filij adoptione. Atq; hæc fuerit causa, quæ reliquos omnes rerum Romanarum scriptores deceperit.

2 ¶ Sed his prædictis, tempus est vt iam ad intermissam narrationem redeam. Tullius igitur, postquã regni procuratione accepta, & Marciorũ factione pulsa, regnum à se iam satis firmatum existimauit, regem Tarquinium quasi ex vulneribus recens obiisset, magnifico funere extulit, eiq; insigne monumentum condidit, & eũ cæteris honoribus regium funus decentibus decoravit, & ab illo tempore vt tutor filiorũ regij sanguinis,

& priuatum eorũ patrimoniũ, & remp. summa cura ac diligentia curauit & custodiuit. Patriciis verò hæc non placebant: sed indignabantur & ægrè ferebant: quippe qui nollent eum regiam aliquã potestatẽ sibi his artibus parare. idque neque ex sen. cons. neque aliis legitimis ritibus seruatis. Et qui plurimum inter illos poterant, sæpe coibant, & inter se agebant de abrogando imperio quod illegitime contra ius & fas occuparat. Itaque visum est illis, vbi primũ à Tullio in Senatum conuocati fuissent, eum cogere fasces & reliqua regni insignia deponere, atq. hac re peracta, interreges, qui ita vocantur, creare, & per eos eligere ex legibus illos qui reip. administrationẽ essent habituri. Hæc illis cogitantibus, Tullius cognito eorum consilio, conuertit se ad plebis fauorem captandum, & ciues egenos largitionibus sibi conciliandos, eorum opera sperans se regnũ retenturũ. Quare populo ad concionem conuocato pueros ante tribunal produxit, & talem habuit orationẽ. MAGNA necessitas me, Quirites, coegit horũ infantiũ curã suscipere. Tarquinius enim eorũ auus, me orbum & patria pulsum excepit & educauit, nõ deteriore conditione quàm proprios suos liberos tractans, & alterã suarum filiarũ mihi in matrimoniũ dedit, & toto vitæ suæ tempore me vt filiũ suum perpetuò, vt scitis vos ipsi, honorauit & amauit. & post illiũ infelicẽ casum, quũ per insidias est vulneratus, siquid humanitus sibi accideret, mihi horũ puerorũ curam mãdauit. Quis igitur me in deos piũ, aut in homines iustũ iudicabit, si deserã ac prodã pupillos qui de me optimè sunt meriti, & quibus adeò sum obligatus? Sed neq; meã fidem prodã neq; hos pueros à cæteris omnibus destitutos desertam, nec eos, quantum in me erit, in ista solitudine re-

linqu-

linquam. Aequum autem est vt vos etiam in memoriam reuo-
cetis beneficia quæ auus ipsorum in rempub. cõtulit,
siquidem in vestram ditionẽ & potestatem redegit tot
Latinorum vrbes vobiscum de principatu contendentes,
& sub pop. Rom. imperium subiunxit omnes Etruscos,
qui omnium finitimorum populorum sunt potentissimi, &
coegit Sabinorum gentem subactam vestro imperio pa-
rere atque hæc omnia cum multis & magnis periculis
peregit. Quãdiu igitur ille viuebat, æquum erat vos pro
beneficiis acceptis illi gratiam habere, nunc verò quan-
do ille obiit, vos eius liberis & posteris gratiam referre,
neque vnà cum ipsis corporibus hominum de vobis bene
meritorum, ipsam quoque memoriam beneficiorum acce-
ptorum defodere decet. Existimate igitur vos omnes si-
mul istorum puerorũ tutores relictos, & regnũ quod auus
ipsis reliquit confirmate. neque enim tantũ mei vnius pa-
trocinium ipsis prodesse poterit, quantũ vestrum omnium
cõmune auxilium. Hæc autẽ ideo sum coactus dicere,
quia quosdã in eos cõspirasse cognoui, qui regnũ aliis tra
dere volunt. Vos autẽ rogo, Quirites, vt meorũ etiã labo
rum memores, quos pro vestro imperio pertuli, qui neque
parui, neq; pauci sunt, (quos apud vos rei gnaros memo-
rare non est opus) gratiam quam pro his mihi debetis i-
stis infantibus referatis. neq. enim vt mihi ipsi regnũ a-
struam, (quo tamen indignus non essem, si id ego affecta
rem:) sed vt Tarquinij generi opem feram ad reipu. ad-
ministrationem accedere volui. Quare vos supplex oro,
vt neq; pupillos istos deseratis, qui iam in regni admit-
tendi periculo versantur, & si primus conatus eorum
inimicis ex animi sententia successerit, ex vrbe etiam
expellentur. Sed de his præsertim quum vos ipsi sciatis

quid sit faciendum, quúmque quod decet sitis facturi, pluribus me agere non oportet. Quæ autem beneficia in vos conferre statuerim, & qua de causa concionem conuocarim ex me audite. Quotquot de vobis ære alieno grauati propter inopiam soluendo non sunt. His ego succurrere paratus, quia ciues Romani sunt, & multos pro patria labores tolerarunt: ne sua libertate priuentur ij qui communem stabilierunt, de meis facultatibus pecuniam dabo vt suum æs alienum dissoluant: qui verò in posterum pecuniam à fœneratoribus accipient, hos non patiar ob suum æs alienum abduci in vincula: sed legem feram, ne quis fœnerator in corpora libera ius habeat, satis esse existimans fœneratoribus si bona debitorum possideant. Vt autem & tributa quæ in ærarium conferuntur, ob quæ pauperes grauantur & coguntur fœnore pecunias sumere, leuius in posterum feratis, volo omnium bona censeri, & vnumquemque pro censu facultatum suarum suam portionem conferre, quemadmodum in maximis optimèque institutis ciuitatibus fieri audio. Iustum autem & Reipub. vtile hoc ipsum existimo, vt qui multa possident, multa conferant: qui verò tenuibus sunt facultatibus pauca. Placetque mihi agrum publicum, quem armis quæsitum possidetis, non ab impudentissimo quoque vt nunc fit, neque gratis acceptum, neque pretio comparatum occupari, sed eorum esse qui inter vos adhuc nullam agri portionem habent, ne, quum liberi sitis, seruiatis, neue alienos fundos sed vestros colatis. nihil enim generosi sapere possunt qui rerum ad victum quotidianum necessariarum inopia laborant. Sed præterea decreui ius ciuium æquare, vt omnes inter se pari & æquo iure in iudiciis certare possint. Eò enim arro-

gantiæ

gantiæ quidam progressi sunt, vt non dubitent plebeios contumeliis insectari, & ne liberos quidem ducere vos, qui pauperes estis. Vt igitur potentiores pariiure cum inferioribus disceptent leges feram quæ pariter vim omnem prohibebunt, & iustitiæ custodes erunt: & ipse nunquam hanc omnium liberam & æqualem dicendi potestatem diligenter tueri desinam. Hæc dum ille diceret à tota concione multis laudibus extolleb.tur, aliis laudantibus eius fidem & iustitiam in bene de se meritos, aliis humanitatem & magnanimitatem in pauperes aliis moderationem & populare studium in homines humilioris conditionis: omnibus verò æquitatem & iustitiam vitæ amplectentibus & admirantibus. Dimissa autem concione, sequentibus diebus quum iussisset in tabulas referri nomina obæratorum quotquot fidem creditoribus seruare non poterant, & quantum vnusquisque deberet: postquam nomina & debita in tabulis descripta accepit, mensis in foro positis in omnium conspectu, creditoribus pecuniam debitam annumerauit. His peractis palam proposuit regium edictum, vt intra certum tempus omnes qui agro publico fruerentur, eúmque priuatim possiderent, eo decederent & eorum ciuium qui nullam agri portionem haberent, nomina ad se descripta deferrentur. Legesque quarum Romulus & Numa Pompilius autores fuerant vetustate iam neglectas iterum conscripsit & renouauit, ac ad vsum reuocauit, aliásque nouas ipse tulit. Atque hanc reip. administrandæ rationem, qua ille vtebatur, patricij iniquo animo ferebant, quia senatus potentiam hoc modo iolli videbant: nec eadem amplius consilia sed superioribus contraria ceperũt. Principiò enim conati sunt ei principatũ, quẽ

contui leges occupauerat, eripere, & interreges creare, & per illos eligere regem legitimum: tunc verò in præsenti rerum statu acquiescendum arbitrabantur, & nihil noui nimium curiosè agendum ac moliendum. Illud enim illis in mentem veniebat fore vt, si senatus ad Rei pub. gubernacula admouisset quem ipse elegisset, plebs in ferendis suffragiis ei aduersaretur, & si populi arbitrio permisissent vt regem crearet, quem voluisset, Tullius omnium tribuum suffragiis crearetur: atque ita accideret, vt ille legitimè regnare videretur. Illis igitur visum est satius esse Tullium regnum per fraudem occupatum potiùs quàm apertè & legitimè à populo acceptum, & cimibus potius deceptis quam oratione adductis retinere. Sed nihil eorum quæ secum cogitarant illis successit, nec vllo modo ipsis profuit: adeò callidis artibus Tullius eos elusit, & illis inuitis regnum obtinuit. Quum enim iam multò antè curasset rumores per vrbem spargendos, patricios sibi insidiari, in forum prodiit veste sordida indutus & mœstus, comitante illum matre Ocrisia & Tanaquile Tarquinij vxore, & omnibus regiis cognatis. Quum autem ingens turba eò confluxisset ob inopinatum illud spectaculum, conuocata concione tribunal conscendit, & talem habuit orationem, {NON amplius, Quirites, solis Tarquinij liberis periculum imminet, ne quid damni ab inimicis accipiant, sed etiam me metus iam subit, ne triste aliquod pro mea iustitia præmium accipiam. Insidiis enim à patriciis appetor, & indicatum est mihi aliquot de illis in meam perniciem coniurasse, quum tamen nulla iniuria aut grauiore aut leuiore me affectos conqueri possint: sed quia de plebe bene sum meritus, & ad idem semper faciendum sum paratus,

id iniquo

id iniquo animo ferunt, & indignum facinus se perpessos iudicant. Ac fœneratores quidem, quòd pauperes de vobis raptos in vincla ab illis libertate spoliari non sunt passus. De peculatores verò Reipub. & qui occupant agrum vestro sanguine quæsitum, quia coguntur eo cedere, quasi patrimonio suo fraudarentur: & quires alienæ vendunt aut largiuntur, quum sint immunes contributionum quæ in bellicos vsus sunt faciendæ, quia cogentur fortunas suas in censum referre & pro earum censu tributa conferre, hoc ægrè ferunt. Communis verò omnium dolor est: quia ex legibus scriptis viuere assuescent, pari iure vobiscum disceptantes: nec, quod iam faciunt, pauperibus tanquam mancipiis abutentur. Itaque his de causis, communicato inter se consilio, coniurarunt exules reducere, & Marcij filiis regnum restituere, quibus vos, quòd Tarquinium vestrum regem interfecerint, virum probum & Reipub. amantem, & tantum piaculum commiserint, & eiecti vestra dimonium deseruerint, & in exilium voluntarium abierint, igni & aqua vestro decreto interdixistis. Nisi autem res mihi maturè indicata fuisset, externis quibusdam copiis accitis, nocte adhuc intempesta in vrbem exules erant reducturi. Cætera vos omnes intelligitis, vel me tacente, nimirum futurum fuisse vt Marcij patriciorum auxilio freti, si ita sine vllo labore rerum potiti fuissent, primùm me regiorum filiorum tutorem, qui eos damnaui, corriperent: deinde istos pueros, & reliquos cognatos, & omnes amicos Tarquinij interficerent, vxores verò nostras, & matres, & filias, & omnem fœmineũ sexum mancipiorum loco haberent, quia homines sunt natura valde ferina & tyrannica. Si igitur, Quirites

vobis quoque placet vt homicidæ reducantur, & rege creentur, & filij virorum optimè de vobis meritorum expellantur, & aulto regno fraudentur, acquiescemus in hac fortuna. Sed per omnes & deos & genios, quibus curæ sunt res mortalium, nos omnes cum vxoribus & liberis supplices vos oramus, vt pro multis beneficiis, quæ istorum puerorum auus in vos perpetuò contulit, & pro multis meis officiis, quibus quantum in me fuit, vestris commodis studui, nobis hanc vnam gratiam referatis, vt videlicet vestram sententiam apertè hisce de rebus declaretis. Si quos enim alios digniores nobis iudicatis, quibus honorem consequantur, pueri isti & reliqui Tarquinij cognati vrbe vestra excedent, eámque deserent. At ego mihi aliter consulam satis eximiam & ad virtutem & gloriam vixi: neque vestra beneuolentia frustratus quam omnibus bonis antepono, apud alios quospiam turpiter viuere velim. Accipite igitur fasces, & si ita vultis, eos patricijs date: ego verò mea præsentia negotium nullum vobis facessam. Hæc eo dicente, & de tribunali descendere iam parante, clamorem ingentem omnes sustulerunt, cumque precari cum lacrymis cœperunt vt remaneret, & nullum metuens, Reipub. gubernacula retineret, deinde quidam subornati, qui in variis fori partibus erant, vociferabantur eum creandum regem, & petebant vt curiæ conuocarentur, & postulabant vt suffragia inirentur, à quibus initio facto, mox plebs vniuersa in eandem sententiam inclinauit. Hac re cognita, Tullius non amplius talem occasionem elabi passus est: sed quum dixisset se magnam illis habere gratiam, quòd beneficiorum acceptorum essent memores, & longè plura illis pollicitus fuisset,

set si se regem creassent: illis diem comitiorum indixit, ad quam etiam omnes agrestes venire iussit. Quum igitur populus curiatim conuenisset, singulis curiis suffragia distribuit. Omnium autem curiarum suffragiis regno dignus iudicatus, patribus conscriptis valere iussis, quiple biscitum ratum habere noluerant, quemadmodum facere solebant, ita regnum obtinuit. HOC igitur modo potitus regno præter multa alia quæ in Repub. præclare instituit magnum etiam & memorabile bellum cum Etruscis gessit. Sed primum de rebus quas egit in Reip. administratione mentionem faciam, statim simulatque imperium est adeptus, agrum publicum diuisit ciuibus Romanis, qui obrei domesticæ difficultates aliis mercede seruiebant, deinde leges de cõtractibus & iniuriis tulit, quas curiatis comitiis ratas fecit. Erant autem numero quinquaginta, quarum mentionem facere iam non est opus. Vrbi addidit duos colles, Viminalem & Exquilinum, quorum uterque est iusta urbis amplæ ac celebris magnitudine: & illos diuisit ciuibus Rom. qui sine laribus erant, vt ibi ædes ædificarent, & ibi ipse quoque sedes suas posuit in commodissimo Exquiliarum loco. Rex iste postremus urbis ambitum auxit, additis duobus his collibus ad quinque illos superiores, auspiciis ante captatis, & re diuina, vt mos ferebat, rite peracta. Ulterius autem non processit urbis ambitus, deo, vt aiũt, id non permittente: sed omnia suburbia, quæ longe lateque patent, penitus immunita, & hostium incursionibus obnoxia sunt, ita vt illi facillime in suam potestatem ea redigere possint. Et siquis hæc aspiciens, Romæ amplitudinem inde velit colligere, proculdubio falletur, neque certum vllum signum habebit, quo dignoscat quousque urbs

progrediatur, & quod sit eius principium & quis finis, adeò cum vrbanis ædificiis ipsa suburbia nexu quodam perpetuò cohærent, & hominibus hæc spectantibus, vrbis infinitam longitudinem porrectæ speciem & opinionem præbent. Quod si quis amplitudine murorum, qui in uentu sunt difficiles ob multa ædificia cohærentia & vndique extructa, & qui multis in locis quædam vestigia veteris structuræ seruant, voluerit ipsam metiri & cum Athenarum ambitu conferre, certè non longè maior Romæ ambitus apparebit. Sed de magnitudine & pulchritudine vrbis, quæ meæ ætate erat alio loco commodiore agam. Cæterùm, Tullius postquam septem colles vno muro complexus est, in quatuor regiones vrbem diuisit, & ab ipsis collibus vnamquanque denominauit, primam, Palatinam: secundam, Suburanam: tertiam, Collatinam: quartam, Exquilinam. Effecit etiam vt vrbs quatuor tribus haberet, quæ ad id vsque tempus tres tantùm habuerat, & iussit eos qui in vnaquaque illarum quatuor regionum habitarent, tanquam pagani, neque alio transferre suas sedes, neque alibi militum delectus habere, neque pecunias conferre quæ in bellicos aut alios necessarios vsus exiguntur, quas vnumquenque in ærarium conferre oportet, neque amplius ex illis tribus per gentes distinctis tribubus, vt antea, sed ex istis quatuor in certas regiones à se digestis, militiam ordinabat, vnicuique regioni ducibus præpositis, tanquã tribuum vel pagorum præfectis, quibus mandauit vt scirent quod esset vniuscuiusq; domicilium: deinde per omnia compita iussit à vicinalaribus propitiis sacella extrui, & lege statuit vt quotannis sacrificia illis fierent, singulis familiis liba conferentibus. Illis verò qui pro vi-

cinia

cinia sacra facerent in compitis, statuit non homines ingenuos, sed seruos adesse, & illos in sacris faciendis adiuuare, quòd famulorum ac seruorum ministerium laribus esset gratius. Quem diem festum Romani ad mea vsque tempora constanter celebrabant, paucis post Saturnalia diebus, cum primis venerandum & magnificum, à compitis compitalia eum vocantes. Illi enim τὰς compita appellant, & seruant priscum ritum in sacris, quia sacrificia & rem diuinam laribus per seruos faciunt, omni seruitutis indicio illis per eos dies adempto, vt hac humanitate magna & honorifica deliniti dominos suos chariores habeant, & fortunæ inclementiam leuius ferant. Diuisit etiam totum agrum, vt Fabius ait, in partes viginti sex, quas & ipse tribus appellat, ita vt quatuor vrbanis ad illas additis, omnes efficiant numerum triginta tribuum. Cato tamen tribus vniuersas, iam regnante Tullio tot fuisse tradit: sed, vt Venonius prodidit, diuisit agrum in tribus triginta & vnam. At quamuis iste scriptor fide sit dignus, tamen partium, tam vrbanarum quàm rusticarum numerum apertè non definit. Tullius igitur diuiso agro in partes, quotcunque illæ fuerint, in montanis tumulis, & qui loci natura muniti agricolas facilè tutari possent, refugia parauit, quæ Græco nomine pagos vocauit. Huc confugiebant ex agris omnes, quum aduentabant hostes, & hic sæpe pernoctabant. Horum quoque erant sui magistratus, ad quorum curam pertinebat scire nomina colonarum qui in eodem pago contribuebant, & prædia vnde se alebant, & quo-

ties opus fuisset aut rusticos ad arma vocare, aut pecuniarias virtim exigere, isti eos conuocabant & p curias exigebant. Vt autẽ & rusticanæ multitudinis numerus facile cognosci, & aperte uiri posset, iussit eos diis insper toribus & custodibus pagi aras extruere & dicare, quas quotannis sacrificiis communibus, eò omnibus conuenientibus, honorari iussit: & festum quoddam, idque maximè honoratum, instituit, quod vocatur paganalia: & de his sacris leges, quas Romani adhuc seruant, conscripsit. Ad hoc autem sacrificium, & ad istum conuentum iussit omnes qui eundem pagum incolebant in singula capita certum numismatis genus conferre, sed aliud viros, aliud mulieres, aliud impuberes. Quibus commentis per sacrorum præsides apparebat quis esset hominum numerus per sexus & per ætates distinctus. Sed (vt L. Piso tradit in primo suorum annalium) quum vellet scire & quis esset numerus vrbanæ multitudinis & eorum qui nascebantur, & eorum qui moriebantur, & eorum qui in virorum numerum referebantur, statuit quanti pretij nummum pro singulis cognati inferre deberent in ærarium Ilithyæ (quam Romani vocant Iunonem Lucinã) pro iis qui nascerentur, & in ærariũ Veneris, quod in luco est quam Libitinam nuncupant, pro iis qui morerentur, & in Iuuentutis, pro iis qui inter vitos referri inciperent: vnde dignoscere poterat quotannis, & quis esset omnium ciuium numerus, & qui ex illis militari essent ætate. His constitutis, iussit omnes Romanos nomina dare, & sua bona censere pecuniæ æstimatione, & iurandum legitimum interponere, quo iurarent vere & optima fide omnia sua bona censa esse: & nomina parentum ex quibus essent procreati adscribere, & suæ ætatis

ætatis annum declarare, atq; ipsarũ quoque cõugum & liberorum nomina scribere, addito & urbis loco & regionis pago ubi singuli habitarẽt. Ei verò qui census nõ fuisset, hanc pœnã proposuit, ut bonis spoliaretur, & virgis cæsus sub hasta veniret. atq; lex ista diu apud Romanos duravit. Peraclo aũt censu & tabulis, in quibus omniũ nomina scripta erant acceptis, & cognito eorum numero & fortunarũ magnitudine, lõgè sapientissimũ institutũ & Romanæ reip saluberrimũ introduxit, ut res ipsa docuit. Hoc aũt fuit eius institutum: unã ex omni numero partẽ detraxit, cuius census erat maximus, neq; minor centum minis hos in octoginta centurias digestos iussit hæc arma ferre, clypeos argẽteos, & hastas, & galeas æneas, & loricas, & ocreas, & enses. Hos aũt bifariã partitus quadraginta centurias iuniorũ fecit, quos oportebat iuuẽtute ad bellũ eũte, ad militiã proficisci, reliquas verò quadraginta, in quibus erãt seniores, in urbe remanere, & res urbanas tueri iussit: atq; hæc erat prima classis. Iuuẽtus aũt in bellis semper primũ locũ in prima acie tenebat, atque ita pugnabat. Deinde ex iis qui reliqui erãt, aliam partẽ detraxit, cuius census erat intra decem millia drachmarum, non minor tamen septuaginta quinque minis: quos ubi in viginti centurias digessisset, cætera quidẽ arma ferre iussit quæ superiores gerebant, sed loricas illis ademit, & pro clypeis scuta dedit. Quum autem ex his etiam eos qui annum ætatis quadragesimum quintũ excedebant, ab illis qui ætate militari erant, separasset, decem centurias iuniorum fecit qui bella foris pro patria gererent, & decem seniorum quibus urbis custodiã mandauit: atque hæc erat secunda classis, eique in prœliis dabatur secundus lo-

cus, post eos qui in prima acie pugnabant. Tertiam verò classem confecit ex reliquis, quorum census erat minor septies mille & quingentis drachmis, nō minor tamen minus quinquaginta. Horum autem armaturam imminuit non solùm loricis, vt secundæ classi fecit, sed etiam ocreis ademptis: & hos quoque in viginti centurias distinxit, & eodem modo quo superiores, pro vnius cuiusque ætate diuisit, decem centurias iunioribus, & totidem senioribus assignans. Harum autem centuriarum locus & statio in acie erat post secundam classem proxima. Quum item detraxisset ex reliquis eos quorum census erat minor quinque millibus drachmarum, & qui vsque ad viginti minas peruenirebat, quartam fecit classem. Distinxit autem hanc quoque in viginti centurias, & decem fecit eorum qui ætate erant florente, & totidem eorum qui iam ætate erant prouectiore, eósque eodem modo quo & superiores distinxit. Arma autem illius imperauit scuta, enses hastas & locum in acie postremum illos habere iussit. In quintam classem reiecti sunt quorum facultates censebantur intra viginti & quinque minas, vsque ad duodecim cum dimidia, & in triginta centurias hos diuisit. Atque hæ quoque pro cuiusque ætate diuisæ fuerunt, in quindecim centurias seniorū, & totidem iuniorum: his imperauit vt cum missilibus, & fundis extra ordines militarent. Quatuor autē centurias penitus inermes, armatos milites sequi iussit. Ex istis autem quatuor centuriis duæ erant fabrorum ferrariorum ac lignariorum, quibus mandatum erat vt arma & machinas, & res alias ad vsus belli cos necessarias fabricarent. reliquæ duæ erant tubicinum & cornicinum, & aliorum qui aliis quibusdam instrumentis in bello classicum canerent.

nerent. Opifices verò secundæ classis hominibus additi fuerunt pro cuiusque ætate distributi, ita vt duarũ centuriarum vna seniores, altera iuniores sequerentur. Tubicines & cornicines in quarta classe collocati sunt, atque hi quoque in duas centurias diuisi erant: vnam seniorũ: alteram iuniorũ: & præfecti sunt illis centuriones lecti, quorum virtus bellica omnibus erat spectatissima atq; hi suas quique centurias imperatis obtemperantes reddebant. Hoc igitur modo exercitũ pedestrẽ, qui cõstabat ex legionariis & leuis armaturæ militibus instruxit. Equitũ verò delectũ habuit ex illis, quorum maximus erat census, quiq; genere illustri erant. Eos autem diuisit in decem & octo centurias, eósque primis illis octoginta legionariorũ centuriis adiunxit. Habebãt aũt hi quoq; centuriones viros illustrissimos. Reliquos verò ciues, quorum census erat minor duodecim minis cum dimidia, & qui numero aliis superiores erant, omnes in vnã centuriam contulit, & militiæ atque omniũ tributorum immunes fecit. Fuerunt igitur sex classes, vt Romani vocant, vocabuli appellatione à Græco deducta. Verbum enim quod nos per imperãdi modũ formatum efferimus, κάλει, illi hoc exprimunt per verbum cala, quinetiam olim pro κλήσεις dicebant καλάσεις. Centuriæ verò, quas istæ classes continebant, erant centũ & nonaginta & tres, atque prima quidem classis cõtinebat vnà cũ ipsis equitibus nonaginta octo centurias: secunda, viginti & duas cum ipsis opifi ibus: tertia viginti & duas cum ipsis tubicinibus & cornicinibus: quarta viginti: quinta verò, triginta: sexta ac postrema classis vnicam egenorum centuriam continebat. His ita ordinatis, militũ delectus pro cẽturiarũ discrimine habebat, & tributa pro

uius que censu imperabat. Quoties.n. illi opus fuisset decē
vel viginti militū millib. si it. res tulisset, diuiso populo
in centū nonaginta tres centurias, earū vnā quāq; ha-
bebat militū numerū pro rata parte suppeditare: sum-
ptus verò faciēdos in cōmeatus militum & alios belli-
cos vsus, ipse metiebatur, & prout opus erat, eodē modo
diuidens populū in centū nonaginta tres centurias, vni-
cuiq; imperabat, vt pro censu facultatū suarum pecunia
summa, quæ ipsi obtigisset, pro rata portione cōferret. Ita
factū est vt illi quorū maximus esset census, & pauciores
essēt, & in plures cēturias essent diuisi, sæpius militarēt,
sine vlla quiete & intermissione, & pecuniæ maiorē sum
mā quàm alij cōferrēt. Illi verò qui exiguas ac modicas
opes possiderent, quiq; iis inferiores essēt numero viginti
centuriarū, rarò & per vices militarent, & exigua pē-
derēt tributa. Illi verò, quorū census erat minor quàm vt
eo se sustētare possent, omnīū negotiorū ac molestiarum
essent immunes. Nihil aūt horū sine causa fiebat: sed
persuasum habens omnib. hominibus bellorū præmia esse
ipsas pecunias & pro his conferendis oēs quosuis perpeti
labores: idcirco æquū esse censebat, vt qui pro maioribus
præmiis pericula subirent, illi ēt & corpore & pecunia
maiora mala experirētur: qui verò pro minoribus, vtro-
que nomine illis minus molestiarū exhiberetur, quibus
verò nullū iacturæ periculum immineret, nihil ēt incom-
modi paterentur immunes tributorū ob rerum inopiam.
bāt: sed suis priuatis sumptibus militabāt. Existimabat
aūt nō oportere eos pecunias conferre, qui vnde illas cō-
ferrēt nō haberēt, quiq; rerū ad victū quotidianū neces-
suriarū inopia laborarēt, nec vllos, qui nihil cōtribuerēt,

ad mi-

ad militiã alienis sumptibus instar mercenariorũ proficisci debere iudicabat. Atq; ita toto onere periculorũ & sumptuũ diuitib⁹ imposito, quũ eos id ægrè ferre animad uertisset, alia ratione eorũ mœrorẽ consolatus est, & iræ lenit, largitus ipsis prærogatiuã potestatẽ, cuius beneficio totius reip. administrationẽ penes se habituri erant, pauperibus à reip. gubernatione repulsis. Hoc aũt ita fecit, vt plebs id non animaduerterit. Illa aũt prærogatiua potestas in ipsis comitiis posita erat, vbi de rebus omnibus maximi momenti populus decernebat. Dixi aũt & antè, iã olim ex priscis legibus hæc tria maxima & maximè necessaria penes populũ fuisse, nimirũ ius magistratuũ tã domi quàm militiæ creãdi, & leges confirmandi & abrogandi, & pacẽ bellumq; decernendi. Quoties aũt antè de his rebus ab eo disceptabatur & cõsultabatur, eius suffragia curiatim colligebãtur & pauperrimi quiq; tantũ poterãt suffragiis quantũ ij quorũ amplissimæ erãt facultates. Quũ autẽ pauci essẽt diuites (vt verisimile est) pauperes in suffragiis ferendis, q numero illos longè superarẽt, vincebant. Tullius hac re cognita ad diuites vim suffragiorũ trãstulit. Quoties enim magistratus creare erant de lege cognoscere, aut bellũ alicui inferre volebat, pro curiatis comitiis centuriata indicebat. Vocabat aũt primas & ante alias ad suffragia ferẽda primæ classis centurias, quarũ maximus erat census, inter quas erat decẽ & octo equitũ, & peditũ octoginta centuriæ. Hæ, quia tribus centuriis plures erãt quàm reliquæ, si idẽ sensissẽt, oẽs alias vincebãt, atq; ita suffragiis ferẽdis finis imponebatur. Nisi verò hæ oẽs consensissẽt, tũc vocabat vndecim & duas centurias secundæ classis, quarũ nomina in tabulis erãt scripta. Distributis verò tũc & suffragiis tertiæ

classis centurias vocabat, & quarto loco quartæ classis centurias. Hæc autem faciebat, donec essent centuriæ nonaginta & sex quæ pari essent suffragio. Quòd si netùc quidem quum quinta classis ad suffragia ferenda iam fuerat vocata id fieri potuisset sed suffragi. centum & nonaginta duarum centuriarum diuisa par numero fuissent: tunc postremam centuriam vocabat, quæ continebat multitudinem ciuium egenorum, qui propterea omnis militiæ, & tributi immunes erãt: vtri verò parti hæc cẽturia se adiunxisset, ea vincebat. Hoc verò rarum erat & vix vlla ratione fieri poterat. Plerunque enim prima vocatione res absolucbatur, rarò autem vsque ad quartam veniebatur. Quinta verò vocatio & sexta erant superfluæ. Hoc autem institutu, & tanta prærogatiua potestate in diuitum gratiam constituta: tamen (vt dixi) ita plebem elusit vt fraudem non agnosceret, & hoc pacto pauperes à reip. administratione remouit. Omnes enim existimabant se in reip. pari esse iure, eò quòd vicitim in suis quique centuriis sententias rogarentur: sed decipiebantur, tum quòd vnum tantùm totius centuriæ suffragium esset siue illa paucos ciues, siue plurimos contineret: tum etiam quòd illæ centuriæ, quarum maximus erat census, & quæ plures quidem erant quàm reliquæ, sed tamen hominum numerum minorem habebant, primæ suffragia ferrent. Præcipuè verò, quod omnes pauperes, qui multi erant, vnicum suffragium haberent, & postremi vocarentur. Hac re fiebat, vt diuites qui magnas faciebant impensas, & qui in continuis bellorum periculis versabantur, id æquiore animo ferrent, quòd summæ rerum præessent, & omnem potestatem eriperent illis qui idem non facerent: pauperes verò qui minimam

nimam ciuilium munierum partem haberent, æquo ac moderato animo ferrent se in his esse inferiores diuitibus, vt pote qui & tributorum militiæ immunes essent: ipsa verò respublica eosdem haberet, qui & consultarent de iis quæ è re ipsius essent, & pericula plura quam alij subirent, & facerent ea quæ facienda essent. Atque præclarus iste ciuitatis ordo, ac reipub. gubernandæ modus ad multas ætates duravit, & à Romanis constanter seruatus est: sed nostra ætate mutatus est, idque in quoddam genus magis populare, vrgentibus quibusdam grauibus necessitatibus, non quòd centuriæ sublatæ fuerint, sed quia eorum iudicia priscam illam & exquisitam iudicandi rationem amplius non seruant, quemadmodum ego ipse sæpe animaduerti, dum illorum comitiis interessem. Sed præsens tempus non postulat vt nunc de his agamus. Tunc igitur Tullius, censu perfecto, quum iussisset omnes ciues cum armis adesse in campo, omnium qui sunt ante vrbem maximo, & equites in turmas digessisset, & pedites in acie collocasset, & milites leuis armaturæ in suis quosque ordinibus, illos lustrauit tauro, ariete, & hirco. Quem autem iussisset has hostias ter circa exercitum circumagi, Marti illius campi præsidi eas immolauit. Romani autem ad meam vsque ætatem hac lustratione post censum perfectum lustrantur à sacratissimo magistratu eumque lustrum vocant. Eo autem lustro censa sunt vniuersorum ciuium octoginta quinque millia trecentis minus, vt in censoriis tabulis scriptum reperitur. Idem rex augendo etiam ciuium numero diligentissimè prospexit. rem enim à nullo regum antea animaduersam excogitauit. Illi enim exteros quos suis recipientes, & iura ciuitatis illis impertiē-

tes sine vllo natalium aut conditionis discrimine, ciuita tẽ magna hominum frequentia auxerunt: at Tullius, vel ipsos seruos qui libertate donabantur, nisi in suam patriam redire maluissent, in ciuitatem & iuris æquabilitatem recipi iussit. Quum enim istis quoque permisisset, vt liberè cum cæteris ingenuis suas fortunas conferent, eos distribuit in quatuor tribus vrbanas, in quas ad nostra vsque tempora referri solent. Libertorum autem nationem, quantacumque illa esset, ad omnia publica munia admisit, ad quæ reliquis quoque plebeis aditus patet. Patricius verò id ægrè & moleste ferentibus, conuocato ad concionem populo, primum dixit se mirari quòd ipsi hoc suum factum iniquo animo ferrent, & putarent ingenuos differre à seruis natura non autem fortuna: deinde quòd eos qui honoribus sunt digni, non ex moribus, sed ex fortuna & conditione: spectandos censerent, præsertim quum viderent quàm instabilis & mutabilis sit res, ista felicitas, & quàm difficile sit, vel in quantumuis beatis hominibus asserere quandiu hæc ipsis sit duratura: eósque rogabat vt considerarent quot ciuitates tam barbaræ quàm Græcæ, iam ex seruitute in libertatem vindicatæ essent: & quot ex libertate in seruitutem redactæ, & eorum magnam stultitiam damnabat, quòd seruos quos libertate vt ea dignos, donassent, ciuitatis iura inuiderent: quare illis suadebat vt, si improbos eos iudicarent, eos minimè libertate donarẽt sin probos, ne eos quamuis essent exteri, despicerent. Absurdè enim & imperitè eos facere dicebat, qui exteris quibusuis iura ciuitatis impertirentur, sine vllo ipsorũ conditionis discri-

mine,

mine, neq; curiosiùs inquirentes siqui de illis manumissi essent, seruos verò suos hoc beneficio indignos iudicarẽt: & dicebat ipsos qui se cæteris longè prudentiores putabant, tamen ne ea quidem quæ ante pedes & communia omnibus essent videre, quæ vel quiuis maximè hebeti in genij acie præditus facile prospiceret, nimirum, fore vt hoc modo ipsi domini, quum beneficium quod inter homines est maximum in quoslibet conferant, cautiores essent ne quos temerè manumitterent, ipsi verò serui maiore animi alacritate in suorum dominorum commoda & vtilitates incumberent si cognoscerent se libertate dignos iudicatos in ciuitatis fortunatæ & amplæ iura statim receptum iri seq; vtrumq; hoc beneficium à dominis suos accepturos. Postremò cæpit de cõmuni vtilitate agere, gnaris quidem in memoria reuocans, ignaros verò docẽs nullia alia re æque ac honestiõ frequẽtia opus esse illi ciuitati quæ ad imperiũ aspiraret, & quæ res magnas affectat, quò possit perpetuò omnia bella domestica armis gerere, né ve impensis in externarum & conductitiarum copiarum stipendia pecuniam ærarij exhauriat: & demõstrabat superiores omnes reges exteris quibusuis iura ciuitatis propterea dedisse. Quòd si hanc quoque legem recipierent & confirmarent dicebat fore vt magnus manumissorum iuuenum numerus conscriberetur & in tribus referretur, nec vnquam rerũ domesticarum & morum inopia laboraret, sed haberet tantum copiarum quantũ satis esset ad bellũ vel cũ omnibus mortalibus gerendũ, si eò necessitatis veniret. Sed præter communem omniũ vtilitatem demonstrabat magna quoque emolumẽta ad opulentissimos Romanorum ciues redundatura, si pa-

terentur libertis aditum ad comitia patere: in comitiis enim & suffragiis ferendis aliisque ciuilibus negotiis, gratiam, qua in his rebus maxime opus est ipsis reportaturos, & eos quos manumisissent, posteris suis clientes relicturos. His ab eo dictis patricij permiserunt vt iste mos in rempub. reciperetur, & ad nostra vsque tempora constanter seruatus est aequè ac vlla sacrosanctarum legum.

3 ¶ SED quando ad hanc narrationis partem accessi, necessarium mihi esse puto dicere quænam tunc esset Romanorum consuetudo in seruitiorum re: nequis regem, qui primus aggressus est seruos manumissos ciuitate donare, néve eos qui hoc institutum receperunt crimi-netur, quasi res præclaras & pretiosas temerè abijcerent. Romani igitur modis iustissimis seruos sibi parabant. aut enim mentes à repub. eos qui ex præda sub hasta vendebantur, aut imperatore permittente militibus vt vnà cum reliqua præda captiuos etiam haberent quos cepissent, aut mentes ab aliis qui eodem modo eos sibi comparassent seruos possidebant. Neque rem turpem à reipub. detrimentosam ipse Tullius qui hunc morem instituit, neque ij qui eum receperunt & seruarunt putabant se facere si illi qui in bello & patria & libertate priuati fuerant, aut ab iis qui primi eos in seruitutem redegerant, aut ab iis qui eos ab illis emerant, hoc vtrumque denuò ac denuò ab ipsis dominis, quorum potestate erant, & quibus seruiebant, reciperent. Plurimi autem libertate gratis donabantur ob suam virtutem & probitatem. Atque hic erat modus præstantissimus, qui seruo à dominorum potestate liberabantur. Pauci verò quidam libertatis pretio persolu-

luto, e
bantu
ta est
tam te
ex lat
profiti
ciant,
tim R
& soc
vel in
ration
vt fr
aliud
dent
norum
tem.
seruo
laud
sequ
dum
cere
digr
ipsi
nan
qui
les
ma
ma
rum
rò
m

luto, ex piis & iustis laboribus quæsito manumittebantur. Sed nostra ætate non ita se res habet: sed tanta est rerum confusio, & honestas Romanorum in tantam turpitudinem tantásque sordes est mutata, vt alij ex latrociniis, & parietum perfossionibus & pudicitiæ prostitutione, & quouis alio improbo facinore quæstum faciant, & hac pecunia libertatem suam redimant, & statim Romana ciuitate donentur: alij verò dominis conscij & socij veneficiorum & cædium, & sceleruũ vel in deos, vel in rempub. patratorum, hoc beneficio ab illis remunerationis gratia afficiantur: alij verò manumittantur, vt frumentum menstruum publicè acceptum, & si quid aliud liberalitate principum in egenos ciues conferatur, dent iis à quibus donati sunt libertate: alij verò ob dominorum lenitatem, & inanis gloriæ studium & cupiditatem. Equidem scio quosdam, qui testamento omnes suos seruos libertate donarunt, vt post obitum suum probitatis laudem adipiscerentur: & multi pileati funus suum prosequerentur. In qua pompa quidam erant (quemadmodum ab illius reignaris audire est) malefici recèns è carcere egressi, qui scelera innumeris supplicijs capitalibus digna perpetrarant. Sed hos pileos impuros, multi ex ipsa vrbe spectantes ægrè ferunt, & morem illum damnant quòd dedeceat populum rerum dominum & illum qui se dignum censet qui toti terrarum orbi imperet, tales ciues facere. Posset autem quis & multas alias Romanorum consuetudines meritò reprehendere, quæ à maioribus bene excogitatæ & in rẽp. introductæ fuerunt, sed nostræ ætatis homines illis abutuntur. Ego verò hanc legem tollendam minimè censeo, ne quod grauius malum inde in rempublicam erumpat: verumtamen

quantùm fieri potest eam corrigendam censerem, neque ferendum vt tanta probra & sordes inexpurgabiles in rempub inuehantur. Huic autem rei censores potissimùm aut certè consules prospicere debere existimarem (opus enim est aliquo magistratu magna potestate prædito) vt eos qui quotannis manumittuntur examinent quinã sint, & quare, & quomodo libertate fuerint donati, quemadmodum in equitum & senatorum vitã inquirunt. Deinde quos compererint ciuitate dignos, eorum nomina in tabulas referant, ipsósque in tribus distribuant, & ipsis in vrbe habitare permittant. Sceleſtam verò & impuram multitudinem, ex vrbe specioso nomine rei impositio, aliquò in coloniam ablegent. Quum igitur huius historiæ argumentum hoc postularet, visum est mihi necessarium & æquum esse, hæc illis dicere qui Romanorum mores reprehendunt. Tullius autem non in his solùm institutis se popularem esse demonstrauit, quibus & senatus autoritatem, & patriciorum potentiam imminuere visus est, sed in iis etiam, quibus regium imperium imminuit, de cuius autoritate ac potestate ipsemet dimidium detraxit. Quum enim omnes superiores reges omnium litium iudicia ad se transferri vellent, & de omnibus tam priuatis quàm publicis causis arbitratu suo cognoscerent, ille separatis publicis à priuatis, ipse quidem de criminibus ad rẽ pub pertinentibus cognoscebat: priuatorum verò iudices priuatos constituit, quibus leges à se latas, vt regulas, præscripsit quas in iudiciis & rebus decidendis sequerẽtur. Quum autem reipublicæ statum optimè composuisset, ipsum subiit desiderium præclari alicuius facinoris edendi, quo sui memoriam ad posteros transmitteret. Quum autem attentiùs consideraret priscorum regum, & aliorum virorum

rorum qui respublicas peritè administrarant monumenta, ex quibus famam & gloriam adepti fuerant, neque ob muros Babylonios, Assyriam illam mulierem beatam ducebat, neque Aegypti reges ob pyramides Memphiticas neque, si quod aliud extabat opus, quod alicuius principis diuitias, & magnum operarum numerum indicare atque ostentare posset: sed hæc omnia parua, neque diuturna, neque admiratione digna ducebat: & censebat esse oculorum fraudulentas illecebras, quæ ad nullos humanæ vitæ vsus prodessent, vnde nihil præter solam conditorum felicitatis prædicationem sequeretur. Laude verò & æmulatione digna animi opera existimans, vnde plurimi fructum percipiunt, quo diutissime fruuntur, præ cæteris istiusmodi operibus, maximè admiratus est inuentum Amphyctionis filij Hellenis, qui quum videret græcam gentem infirmam esse, & facilè à finitimis barbaris deleri posse, ipse eam in id consilium & conuentum, qui ab illo Amphyctionicus est dictus, coegit legésque tulit præter illas quæ cuique ciuitati propriæ & peculiares erant, eas quæ omnibus communes essent, quas Amphyctionicas vocant, quarum beneficio in mutua amicitia perpetuò contmebantur, & cognationem re potiùs quàm verbis seruabant, molesti ac formidabiles barbaris perpetuò erant. Cuius exemplum sequuti Iones, qui sedes transtulerunt ex Europa in Cariæ partes maritimas, & Dorienses qui in ijsdem locis vrbes condiderunt, templa communibus sumptibus extruxerunt. Iones Ephesi templum Dianæ, Dorienses, in vrbe Triopio templum Apollinis, quò statis temporibus cum vxoribus & liberis conueniebant, & simul sacrificia faciebant, &

simul negotiabantur & mercatus exercebant, & certamina equestria, & gymnica, & musica faciebant, disque donaria communia dicabant. Peractis verò spectaculis & nundinis aliisque festis, in quibus omnes omni humanitatis genere se mutuò excipiebant, si qua simultas inter ciuitates ob aliquam offensam orta fuisset, iudices sedentes de ea cognoscebant, & de bello contra barbaros gerendo, & de mutua concordia inter se consultabant. Hæc igitur & his similia exempla sequutus, ipse quoque summopere in id propensus erat, vt Latinæ gentis ciuitates in vnum corpus contraheret, & eas coniungeret, ne intestinis dissidiis & bellis debilitatæ, ab accolis barbaris libertate priuarentur. Quare, his apud se statutis, optimates ex singulis ciuitatibus conuocauit, denuntians illis se de magnis rebus & ad communem vtilitatem pertinentibus velle cum ipsis consultare, ideóque illos à se conuocari. Qui vbi conuenissent, coacto senatu Romano, & conuocatis illis qui ex singulis ciuitatibus venerant, prolixam orationem habuit, qua ad concordiam eos adhortabatur, docens quàm præclara res esset multas ciuitates consentire & concordes esse. & quàm turpis cognatos inter se dissidentes videre: & demonstrans concordiam infirmis esse potentiæ causam, discordiam contrà vel potentissimos quosque deprimere, & eorum vires debilitare. Hæc autem illos docebat, oportere Latinos populis finitimis imperare, & ipsos qui essent Græci, barbaris ius reddere. Romanos verò omnium Latinorum patrocinium suscipere, quippe qui & vrbis amplitudine, & rerum quas gerebant, magnitudine cæteris præstarent, & quibus diuina prouidentia magis quàm illis faueret: cuius beneficio ad tantam gloriam & splendorem pro-

uectli essent. Atque hac oratione illis persuasit vt templū cum inuiolabili refugio impensis communibus Romæ extruerent, in quo singuli ciuitatum populi congregati quotannis priuata & publica sacrificia facerent, & mercatū exercerent statis temporibus, & si qua offensa & controuersia inter eos fuisset orta, ex his sacris eam dirimerent reliquarum ciuitatum arbitrio controuersiarū dicisionē permittētes. De his igitur & multis aliis cōmodisquæ cōsequuturi essent, si cōmune cōsiliū constituissent diserēs, omnibus qui in eo cōsensu aderāt, rē persuasit. Itaque postea ex pecuniis quas omnes ciuitates contulerunt, extruxit templum Dianæ, quod fundatum est in Auentino, omnium Romanorum collium maximo. Et leges fœderis inter hos populos factī conscripsit, aliósque festi atque mercatus celebrandi ritus constituit. Quæ ne vetustate delerentur, æneam columnam fecit, in qua incidit concilii decreta, & nomina populorum qui illi conuentui interfuerant. Hæc columna ad meam vsque ætatem perdurauit, in Dianæ fano erecta, characteres græcarum literarū habens, quibus olim Græcia vtebatur. Quod ipsum non leue est argumentum, quo probari potest eos qui Romam incoluerunt minimè barbaros fuisse. Neque enim si barbari fuissent, literis græcis vsi fuissent. Res igitur quas rex iste domi gessit, præter multas alias leuiores & obscuriores, hæ maximæ & clarissimæ memorantur.

4 ¶ Bellicae verò res, sunt eæ quas contra vnam Etruscorum gentem gessit quas mox dicam. Post Tarquinij mortem, ciuitates quæ principatum illi tradiderant, fœderis conditiones amplius seruare nolebant: quia Tullio, cuius natales erant obscuri, parere indignum iudicabant, illúdque dissidium quod inter patri-

cios & regem erat magno sibi auxilio fore putabant. Initium autem defectionis Veientes fecerunt, & legatis à Tullio missis responderunt, se neque de imperio illi concedendo, neque de amicitia aut societate inuida quicquã cum illo vnquam pactos fuisse. Horum exemplum secuti sunt Caeretani & Tarquinienses: & tandem tota Etruria in armis fuit. Hoc bellum per continuos viginti annos sine vlla intermissione gestum est, & vtrique cum ingentibus copijs multas irruptiones in agrum hostilem fecerunt & sæpius collatis signis pugnarunt. Quum autem in omnibus prælijs, & cum singulis ciuitatibus, & cũ tota gente commissis, Tullius rem feliciter gessisset, & tribus clarissimis triumphis ornatus fuisset, tandem, eos qui imperium detrectabant, sponte frænum recipere coegit. Vigesimo autem anno, denuò duodecim ciuitates in Tetius gentis concilio, viris & pecuniis bello consumptis, decreuerunt ad populum Romanum principatum deferre, iis conditionibus quibus iam antè id decreuerant. Quare ex singulis ciuitatibus supplices venerunt qui ad id munus fuerant delecti, vt vrbes Tullio dederent, & eum orarent ne quid grauius in se statueret. At Tullius ipsos ob suam dementiam & contemptionem deorum quos fœderum testes & sponsores fecerant, & tamen pacta violarant, multis & grauibus supplicijs dignos esse respondit: dixit tamen Romanos clementer & moderatè cum illis in præsentia acturos, quòd agnita iniuria quam fecerant, & scelere quod patrarant, cum corollis, infulis, & cæteris supplicum insignibus iram deprecaturi venissent. His dictis, bellum contra ipsos susceptum deposuit, pacémque ipsis dedit, & cæteris quidẽ ciuitatib.

facilè

facilè oblitus iræ omniúmque iniuriarum antè acceptarum, permisit vt liberæ viuerent quemadmodum antè, vtque suis rebus fruerentur, seruantes conditiones fœderis à rege Tarquinio præscriptas. Tres verò ciuitates, ex iis quæ primæ in Romanos insurrexerant, quæque alias ad bellum illis inferendum impulerant, Cæretanos, Tarquinienses, & Veientes, agro ademptio mulctauit, quem dimisit iis qui nouissimè in ciuitatem Romanam recepti fuerant. QVVM igitur hæc domi militiæque gessisset, & duo templa fortunæ extruxisset, quod ea secunda toto vitæ tempore vsus videretur, alterum quidem in foro boario, alterum verò ad ripam Tiberis, vtrumque dicatum Fortunæ, quam virilem appellauit, (vt nunc etiam à Romanis nuncupatur) quúmque iam esset ætate prouectiore, nec à naturali vitæ termino longè abesset, Tarquinij generi, & filiæ suæ insidiis sublatus periit. Narrabo autem & ipsum insidiarij modum re paulo altiùs repetita. Tullius duas filias ex vxore Tarquinia susceperat, quam ei rex Tarquinius in matrimonium dederat. Has puellas iam nubiles vxores dedit consobrinis, Tarquinij nepotibus, cum maiori natu maiorem, cum minori minorem coniungens, quòd existimaret fore vt hoc pacto meliùs illæ maritis conuenirent, & cum illis cõcordiã alerẽt. Sed vtrique genero fortè contigit, vt vxorem moribus suis penitus dissimilẽ haberet matrimonio iunctam: Lucio enim, qui natu erat maior, quíq; erat homo audax & arrogans, & ingenio tyrannico præditus, vxor proba & modesta, atque patris amãs data est. Arũti verò iunioris, qui erat longè mansuetior, & æquiore ingenio præditus, vxor erat scelesta, & quæ patrem odio

prosequebatur, & quodlibet facinus audebat. Accidit autẽ vt vterque maritus ad innatos mores ferretur, sed ab vxore in contrarios traduceretur. Alter enim qui improbus erat, quum cuperet socerum regno expellere, & omnia contra ipsum moliretur, ab vxore precibus & lacrymis à sententia deducebatur ac retinebatur: alter verò, qui erat ingenio miti, quum nihil in socerum delinquendum, sed expectandum censeret donec ipsa natura ex hac vita ipsum educeret, quúmque non sineret fratrem facinora scelesta patrare, ab vxore impia in contraria traducebatur: hæc enim ipsum monebat, & conuicia ei dicebat, & ignauiam exprobrabat. Sed quum neque quidquam proficerent preces vxoris modestæ, quæ optimum consilium viro scelesto dabat, neque adhortationes impuræ illius quæ ad impia facinora virum, sua natura minimè malum adhortabatur, sed vterque ad suum ingenium ferretur, & molestè ferret dissentientem coniugem, altera quidem suam sortem deflebat, eámque iniquo animo ferebat: altera verò, quæ ad quoduis facinus parata erat, indignabatur, & quærebat modum quo se à molesto marito liberaret. Tandem verò mulier natura peruersa furijs ad desperationem acta, & rata suis moribus sororis maritum maximè conuenire, enm accersit quasi de re aliqua valde necessaria cum eo esset actura. Quum autem ille venisset, omnibus qui domi erant, recedere iussis, vt sola cum solo colloqueretur, {An, inquit, Tarquiniũ, liberè & sine periculo mihi licet dicere quæcunque sentio de communi nostrùm vtilitate? continebisne quæ audieris? an tacere mihi est satius, neque in mediũ proferre consilia arcana? } Quum autem Tarquinius

nius iussisset eā dicere quicquid vellet, & pollicitus fuisset se, iureiurando, quodcunque illa voluisset, adhibito, rē optima fide silentio suppressurum, illa ita demum, omni pudore depositō, eū est alloquuta hoc modo, {QVOUSQVE, Tarquini te regno spoliatum pati apud te statuisti? An ex maioribus humilibus & obscuris es ortus, & propterea de te ipse magnificè sentire non vis? atqui omnibus notum est priscos nostros maiores, qui erant Græci, & ab illo felici Hercule oriundi, multas ætates, quemadmodum audio, apud Corinthios summum imperium habuisse, Tarquinio verò auo tuo, qui ex Etruria sedes huc transtulit, accidisse vt huius vrbis regno ob virtutem suam potiretur, cuius non solùm bona, sed etiam regnum ad te iure hereditario pertinet, quum sis nepotum eius alter grandior natu. An fortè ob imbecillitatem & deformitatem tibi est corpus parum idoneum ad omnia regia munia obeunda? Atqui adsunt tibi vires satis firmæ, quales esse solent virorum qui natalibus sunt clarissimis, adest & forma regio genere digna. An verò neutrum quidem horum tibi deest, sed iuuentus adhuc infirma, & à rectis consiliis adhuc longè remota impedit te quominus ad reipublicæ administrationem accedere velis, quum non longè absis à quinquagesimo etatis anno? At homines qui hanc ætatem sunt ingressi, prudentia quammaximè solent valere. An eius qui rerum potitur, nobilitas, & gratia qua pollet apud optimates, qua fit vt non tam facilè iniuriæ aduersariorum sit obnoxius, te hæc perferre cogit? atqui hoc vtrumque non est admodum firmum illi præsidiū, quod ne ipse quidē ignorat. Sed & audacia & perículorum contemptio tuis moribus inest, quibus maximè

opus est ei qui est regnaturus. Sunt præterea tibi satis amplæ opes, & amici multi, & multa alia eáque magna ad rem aggrediendam adminicula. Quid igitur adhuc cunctaris & expectas occasionem quæ se tibi ultrò offerat, tibique nihil prorsus tentanti, quò voti fias compos, regnum afferat? an fortè post Tullij obitum? quasi verò fortuna humanas cunctationes expectet. aut natura nostra, pro cuiusque ætate, ita etiam finem vitæ imponat, non autem finis omnium rerum humanarum incertus sit, omnémque conatum effugiat. Liberè tamen dicam, licet me voces audacem, id quod mihi videtur in causa esse cur tu ab omni ambitione abhorreas, & cur gloriæ minimè sis cupidus. Habes vxorem moribus tuis prorsus dissimilem, quæ te suis illecebris & incantationibus effœminauit, & tandem per imprudentiam ex viro ad nihilum ab ea redigeris, qu. madmodum mihi quoque est maritus timidissimus & qui nihil virile habet, qui me ampla fortuna dignum deprimit, & me egregia forma præditam tabefacit. Quod si tibi contigisset vt me vxorem duceres, & mihi vt te maritum haberem, certè primi tandem non vixissemus. Quin igitur fortunæ erratum nos ipsi corrigimus permutato coniugio, & tu vxorem tuam de medio tollis? Ego enim nox eodem modo maritum meum tractabo. Quum verò his extinctis coniuncti fuerimus tunc tutò de reliquis consultabimus, è medio sublatis obstaculis quæ nobis sunt molesta. Etenim si quis aliis in rebus iniustè se gerere veretur, ei saltem regni causa quidvis est audendum. HAEC dicente, Tullia Tarquinius libenter conditiones illas accepit & statim data illi fide, & nefariarum nuptiarum primitijs acceptis, & re

transacta

transacta abiit. Non multò autem post, morbo eodem & maior Tullij filia, & Tarquinius minor obierunt. Atque hoc loco rursus cogor Fabij mentionem facere, & eius negligentiam in temporum supputatione redarguere. Quum enim ad eam suæ historiæ partem venit vbi describit Aruntis interitum, non semel tantum peccat (quòd & ante dixi,) quòd scribat Aruntem Tarquinij filium esse: sed etiam iterum, quia ait illum defunctum à matre Tanaquile sepultum fuisse, quæ vt illis temporibus adhuc fuerit superstes, nullo modo fieri potest. In principio enim demonstratum est, Tanaquilem septuagesimum & quintum ætatis annum habuisse, quando rex Tarquinius obiit: additis verò ad illos septuaginta & quinque annos aliis quadraginta annis (in annalibus enim quadragesimo anno regni Tullij Aruntem obiisse accepimus) Tanaquil esset annorum centum & quindecim. Adeò parum laboris hic scriptor in suis historiis ad exquirendam rerum veritatem impendit. Postea Tarquinius, nulla amplius interposita mora Tulliam neque patre emptias eius confirmante, neque matre eas approbante sed ipsa sola id volente, uxorem duxit. Quum autem hæc duo ingenia nefaria & ad hominum cædes nata, iuncta fuissent, regno Tullium expellere, nisi sponte imperio vellet cedere, suis artibus conabantur, sodalitates contrahentes, & patricios qui alienum animum à rege habebant, & qui popularem statum oderant solicitantes, & de plebe egentissimos quosque, qui iustitiam nullo modo curabant, pecuniis ementes atque adeò nihil horum clàm facientes. Tullius hæc cernens, molestè quidem ferebat, & sibi timebat, ne quid mali præuentus pateretur:

sed hoc illum potissimum angebat, si cum filia & genero bellum gerere & pœnas tãquã ab hostibus repetere cogeretur. Et sæpius præsentibus amicis Tarquinium in colloquium vocauit: eúmque modò incusabat, modò monebat, modò etiam hortabatur nequid amplius in se delinqueret: sed quum ille mentem ad eius verba non adverteret, sed diceret in senatu causam suam actum, & ipsi iura sua ibi declaraturum, Tullius coacto senatu, {PATRES conscripti (inquit) manifestò comperi Tarquinium sodalitates contrahere contra me, & conari me regno pellere. Volo igitur præsentibus vobis omnibus scire ob quam iniuriam priuatim acceptam, aut quam in rẽ mea rempublicam iniuria affectam cernens hæc mihi machinetur. Respondeat igitur Tarquini, nihil dissimulans, quam ob rem me accuses quandoquidem ab isto te audiri voluisti. Respondit ei Tarquinius, {PAVCA eaque iusta, ô Tulli, sum dicturus, & propterea hæc coram his declarare volui. Tarquinius auus meus Romanorum imperium adeptus est, & multa magnáque pericula & labores pro eo subiit. Illo mortuo ego sum successor ut ex cõmunibus omniũ tã Græcorũ quam barbarorũ legibus, & me quoque, ut & cæteros homines ad quos auita bona iure hereditario veniunt, non solum pecuniarũ, sed & regni ipsius heredem esse conuenit. Tu verò bona quidem ab eo relicta mihi tradidisti, sed regno me priuas átque contra fas & ius occupatum tam tot annos retines. Neque enim interreges te crearunt, neque senatus de te tulit suffragium, neque legitimis comitiis hanc potestatem es adeptus, quemadmodum auus meus & omnes reges qui ante ipsum regnarunt: sed mercede conducta modísque omnibus corrupto vagorum inopum, damnatorum

natorum & abæratorum hominum multitudine, quæ omnem bonam existimationem amiserat, & rempublicam nihil curabat, ac ne tunc quidē professus te tibi ipsi principatum quærere, sed simulans te nobis pupillis & infantibus eum seruare, ad reipublicæ administrationem accessisti, & omnibus audientibus pollicitus es, quum nos ad virilem ætatem peruenissemus, te mihi natu grandiori regnum traditurum. Debuerat igitur, si viri iusti officium facere voluisses, quum mihi bona auita dedisti, vna cum bonis regnum etiam reddere, sequutus exempla honestorum & bonorum tutorum qui in tutelæ administratione fideliter se gesserunt, & regios filios cōsque pupillos sibi traditos acceperunt: deinde illis, quum ad ætatem virilem iam peruenissent, paterna & auita regna rectè ac iustè restituerunt. Quòd si nondū tibi satis sapere, sed adhuc ob ætatem tenellam ad tantæ reipublicæ administrationem minimè idoneus videbar saltem quando adeptus sum præstantissimum corporis robur & prudentiæ vires, mihi iam tricenario cum filia tua nupta, oportebat te etiam Reipublicæ gubernacula tradere. Ea enim ætate tu quoque nostræ familiæ tutelam suscepisti, & regni curā gerere cœpisti. Quod si fecisses, primum quidē id lucri fecisses, quòd viri pij & iusti laudem ferres: deinde mihi consuleres, atque omnium bonorum particeps esses, & viri, & de nobis optimè meriti, & parentis, & seruatoris, aliasque appellationes honoratissimas, quæ ab hominibus pro egregiis meritis retribui solent, audires, neque iam per quadraginta quatuor annos ineo regno me priuares præsertim quum neque corpore sim mutilo, neque ingenio fatuo. Et audes me interrogare qua iniuria accepta te inimicum meum ducam, & cur te accu-

sem? Imò verò tu ipse, Tulli, respondè mihi quánam de causa me indignum esse putas, qui honorum auitorum sim heres, & quamnam adeò speciosam causam, cur regno me priuares, te inuenisse simulas? Vtrum quod existimares me illius germanam prolem non esse, sed aliquem suppositicium & nothum? Cur igitur eius qui à genere illo erat alienus tutelam gessisti, eique quum ætatem virilem iam esset ingressus, bona restituisti? sed quid? an quòd putares me pupillum esse, nec Reipublicam administrare posse, qui non longè absum à quinquagesimo anno? Missam igitur facias istam simulationem impudentium interrogationum, & iam tandem improbas esse desinas, & si quod ius habes quo te tueri possis, aduersus obiecta crimina paratus sum rem horum iudicio permittere, quibus viris alios meliores in tota vrbe nominare non posses. Quòd si hinc te proripiens (vt semper facere consueuisti) ad turbam, quam tibi variis modis obstrinxisti, confugias, hoc non patiar. Nam paratus sum vel ad iure tecum disceptandum, vel, si tibi hoc persuadere non possim, ad id quod iustum erit faciendum. Quum autem ille dicendi finem fecisset, Tullius orationem eius excipiens, ita est loquutus, QVAE VIS vel incredibilia, patres conscripti (vt satis constat) homini sunt expectanda & nihil absurdum est existimandum, quando me quoque iste Tarquinius regno pellere paratus est: quem ego infantem acceptum & inimicorum insidiis appetitum seruaui, & educaui, & virilem ætatem ingressum, mihi generum dignatus sum facere, & si quid humanitus mihi accidisset, rerum mearum heredem eram relicturus: sed quando omnia mihi præter expectationem

mea

meam acciderunt, & quasi iniuriam feciſſem accuſor, meum infortunium alias deplorabo: nunc de meo iure cum illo agam. Ego, Tarquini, quum infantes relicti fuiſſetis, veſtri tutelam ſuſcepi, non ſponte, ſed ipſa rerum neceſsitate coactus, poſtquam qui regnum ſibi vendicabant, palam veſtrum auum interfecerunt: nobis verò & reliquis eius cognatis clandeſtinas inſidias ſtruere dicebantur, & omnes, qui vobis neceſsitudine ſunt coniuncti hoc fatentur, ſi illi regno potiti fuiſſent, eos ne ſtirpem quidem generis Tarquinij relictu ros fuiſſe. Nullus autem erat qui vos curaret aut cuſtodiret, præter mulierem, auiam ſcilicet, quæ & ipſa ob ſenium aliis curatoribus egebat: ſed ego ſolus ſupereram qui ſolitudinis veſtræ familiæ eſſem cuſtos, quem iam alienum, & hominem vobis nulla neceſsitudine coniunctum vocas. Ego tamen huius reipublicæ adminiſtrationi præfectus, eos qui auum veſtrum interfecerunt vltus ſum, & vos uſque ad virilem ætatem eduxi, & quia nulla virilis proles mihi erat, vos rerum mearum dominos facere decreueram. Habes, Tarquini, tutelæ à me adminiſtratæ rationes: neque me horum quidquam comminiſci poteris dicere. De regno autem (quia mihi hoc crimen obiicis) audi quomodo eo ſim potitus, & quibus de cauſis eo neque vobis, neque alij cuipiam cedam. Quo tempore Reipublicæ curam ſuſcepi, quum inſidias quaſdam mihi ſtrui præſenſiſſem, rerum adminiſtrationem populo tradere volui, & ad concionem conuocatis omnibus, imperium ipſis reſtituere paratus eram, cum hoc principatu inuidioſo, & plus moleſtiarum quàm voluptatum habente, quietem periculis carentem commutaturus. Sed Romani non ſunt paſsi me face-

re quæ volebam: nec alium quempiam Reipublicæ principē creare voluerunt; sed me retinuerūt, & latis suffragiis regnum rem sui, non vestri iuris ac dominij, ô Tarquini, mihi tradiderūt, quemadmodum & auum vestrū, qui peregrinus, & nulla necessitudine superiori regi coniunctus erat, ad Reipublicæ gubernacula promexerunt: & tamen Ancus Marcius rex filios mares, ætate florentes, reliquerat, non nepotes & infantes, quemadmodum Tarquinius vos reliquit. Quòd si communis omnium lex esset, vt qui in defunctorum regum familiam & bona succedunt, cum his etiam eorum regnum accipiant, certè Tarquinius auus vester principatum non obtinuisset post Anci obitum, sed alter illius filius natu maior. Verum populus Romanus non patris successorem, sed eum qui regno esset dignus ad rerum administrationem vocauit. Existimabat enim bona quidem pertinere ad eos qui ea quæsissent, at regnum ad eos qui suo iudicio probati fuissent: & putabat æquum esse, vt hæc quidem, siquid humanitus eorum dominis accidat, proximi agnati vel heredes ex testamento instituti habeant: at regnū, quum obierunt ij qui id acceperunt, redeat ad eos qui id tradiderunt: nisi fortè huiusmodi aliquam rationem asseras qua tuum ius tuearis, scilicet vestrum auum certis conditionibus regnum accepisse, ita vt ipse eo nunquam posset priuari: & vobis suis nepotibus id reliquisse, nec populo liberum fuisse id vobis ablatum mihi tradere. Siquid enim huiusmodi potes dicere, quin profers in medium istas pactiones: sed reuera non posses. Quòd si ego non legitimis arbitris id sum adeptus, quemadmodum dicis, ab interregibus minimè creatus, neque à senatu mihi traditis rerum gubernaculis, neque ceteris rebus legitimè per-

actis, certè his tantùm iniuriam facio, at non tibi: & æquum est vt regno ab istis priuer, non abs te. Sed neque istos, neq; alium quempiã iniuria afficio. Quòd autem & tunc hæc potestas mihi iustè data fuerit, & nunc quoque iustè eam habeam, ipsa temporis longitudo fidem facit. Quum enim regnarim iam per quadraginta annos, nullus ciuis Romanus vnquam me iniuriã facere existimauit, neq. senatus, neq; populus me regno pellere est agressus. Sed vt hæc omittam, & ad tua verba respondeã si te aui depositi fraudaui, & contra omnia humana iura regnum tuũ occupaui, oportebat te adire eos qui mihi eã potestatem tradiderunt, atque ita indignari, & me accusare, quòd ea quæ minimè ad me pertinent retinerem. & eos qui mihi dederunt ea, quòd res alienas mihi essent largiti, obiurgare: facilè enim illis rem persuasisses, si quid iuris pro te afferre potuisses. Quòd si huic rationi non fidebas, & rempublicam iniustè à me regi, & te magis idoneum esse, qui reipublicæ curam gereres, existimabas, debueras hæc facere: inquirere diligenter in mea delicta, & præclara tua facinora recensere, ac ita demum me in ius vocare, vt tecum iure disceptarem. At neutrũ horum fecisti: sed tanto post tempore, quasi ex diuturna crapula expergefactus, me accusaturus huc venisti: & ne nunc quidem vbi oportuit: neque enim hic te ista dicere decet. Sed, patres conscripti, ne quæso mihi hæc dicenti succenseatis: neque enim hæc ea mente dico vt cognitionem nostræ causæ vobis eripiam: sed vt huius calumnias vobis ostendam, ac eas refellam. Debueras enim me præmonere vt populum ad concionẽ conuocarem, atque ibi me accusare. Verùm, quãdo tu hoc refugisti ego tua causa hoc faciam & conuocato populo, cum indicem faciam

criminum quæ tu mihi obiicis, & denuo illi permittam vt hac de re cognoscat, vter nostrum regno sit dignior: & quod hi omnes me facere decreuerint, faciam. Atque his satis respōsum. Quoties enim res alicui est cum iniquis aduersariis, siue multas, siue paucas rationes ad sui iuris defensionem offerat, idem est. Eo enim sunt ingenio vt eos qui suadent ipsis vt viri sint frugi, ferre nequeāt. De miror autem, patres conscripti, si qui vestrum sunt qui velint me regno pellere, & cum isto aduersus me conspirarint. Lubenter enim ex illis quærerem ob quam iniuriam acceptam mihi bellum faciant, & quod meum facinus moleste ferentes, mihi sint infensi. Vtrum, quòd multos sciant me regnante, causa indicta, perditos, aut aliquo alio iniquo iudicio miserè condemnatos? an verò nullū quidem huiusmodi tyrannicum scelus à me patratum dicere possunt: sed illusam matronarum pudicitiam, aut contumelioſè constupratas virgines, aut aliquod aliud flagitium intemperāter in hominem liberum à me admissum sciunt? Æquum enim est, si quid tale patrarim, vt regno vnà cum ipsa vita priuer. Sed fortasse (vt ita dicam) nimium sum superbus, & ob grauitatem omnibus odiosus & ob insignem arrogātiam, qua vtor in regno, nemo me ferre potest: at quis superiorum regum adeò moderatè in ea potestate perpetuò se gessit, & adeò humanus erga omnes ciues fuit, eos, ceu pater mitis filios suos, tractans? Quandoquidem ego potestatem quam mihi dedistis, & quam à maioribus vestris per successionem acceptam seruatis, integrā mihi retinere nolui, sed legibus latis de rebus præcipuis, & maximi momenti, quas vos omnes ratas fecistis, permisi vobis vt ex illarum præscripto alij cum aliis in iudicijs disceptaretis, & ego ipse primus tā-

quam

quam priuatus, me iuri & legibus, quas in alios statui, obnoxium reddidi: iisque obtemperaui: neque omnium criminum iudicium vsu pauci, sed, quod nullus superiorum regum fecerat, vobis priuatorum criminũ cognitionem permisi: sed, vt apparet, nulla est iniuria ob quam mihi quidam sunt infensi: at beneficia in plebem collata vos immeritò augunt, de quibus sæpe me apud vos purgaui. Sed in præsentia his verbis non est opus. Si Tarquinius iste, acceptis reipublicæ gubernaculis, melius eam administraturus vobis videtur, certè non inuideo ciuitati meliorem principem. Sed restituto regno ipsi populo, qui id mihi dedit, & facto priuatus, dabo operam vt omnibus demõstrem me & aliis imperare bene scire, & aliorum imperium moderatè ferre posse. } Quum in hunc modum disseruisset & effecisset vt qui aduersus ipsum conspirarãt magno rubore suffunderentur, concilium dimisit, & postea præcones accersitos iussit per omnia vrbis cõpita populum ad concionem conuocare. Quum autem ad concionem tota vrbana multitudo concurrisset, ipse progressus in tribunal, orationem prolixam & plenam affectuũ ad populum habuit: enumerans res quas in bello, & vinente Tarquinio, & post eius obitum gesserat, & recensens singulatim sua acta, vnde multa & magna cõmoda ad rempublicam redundasse videbantur. Quum autem fere ad singula eius verba populus ei cum laudibus applauderet, & omnes summopere cuperent scire qua de causa hæc diceret, tãdem ita est loquutus, { Tarquinius me accusat, quòd regnum ad se pertinens iniuste occupatum retineam. Dicit enim auum morientem sibi cum bonis regnum etiam reliquisse, nec populo ius esse res alienas aliis donare. } Hac autẽ re audita omnibus vociferantẽ-

bus & indignantibus silentio illis imperato, rogauit eos ne hæc verba moleste ferrent, neue propterea indignarentur: sed si quod ius sui tutandi causa Tarquinius posset afferre, eum vocarent & re bene perspecta & cognita, si illum iniuria affectum, aut etiam regno digniorem iudicarent, illi reipublicæ patrocinium ac principatum committerent: se enim imperium depositurũ, & ipsis dominis, à quibus id accepisset restituturum dixit. Hac oratione ab illo habita, quum iam de tribunali vellet descendere, omnes clamorem sustulerunt, & magno cum gemitu orare eum cæperunt ne cui alteri regno cederet. Nonnulli etiam ex ipsis Tarquinium feriendum vociferabantur. Ille igitur veritus ne mox res ad manus veniret, & turba in se impetum faceret, vnà cum suis socijs ocyus fugit. Tullium verò vniuersa plebs cum lætitia & plausu, & faustis acclamationibus domum vsque prosequuta est.

5 ¶ TARQVINIVS autem, quum ne iste quidem conatus ipsi feliciter succesisset, grauiter ferens nullum auxilium sibi fuisse latum à senatu, quo potissimùm fretus erat, domi cum solis amicis colloquens aliquandiu se continuit: deinde, quum vxor illi suam sententiam aperuisset, & dixisset non esse amplius molliter ac languidè agendum sed omissis verbis ad facta veniendum: ac primum quidem, amicorum opera cum Tullio redeundum in gratiam, vt ille tanquam amico fidens minus sibi ab ipso caueret. Et quum ipse eius consilium optimum iudicasset, simulabat se factorum pœnitentia duci, & multis precibus per amicos petebat à Tullio vt sibi peccati veniam daret. Quum autem facillimè rem persuasisset viro illi qui natura sua ad reconciliationem facilis

facilis erat, & qui nulla ratione adduci poterat vt bellum nefarium cum filia ac genere gereret: nactus occasionem opportunam, quum plebs passim per agros in fruges colligendas esset intenta, in publicum prodit eum suis sociis qui gladios sub vestibus gestabant, & quibusdam famulis fasces dedit, & ipse regiam vestem induit: & secum reliqua regni insignia attulit: & profectus in forum, ante curiam constitit, & patres in senatum per præcones vocari iussit. Multi autem de patricijs, qui illius facinoris erant conscij, quique ad id eum incitabant, ex compositio parati in foro aderant. Illi igitur conuenerunt. Quidam verò interea nuntiat Tullio qui domi erat, Tarquinium cum veste regia in publicum prodijsse, & senatum coegisse. Ille admiratus eius audaciam, citius quàm prudentius domo ēs egressus, sine magno satellitio. Quum autem in senatum venisset, & conspexisset Tarquinium in regia sella sedentem, & reliqua ornamenta ac insignia regia gestantem, Quis inquit, ô omnium hominum scelestissime, tibi hunc ornatum sumere permisit? & ille eius orationem excipiens, respondit. Audacia & impudentia tua, Tulli, qui ne liber quidem, sed seruus, ex serua natus, quam meus auus ex captiuis comparatam possedit, te ipsum regem Romanorum creare es ausus. Tullius, his auditis, & exacerbatus ea oratione plus æquo, impetum in eum fecit, vt ipsum de sella deturbaret. Tarquinius ob hanc occasionem læsus ex sella desiluit, & senem correptum, qui vociferabatur, & simulorum opem implorabat, absportauit. Egressus autem è curia eum sustulit sublimem, ipse corpore florenti & viribus validis præditus eumque de curia gradibus in comitium ferentibus deiecit. Quum autem senex vim se ea casu surrexisset, & vi

disset Tarquinium undique stipatum auxiliis, & circa se magnam amicorum solitudinem, paucis eum sustentantibus & domum deducentibus sanguine multo cruentatus, & toto corpore malè se ob casum illum habens, gemens abiit. Postea atrocia auditu impiæ filiæ facinora traduntur. Quum enim audisset patrem ingressum in curiam, & valde cuperet scire quem exitum res habitura esset, carpento vecta in forum venit. Quum autem cognouisset quid actum fuisset, & Tarquinium in curiæ gradibus stantem conspexisset, prima eum alta voce regem salutauit, & deos est precata, vt eius regnum felix faustumque reipublicæ Romanæ esse vellent. Quum autem reliqui quoque, quorum opera & auxilio in regno sibi parãdo vsus fuerat, eum regem salutassent, ipsa eum seorsum ductũ, ita est allocuta: ¶ Primus conatus, Tarquini, vt debuit nobis succesisse: sed viuente Tullio regnum firmum habere nõ poteris. Ille enim denuò populum suis concionibus in te concitabit, si vel minimũ huius diei tẽpus superfuerit. Scis autẽ quanta sit populi erga eũ beneuolẽtia. Quare, antequã domum se recipiat, missis qui illum interficiant, eũ de medio tolle. ¶ Quũ hæc dixisset & carpentum denuò cõscendisset, abiit. Tarquinius verò ratus se hac quoq; in re ab vxore sceleſtissima rectè moneri, in eum mittit quosdam famulos cum ensibus, qui magna celeritate confecto viæ spatio, quod intererat, Tullium non procul à domo nacti trucidarunt. Proiecto autem recèns cæsi cadauere, eóque adhuc palpitante, filia aduenit. Quum autem perangustus esset vicus ille, quâ carpentum erat transiturum, mulæ cadauere cõspecto territæ sunt, & ipse auriga qui eas agebat, adeò

miserabili

miserabili spectaculo conspecto commotus substitit, & oculos ad dominam reflexit: Quærente autem illa qua de causa vehiculum non ageret, Non vides (inquit) Tullia, cadauer patris tui iacens, nec alium nisi per ipsum cadauer patere transitum? Illa verò hac oratione exacerbata, & correpto pedum scabello petijt aurigam, inclamans, Non ages sceleste iumenta vel per ipsum cadauer? Et ille grauius ob illum cæsum quàm ob plagam acceptam gemens, vi per cadauer mulos egit. Iste vicus, quum antè Cyprius vocaretur, ab illo atroci & detestando casu à Romanis patrio sermone sceleratus est vocatus. Atque hunc vitæ exitum est sortitus Tullius regno per quadraginta & quatuor annos potitus. Romani aiunt hunc virum primùm & patrios mores & instituta mutasse, quòd regnum non à senatu populóque accepisset, quemadmodum omnes superiores reges. sed à solo populo, cuius egentissimos, quosque largitionibus & corruptelis & multis aliis illecebris sibi conciliarat. & sanè ita se res habet. Antè enim, quum rex obijsset, populus senatui potestatem faciebat constituendi formam reipublicæ quam voluisset: senatus verò creabat interreges, illi verò præstantissimum omnium, siue ex indigenis, siue ex ciuibus, siue ex ipsis exteris regem creabant. Si igitur senatus probasset eum qui ab illis electus fuisset, & populus eum suis suffragiis confirmasset, & auspicia idem ratum fecissent, iste tum demum imperium suscipiebat. Quòd si quid horum desideratum fuisset, senatus alterum nominabat. & tertium, nisi secundo contigisset, vt citra omnem controuersiam, & hominum & deorum consensu approbaretur. Tullius verò quum primùm regij

tutoris personam induisset, vt antè dixi, & deinde quibusdam officiosis beneficiis plebem sibi deuinxisset, ob illa sola rex est creatus. Quum autem clementer & moderatè se gessisset, crimina quæ ipsi obiiciebantur, quòd non omnia ex legibus fecisset, posterioribus actis diluit, & multos in eam opinionem adduxit vt crederent, nisi cæde præuentus fuisset, eum reipublicæ formam in popularem dominatum mutaturum fuisse. Et hac potissimùm de causa ferunt quosdam patricios cum Tarquinio insidias ipsi struxisse. Quum enim eius potentiam alia ratione euertere non possent, Tarquinium ad eas res gerendas socium assumpserunt, eúmque in regno parando iuuerunt, tum quia plebem premere, cuius vires sub rege Tullio non mediocriter creuerant, tum etiam quia pristinam dignitatem recuperare volebant. Exorto autem ingenti tumultu, & vlulatu per totam vrbem ob Tullij mortem, veritus Tarquinius ne si per forum funus duceretur (vt fert Romanorum consuetudo) cum regia pompa, & cæteris solennibus cæremoniis, quæ in funere obseruari solent, plebs impetum in se faceret, regni potentia nondum satis confirmata, nullos sepulturæ consuetos ritus adhiberi passus est. Sed Tullij vxor, Tarquinij Prisci regis Romani filia, prosequentibus paucis quibusdam amicis, noctu, ex vrbe, ipsum vt hominis priuati & plebei funus extulit, valde & suum & ipsius infortunium deplorans, & plurimas diras imprecationes genero & filiæ imprecata, cadauer terra texit. A sepulcro autem domum reuersa, & vnum tantùm diem post mariti funus superstes, in sequenti nocte obijt. Quo autem mortis genere interijsse, à plerisque ignorabatur: aliij enim

enim dicebant illam præ dolore & vitæ tædio manus violentas sibi attulisse: alij verò à genero & filia sublatam, quòd immoderatius mariti sui casum ferret, & nimium benevolo animo in eum esset. His igitur de causis factum est vt Tullij corpus regio fumere & insigni monumento ferandaretur. Sed tamen ille rebus gestis sempiternam memoriam est consequutus. Quinetiam prodigium quoddam declarauit illum superis esse charum: vnde etiam accidit vt illam fabulosam & incredibilem de eius natalibus opinionem, quemadmodū antè dixi, multi verā esse crederent. Nam in Fortunæ tēplo, quod ipse condidit lignea eius statua inaurata, orto incendio, cæteris omnibus igne absumptis, sola mansit integra, ab igne nullo modo vitiata: & hodie quoque templum, & omnia quæ in eo post incendium ad pristinam formam & ornatum instaurata sunt, noui artificij esse apparet. Illa verò statua est talis qualis & antè, & formam operis antiqui retinet. Adhuc enim à Romanis colitur. Atque de Tullio hæc accepimus.

6 ¶ Post hunc L. TARQVINIVS Romanorum imperium nō ex legibus, sed armis occupauit, anno quarto sexagesimæ primæ olympiadis, qua vicit in stadio Agatharchus, archonte Athenis Hercule. Iste contempta plebe, contemptis patriciis, quorum opera ad regnum proiectus fuerat, mores, leges, & omnem patriam disciplinam, qua superiores reges vrbem ornarant, confundens & corrumpens, regnum in manifestam tyrannidem vertit. Ac primum quidem stipauit se satellitio hominum audacissimorum, enses & lanceas gestantium, tum indigenarum tum alienigenarum, qui noctu circa regiam excubantes, & inter-

dia eum in publicum prodeuntem, quocunque proficiscebatur, comitantes ab insidiis valde tutabantur. Deinde, neque sæpe, neque certis temporibus, sed rarò & ex improuiso domo exibat. Et domi plerunque de republica consultabat, cum iis qui sibi maxima necessitudine erant coniuncti: at in foro rarò. Neminem verò eius satellites ad eum accedere patiebantur, nisi quem ipse vocasset, neque eos qui ad ipsum accedebant benignè & comiter excipiebat, sed tyrannico more se illis grauem & iracundum præbebat, & vultum potiùs ad terrorem quàm ad hilaritatem componebat, & litium controuersias non ex iure & legibus, sed ex suis moribus, & pro arbitrio dirimebat. Propterea etiam Romani, illi superbi cognomen indiderunt: hoc autem nostro sermone ὑπερήφανον significat. Eius verò auum Priscum vocarunt, quem nos diceremus πρεσβύτερον: nam vtrunque nomen cum iuniore commune habebat. Vbi verò existimauit iam se regnum satis firmum habere, nequissimo quoque sodalium subornato, illorum opera multos viros illustres criminibus inuoluit, & in capitis iudicium arcessiuit. Primùm quidem eos qui alieno animo à se erant, quique Tullium regno expulsum ægrè ferebant: deinde alios, quibus arbitrabatur hanc rerum mutationem molestam esse, & eos qui diuitiis affluebant. Qui verò illos deferebant, ac in ius vocabant, alios post alios falsorum criminum insimulantes, præcipuè verò insidiarum in caput regium structarum, apud ipsum iudicem eos accusabant. Ille verò alios morte, alios exilio damnabat: & occisorum atque expulsorum bona occupans, delatoribus exiguam quandam portionem

nem dabat: maiorem verò sibi ipse retinebat. Quapropter multi viri potentes, antequàm iniquis iudiciis oppressi rei peragerentur, cognita insidiarum causa, sponte urbem tyranno relinquebant, quorum longè maior quàm reliquorum fuit numerus: nonnulli etiam clàm ab eo sublati fuerunt, in suis ipsorum ædibus correpti, & ex agris abrepti, viri non contemnendi, quorum ne cadauera quidem visa sunt. Itaque quum senatus præstantissimam partem morte & exilio perpetuo sustulisset, nouum senatum ipse constituit, amicis suis in deficientium honores substitutis. sed ne his quidem quidquam aut facere, aut dicere iniussu suo permittebat. Quare, quotquot senatores supererant de numero eorum qui à Tullio rege in senatum lecti fuerant, quum ad id usque tempus cum plebe simultates exercuissent, & reipublicæ formam suo commodo mutatam arbitrarentur: (talibus enim pollicitationibus Tarquinius eos deceperat, ipsisque imposuerat) tunc animaduertentes se penitus à reipublicæ administratione remotos, quinetiam sibi omnem libertatem æquè ac plebeis ereptam, lugebant illi quidem, & grauiora in posterum se passuros suspicabantur. Verumtamen in præsenti rerum fortuna acquiescere cogebantur, quòd vires non haberent quibus impedirent Tarquinium ne hæc faceret. Quum autem hæc viderent plebei, eos iusta pati existimabant: & stultè alieno infortunio exultabant, quasi illis solis tyrannis grauis esset futura, sibi verò nullum periculum inde impenderet: at non multo post illis quoque longè plura infortunia acciderunt. Leges enim à Tullio latas, ex quibus

æquo inter se cives disceptabant, nec à patriciis, vt antè in contractibus plebei detrimento afficiebantur, omnes sustulit. Et ne tabulas quidem in quibus erant scripta reliquit: sed has quoque ex foro tolli iussit, eásque abeliuit. Deinde tributa quæ ex censu ferebantur, sustulit: & pristinum morem in rempublicam reuocauit: & quoties pecunia illi opus fuisset, tantum pauperrimus quisque, quantum dues conferebat. Hoc institutum magnam plebeiæ multitudinis partem absumpsit: quòd statim in prima pecuniæ collatione coacta fuisset viritim decem drachmas conferre. Præterea sustulit cœtus omnes paganorum, & curialium, & vicinorum, qui antè fieri solebant, vel in vrbe, vel in agris, sacrorum & sacrificiorum causa: & ne omnes simul hæc peragerent edicto vetuit: ne in vnum locum coeuntes multi, inter se occulta consilia inirent de euertenda tyrannide. Passim autem speculatores dispersos & plebi incognitos habebat, qui scrutabantur & ea quæ dicebantur, & ea quæ fiebant, & se aliorum colloquiis immiscentes, & interdū ipsimet tyranno maledicentes, singulorum animos pertentabant: deinde quos cognouissent rerum præsentium statum ægrè ferre, eos ad tyrannum deferebant. Qui autem fuissent conuicti, pœnas acerbas, & inuitabiles luebant. Nec satis illi fuit his solis malis plebem contra ius & fas vexare: sed selectis etiam ex tota multitudine iis qui ipsi fidi & ad bellicos vsus idonei erāt, reliquos opera vrbana facere cogebat: existimans maximum esse periculum monarchis, quoties improbissimi & pauperrimi quique cives otiarentur. Simul etiam summopere cupiens sui regni tempore opera semiperfecta ab auo relicta absoluere, & cloacas, quas ille cœperat

fodere,

fodere, vsque ad fluuium perducere: circum verò maximum, qui nihil præter gradus habebat, circundare porticibus tectis. Atque hæc omnia labore pauperum peragebantur, qui modicum frumentum ab eo accipiebant. Et alij quidem materiam cædebant, alij verò ipsa onera humeris ferebant, alij fossas subterraneas & cauernas fodiebant, & fornices in illis fabricabant, & porticus erigebant, & opificibus qui hæc faciebant seruiebant: & fabri ferrarij & lignarij, & lapicidæ, à suis priuatis operibus abstracti in publico opere occupati detinebantur. In his igitur operibus quum populus atteretur, nullam habebat quietem. Quare patricij & horum & aliorum mala cernentes, aliquantulum gaudebant, & suorum malorum obliuiscebantur: veruntamen neutri eorum hæc impedire audebant. Cæterùm, Tarquinius secum ipse cogitans, eos qui principatum non legitimè sed armis quæsitum haberent, non solùm indigenarum, sed etiam externorum custodia & præsidio indigere, virum totius Latini nominis illustrissimum & omnium potentissimum, sibi amicitia, non sine magno studio, iunxit: filia sua illi in matrimonium data. Is vocabatur Octauius Mamilius, oriundus autem erat à Telegono, Vlyssis & Circes filio: & Tusculum vrbem incolebat. Existimabatur autem res militaris non mediocriter peritus, & in bello satis ideneus imperator. Inita cum hoc viro amicitia, & per eum adiunctis sibi præstantissimis quibusque, qui in singulis ciuitatibus res publicas tractabant, tum demum eorum societate fretus cœpit bella externa tentare, & copias in Sabinos ducere, qui ipsius imperatis parere nolebant, quique existimabant se fœderis conditionibus

solutos esse, ex quo obierat Tullius, cum quo fœdus fecerant. His rebus cognitis, indixit per nuntios vt ad concilium Ferentinum venirent illi qui soliti erant pro Latinorum republica eò conuenire, & in publico consessu negotia eius tractare: certámque diem statuit, quasi de rebus publicis & magni momenti cum illis consultaturus esset. Illi igitur venerunt. At Tarquinius, qui eos conuocarat, serùs eò venit. Quum autem iam diutiùs à toto conuentu expectatus fuisset, & plerísque id factum contumeliosum videretur, vir quidam qui habitabat in vrbe Coriolis, potens & opibus & amicis, & in re bellica strenuus, nec ciuilis facundiæ expers, nomine Turnus Herdonius, qui à Manilio, ob eius in republica ambitionem, dissidebat, & ob Manilium Tarquinio infensus erat quòd illum generum quàm se habere maluisset, prolixa oratione inuectus est in Tarquinium, cum alia eius viri facta recensens, quibus multum arrogantiæ & superbiæ grauis inesse videbatur, tum etiam quòd ipse, qui concilium indixerat, non adesset, quum tamen cæteri omnes præsentes adessent. Sed excusante illum Manilio, & Tarquinij moras in necessarias aliquas & vrgentes causas conferente: &, vt concilium in crastinum diem differretur, rogante: præsides Latinorum eius oratione adducti, concilium in sequentem diem distulerunt. Sequenti verò die venit Tarquinius, & conuocato concilio præfatus pauca quædam vt se purgaret quòd serùs venisset, de principatu verba facere denuò cœpit, quem ad se iure pertinere dicebat, quòd Tarquinius auus suus ipsum armis quæsitum obtinuisset: & conditiones fœderum, quæ populi cum illo fecerant pro-

tulit.

tulit. Quum autem prolixa oratione de suo iure & fœderis conditionibus disseruisset, & magnis beneficiis à se populos Latinos affectum iri promisisset si in amicitia permansissent, tandem persuasit illis vt contra Sabinorum gentem secum expeditionem susciperent. Quum autem dicendi finem fecisset, Turnus progressus est, & eius moram criminatus, non patiebatur Latinorum concessum imperio illi cedere: quòd neque iure ad eum pertineret, neque, si illi datum fuisset, è repub. Latinorũ futurum esset: & multis in vtramque partem disseruit. Et fœdera quæ cum eius auo facta fuerant, traducto illi imperio, post eius mortem soluta dicebat, quòd non adscriptum esset in fœderum conditionibus, vt idem donum Turquinij posteris daretur: demonstrabat etiam, ipsum qui volebat in aui dona succedere, omnium mortalium iniquissimum & sceleratissimum esse: & recensebat res quas fecerat, vt imperium Romanorum occuparet. & post multa, eáque grauia crimina in eum congesta, tandem docuit eum non regnum quidem Romanorum ex legibus accepisse à volentibus, quem admodum superiores reges, sed armis & per vim occupatum tenere, idque in tyrannicam vnius dominationem vertisse, & ciuium alios interficere, alios patria pulsos in exilium abigere, alios fortunis spoliare, omnibus verò æquè libertatem eripere vt ne liberè quidem loqui auderent: hominisq; valde stulti & mente capti esse dicebat, si quis à sæuo ac impio ingenio aliquid boni aut humani speraret, & existimaret fore vt is qui hominibus cognatione & necessitudine sibi coniunctissimis non pepercisset, parceret alienis. Quare suadebat ipsis, vt quãdo tẽdũ seruitutis frænũ recepissent, totis viribus ei resisterẽt.

ne id reciperent: ex aliorum calamitatibus, quid sibi ipsis euenturum esset, coniicientes. Quum igitur Turnus ita in Tarquinium inuectus fuisset, Tarquinius postulato sequenti die ad se purgandum, & re impetrata, concilio iam dimisso, aduocatis suis maximè necessariis, cum illis consultabat quidnam faciendum esset. Alij igitur eorum suppeditabant illi ea quæ sui purgandi causa esset dicturus, & de modo quo multitudinis beneuolentia esset cociliandæ inter se ratiocinabantur. At ipse Tarquinius his rebus non opus esse dixit, suámque sententiam aperuit: nõ esse ad crimina respondendum, neque ea esse diluenda, sed ipsum accusatorem de medio tollendum. Eius autem sententia ab omnibus collaudata, ex cõposito rem est aggressus, quæ nunquã in mẽtẽ aliis venire, neque ulla humana prouidentia præcaueri potuisset. Quũ. n. inuenisset, & pecunia corrupisset seruos nequissimos, qui Turnii iumenta agebant, & sarcinas eius ferebant, illis persuasit vt sub noctem multos gladios acciperent, & in sui domini diuersorium inferrent, & ibi deponerent, ac inter eius sarcinas reconderent. Sequenti die coacto concilio progressus in medium, longa oratione, qua se de criminibus obiectis purgaret, opus non esse dixit, nec se ipsum accusatorem iudicem omnium criminum refugere declarauit. Iste enim Turnus, inquit, assessores, his omnibus criminibus quæ mihi nunc obiecit, suo ipse iudicio me absoluit, quando filiã meã vxorem ducere volebat: sed quando, vt par est, ego illum indignum hoc coniugio iudicaui. Quis. n. mente præditus Mamilium nobilissimum & præstantissimum Latinorũ repulisset, & hunc generũ sibi facere maluisset, qui ne abauũ quidẽ nominare pot? Hoc ille indignè ferẽs iã me accusat. Sed debuerat si scie-

si sciebat me talem esse qualem me esse iam criminatur, non ita tunc meam affinitatem expetere. Quòd si me virum probum tunc putabat, quum filiam meam à me petebat, me iam vt improbum accusare non debebat. Atque hæc quidem pro me sint dicta. Vobis verò, Assessores, in maximo periculo versantibus, non est iam consultandum vtrum ego probus an improbus sim. (hac enim de re & postea vobis licebit consultare) sed vestræ ipsorum incolumitati & patriæ libertati consulendum. Insidiæ enim ab isto egregio concionatore principibus & rectoribus ciuitatum struuntur, & iam paratus est nobilissimo quoque de vobis cæso, Latinorum imperium inuadere: atque hac de causa venit. Hæc autem ego non coniecturis nixus sed certò sciens dico, indicis superiore nocte ad me delatis à quodam coniurationis socio, vobisque argumentum afferam, quo orationis meæ fidem faciam, rem minimè dubiam si enim eius diuersorium adire volueritis, arma in eo occulta vobis ostendam. Quum autem hæc dixisset, clamorem omnes sustulerunt, & sibi ipsis timentes vt rem indicaret, neque sibi imponeret, postularunt. Turnus verò qui insidias non præsenserat, dixit se lubenter illam inquisitionem admittere, & primores consessus ad arma in suo hospitio scrutanda vocauit, & è duobus alterum fieri oportere dixit, vel se mori, si compertum fuisset alia arma præter ea quæ in itinere secum attulerat à se parata fuisse, vel falsorum criminum delatorē pœnas dare. Hoc omnibus placuit: & qui ad eius diuersorium inierunt, inter eius sarcinas gladios & seruis abditos deprehenderunt. Postea, Turnum se purgare volentē non passi amplius quidquā dicere, in barathrū quoddā præcipitē egerunt, & ex tēpore cum vnū

in terra defossum necarunt. Tarquinius verò ab omnibus in concilio collaudatus, vt optimè de omnibus ciuitatibus meritus, quòd optimates seruasset gentis totius principem crearũt, iisdẽ conditionibus, quibus Tarquinius auũ eius, & quibus postea Tullium crearant, incisóque in columnis fœdere, & addito iureiurando de seruandis fœderis conditionibus ita demũ concilium dimiserunt. Tarquinius verò Latinorũ impetio potitus, ad Hernicorũ & Volscorum ciuitates legatos misit, illas quoque ad amicitiam & societatem inuitãs. Ex Volscis verò duæ tantùm ciuitates, Ecetrani & Antiates cõditiones illas ad quas inuitabantur receperunt: at omnes Hernici societatem facere decreuerunt. Tarquinius verò prouidè operam dans vt fœdus cũ illis ciuitatibus iclum sempiternũ esset, statuit designare templum cõmune Romanis, Latinis Hernicis & Volscis qui in societatẽ recepti fuerant, vt coeũtes quotannis in designatum locum, nundinarẽtur & vnà epularentur & communibus sacris fruerentur. Quum autem omnes rem eam lætis & lubenti animo accepissent locum designauit vbi concilium essent habituri, ferè in meditullio harum gentium montem excelsum, qui Albanæ vrbi immineret, vbi quotannis mercatum exercerĩ, & omnes ab omni mutua vi manus abstinere lege lata iussit & sacra communiter Ioui Latiali fieri & comunia celebrari. statuitque quantum vnãquamque ciuitatẽ in sacra conferre, & quam portionem vnamquámque accipere oporteret. Populi autẽ illarũ feriarum & sacrificij participes fuêre quinquaginta tribus minus. Hæc sacrificia & has ferias Romani ad nostra vsque tempora celebrant, Latinas ferias eas vocantes. & ad eas populi sacrorum participes ferũt alij agnos, alij caseos, alij lactis

certam

certam mensuram, alij aliquod eiusmodi cibi genus. Quid autem vnus taurus cõmuniter ab omnibus immolaretur, vnaquæque ciuitas certã portionẽ accipiebat. Pro omnibus autem sacra ab illis fiunt & Romani sacris præsunt.

7 ¶ Qvvm autem his quoque societatibus imperiũ firmasset in Sabinos exercitum ducere decreuit. Quare, habito delectu Romanorum ciuiũ, quos omnium minimè suspectos habebat & quos existimabat, si arma ipsis commissa fuissent, se in libertatem minimè vindicaturos: & sociorũ auxilijs adiunctis, quæ longè maiora erant quàm vrbanæ copiæ, & vastatis hostium agris, & profligatis iis qui secũ cõfligere ausi fuerant, exercitũ duxit in Pomerinos, qui vrbẽ Suessam incolebant omniúmque vicinorum populorũ florentissimi, & ob nimiã felicitatẽ omnibus molesti & graues existimabantur. Belli causa fuit, quòd quũ de eorũ rapinis & latrocinijs quibusdã quereretur legatis res repetentibus & pœnas reposcẽtibus superbè respõderant, & iã in armis erant bellũ expectantes, hostémq. excipere parati. Prælio autẽ in agri finibus cũ illis cõmisso, & multis cæsis & reliquis fugatis, & intra muros cõpulsis, quũ ex vrbe amplius nõ prodirent, castris ad eã positis fossa vallóq; eã circũdedit, & crebris assultib. mœnia tẽtauit. Oppidani verò tũc quidẽ oppugnationẽ sustinuerũt & diu grauissimis malis restiterũt: sed quũ eos defecisset cõmeatus, & corporis vires eos destituissent, nec vlla auxilia ad ipsos venirẽt, nec vllã quietẽ haberent, sed ydẽ & interdiu & noctu malis premerentur, per vim sũt expugnati. Vrbe aũt potitus, armatos interfecit, cõiuges & liberos eorũ, & eos qui hostib. se dedere voluerũt, & seruorũ maximã multitudinẽ & numeratu difficilẽ militibus in prædã cõcessit. Et res alias quæcũq. vel intra vr-

bis mœnia, vel in agris erant, agere & ferre illis permisit. At argentū & aurū quod inueniri potuit, in vnum locum contulit, & decimas ad ædificationem tẽpli seposuit, & reliquas pecunias militibus diuisit. Tantū autem argenti & auri repertū est, vt quinas argenti minas singuli milites acciperẽt, & decimæ argẽti dijs sacratæ, non minorẽ summã quã quadringentorum talentorum efficerent. Dum autem adhuc esset Suessæ, venit quidam qui ei nuntiauit Sabinorum lectissimã iuuentutem ex finibus suis egressam & cum duobus exercitibus in Romanorum agros irruptione facta eos populari, & alterū eorum ad Eretū, alterū ad Fidenas castra posuisse, & nisi maturè illis aliquis exercitus obuiã iret, de omnibus illius regionis rebus actū esse. His auditis, Suessæ modicam quandã exercitus partẽ reliquit & prædã ac reliqua impedimẽta custodire iussit. Cæteras verò expeditas copias duxit in hostes qui ad Eretum castra posuerant, & ipse relicto quodã intermedio spatio, castra in loco edito munijt. Quũ autẽ Sabinis ducibus placuisset sequenti die idque mane, confligere: accersito exercitu qui erat Fidenis, Tarquinius cognito eorũ consilio (quidã enim tabellarius, qui inde ad illos literas ferebat, interceptus fuerat) in tali casu è re nata huiusmodi stratagemate est vsus. Bifariã diuiso exercitu alterã partẽ sub noctẽ, clã hostibus, misit ad eam viã quæ à Fidenis ducit, alterã verò simulatq. clara dies illuxit, instructã eduxit è castris vt ad prælũ, & Sabini cõfidẽti animo & ipsi cõtra eos egressi sunt: quod hostũ numerũ nõ magnũ cernerẽt, & copias suas Fidenis moxmox victuras sperarẽt. Isti igitur signis collatis pugnarũt, & diu æquo marte inter eos certatũ est. At qui à Tarquinio noctu præmissi fuerãt, cõuerso itinere Sabinos

à tergo

à tergo adorti sunt. Sabini quum eos vidissent, & ex armatura & vexillis agnouissent præ metu amentes obstupuerunt, & abiectis armis fuga salutem quærere conabãtur. Sed quũ omnes ab hostibus circũdarentur pauci admodum, & maxima cum difficultate euadere potuerunt. Romanus enim equitatus vndique imminẽs, eos circumsepsit. Itaque pauci quidem ex ea clade incolumes euaserunt: at maior pars ab hostibus concisa fuit, reliqui se dediderunt. Sed ne illi quidem qui ad vallũ custodiam relicti fuerant restiterunt, sed ipsa munitio primo impetu capta est. Vbi præter ipsorum Sabinorum pecunias, omnes quoque Romanorum res cum multis captiuis, adhuc intactæ ab hostibus, receptæ fuerunt, dominisque qui eas amiserant fuerunt restitutæ. Tarquinius autem quum hic primus conatus ex animi sententia ipsi successisset, duxit copias in Sabinos qui ad Fidenas castra habebant, qui de suorum clade nullos dum nuntios acceperant. Forte autem illi quoque copias ex vallo eduxerant, & iam erant in via, sed quum ad hostes appropinquassent, & capita suorum Imperatorum lanceis præfixa conspexissent, (Romani enim ea ad hostium terrorem præferebãt): & suum alterum exercitum deletum cognouissent: nullum amplius generosum facinus ediderunt, sed ad supplices preces versi se hosti dediderunt. Sabini igitur adeò fœdè ac infeliciter vtroque exercitu intra breuissimum temporis spatium amisso, ad magnas angustias redacti, & veriti ne vrbes primo impetu caperentur, legatos de pace acturos miserunt, qui se suáque Tarquinio dederent, ea conditione vt eius imperio parerent, & tributa in posterum penderent. Pace igitur his data, & hisce populis illis ipsis cõditionibus, quas ipsimet ei obtu-

lerãt in fidẽ receptis, Sueſſam rediit. Inde copias quas ibi reliquerat abduxit, & prædã ac reliqua exercitus impedimẽta abſportauit exercitũq; diuitijs affluentẽ Romam reduxit. Poſtea multas quoque excurſiones fecit in agrũ Volſcorũ ſed hũc cum parte quadã exercitus: & ingenti præda eſt potitus. Quũ autẽ ei plurima ex animi ſententia ſucceſſiſſent, bellũ à finitimis populis excitatũ eſt, quod diuturnum fuit ſeptem. n cõtinuos annos durauit. In hoc graues ac inſperatæ cladis vtriſque acciderunt: quæ autem fuerint belli cauſæ, & quem exitum id bellum habuerit quoniã militari vafritia & inſperato ſtratagemate confectũ eſt, paucis dicã. Vrbs erat Latini nominis, Albanorum colonia, quæ ab vrbe centũ ſtadia aberat in via quã Præneſte itur. Gabios hãc vocabant, nunc tamen nõ amplius tot a incolitur, ſed eæ tantùm partes quæ in publico itinere diuerſoria habent: tunc verò frequens erat, & magnitudine nulli ſecunda. De eius autẽ magnitudine & amplitudine coniecturã facere poterit, qui varijs in locis ædificiorũ ruinas & murorũ ambitum ſpectarit maxima .n. eorum pars adhuc ſtat. Hũc quidã Pomptini, qui ex Sueſſa profugerant quũ Turquinius vrbem vaſtabat, & præter eos multi Romani exules conſluxerant. Iſti orantes & obteſtantes Gabinos vt ſuas iniurias vlciſcerentur, & multa dona promittentes ſe ipſorum opera in patriã rediſſent: & demonſtrantes Tarquinij tyrannidem facilè euerti poſſe, quòd Romani quoque operã ſuã ipſis ea in re nanaturi eſſent, illis tandẽ rẽ perſuaſerunt, Volſcis quoque paratis (miſerãt enim illi quoque legatos, qui ſocietatem ipſorũ peterent qua indigebant) ad bellũ contra Tarquinium ſuſcipiendum. Poſtea magnis exercitibus vtrique in agrum hoſtium incurſiones fecerunt, eúmque

que vastarunt, & (vt accidere solet) modò exigua militū manu, modo vtrinq; totis viribus prælia commiserunt, in quibus sæpe Gabini Romanis ad vrbis portas vsq; fusis ac fugatis & multis captis, intrepidè agrum populati sunt. Sæpe etiā Romani Gabinis profligatis & in vrbē compulsis, mancipia & ingentem eorum prædam abegerunt. Quum autem hæc assiduè fierent, vtrique coacti sunt loca quæ in suo agro natura erant munita, muro cingere, & præsidium in illis collocare, vt essent agrestibus refugia. Vnde facta eruptione, & prædones, & si quam exiguam partem à reliquo exercitu auulsam animaduertissent, & (quod in pabulationibus solet accidere) nullo seruato ordine vagantem oh hostiū contemptionē conferti descendētes eos contrucidabāt: & vrbes quæ oppugnari & scalis admotis facilè capi poterant, muris & fossa munire cogebantur, quòd sibi metuebant vtrique à mutuis & repentinis incursionibus. Tarquinius verò in hoc opere magis occupatus fuit & eā vrbanorū murorū partem quæ Gabios fert, ingenti operarū numero communiuit, & circūducta latiore fossa & muris altius erectis, & frequentioribus turribus per modica interstitia additis. Hac enim potissimùm parte vrbs infirma videbatur, at in reliquo murorū ambitu satis tuta & accessu difficilis. Itaque, quod omnibus ciuitatibus accidere solet in bellis diuturnis ob crebras hostiū incursiones, vastato agro nec fructus amplius ferēte, vterq; populus omniū alimētorū penuria laboraturus, & de futuro vehemēter solicitus futurus erat, grauiùs tamē rerū ad victū necessariarum penuria Romanos quàm Gabinos premebat: & pauperrimi quique hac maximè pressi, censebant pacem cum Gabinis faciendā, & bellum quibuscunque illi voluissent

conditionibus finiendum. Quum autem Tarquinius ob tales casus mœroris & anxietatis esset plenus, neque ita ignominiosè pacẽ facere vellet, neque tamen amplius malis resistere posset, & quasuis artes tẽtaret, & quoduis deligenus cõminisceretur, eius filius maximus natu, nomine Sextus, consilio cum suo patre solo communicato, & quamuis facinus audax & valde periculosum, sed tamẽ quod succedere poterat, aggressus videretur, impetrata à patre potestate faciendi quicquid vellet simulauit ortum esse dissidium inter se, & patrem de bello finiendo. Ab eo igitur virgis in foro cæsus, & aliis cõtumeliis affectus vt rei rumor latius spargeretur, primùm quidẽ fidissimos suorũ amicorum misit, vt transfugas: qui clã Gabinis significarent se statuisse ad eos venire, & belliũ patri inferre, si modò illi fide sibi data, promitterẽt fore vt se, quem admodũ & cæteros Romanos exules, seruarent, nec patri dederent: sperantes hoc pacto se priuatas inimicitias suo commodo dirimere posse. Hæc oratio Gabinis grata fuit, & illum à se minimè violatum iri promiserunt. Quare ille venit; & multos sodales & clientes, tanquã transfugas secum adduxit: & quò facilius crederẽt se à patre defecisse, magnã argẽti auriq; copiã attulit. Postea ad eũ multi ex vrbe confluebant, qui se tyrannidẽ fugere simulabãt: atq; iã manu valida stipatus erat. Gabini verò existimantes magna suis rebus accessionẽ factã multis ad se confugientibus, & breui Romã in suam potestatem venturam sperantes, & longè magis decepti rebus quas Sextus patris desertor gerebat, qui in agrum Romanorũ excursiones assiduò faciebat, & ingentem prædam referebat. (Pater enim quum iam ante sciret quo loca ille esset petiturus, pararat ingentẽ prædam & præsidijs munitiones

nitiones nudarat, & assiduè ciues selectos quos suspectos habebat, ei trucidandos obiiciebat. (*Ex his igitur omnibus rebus coniicientes & existimantes illum sibi amicum & fidelem esse & imperatorem egregium, multi etiam pecunia corrupti ad eum summum imperium detulerunt. Sextus autẽ tanta potestate per dolos & præstigias potitus, famulum quendam clam Gabinis ad patrem misit qui ei declararet potestatem quam adeptus fuerat, & ex eo scisciteretur quidnam esset faciendum: at Tarquinius cum nollet famulum scire quæ filium suum facere iussus esset, nuntium in hortum regiæ adiacentem duxit. Ibi autem erant papauera innata & fructibus onusta, & iam matura, ita vt possent colligi. Per hæc igitur media ambulans, quælibet papauerum capita cæteris eminentiora baculo percussa deiiciebat. Quo facto, nuntium à quo sæpius fuerat interrogatus, sine responso remisit. Thrasybuli Milesii (vt mihi videtur) consilium ac exemplum sequutus. Etenim ille quoque olim Periandro Corinthi tyranno per nuntium quem ad se miserat vt intelligeret quanam ratione imperium firmissimum tenere posset, nullum responsum voce dedit, sed eius nuntium sequi se iussit, eumque duxit per segetes: & spicas eminentiores frangere atque conterere iussit. Quum igitur tunc & ipse Tarquinius simile quiddã fecisset & Sextus mentẽ patris intellexisset, & cognouisset eũ iubere eminentissimos quosque de Gabinis à se tolli populum ad concionem conuocauit, & multa verba de seipso fecit, dixitque se cum suis socijs in eorum fidem receptum in discrimine versari, & periculum esse ne à quibusdam comprehensus patri dedatur, quare se paratum esse ad deponendum imperium, & antequã grauius*

aliquid experiretur, ex vrbe se velle discedere: simúlque lacrymas fundebat suúmq; infortunĩ deflebat, quemad modũ facerent qui verè in extremo capitis periculo versantes, animi anxietate premerentur. Populo autem vehementer irritato & summo studio scisciante quinam essent illi proditores, illustrissimum omnium Gabinorum, Antistium Petronem nominauit, virum qui pacis tempore multas & præclaras res gesserat, & sæpius imperator creatus exercitus ductarat, & propterea ad summũ splẽdorẽ & gloriam proiectus fuerat. Illo autẽ se purgante & quod nullius sceleris sibi esset conscius omnem inquisitionem admittente, respondit Sextus se velle missis suis sodalibus domum eius perscrutari, atque interim cũ eo in concione manere, donec qui essent missi, redirent. Iam autem quosdam eius seruos pecunia corruperat, vt in perniciem Petronis literas paratas ac patris sigillo obsignatas acciperent, domíque occultarent. Vbi verò qui ad scrutandum missi fuerãt, (neque enim Petro ipsis aduersatus est, sed permisit vt ædes suas scrutarentur) reperti literis in loco vbi reconditæ fuerant, ad concionem sunt reuersi & attulerũt cùm multas alias epistolas obsignatas, tum eam quæ ad Antistium fuerat scripta. Sextus se eã ex patris sigillo agnoscere asserens, eam aperuit & scribæ traditam recitari iussit. Hæc autem in ea erãt scripta: Tarquinius à Petrone petebat vt præcipuè vnum filiũ sibi dederet: si verò hoc præstare non posset, caput eius amputatũ ad se mitteret. quæ si & ipse & eius fatinoris socij peregissent, præter alia præmia quæ illis antè promiserat, se illos ciuitate Romana donaturum, & omnes in patricium ordinem ascripturum, & domos & agros & multa alia eáque ingentia dona additurũ polliceba-

licebatur. Quibus rebus irritati Gabinij, Antistium inopinata calamitate attonitum, & præ ingenti dolore nec vocem quidem emittere valentem, lapidibus obrutum interfecerunt. In alios quoque eiusdem consilij socios inquisitionem & animadversionem Sexto permiserunt. Ille verò suis amicis commissa portarum custodiendarũ prouincia nequi reorũ effugeret, missis suis satellitibus in illustrissimorum virorum domos, de Gabinis multos, eósque probos viros interfecit. Interea verò tumultu in vrbe ob tantum malum exorto, Tarquinius per literas re cognita, cũ exercitu eò venit, quúmque circa mediam noctem, ad vrbem accessisset, apertis portis ab iis qui ad hoc ipsum parati fuerãt, ingressus sine vllo labore vrbe est potitus. Quũ autẽ cognito eo casu ac infortunio, oẽs suã conditionem deplorarent: & cædes, & seruitutẽ, & omnia mala quæ solent contingere vrbi à tyrannis captæ expectarent, vel si optimè secum fuisset actum seruitutem & bonorũ direptiones, atque his similia animo præciperent, Tarquinius tamen nihil horũ fecit quæ expectabant ac formidabant, licet esset improbus & inexorabilis in supplicio de inimicis sumendo: neque enim quenquam Gabinorũ interfecit neque vrbe expulit neque ignominia affecit, neque pecunia mulctauit: sed quũ populũ ad concionem cõuocasset, ingenij tyrãnici personam exuit, & regiã induit, dixitq; se illis suã ciuitatẽ restituere, & fortunas quas habebãt cõcedere: idq; vt horũ opera Romanorũ imperiũ maiori stabilitate firmatũ retineret: existimãs firmissimũ sibi suisq; liberis præsidiũ fore fidẽ eorum qui præter omnẽ spẽ seruati fuerãt, & res omnes suas recuperarãt. Et nequis mentionem postea rũ in corũ animis resideret, néue dubitaret, sed hæc certa & firma illis permanerent, scripsit

quo iure quibusue conditionibus amicitiam cum illis esset initurus. & extemplò ibi in concione fœdus fecit & super victimas iurauit. Horum fœderum monumentum Romæ extat, in templo Iouis fidij (quem Romani sanctum vocant) clypeus ligneus, tectus corio eius bouis qui tunc in feriendo fœdere mactatus fuit, & literis antiquis fœderis conditiones inscriptas continens. His rebus gestis, & Sexto filio Gabinorum rege creato, copias abduxit. Atque belli Gabinij hic fuit exitus.

8 ¶ Post hæc Tarquinius, quiete à militia & bellis populo data, dedit se ad templorum fabricam, aui vota persoluere studens. Ille enim in vltimo bello contra Sabinos gesto, pugnans, Ioui, Iunoni & Mineruæ, si ex prælio victor discessisset, templa se ædificaturum vouerat: ac rupem vbi deorum templa fundaturus & condi turus erat, magnis sumptibus & terra aggesta explanauit, vt in superiore libro dixi. At templa ista, exilio præuentus perficere non potuit. Quum igitur Tarquinius ex decimis Suessana prædæ, hoc opus conficere statuisset, omnes opifices ad id peragendum adhibuit. Tunc nimirum quoddam prodigium, dum fundamenta foderentur & ipsa fossa iam valde profunda esset, visum ferunt. Aiunt enim inuentum fuisse caput hominis recens cæsi, cuius vultus viuo erat similis: & sanguinem ex illo capite calidum adhuc & recentem manasse. Tarquinius viso hoc portento iussit operas à terra fodienda abstinere, & conuocatis vatibus indigenis, ex ipsis quæsiuit quid sibi vellet illud prodigium. Illis verò nihil declarantibus sed talium rerum scientiam Etruscis facilè concedentibus: percontatus ex ipsis quisnam inter Etruscos longè omnium celeberrimus prodigiorum interpres esset: quum id cognouisset,

nouisset, misit ad eum legatos, ciuis spectatissimæ virtutis. Quibus ad illius domum profectis, forte adolescentulus quidam progressus obuiam venit, cui quum dixissent se Romanos legatos esse qui vatem alloqui vellent, vt se ad eum deduceret rogabant. Et adolescens respondit { Pater meus est quē vultis alloqui, sed iam est occupatus, at aliquanto post ad eum accedere poteritis. Verùm, dum eum expectatis, mihi vestri aduentus causam aperite. Ita enim fiet, vt si quid in re obiter peccaturi essetis, à me edocti in interrogatione nihil peccetis. } Recta enim interrogatio, in artis diuinatoriæ præceptu non minimum pondus habet. Illi ita faciendum censuerunt, & prodigium ei exposuerunt. Is eo audito, & breui silentio interposito { Audite, inquit, Romani, prodigiū quidem hoc pater meus vobis interpretabitur, nec mentietur. vati enim fas nefas. Quæ verò vos dicturi & ad eius interrogata recte & vere sitis responsuri (vestra enim interest hæc antè scire) hæc à me accipite. Post prodigiū ipsi narratū, ipse dicens se non satis bene percipere quid dicatis, certum terræ spatium baculo circunscribet, deinde vobis dicet, Hic est Tarpeius collis, hæc verò orientalis eius pars, hæc occidentalis, hæc septentrionalis, hæc ei opposita. Has omnes partes baculo ostendens, quæret ex vobis in quanam harum partium capit inuentum fuerit. Quid igitur vobis suadeo vt respondeatis? vt caueatis ne in vlla earum partium, quas ille baculo ostendens sciscitatus fuerit, inuentum prodigium dicatis, sed Romæ, apud vos, in colle Tarpeio id apparuisse respondeatis. Si hæc responsa seruaritis, nec à eo fueritis seducti, ille quia probè scit facta mutari non posse, quid illud prodigium portendat ac significet, vobis expli-

cubit, neque vos celabit. } Hæc edocti legati, quum
seni ad ſſet otium, & quid ab eos adiisset ac aduocasset,
ingreſsi prodigium vati expoſuerunt. Illo autem aſſute
ac dolosè agente & in terra deſcribente lineas circula-
res, & rurſus alias rectas, & in ſingulis regionibus quæ-
rente vbinam id caput fuiſſet inuentum, legati nihil ani-
mo turbati idem reſponſum ſeruarunt, quemadmodum
vatis filius eos monuerat, Romam & Tarpeium col-
lem ſemper nominantes & ipſum vatem orantes, ne id
ſignum interuerteret. ſed quàm ſyncerisſimè ac veriſsimè
reſponderet. Ille verò quum illud ſignum interuertere,
ac legatos decipere & augurium ſibi vendicare non
potuiſſet ſic eos eſt alloeutus, veſtris ciuibus, Romani, re-
nuntiate fatale eſſe vt locus ille, in quo caput inueniſtis,
totius Italiæ ſit caput. Atque ab eo tempore locus à ca-
pite ibi inuento Capitolinus eſt dictus. Romani enim
κεφαλὰς vocant capita. Tarquinius, quum hæc ex lega-
tis audiſſet, opifices ad opus peragendum adhibuit, &
magnam templi partem abſoluit, verumtamen totū o-
pus perficere non potuit regno antè pulſus, & exilio præ-
uentus, ſed tertio conſularis imperij anno pop. Ro. id ab-
ſoluit. Extructum autem a fundatum fuit ſuper crepi-
dine alta, octo iugerum ambitu pedum fermè ducentorū
ſingula latera habens, pari propemodum longitudine ac
latitudine. ne quindecim quidem integrorum pedum dif-
ferentia Etenim templum quod ſupra eadem fundamen-
ta patrum noſtrorum ætate poſt incendium fuit adifi-
catum ſolo luxu ac materiæ magnificentia à priſco diſ-
fert, vt compertum eſt. à parte enim frontis vergentis ad
meridiem triplicem columnarum ordinem habet, à late-
ribus duplicem: & in ipſo tria ſunt delubra, quæ rectæ

ſerie

serie sunt extructa, & ita inter se coniuncta, vt communia habeant latera, ac medium quidem est Iouis. At ab vtraque parte sunt delubra Iunonis & Mineruæ, sub isdem pinnaculis & iisdem tectis. Quinetiã aliud quod dam felicitatis prorsus admirãdæ bonum regnante Tarquinio, Rom. Reip. contigisse fertur, siue deorum, siue geniorum aliquorũ fauore ac munere: quod non ad aliquod breue temporis spatium, sed perpetuò ex magnis malis variisque periculis eam eripuit. Quædam enim mulier, non indigena, tyrannum adiit, nouum Sybyllinorum oraculorum libros vendere volens. Sed recusante Tarquinio libros illos emere tanto pretio quantum illa petebat, abiit, & tres eorum cremauit, nec multo post allatos reliquos eodem pretio vendere voleb. Iudicata autem dementia liqua mulier, & derisa, quòd idem pretiũ pro paucioribus libris peteret, quod ne pro plurib⁹ quidem accipere potuisset: denuo digressa dimidiam reliquorum librorum partem excussit, & allatis reliquis tribus eandem pecuniæ summam petiit. Tarquinius mulieris consilium admiratus, augures accersiuit, & re illis narrata, quid esset faciendum quæsiuit. Illi verò, quum ex quibusdam signis cognouissent eum donum diuinitus missum a supernatum fuisse, magnámque iacturam ab eo factam dixissent, quòd omnes libros non emisset, iussit eam pecuniæ summam mulieri numerari quam petebat, & oracula quæ supererant redimi. Illa autem mulier, quum libros tradidisset, vtq; diligenter asseruarentur monuisset, nunquam postea inter homines est visa. Tarquinius verò duumuiros ex nobiliũ numero creauit, & duos publicos ministros ipsis addidit illisq; horum librorum custodiã mandauit, quorum alterum, M. Atilium inquam, quòd

visus fuisset non bona fide se gerere, & ab altero publico ministro parricidij accusatus fuisset, in culeum insutum, in mare proiecit. Sed post reges exactos quum respublica oraculorum patrocinium suscepisset, nobilissimis viris, quos eligebat, eorum custodiam committebat: hi verò per totum vitæ tempus hoc munere funguntur, à militia & reliquis vrbanis muniis liberi, atq; hæc publicè illis committit sine quibus non patitur quenquam oracula inspicere. Et, vt rem paucis expediam, Romani nullam rē sanctam aut sacram æquè diligenter atque Sibyllina oracula custodiunt. Ea autem consulunt quoties senatus id decernit, quum in republ. orta est seditio, aut in bello grauis aliqua & insignis clades accepta, aut quū aliqua prodigia, ut spectra (quæ sæpe contigerunt) apparent, quæ magnum aliquod & cognitu difficile malū portendunt. Hi oraculorū libri vsq; ad bellū Marsicum permanserunt, incolumes cōditi sub terra, in tēplo Iouis Capitolini, in arca lapidea, à decē viris asseruati. Sed post centesimam & septuagesimā olympiadem, templo incenso, siue per insidias aliquorū, vt nonnulli arbitrantur, siue casu fortuito, hi quoque cum reliquis huius dei donariis igne sunt absumpti. Oracula verò quæ nunc extant, ex variis locis sunt comportata, alia ex Italicis vrbibus allata, alia ex Erythris Asiaticis, ex missis legatis, qui eorū exemplar describerent, alia ex aliis vrbibus, & à priuatis hominibus trāscripta, in quibus quædam supposititia, & carminibus Sibyllinis inserta reperiuntur, quæ deprehenduntur ex iis quæ acrostichides nuncupantur. Dico autem ea quæ Terentius Varro in suis commentariis theologicis memoriæ prodidit.

9 ¶ TARQVINIVS quum hæc pace belloq; gessis-

gessisset, & duas colonias condidisset, (vnam quidem quæ Signia vocabatur, non certo proposito, sed casu fortuito, quòd in eo campo milites hybernassent, castráque ita muniuissent vt nihil ab vrbe differrent: Circeios verò, certo consilio, quòd is locus valde opportunus esset, siquidem est in campis Pomptinis, qui omnium camporum agro Latino, marique contiguo finitimorum sunt maximi, est autẽ rupes instar peninsulæ modicè excelsa in mari Tyrrheno, vbi Circe solis filia habitasse fertur,) & quum has ambas colonias duob. suis filiis conditoribus assignasset, Circeios Arunti, Signiam Tito: de regno iam securus, ob violatam pudicitiam cuiusdã matronæ, quam Sextus filiorum natu maximus stuprarat, regno & vrbe simul expulsus est: à deo de futura familiæ calamitate præmonitus, cùm multis aliis prodigiis, tum etiam hoc postremo. Aquilæ coeuntes in locum regiæ adiacentem, vertente tempore nidos construxerant in proceræ palmæ cacumine, quæ quum pullos adhuc implumes haberent, vultures conferto agmine aduolantes nidos disturbarunt, & pullos interfecerunt & aquilas à pastu redeuntes, rostris pungentes, alisque ferientes, à palma abegerunt. Tarquinius hoc auspicio animaduerso licet diligenter sibi caueret, & si qua ratione posset fatum vitare conaretur, non potuit tamen id superare: sed in ipsum facta conspiratione patriciorum, & consensu plebis eos adiuuantis regno expulsus est. Quinam autem fuerint conspirationis in illum factæ autores, & quomodo rem ipsam aggressi fuerint, paucis declarare conabor. Ardeam vrbem Tarquinius obsidebat, causam prætexens quòd Romanos exules recepisset, eósque in patriam reducere conaretur. Sed vera causa erat quòd illi ob diuitias insidiarentur.

quia omnium Italicarũ vrbium fortunatissima erat. Sed quum Ardeates ei strenuè resisterent, & obsidio diuturnior esset, milites, tam illi qui erant in castris, quòd belli moras iniquo animo ferrent, quàm illi qui erant in vrbe, quòd pecunias amplius cõferre nõ possent, ad defectionẽ, si quod eius initium fieret, parati erant. Interea autem Sextus, filiorũ Tarquinij natu maximus, à patre missus Collatiam quorundam bellicorum negotiorũ causa, apud cognatũ suum L. Tarquinium Collatinum diuertit. Hũc Fabius Egerij filium fuisse tradit, de quo antè egi, & quem demonstraui fuisse filium fratris Tarquinij Prisci, Romanorum regis & ab eo Collatiæ præfectũ, & à domicilio quod ibi habebat, Collatinum vocatum, & posteris ipsius idem cognomen ab eo relictum fuisse. Ego verò hunc quoq; Egerij nepotem crediderim, siquidem eadem ætate erat, qua & Tarquinij filij, vt Fabius, & multi alij scriptores prodiderunt. Et meam hanc opinionem ipsa temporum ratio confirmat. Collatinus igitur in castris tunc erat. At eius vxor, matrona, Romana Lucretij viri illustris filia, eum, vt mariti sui cognatum, magna animi alacritate ac humanitate excepit. Hanc mulierem, cuius inter omnes Romanas egregia erat forma & pudicitia spectatissima, Sextus stuprare ausus est, qui quum iam multò antè hanc rem exequi conatus fuisset, quoties apud cognatum suum diuertit, nunquam tamen voti sui compos est factus: sed tunc rei peragendæ occasionem maximè opportunam sibi oblatam est arbitratus. Quum enim post cœnã dormitum abiisset, magnam noctis partem sese vigilans continuit, atque vbi omnes sopitos existimauit, surrexit, & cubiculũ petiit, in quo Lucretiam dormire sciebat: & clam ianitoribus qui ad cubiculi

biculi ianuã dormiebant, stricto gladio est ingressus. Quũ autem ad lectum accessisset, & mulier excitata fuisset, simulatque strepitum sensit: & quæreret quisnam esset, ille suo nomine dicto, iussit eam tacere, & in cubiculo manere, eædem ipsi minatus, si vel fugere vel vociferari fuisset ausa. Hac ratione quum miseram mulierem perterrefecisset, duas illi optiones obtulit: quarum alteram, quam maluisset, eligere iussit, aut mortem cum dedecore, aut vitam cum omni felicitate coniunctam. {Si enim (inquit) mihi hoc gratificari volueris, uxorem te ducam, & mecum regnabis nunc quidem in urbe quam pater mihi dedit, at post eius mortem, Romanorum, Latinorũ, Thuscorum, & aliarum gentium, quibuscumque ille imperat, dominatu mecum frueris. Scio enim me paternum regnũ habiturum, quemadmodũ ipsa æquitas postulat, quòd omnium eius liberorum sim natu maximus. Quæ verò bona regibus sint, quorum omniũ tu mecum eris domina, quid opus est te probè gnarã docere? quòd si mihi resistere conata fueris seruandæ pudicitiæ studio, te interficiam: præterea, iugulato uno de seruis, uestra corpora coniungam, & dicam te in turpi adulterio cum seruo deprehensam, pœnas mihi, iuuriã cognati persequenti dedisse, ita ut turpis, & probrosa mors tua sit futura, & corpus tuum neque sepulturam, neq; aliam quampiam earum rerum, quæ defunctis dari solent, sit consequuturum. Quare quũ ad multas minas & preces simul adhibuisset iusurandum, quo affirmauit se omnia seriò ac verè dicere, Lucretia coacta est mortis ignominiosæ metu, cedere & pati illum peragere quod ipsi libuisset. Quum autem dies illuxisset, ille in castra rediit nefaria & perniciosa libidine satiata. At Lucretia illũ casum ægerrimè ferens, quã-

ta maxima potuit celeritate conscendit carpentum, & Romam atrata petiit sub veste cultrum occultans, neq. in ipso itinere cuiquam salutanti salutem reddens, neque respondens volentibus scire quidnã ipsi accidisset: sed cogitabunda & præmœrore vultũ demittens, oculósq. lacrymarum plenos habens. Quum autẽ ingressa fuisset domũ patris (quidam autẽ cognati apud eũ tunc forte aderant) se ad eius pedes prosternens, eiusq. genua amplectens aliquandiu fleuit, nulla voce emissa: deinde, quum pater eã erexisset, eámq. rogasset vt diceret quid sibi accidisset, Supplex, inquit, ad te confugio, pater, grauem & nõ credendam passa iniuriam: quare eã mea causa vlcisere, nec despice tuam filiam, quæ iniuriam vel ipsa morte grauiorem accepit. Illo autem & cæteris omnibus admirantibus, & quis eius iniuriæ autor, quódve genus iniuriæ esset dicere iubentibus, Audies (inquit) pater, breui meas calamitates: sed primum pater, mihi petẽti hoc beneficium largire. Conuoca quot quot amicos, & cognatos potes, vt illi ex me ipsa insignem iniuriam quam accepi, non ex alijs audiant. Quum autem intellexeris fœdam & grauem necessitatem, quæ me implicitam tenet, deinde cum illis deliberabis quomodo meam tuámque iniuriam sis vlturus, nec longas moras interponas. Quũ autẽ nobilissimi viri celeriter & magna festinatione aduocati, domum conuenissent, quem admodum illa postularat, rem totam ab ipso principio repetitam illis narrauit. Postea patrem complexa, & multis precibus ipsum & illos qui cum eo aderant obtestata, deos etiam lareſq. suppliciter precata, vt se citò vita liberarent, educto cultro, quem sub veste abditum habebat, & pectori vnico vulnere illato, cultrum ad cor vsque adegit. Clamore autem

& eiul.tu,

& eiulatu, ac planctu muliebri per totam domum exorto, pater ipsum complexus fouebat, & nomine sæpius vocabat, & quasi ex vulnere conualescere & sanari potuisset, eam omni diligẽtia adhibita curabat. At illa in eius vlnis palpitans, & animam luctantem efflans, moritur. Romanis verò qui aderant, adeò atrox & miserandus ille casus est visus, vt omnes vno ore vociferarentur, satius esse sibi pro libertate millies mori quàm tales iniurias à tyrannis illatas perpeti. Inter eos erat quidam P. Valerius, à quodam Sabinorũ, qui cum Tatio Romam venerant, oriundus, vir strenuus & prudens: hic ab illis in castra mittitur, vt & marito Lucretiæ casum indicaret, & cum eo milites ad defectionem à tyrannis faciendam solicitaret. Ei autem vix portas vrbis egresso, Collatinas, qui ex castris in vrbem redibat, obuius fit, domesticæ calamitatis penitus ignarus: & cum eo L. Iunius, cui Bruto cognomen erat, quod si græca lingua Bruti vocem interpreteris, sonabit ἠλίθιος. De quo pauca præfari est necesse, (quando Romani huius opera potissimùm tyrannos vrbe pulsos fuisse asserunt) quis esset & quibus ortus parentibus, & qua de causa hoc cognomen à moribus suis alienum habuerit. Pater ei fuit M. Iunius, à quodam Aeneæ socio oriundus, qui ob insignem virtutem inter nobilissimos Romanos habebatur: mater verò Tarquinia, Tarquini Prisci regis filia: ipse verò egregiè institutus, & omni indigena disciplina excultus erat, & ingenium ad omnes ingenuas artes facile habebat. At postquam Tarquinius, cæso Tullio, præter alios multos, eósque viros probos, ipsius quoque patrem clandestina morte de medio sustulit: non ob aliquod eius delictum, sed eius diuitiarum cupiditate ad id adductus, quas,

antiquæ & opulentæ familiæ heres, à maioribus congestas & sibi relictas acceperat: & cum eo filium maximum natu, in quo generosus quidam animus elucebat, & qui patris cædem inultã manere non fuisset passus: Brutus adhuc iuuenis, & omni cognatorum auxilio destitutus facinus longè omnium prudentissimum facere est ausus. Stulti enim cognomen assumpsit, & se stultum esse simulauit & stultitiam simulans, id cognomen retinuit ŏ stanter ab illo tempore, ex quo id assumpsit, donec occasionis opportunitatem sibi oblatam iudicauit. Hoc q. illi saluberrimum fuit remedium aduersus Tyranni crudelitatem, in multos bonósq. viros debacchantis. Tarquinius enim contẽpta stultitia, quæ in illo inesse videbatur, (quæ tamen reuera non inerat) omnibus bonis paternis ipsum spoliarat, & exiguũ quiddã pro victu quotidiano ei suppeditans, vt pupillũ tutoribus indigentẽ apud se seruabat & cum suis filiis versari patiebatur: nõ honoris causa, vt apud propinquos simulabat, quòd esset cognatus: sed vt risum adolescẽtibus moueret, & illis esset oblectãmẽto, multa stulta verba proferendo, & res hominũ vere stultorũ faciẽdo. Quinetiam quãdo suos duos filios Aruntem & Titũ oraculum Delphicũ de peste consulturos misit: (nam illo regnante morbi quoddã genus insitum in virgines & pueros grassabatur, quo multi interibãt grauissimũ & sanatu difficile in mulieribus prægnãtibus: quandoquidẽ matres cum ipso fœtu passim per medias vias enecabat) quòd ex ipso deo cognoscere vellet, & morbi causam, & rationẽ qua eo posset liberari illum quoque misit cum adolescentibus, hoc eorum precibus cõcedens, vt haberent cui & verbis & factis illuderent. Adolescentes igitur illi quum ad oraculum venissent, & re-

& responsum accepissent eorum quorum causa fuerant missi, donariis deo donatis, & valde deriso Bruto quòd baculum ligneum Apollini dicasset, (at ille nullo rem sciente baculum perforarat vt fistulam, & auream virgam dicarat) postea ex deo scisciti sunt, quemnam fata Romanorum principem futurum destinassent. Deus illis respondit, eum, qui primus matri osculum tulisset. Illi igitur quum non percepissent quid sibi vellet oraculum, pacti inter se sunt, vt simul matrem osculerentur, quòd communi regno potiri vellent. At Brutus dei mente intellecta, statim vbi primùm Italiam est ingressus, prolapsus, terram est osculatus, hanc communem omnium parentem arbitratus. Quæ igitur huic viro antè euenere, huiusmodi fuere. Tunc verò vbi cognouit ex Valerij verbis Lucretiæ casum & cædem, manibus in cælum sublatis. {Iupiter (inquit) & cæteri dij omnes, quibus res mortalium curæ sunt, numquid tempus illud iam venit, quod ego expectans hanc vitæ simulationem indui, & ad hanc vsque diem seruaui? numquid fatale est Romanis vt à me & mea opera tyrannide nefaria liberentur? } his dictis magna contentione domum cum Collatino & Valerio petiit. Quum autem ingressi fuissent, & Collatinus Lucretiam in medio iacentem vidisset, & patrem eam amplectentem, ingenti gemitu edito, ipsam mortuam amplexus, osculabatur & sæpius nomine vocabat, & cum ea vt cum viua colloquebatur, præ mali dolore mentis non compos. Quum autem ille valde eam lugeret, & ipse quoque pater ex altera parte idem faceret, & domus tota fletu ac lamentis plena esset. Brutus ad eos conuersus, {Aliàs,

inquit, Lucreti, & tu Collatine, vósque omnes huius mu lieris necessarij. Satis temporis ad eam deflendam habebitis: sed iam quomodo iniuriam ipsi illatam vindicare possimus est cogitandum: hoc enim præsens tempus postulat. Visus est rectè monere, quare soli sedentes, & semota omnium domesticorum ac famulorum turba, consultabant quid faciendum esset. Tum Brutus cœpit primum de se verba facere, dixítque eam stultitiam in se reuera minimè esse quam multi existimabãt: sed se ad tempus eam simulasse: & allatis causis cur eius simulationẽ induere non dubitasset, & omnium hominum facilè prudentissimus iudicatus: posteà illis persuasit vt omnes cõmuni consensu ex vrbe Tarquinium & eius liberos expellerent: & longam orationem habuit, qua eorum animos ad id impelleret. Quum autem vidisset omnes in eadem esse sententia non verbis opus esse dixit, non pollicitationibus. sed factis. si quid eorum quæ erant faciẽda peragere vellent: séque horum initium facturum dixit. Quum hæc dixisset, & cultrum cepisset quo Lucretia se interemerat, quúmque ad eam accessisset, ori imposuit: (adhuc enim spectaculum maximè miserandum propalam erat) per Martem & cæteros deos iurauit: se quauis ratione pro viribus Tarquinij tyrannidem euersurum, nec se vnquam cum tyrannis in gratiam rediturum, nec alios redire passurum: sed in posterum se hostis loco habiturum quicunque id vellet facere, séque capitali odio tyrannidem, eiusque fautores ac defensores prosequuturum. Quòd si iusiurãdum violasset, tale mortis genus, quale mulieri illi contigerat, sibi liberísque suis est imprecatus. His dictis, idem iusiurandũ à cæteris exegit. Illi verò non amplius cunctãtes surrexerunt, & cultro

tro illo per manus subinde accepto, iurarunt.

10 ¶ Qvvm autem iurassent, postea ratione quarem ipsam aggrederentur quærere cœperunt: & Brutus hoc consilio illis dedit. { Primùm ad vrbis portas custodes adhibeamus, ne quid eorum quæ in vrbe aut dicũtur aut fiunt contra tyrannidem Tarquinius sentiat, antequam res nostræ sint paratæ. Deinde allato mulieris cadauere in forum, ita cruento vt est, Lucretius & Collatinus in medium progressi, re tota ordine narrata, suas calamitates deplorent. Deinde aliorum vnusquisque progressus in medium, in tyrannidem inuehatur, & ciues ad libertatem recuperãdam prouocet. Hoc autem omnibus Romanis optatissimum erit, si à nobis patriciis libertatis initium fieri viderint. Multas enim & graues iniurias à Tarquinio acceperunt, paruóque impulsu ac leui occasione ipsis est opus. Vbi verò habuerimus plebem ad tyrannidem euertendam concitatam, eius suffragiis Tarquinio regnum abrogemus, & hoc plebiscitum celeriter ad eos qui sunt in castris mittamus. Nam si milites armati totam vrbem à tyrannis alienatam esse cognouerint, patriæ libertati studebunt: nec lationibus amplius detinebuntur. } Hæc quum ille dixisset, Valerius eius verba excipiens. { Reliqua quidẽ (inquit) iuni, rectè mihi videris ratiocinatione tua colligere: cæterùm, de comitiis, illud ex te scire velim, quisnam legitimè ea indicere, & suffragia curiis distribuere possit. Magistratus enim hoc est officium. Nemo verò nostrum vllũ magistratum gerit. Cui respondit Brutus, Ego, Valeri. Sũ enim Celerum tribunus, & concionis conuocandæ. quotiescunque velim, potestas mihi per leges est data. Tarquinius enim maximum hunc magistratum dedit mihi,

vt stulto, & tanquam homini eius vim ac potestatẽ non cognituro, neque, si cognoscerem, ea vsuro: quinetiam ego primus in tyrannum perorare sum paratus. Omnes his auditis eum laudarunt, & vt honesti ac legitimi cõsilij autorem, reliqua quoque dicere iusserunt. Ille autem respõdit. Quãdo hæc vobis ita fieri placet, hoc videamus, quisnam magistratus post exactos reges vrbis imperiũ sit habiturus, & à quo creatus: imò etiam illud antè est prospiciendum, quæ sit futura reip. forma, quam tyrannide liberati constituemus. Præstat enim de his omnibus consultare priusquàm tãtum facinus aggrediamur, & nihil relinquere, quod non antè diligenter considerarimus & accuratè perpenderimus. Dicat verò vnusquisq; vestrũm quid his de rebus sentiat. Postea multi multa fecerunt verba. Ac alijs quidem recensentibus omnium superiorum regũ beneficia in remp. collata, placebat denuo reges creari. Alij verò enumerantes facinora tyrannica & iniurias, quas cum alij multis suis ciuibus intulerant tum etiam Tarquinius postremus: vnius potestati remp. amplius committendam non censebant, sed malebant summam rerũ penes senatũ esse, vt in pleriſque Græciæ ciuitatibus. Alij neutram harum reip. administrandæ formarum probabant: & suadebant vt dominatus popularis, quem admodum erat Athenis constituetur, paucorum iniurias & flagitia, quæ ob pluris habendi cupiditatem patrantur, proferentes, & seditiones quæ inter humiliores & potentiores solent oriri: & iuris æquabilitatẽ, verè ciuitatis liberæ formam omnium vtilissimam, atque honestissimam esse demõstrantes. Sed quum omnibus hæc electio non sine negotio, & difficultate diiudicari posse videretur, ob vitia & mala quæ

vnam-

vnamquamque reip. formã comitantur, postremus Brutus, orationem excipiens ita est loquutus, {EGO verò, Lucreti & Collatine, & omnes vos qui adestis viri boni & ex bonis progeniti, in præsentia nobis nullam ciuitatis formam constituendam censeo. Nam & ipsius temporis angustiæ, in quas à rebus præsentibus sumus compulsi, non patiuntur vt præsentem reip. statum in aliumm liorem facilè mutemus: & ipsam mutationem tentare, licet optimè de ea consultauerimus, tamen lubricum est, nec periculis caret. At post ea nobis licebit, quum tyrannide fuerimus liberati, longè liberius & maiore cum otio deliberantibus, meliorem reip. formam deteriori antepositam eligere: si qua tamen est melior ea quam Romulus & Pompilius, & cæteri qui post eos regnarunt, nobis constitutam tradiderunt, qua factum est vt respu. nostra euaserit ampla & fortunata, & multis populis ad hoc vsque tempus constanter imperarit. Vitia verò grauia, quæ regnum comitari solent, ob quæ in crudelitatem tyrannicam degenerat, & quæ regiam potestatem omnibus inuisam reddunt, suadeo vobis vt ista corrigatis, & caueatis ne vnquam posthac in hæc ipsa recidamus. At quænam illa sunt? Primùm quidem, quia plerique rerum nomina spectant & propter hæc vel res noxias expetunt, vel vtiles fugiũt. in quarum numero ipsum quoque regnum esse cõtigit, vobis, vt vestræ reip. nomen mutetis, suadeo, & eos quorum curæ & fidei communis omnium salus committetur, non amplius reges, neque monarchas vocetis: sed aliquam modestiorem & magis popularem appellationem illis imponatis. Deinde, ne rerum summam vnius arbitrio & potestati committatis: sed duobus viris regium imperium permittatis,

quemadmodum audio Lacedæmonios facere iam per multas ætates, & ob hanc reipu. formam maxime inter omnes Græcos bonis legibus & opibus florere ac felices esse. Minus enim inuidiosi & graues erunt si ea potestas bifariam sit diuisa, & si vterque parem habeat potestatem. Nam si vicissim alter alterum reuereatur, & à voluptuoso vitæ genere retrahat, ex hac honoris ac potestatis æqualitate maximè nascetur æmulatio, qua fiet vt vterque virtutis studiosus euadat, eiusque opinionem aliis præbere conetur. Quoniam autem multa sunt insignia quæ regibus tradita fuerunt: si qua populo molesta ac inuisa sunt, certò eorum partem minuendam, partem penitus tollendam censeo. Sceptra ista intelligo, at & aureas coronas, & purpureas auróque intertextas trabeas, quarum gestatio ipsis minimè permittenda, nisi quibusdam diebus festis, & in triumphi pompis, in quibus hæc honoris deorum causa assument: rarus enim horum vsus molestus non erit. Cæterùm, eburneam sellam, in qua sedentes iudicant, & togam candidam, prætextamque & duodecim fasces, qui ipsis per vias præferuntur, censeo relinquendos. Præterea quod omniù à me dictorum longè vtilissimum fore arbitror, & quod præcipuè eos qui hunc magistratum accipient in officio continebit, ne toties delinquant, illud est: ne iidem perpetuum imperium & cum vita finiendum habeant. (Omnibus enim pergrauis est magistratus, cui nullum certum tempus est præfinitum, & qui nullis actorum suorum reddendis rationibus obnoxius est: vnde tyrannus nascitur.) Sed autor sum vt magistratus potestas in annum tempus cõtrahatur, quemadmodum fit apud Athenienses. Nam quòd idem partim imperet & partim pareat, & antequàm

quàm animus sanáque mens corrumpatur, ab ea potestate remoueatur, hoc fastosa ingenia reprimit, nec mores hominum illa potestate inebriari sinit. Hæc si ita cõstituerimus, licebit nobis regiæ gubernationis bonis frui, & malorum, quæ illam comitantur immunes esse. Sed vt ipsum quoque nomen regiæ potestatis, nostris moribus patriis receptum, quod auspicijs fausti is diisque cõprobantibus in nostram ciuitatem fuit introductum: ipsius religionis causa sacrosanctum structur: semper rex aliquis creetur, cui hic honor sit perpetuus quãdiu viuet, qui omnis bellicæ molestiæ sit immunis, & vt rex hanc solam sacrorũ curam sustineat, nihil præterea curet. Quo autem modo hæc singula fiant, ex me audite. Ego indicã comitia, quemadmodum dixi, quandoquidem hoc mihi ex legibus est concessum, & meam sententiam apud ciues declarabo, qua iubebo Tarquinium cum liberis & coniuge in exilium abire, & ipsum eiusque posteros ab vrbe & ditione Romanorum in perpetuum arceri. vbi autem meam sententiam suis suffragijs ciues confirmarint ratámq; fecerint, declarata illis reip. forma, quã cõstituere in animo habemus, interregem creabo, qui magistratus remp gesturos designabit, & ipse celerum magistratum deponam. Interrex verò qui à me creatus fuerit, centuriatis comitijs nominet magistratus, qui imperio sunt habituri, & populum ad suffragia de illis ferenda vocet. Quòd si pluribus centuriis illorum electionem ratam esse placuerit, & simul fausta auspicia ipsis eam confirmarint, isti tum demum fascibus & reliquis regiæ potestatis insignibus acceptis, dent operã vt liberam patriam incolamus, néve Tarquinius vnquam in eam reditus pateat. Conabũtur n. (hoc pro comperto habeatis)

& suasione, & vi, & dolo, & quauis alia ratione imperium recuperare, nisi nobis caueamus ab ipsis. Hæc igitur sunt maximæ & præcipua, quæ in præsentia vobis dicere & suadere possum. Res verò singulas, quæ multæ sunt, & quæ nō sine difficultate iā possent accuratè discuti (ad summas n. tēporis angustias sumus redacti) futuris magistratibus relinquēdas ac permittēdas cēseo. Illos verò de rebus omnibus consultare cū ipso senatu oportere dico, quemadmodū reges faciebant: & nihil sine nobis facere, & sc. ad populū referre, vt fert maiorum nostrorū consuetudo, nulla in re eius pristina autoritate aut potestate imminuta. Hoc enim pacto eorū magistratus tutissimus & honestissimus erit. Quū igitur Iunius Brutus hanc sententiā dixisset, omnes eā laudarunt & statim de futuris magistratibus consultantes, censuerunt interregē prodendū Sp. Lucretium, patrē mulieris quæ sibi manus attulerat, & ab illo magistratus regia potestate præditos inquisitione in eorū vitā facta creandos, L. Iunium Brutum, & L. Tarquinium Collatinum. Hos magistratus patrio sermone Cōsules vocari placuit. Hoc nomen si græcè interpreteris, συμβούλους, vel προβούλους significare potest. Romani enim συμβούλους consilia vocant. At à Græcis tēporis progressu ὕπατοι vocati sunt à potestatis amplitudine, quòd omnibus imperent & summæ dignitatis gradum obtineant. Prisci enim, quod excellēs & sum- mum erat, id ὕπατον vocabant. Hoc into cōsilio, atque his ita statutis, votis nuncupatis, deos precati vt se res sanctas ac iustas expetentes adiuuarent, in forum prodierunt. Illos autem sequebantur famuli, in lecto nigris vestibus constrato portantes Lucretiæ cadauer inultū & sanguine cruentatū, quod quum ante curiam

poni

poni in loco edito & conspicuo iussissent, populū ad concionē conuocarunt. Quū autē non solum omnis turba, quæ tūc erat in foro, sed etiam reliqua quæ erat sparsa per tam urbem eò confluxisset, (præcones enim per omnia compita populum ad concionem in forum conuocarant) tunc Brutus locum conscendit vnde illi qui comitia indicunt, concionem ad populū solēt habere, & patricios astantibus, ita est loquutus. {De necessariis ac honestis rebus verba apud vos facturus, Quirites de me ipso pauca primùm dicere volo. Fortasse enim aliquibus vestrum, imò potius, (quod probè scio,) plerisque mē te perturbata & parum sana videbor, qui de rebus grauissimis dicere aggrediar, ego cui, vt potè non sana mēte prædito, curatoribus est opus. Sciatis igitur vulgarem illam opinionem quam omnes de me tanquā de stulto habebatis falsam esse, & nullum alium præter me ipsum eius fuisse autorem, quod autē coēgit me viuere nō prout meum ingeniū postulabat, neque vt me viuere dicebat, sed prout Tarquinio libebat, & mihi vtile fore videbatur, fuit vitæ periculū ac metus. Tarquinius enim cæso patre meo simulatq; regnū est adeptus vt eius fortunas, quæ valde amplæ erant, possideret: & fratre maiore qui patris cædem erat vlturus, nisi sublatus de medio fuisset occulta morte sublato: proculdubio, vt constabat ne mihi quidem pepercisset, qui omni necessariorū auxilio destitutus eram, nisi simulationem stultitiæ induissem. Hæc simulatio, quam tyrannus veram stultitiam esse credebat, effecit ne eadem mala, quæ illi sunt perpessi, experirer, & ad hoc vsque tempus me seruauit. Iam verò tandem eam (venit enim tempus quod optabā & expectabā) per viginti & quinq; annos seruatā depono, atq;

hæc quidem de me sunt dicta. res verò publicæ, quarum causa ego vos ad concionẽ conuocaui, hæ sunt. Quũ Tarquinius neque patriis moribus, neque legitimè imperium occuparit, neq; postquam id quomodocunque est adeptus, honestè ac regiè se in eo gesserit, sed iniurijs & iniustitia oẽs tyrannos, qui vnquã fuerint, superarit: ei hanc potestatem abrogare nos patricij communi consensu decreuimus: quod iã pridẽ factũ oportebat. sed iã tempus opportunũ nacti hoc ipsum facimus. Et vos, Quirites, conuocauimus, vt indicata voluntate nostra vos rogaremus vt nos in asserẽda patriæ libertate iuuetis, qua neque nobis antè frui licuit ex quo Tarquinius regnũ occupauit: neque postea licebit, si nũc molliter ac ignauiter nos gesserimus. Si igitur tantum temporis haberẽ quantum vellem, & apud rerum ignaros verba facerem, omnia tyranni scelera persequerer, ob quæ non vno, sed pluribus supplicijs dignum eum omnes iure indicarent. Sed quia nec res, nec temporis angustiæ hoc patiuntur, quæ paucis verbis, & multis factis indigent: quia etiã apud vos rerum gnaros verba facio, pauca eius facinora grauissima, & adeò manifesta, vt nulla ratione possint exc.s.ri vobis cõmemorabo, & in memoriã reuocabo. Iste, Quirites est ille Tarquinius, qui antequã regnũ esset adeptus, Arruntẽ fratrem suũ, quòd improbus esse nollet, venenis sustulit: assũpta ad societatẽ huius sceleris illius vxore, sua coniugis sorore, cum qua ipse diu inuisus, vel multò antè adulteriũ cõmiserat. Hic est ille qui vxorẽ suam, matronã pudicã & liberorũ quos ex ea suscepérat, parentem eodem tempore & eisdem venenis sustulit: qui ne expiare quidem voluit vtriusque veneficij piaculum, & se purgare de hoc à se patrato, saltẽ aliqua lugubri specie,

& exi-

& exigua luctus simulatione: sed simulatque præclara hæc facinora patrauit, antequam integer dies quo infelicia illa corpora rogis fuerant mandata interponeretur, amicos conuiuio excepit, nuptiásque celebrauit, & sponsam, quæ maritum suum interfecerat in sororis thalamũ duxit nefarias pactiones cum illa factas confirmans, & exemplum impium ac execrandum, & apud nullas aut græcas, aut barbaras nationes receptum, primus & solus in remp. Romanam inducens. Sed quæ scelera, Quirites, quàm famosa, & quàm atrocia in soceros suos patrauit, qui Seruium Tullium, omnium regũ iustissimum & optimè de vobis meritum, palam iugulauerit, nec ipsius cadauer funere & legitima sepultura honestari passus fuerit, & Tarquiniam eius vxorem, quæ ipsi matrimonium erat colẽda, vt pote quæ ipsius erat amita & bene de ipso merita, antequam mariti mortem defleret, eique extrema inferiarum officia præstaret miseram laqueo enecarit: à quibus seruatus, & apud quos educatus fuerat, & quorum heres ac successor futurus erat si aliquantulum expectasset mortis naturalis aduentum. Sed quid in his reprehendendis immoror, quum tot eius iniqua facinora proferre ac vituperare possim, præter illa quæ in cognatos ac soceros commisit: ea inquam quæ in patriam & nos omnes contra ius & fas patrauit? si modo ea sunt vocanda facinora iniqua, & non potius piacula abominanda, & euersiones omnium gentium ac nationum. Et, ne longius abeam ipsum imperium, vt hinc initium faciam, quomodo est adeptus? vndeam, vt ante eum reges alij? multum certè abest. Illi enim omnes à nobis ad principatus patrio more, & instituto promouebantur. Primum quidem ex S.C. cuius primæ partes sunt in omnibus publicis consiliis

deinde per interreges creatos, quibus senatus permittit vt ex numero eorum qui regno sunt digni, maximè idoneum eligant: postremo in comitiis, quæ magistratuũ creãdorum causa habebantur à populo suffragia ferente, quibus maxima quæque rata fieri lex iubet: præterea auspiciis & litationibus, & cæteris cœlestibus signis felicibus, sine quibus humana studia & consilia nihil proficiunt. Ea igitur, quis vestrũm aliquid horum obseruatum scit, quando Tarquinius imperiũ est adeptus? quod senatusconsultũ quod interregũ iudicium? quæ populi suffragia? quæ fausta auspicia? non dico hæc omnia fuisse prætermissa, quamuis oportuisset (si modò recta creatio erat futura) nullos ritus legitimos prætermitti. Sed si quis vel vnum tantum horũ obseruatũ fuisse demonstrare posit, calumniæ noram non recusabo, nec cætera quæ neglecta fuerunt, calumniabor. Quãnam igitur ratione principatum est assequutus? armis, & vi, & scelestorum hominum coniurationibus (vt tyrannis est mos,) nobis inuitis, & id iniquo animo ferentibus. Sed, age postquam regnum occupauit quomodocũque quæsitum, an in eo se regiè gessit, sequutus superiorum regum exemplum, qui perpetuò & dixerunt & fecerunt ea quibus hanc remp. & fortunatiorem & ampliorem quàm ipsi à maioribus accepissent suis successoribus tradiderunt? Et quis sana mente præditus hæc diceret, cernens quàm miserè & malè omnes ab ipso fuerimus tractati? Nostras quidem ordinis patricij calamitates, quas vel hostis deflere, si audiret, taceo: si quidem pauci ex multis sumus reliqui: & ex alto dignitatis gradu in humilitatem delapsi & ad paupertatem, acingentem rerum inopiam, multis atque adeò innumeris spoliati bonis, redacti sumus. At illi clari viri, graues, & magnifici

gnifici, quorum opera hæc nostra ciuitas quondam fuit illustris, partim perierunt, partim in exilium sunt pulsi. Sed, Quirites, quonam in statu res vestræ sunt? Nónne vobis leges eripuit? nónne vobis omni conuentu, quem sacrorum ac sacrificiorum causa facere solebatis interdixit? nónne comitia, & suffragia, & conciones, quæ de rebus publicis haberi solebant, sustulit? Quinetiam corporibus vestris, haud secus quàm mancipiorum empticiorum, ad varios eósque graues labores abutitur, cogens vos lapides & aliam materiam cædere, & humeris onera ferre, & in profundis ac voraginosis fossis corpora consumere, vobis ne minima quidem à malis concessa requiete. Quis igitur finis erit istarum calamitatum? quóusque hæc pati sustinebimus? quandónam patriam libertatem recuperabimus? An quum obierit Tarquinius? scilicet, & quánam in re conditio nostra tunc melior erit? imò verò nónne erit deterior? Tres enim Tarquinios ex vno prognatos ipso patre longè sceleſtiores habebimus. Quando enim is qui ex homine priuato factus est tyrannus, & qui ferò improbitatem exercere cœpit, in omnibus tyrannicis vitiis sese accuratissimè exercuit: qualem oportet existimare eius progeniem futuram, malo genere natam, & malè educatam: cui nulla vnquam ciuilia, aut moderata acta ipsius videre aut audire licuit. Ne autem in cognoscendis eorum execrandis ingeniis diuinatione vobis sit opus, vtque certò sciatis quales catulos Tarquinij tyrannis in suo sinu nobis alat, facinus vnius eorum qui maximus est natu, videte, quæso, & cõsiderate. Hæc est Spurij Lucretij filia, quem tyrannus ad bellũ proficiscẽs vrbis præfectũ constituit. Est autẽ vxor Tarquinij Collatini, tyrannorũ cognati, qui eorum causa multa pertulit mala.

atque hæc quidem, quòd pudicitiam vellet tueri, & maritum suum amaret, quemadmodum bonã decet vxorem: quũ Sextus hospitio ab ea fuisset excepta cognationis causa, superiore nocte, Collatino tunc absente, & in castris versante, effrænatam ac intemperantem tyrannidis contumeliam effugere nõ valuit: sed vt captiua, necessitate coacta tulit quæ ingenuã mulierem ferre est nefas. Quam cõtumeliam indignè ferens, nec tolerandã existimans, quũ prius patri, & cognatis sua infortunia narrasset, eos multis precata & obtestata, vt suas iniurias vlciscerentur, eductlo cultro, quem in sinu abditum habebat, inspectante patre, Quirites, ferrum per viscera sua actũ cruentauit ô te admirandam, & ob generosum animum multis laudibus dignã! ohusti peruisti, nõ ferẽs tyrannicã contumeliã, neglectis omnibus huius vitæ voluptatibus, nequid eiusmodi amplius perpeti posses. Et tu, Lucretia, quum mulier esses nata, viri generosi animũ habuisti: nos verò qui viri sumus nati à mulieribus virtute superabimur? Tu, quòd vnius noctis passa tyrannidẽ, impolluta pudicitia per vim spoliata fueris, mortẽ ipsa vita iucundiorem ac beatiorem iudicasti: nobis verò non veniet in mentem vt idem sentiamus quibus Tarquinius sua tyrannide nõ per vnum diem, sed iã per continuos viginti quinque annos cum ipsa libertate omnem etiam spem eripuit? Non est, Quirites, viuendum nobis, qui in istiusmodi malis versamur: quum ab illis simus oriundi, qui se aliis iura reddere æquum censuerunt, quique multa pericula pro imperio & gloria subierunt. Sed è duobus alterũ omnibus est eligendum, vel vita libera, vel mors gloriosa. Venit n. tempus quod optabamus: quòd Tarquinius ab vrbe sit remotus, & patriciũ in re aggrediẽda sint duces, nec vlla res nobis

sit

sit defutura, si alacri animo ad rem ipsam peragendam
accesserimus: non homines, non pecuniæ, non arma, non
duces: denique nullius alius belli cus apparatus: omnium
enim horum vrbs est plena, & turpe est nos ipsos, qui
Volscorum & Sabinorum, ac aliorum infinitorum popu
lorum imperium affectamus, perpetí aliorum seruitutem,
& pro Tarquinij auaritia multa suscipere bella, at pro
nostra ipsorum libertate nullum suscipere velle. Verum,
quibus adminiculis & quibus societatibus in ipsa re ag
grediendi vtemur? Restat enim vt hoc dicamus. Pri
mum quidem freti auxilio deorum, quorum sacra, &
templa, & aras Tarquinius polluit manibus cruentis &
omni piaculo in suos ciues cõmisso cõscelerauit: dij sacrificia
& libationes auspicatur: deinde nostra ipsorũ ope, qui ne
que pauci, neque rerũ bellicarũ imperiti sumus: præterea
sociorum auxilijs, qui à nobis non vocati res nouas aggre
di non auderent, sed si viderint nobis virtutem vendica
re animóque forti esse, lubenter ad huius belli societa
tem venient. Tyrannus enim omnibus libertatis studiosis
est inuisa, quòd si qui vestrũm timent ciues qui in ca
stris vnà cum Tarquinio sunt, quasi sint illũ adiuturi, &
nobis bellum illaturi: hi malè facunt quòd sine causa ti
meãt. Nã & illis molesta est tyrannis & in omnibus mor
talibus libertatis desiderium est innatũ, & iis qui inuiti,
& coacti miserias perferunt, quæuis vel leuissima occasio
ad res nouãdas idonea videtur, quos si vestro decreto ad
opem patriæ ferendam vocaritis: non metu, non gratia
neque vlla alia re quæ homines ad iniustitiã, vel cogendo
vel suadendo impellit apud tyrannos retineri potuerunt,
quod si qui eorum fortasse, vel ob peruersitatem naturæ,
vel ob malam educationem tyrannidis amorem ac studiũ

insitum habent. certè quum non sint multi, illos quoque vel inuitos ex improbis probos fieri cogemus. Obsides enim habemus in vrbe eorum liberos, & coniuges, & parentes: quæ vnusquisque antiquior sua vita ducit. Si igitur polliceamur nos hæc illis reddituros, si à tyrannis defecerint, & si decreto illis delictorum impunitatẽ promittamus facilè remipsis persuadebimus. Quare, Quirites, confidenti animo, ac bene de rebus futuris sperantes, ad certamen hoc prodite bellum suscepturi omnium quæ vnquam gesseritis præclarissimum. Vobis igitur, ô patrij huius regionis boni præsides, & vobis genij, quibus maiorum nostrorum tutela obtigit, tibique ciuitas dijs charissima, in qua nati & educati sumus, vobis inquam opem feremus & consiliis, & dictis, & factis, & animas nostras pro vobis effundere, & quidquid deus & fatũ tulerit, perpeti sumus parati. Auguror autem bene cæpta felicem habitura exitum. Faxit autem deus vt hi omnes pari fortitudine vnanimes nos seruent, & vicissim à nobis seruentur. ¶ Bruto hoc modo concionãti totus populus frequenter acclamabat ad singula quæ dicebat: & quænam esset sua voluntas, & quid iuberet apertè significabat. Quinetiam plerisque eorum lacrymæ ex oculis præ voluptate fluebant, quòd orationem admirandam & præter omnem suam expectationem audirent: & varij affectus animum cuiusque occupabant, penitus inter se dissimiles. Etenim cum tristitia & lætitia mixti erant atque alij quidẽ à recordatione præteritorũ malorum, alij verò ab expectatione futurorũ bonorũ manabãt: & ira cũ metu cõfligebat: atq illa quidẽ, ob facinora odiosa nefariè à Tarquiniis perpetrata, ad salutẽ negligendã homines impellebat. Hic verò cũ difficultatis reputatione cõiũcta, quasi

quasi tyrannis non facilè euerti posset insidiarũ impetum retardabat. Postquã verò dicẽdi finem fecit omnes velut uno ore exclamarunt ut arma sibi traderet. & Brutus lætus respõdit. {Ita demũ ea vobis tradã si antè senatusc̃o sultũ cognoueritis, vestrisque suffragijs id ratũ feceritis. Nobis enim placet, Tarquinios Roma & totus Romani imperij finibus cũ omni sua progenie exulare. nec cuiquã pro eorũ reditu quidquã vel facere vel dicere licere: & si quem aduersus hæc facere cõstiterit, eum capite plecti. Si igitur hanc sentẽtiã ratam esse vultis, in curias discedite. nisi ferte suffragia. Sit enim hoc vestræ libertatis & iuris recuperati initiũ. } Factum est ita: & postquã omnes curiæ tyrannos in exilium pelli suis suffragijs iusserunt, progressus denuò Brutus, {Quãdo (inquit) quod erat primũ id ratũ feciſtis ut oportuit: cætera reliqua quæ de reip. forma decreuimus, accipite. Cõsiderãtibus nobis cui magistratui summa totius reip. administratio & potestas esset cõmittenda, regnum non amplius constituere placuit. Sed duobus viris annuum magistratum cum potestate regia committere, quoscunque centuriatis comitiis suffragijs vestris elegeritis, quòd si hæc quoque vultis, ferte suffragia. } Populus hanc quoque sentẽtiam laudauit, nec vllus suffragium ei est aduersatum. Postea Brutus in medium progressus Sp. Lucretium creauit interregem, qui patrio more comitiorum curam gereret. Ille verò, dimissa concione omnes in campum vbi comitia haberi solebant, cum armis celeriter venire iussit. Qui cum eò veniſſent, duos viros, Brutum & Collatinum cum regia potestate elegit: & populus centuriatim vocatus magistratũ illorũ ratũ fecit. Atq; hæc sunt quæ tũc in vrbe gesta sunt. At rex Tarquinius quum ex nuntijs ex vrbe profectis, qui fortè

antequam portæ clauderentur effugerant, hoc solùm audisset à Bruto cõcionem populari oratione detineri, & ciues ad libertatem vocari, nulli alij hac re indicata, filijs tãtùm & fidelissimis quibúsque amicis secum adductis, magna contentione laxatis habenis equitabat, vt defectionem anteverteret. Sed quũ portas clausas offendisset & armis plena propugnacula: quanta maxima potuit celeritate castra repetebat gemens & de miseriis suis cõquerens. Sed illic quoque res iam perditæ erant. Consules enim quum celerem aduentum eius ad vrbem præsensissent, diuersis itineribus literas in castra miserant, quibus eos ad defectionem faciendam à tyranno adhortabantur, & de decreto ciuium certiores faciebant. Has literas acceptas, T. Herminius & M. Horatius, quos tyrannus castrorum præfectos reliquerat, in concione recitarunt, & sententijs per singulas centurias exquisitis (vt scirent quidnam esset faciendum) postquam omnibus placuit ciuium decreta rata esse, Tarquinium venientẽ amplius non admiserunt. Rex verò hac quoque spe frustratus, cum paucis confugit Gabios, cuius vrbis (vt antè dixi) Sextum filium maximum natu regem creauerat ipse iam ob senium canus, & per annos viginti quinque regno potitus. Cæterùm, Herminius & Horatius inducijs cum Ardeatibus in annos quindecim factis, copias domum reduxerunt. Regius igitur dominatus, quum ab vrbe condita ducentos & quadraginta quatuor annos durasset, & sub rege vltimo in tyrannidem fuisset conuersus, ob hasce causas, & ab istis viris sublatus fuit.

DIONYSII

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI, ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER QVINTVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Regio dominatu sublato, Rex Sacrorum creatur Manius Papyrius: Tarquinij artes, & coniuratio quorũdam ciuium vt eum in pristinam dignitatem restituerent.

2 Coniuratĩ detecti capite plectuntur, Iunius Brutus consul charitatem patriam paternæ præfert, & Romanam libertatem tuetur egregiè.

3 Brutus & P. Valerius Consules pacata ciuitate bellum gerunt aduersus Veientes & Etruscos qui exulum reditum promouebant. Brutus occubuit in prælio, & post victoriam à Romanis reportatam funebri oratione laudatur à P. Valerio qui sibi paulò post collegam adsciuit, & sapienter declinauit populi inuidiam.

4 Porsenæ, Clusinorum in Etruria regis, bellum cõtra Romanos in quo virtus Horatij Coclitis emicuit. Reipublicæ post pugnam cum Etruscis & Latinis commissam pericula, & Mutij audax facinus, quod sequutæ sunt induciæ, Cœliæ & virginum Romanarum virilis euasio, deinde pax cum Porsena.

5 Bellum Rom. M. Valerio & P. Postumio consulibus, aduersus Sabinos, sub P. Valerij & T. Lucretij cõsulatu renouatum, in quo 13000. Sabini prælio cadũt,

4000. captiui abducuntur, captæ Fidenæ, vbi nobiles & primarij afficiuntur capitali supplicio.

6 Sabini tertiùm Romanos bello inuadunt & afficiunt clade: paulò post autem vincuntur à Romanis, & de victis Consules triumphant: moritúrque P. Valerius Romanorum illius seculi præstantissimus.

7 Spurio Cassio & Op. Virginio Consulibus Sabini debellantur, sequenti consulatu Latini rebellant & Serui conspirant: Deinde Latinorum principes de ratione belli cum pop. Rom. gerendi consilia ineunt.

8 Coniuratio in vrbe facta contra Optimates, à Sulpicio consule detecta, & tandem sublatis proditoribus, extincta.

9 Fidenates diuturno bello fracti vrbem suam tradunt Romanis, contra quos Latini nominis populi omnes commune bellum suscipiunt.

10 Discordiæ intestinæ ab inopi plebe excitatæ, de quibus sedādis habētur discrepātes orationes à M. Valerio, Appio Claudio & alijs.

11 Intermissio consularis potestatis ex Senatusconsulto, & Largius dictator creatus, cuius res gestæ describuntur.

Historia autē quæ hoc lib. 5. descripta est duodecim annorum spatium continet.

1. REGIVS igitur dominatus quum Romæ ab vrbe condita annos ducētos quadraginta quatuor duraßet, & sub vltimo rege in tyrannidem versus fuisset, ob has causas ab istis viris sublatus fuit. initio sexagesimæ octauæ olympiadis, qua in Stadio vicit Isthomachus Crotoniates, & Athenis magistratum annuum gerente Isagora: Coss. autem quadrimestres, Lucius Iunius Brutus, & Lucius Tarquinius Collatinus: quos Romani sua lingua vt diximus, à consulendo Consules appellarunt:

assumptis

assumptis in societatem aliis multis, qui in vrbem ex castris venerant, post fœdera cum Ardeatibus facta, paucis diebus post tyrannum exactum, populum ad concionem conuocarunt, quúmque eum multis verbis ad concordiam hortati fuissent, prius illud decretum de Tarquiniis perpetuo exilio mulctandis, à ciuibus qui tunc in vrbe erant factum, nouo plebiscito confirmarunt, ratúmque fecerunt. Post hæc, lustrata vrbe & fœdere inter se percusso, ipsi primi stantes prope victimas cæsas iurarunt, se neque regem Tarquinium, neque eius liberos, neque eius posteros ab exilio reuocaturos: nec vllum amplius Romanorum regem creaturos, nec aliis eum creare volentibus hoc permissuros: atque hæc pro se suísque liberis, & posteris iurarunt. Quoniam autem multa & magna beneficia à regibus in rempub collata videbantur, regni nomen seruare volentes quandiu vrbs duraret, iusserunt pontifices & augures creare aliquem de senioribus, quem ad id maximè idoneum iudicassent, qui nulli alij rei, quàm sacris cultuique diuino præesset, ab omni bellico munere liber, & rex sacrificulus vocaretur. Et primus rex sacrificulus creatus est Manius Papyrius, ex ordine patricio, vir pacis amans. His rebus ita constitutis veriti, (meo quidem iudicio) ne quæ falsa opinio de hac reipub. noua forma in animis vulgi innasceretur, pro vno rege duos esse creatos, penes quos esset reip. administratio, quòd vterque consul XII secures haberet, quemadmodum antè reges habebant: decreuerunt hoc metu ciues liberare, & potestatis illius inuidiam minuere, constituentes vt alteri consuli duodecim secures præferrentur, alteri verò duodecim lictores cũ solis fascibus præirent, & (vt nonnulli

tradunt,) eum coronis: vtque secures per vices acci-
perentur & alter consul per integrum mensem eos alter
natum haberet. Hoc igitur instituto, & aliis multis huius
modi effecerunt, vt plebeia atque humilis turba alacri-
ter in hec rerum statu conseruando perseueraret. Etc-
nim leges de contractibus à Tullio latas, quæ humanæ &
populares videbantur, quas omnes Tarquinius sus-
tulerat, reuocarunt ad vsum & sacrificia, tam ea quæ
in vrbe quàm quæ in agris fieri solebant, communiter
à popularibus & tribulibus in vnum conuenientibus, instaurari iusserunt eodem modo quo regnante Tul-
lio fiebant, & comitiorum de rebus maximis habendo-
rum, & suffragij ferendi, & aliorum quæcunque antè
facere consueuerat, faciendorum potestatem illis restitue
runt. Atque hæc quæ ab illis fiebant, populo grata ac iu-
cunda erant: quippe qui ex seruitute diuturna in liber-
tatem non sperata venerat. Verùntamen nonnulli in-
ter eos inuenti sunt, qui stultitia & auaritia moti, mala
quæ in tyrannide perferebantur desiderabant viri non
ignobiles qui de vrbe prodenda coniurarant, & pactio-
ne inter se facta, Tarquinium reducere, & consules
cædere statuerant. Sed quinam fuerint eorum duces, &
quum insperato casu indicati fuerint, quamuis existima-
rent se omnes mortales latere, rem paulò altius repetens
dicam. Tarquinius regno pulsus non diu Gabis est
moratus, eos excipiens qui ex vrbe ad se confluebant,
quibus tyrannis ipsa libertate erat gratior, & spe Lati-
norum fretus quasi eorum opera in regnum reduci pos-
set. Sed quia populi ad eius preces animum non aduerte-
rat, nec eius causa bellum Romanis inferre vellent, desperatis se auxilia ab ipsis impetraturum, in Etruscam vrbem se-

cessit,

recepit, unde materno genere ducebat originē. Quum igitur ibi Tarquiniensium animos munificentia suo conciliasset, & ab illis in consortium productus fuisset, cognationem renouauit, quæ sibi cum eo populo intercedebat, & beneficia commemorauit, quæ suus auus omnes Etruriæ ciuitates contulerat: quinetiam fœdera quæ cum illo fecerāt, illis in memoriā reuocauit. Postremò autem questus est de suo infortunio, quòd uno die magna felicitate spoliatus, erro, & omnium rerum necessariārū indigem cum tribus filiis ad eos qui olim suo imperio parussent, cōfugere coactus fuisset. Hac autem oratione magna cū miseratione & multis lacrymis habita, populo persuasit vt primum legatos Romā mitteret, qui suo nomine pop. Rom. conditiones pacis offerrent, quia sperabat fore vt proceres Romani suis partibus fauerent, sibiq; in reditu auxiliū ferrent. Quum autem legati, quos ipse voluerat, designati fuissent: quumq; eos docuisset quid dicendū & quid faciendum esset, ipsisq; præterea literas ab exilij sociis scriptas dedisset, quæ preces ad domesticos & amicos continebant, ita eos dimisit, addiditque nonnihil auri. Hi Romā profecti, in senatu ita sunt loquuti, § Tarquinius postulat vt data sibi fide publica cum paucis venire liceat, primùm quidē in senatum, quē admodum est æquum, deinde verò si hoc à senatu impetrarit, tunc etiam in concionem, vt rationes reddat omnium rerum à se gestarū ab eo tempore ex quo regnum est adeptus, paratus totius pop. Rom. iudicium subire. si quis se accusarit & ibi verò se purgarit, & omnibus probarit se nihil, quod exēplium prodiderit, patrasse. si cuius regnum sibi restituerint: idemuò, quibus conditionibus ipsi voluerint, se renaturum dicit. Quòd si regium dominatum amplius

noluerint, vt antea, sed aliam Reip. formam constituere maluerint petit vt sibi in sua patria manere, & in ea familiam suam habere, atque pari iure cũ reliquis ciuibus viuere liceat, vtque exilio & erroribus liberetur. His mandatis expositis, orabant senatum potissimùm per commune omnium gentium ius, quod vetat, neminem causæ dictione, aut iudicio fraudari: vt illi viro causam dicere permitterent, cuius ipsi iudices essent futuri. Quod si illi hoc beneficium largiri nollent: saltem ciuitat. eius causa deprecanti gratificarentur, & moderatè agerent illi hoc munus largientes, unde nullum incommodum ad eos esset redundaturum: & quo dato magnum honorem ipsi ciuitati id accipienti habituri essent: eósque hortabantur ne, quum homines essent, quicquam præter humanam naturam sentirent, néve immortales iras in mortali corpore gererent. Sed vel præter animi sui sententiam ad aliquas æquas conditiones descenderent, idque illorum causa qui pro eo deprecabantur, illud cogitantes hominũ esse prudentia præditorũ amicitias inimicitias condonare: contra stultorum & barbarorum esse, amicos cum inimicis tollere. Quum illi hæc dixissent, Brutus surrexit: atque ita est loquutus, {De Tarquinij reditu in hanc vrbem, Etrusci, desinite plura verba facere. Iam enim eorum perpetuum exilium sufragijs latis est decretum: & per deos iuramus omnes, nos neque reducturos tyrannos, neque ab aliis eos reduci passuros. Quod si quid aliud mediocre petitis, quod neque iurando, neque legibus facere prohibeamur, dicite. Postea legati progressi, ita sunt loquuti. Præter omnem expectationem nobis prima contigêre. Legati enim pro homine supplice, qui vobis ra-

bis rationes vult reddere: & ius omnium gentium commune in priuatam gratiam petentes, ne hoc quidem impetrare potuimus. Sed quando vobis ita placet, non amplius pro Tarquiniis eatis vos orabimus: sed à vobis aliud, quod iustum est, petemus, de quo patria nobis mandata dedit, quod neque lex, neque iusiurandum vos facere prohibebit: ut videlicet regi restituatis bona quæ auus eius antè habuerat, qui nullam rem vestram aut vi aut dolo possederat, sed iure hereditatis ad se deuoluta & à patre relicta acceperat, & ad vos transtulerat. Satis enim illi erit rebus suis receptis in aliquo alio loco beatè viuere, nullum vobis negotium facessenti. Atque his dictis legati ex curia sunt egressi. Consulum autem alter, Brutus, eius bona retinenda censuit, tum mulctæ nomine, quòd tyranni multis grauibusque iniuriis Rempubl. affecissent: tum etiam publicæ vtilitatis causa, ne illi hanc belli materiam haberent. docens, Tarquinios non fore contentos bonis receptis, neque vitam priuatam toleraturos: sed externo milite conducto Romanis bellum illaturos, & vi reditum in regnum tentaturos. At Collatinus contrarium suadebat, dicebátque non à fortunis tyrannorum, sed ab ipsis tyrannis violatam fuisse Rempubl. Quare rogabat eos vt ab hoc vtroque sibi cauerent, ne incurrerent in malam omnium opinionem, quasi diuitiarum causa Tarquinios regno expulissent, néve iustam belli occasionem illis præberent, quòd suis bonis spoliati fuissent. Incertum enim esse dicebat, an rebus suis recuperatis bellum pro reditu contra ipsos essent suscepturi. at alterum esse certum, eos suis bonis priuatos non quieturos. Consulibus igitur talia dicen-

tibus: & multis in vtrumque sententiam euntibus, senatus consilij inops, quum per multos dies consultasset, & Brutus vtiliora dicere videretur, at Collatinus iusti ora suaderet, tandem vtilitatis & æquitatis iudicium populo committendum censuit. Multis autem ab vtroque cos. dictis, quum triginta curiæ in suffragia fuissent missæ, adeò leui momento in alterum partem inclinatum est, vt illæ quæ bona restitui iubebant, vno tantùm calculo vicerint alias quæ ea retinenda censebant. Etrusci autem accepto à consulibus responso, & multum laudata ciuitate, quòd æquitatem vtilitati anteposuissent, Tarquinio per literas significarunt vt mitteret, qui bona sua reciperent, ipsi verò remanserunt in vrbe simulantes se in colligendis eius sarcinis & comparandis vehiculis, quæ eius supellectilem absportarent, & in distrahendis ac vendendis iis quæ agi aut ferri non poterant occupatos esse: re autem vera id agentes, vt res vrbanas pertentarent, & suis artibus corrumperent, quemadmodum tyrannus ipsis mandarat. Literas enim quas ab exulibus acceperant, eorum necessariis reddiderant, aliásque ab illis ad exules mittendas acceperant. Et cum multis in colloquium venientes, atque quis esset eorum animus explorantes, quos animaduertebant facilè corrumpi posse ob animi inconstantiam, vel victus inopiam, vel ob desiderium licentiæ & commodorum quæ tyrannidem comitari solent, eos partim bona spe ostentata, partim etiam pecuniæ largitione corrumpere conabantur. Nec defuturi erant (vt verisimile est) in vrbe ampla & frequenti, qui Reip. deteriorem statum meliori anteponerent, non solùm ignobiles, verùm etiam nobiles: in quorum numero erant duo Iunij, Titus

& Ti-

& Tiberius filij Bruti, quo consulatum gerente vix dum pubescere cœperant: & cum illis Gelly duo, Marcus & Manius fratres uxoris Bruti, iam idonei ad res publicas tractandas, & Collatini alterius consulis sororis duo filij, Lucius & Marcus, & Aquilij, qui eadem ætate erant qua Bruti filij, apud quos plerunque cœtus fiebant eorum patre iam defuncto, atque de tyrannis reducendis consultabatur. Vt igitur colligere est cùm ex multis aliis, tum præcipuè ex iis quæ tunc acciderunt, res Romanæ diuina prouidentia ad tantam felicitatem prouectæ mihi videntur. Illi enim miseri, adeò dementes & adeò mente capti fuerunt, vt ausi fuerint sua propria manu epistolas ad tyrannum scribere, quibus eum certiorem faciebant de numero coniuratorum, & de tempore quo consules essent aggressuri: adducti tyranni literis ad se allatis, in quibus dicebat se velle scire quibusnam Romanis pro meritis gratia esset referenda, vbi in regnum fuisset restitutus. Istæ autem literæ tali quodam casu in consulum potestatem venerunt. Apud Aquilios Collatini sororis filios conuenerant illius coniurationis principes, vt ad rem diuinam & sacrificia inuitati. Post epulum autem iussis ministris ex cubiculo exire, vbi conuiuium fuerat celebratum, & ante fores cubiculi se recipere, inter se colloquebantur de reducendis tyrannis: & quæ decreuerunt propria manu scripserunt in literis quas Aquilij acceperi erant, vt eas legatis Etruscis ad Tarquinium mittendas darent.

2 INTEREA verò seruus quidam Cæninensis, bello captus, qui pincernam agebat, nomine Vindicius, suspicatus, (quòd illi ministros remouissent) aliquid mali eos moliri, solus extra ad ostium remansit, & eorum sermo-

nem audiuit, & epistolas quæ ab omnibus scribebantur vidit, ad quandam ostij comissuram, quà res perspici poterat admotis oculis. Nocte autem adhuc intempesta egressus, quasi negotij alicuius causa à dominis missus ad consules ire non est ausus, veritus ne rem celare volentes ob suam in cognatos beneuolentiam, coniurationis indicem de medio tollerent. Sed profectus ad P. Valerium, qui vnus erat de quatuor primis tyrannidis euersoribus, data dextra, & cũ iureiurando fide ab eo accepta, sibi fraudi id non fore, quæ audiuit & quæ vidit indicauit. Ille verò hac re cognita, nec in aliud tempus dilata, confestim cum magna clientium & amicorum manu circa matutinum crepusculum ad Aquiliorum ædes venit. Et fores sine vllo impedimento ingressus quasi eò alicuius alius negotij causa venisset, quum adolescẽtes illi domi adhuc essent, potitus est literis, & comprehensos iuuenes ad consules adduxit. Quæ verò mox dicturus sum facta alterius consulis Bruti, magna & admiranda, ob quæ maximè Romani se iactant: vereor ne aliis Græcis durà nimis & non credenda videantur: quia omnes hoc naturà comparatum habent, vt ex suis rebus domesticis iudicium faciant de iis quæ de aliis dicuntur, & quod credibile est, non credendum existiment. dicam tamen. Nã simulatque dies illuxit, pro tribunali sedens, & coniuratorum epistolas considerans, vbi vtriusque filij literas ex sigillo agnouit, & mox resignatis illis eorum quoque manus agnouit, vtramque à scriba recitari iussit, vt ab omnibus qui præsentes ibi aderant exaudirentur: deinde filiis, si vellent, dicẽdi potestatem fecit. Sed quũ neuter eorum factum impudenter inficiari auderet, quòd iam de se actum esse persuasum haberent, ambo flebant. Ille verò pau-

rò paulùm cunctatus surrexit, & silentio per præconem indicto, expectantibus omnibus quis ei futurus esset exitus, capitalē sententiam in filios pronuntiauit: qua audita omnes clamorem sustulerunt, quasi indignū facinus putabant, talem virum morte filiorum mulctari & adolescentum vitam patri condonare volebant. At ille neq; eorum clamoribus neq; etiam grauibus commotus iuuenes plorantes & supplicantes & blandissimus quibusq; appellationibus ipsum appellātes, à libertoribus abduci iussit. Atq; hoc quidem omnibus mirum est visum quòd ille neq. ciuium precibus, neq. miserationi filiorum vllum locum dedisset. Sed longè magis admirandum fuit, quòd nullis rationibus exorari potuit vt de eorū supplicio aliquid remitteret. Neq; enim passus est filios suos in alium quempiam locum abduci & procul à totius populi conspectu necari: neq. ipse è foro recessit antequàm de illis sumptum esset supplicium, atrox illud spectaculum auersatus: neq. sine flagrorum ignominia eos capitali supplicio quo damnati erant, affici passus est: sed exegit quæcunq. leges in maleficos statuunt idque in foro, in omnium conspectu: & postquam illorum corpora virgis lacerata fuerunt, ita demum ipse, qui præsens aderat dum hæc omnia fierent, illos securi percuti permisit. Sed quod omnē fidem supererat, & quod præcipuè in illo viro admirandum putatur, fuit vultus immotus, nullisque lacrymis irrigatus. Siquidem, quum fierent cæteri omnes qui illi mē serando spectaculo intererant ipse solus neq. d flens suorum filiorum mortem, neq. futuram suæ familiæ desolationem ac solitudinem lugens, neq. vllum aliud animi mollis signum dans ab vllo conspectus est: sed sine lacrymis, & sine gemitu, immoto vultu permanens, g eneroso

animo suam calamitatem pertulit. Adeò firmo & constanti erat animo in rebus decretis seruandis & exequendis, & adeò constans in vincendis affectibus, qui rationem perturbare solent. Necatis autem filiis statim vocauit Aquilios collegæ sororis filios, apud quos cœtus eorum qui in Reip. perniciem coniurarant fiebant: & quū iussisset à scriba eorū epistolas recitari, vt omnes qui aderant eas audire possent, se illis purgandi sui potestatem facere dixit. Quum autem adolescentes illi ante tribunal fuissent producti, siue alicuius amici monitu, siue & iam quod ipsis hoc in mentem venisset, ad auunculi genua, quasi eius opera seruari possent, acciderunt. Sed quum Brutus iussisset lictores eos inde abstrahere, & ad supplicium abducere, nisi vellent se purgare, Collatinus lictores iussit paulisper supersedere, donec paucis cum suo collega colloqueretur. Atque ita eum ab aliis seduxit, multisque precibus pro adolescentibus orauit: partim eos excusans quòd ob iuuentutis imperitiam & prauam amicorum consuetudinem in talem amentiam incidissent: partim eum obsecrans vt sibi hāc vnam gratiam petenti, & in posterum nulla re negotium ipsi exhibituro, vitam cognatorum condonaret: partim etiam docens periculum esse ne tota vrbs turbetur, si omnes eos, qui aliquo modo exulibus in reditu fauere visi fuerint, capite plecti re conentur. Multos enim in eo numero esse dicebat, & nonnullos ex familiis non obscuris. Sed quum illum flectere nō posset tādē ab eo postulauit ne morte eos mulctaret, sed mediocrem aliquā animaduersionem in eos statueret, absurdum dicens tyrannos exilio mulctari, eorū verò amicos capitali supplicio affici. Sed quū ille ei aduersaretur, nec de supplicij atrocitate quidquam remittere,

nec

nec reorũ iudicium in aliud tempus differre vellet, (hoc enim fuit ipsius collegæ postremum postulatum): sed eo ipso die mi aretur ac iurarent se omnes necaturum, Collatinus ægrè ferens se nihil eorum quæ postularat, impetrasse: Ergo, inquit, quando tu durus & sæuus es, ego ipsos adolescentes pro ea potestate, qua sum tibi par, absoluo. Tum Brutus exacerbatus, certè inquit, me viuente Collatine, patriæ proditores supplicio nunquam eripere potuis: sed tu quoque breui pœnas, quas es promeritus, dabis. His dictis, & custodia adolescentibus addita, populum ad concionẽ aduocauit & foro turba repleto (iã enim ea fuma eius filiorum per totam vrbẽ rumor vulgarat) progressus in mediũ cũ honoratissimis quibusq; senatoribus, quos sibi adesse iussit, hanc habuit concionem. { VELLEM equidem, Quirites, Collatinum istiũ meum collegam eadem in omnibus rebus mecum sentire, nec verbis solùm, sed etiam re ipsa odio tyrãnos prosequi iisque inimicum esse. Sed quãdo iam cõpertum habeo illum penitus mihi aduersari: & non solùm cognatione, sed etiam voluntate Tarquinius esse coniunctum: & id agere vt cũ illis in gratiam redeamus, & sua priuata commoda potiùs quàm publica curare, ego ipse paratus sum eum impedire, ne ea quæ in animo habet, quæ mala sunt, perag at: & vos ad idẽ faciendum adhortor. Sed primùm in quanto periculo respub. fuerit, deinde quomodo vterq; ino strum se in eo gesserit, vobis aperiam. Aliquot dies clã coeuntes in ædes Aquiliorũ, qui sunt filij sororis Collatini, inter quos & ambo mei filij erant, & mea vxoris fratres, & præter eos nonnulli etiã alij non ignobiles, inter se pacti fuerant & coniurauerant, cæsis COSS. Tarquinium reducere quinetiam scripserant ad

ipsum epistolas sua propria manu, eásque suis sigillis obsignatas ad exules erant missuri. Hæc nobis de alicuius fauore imotuerunt indicata ab isto, qui est Aquiliorum seruus: apud quos superiore nocte isti conuenissent, litteras scripserunt, & ipsæ literæ in nostram potestatem venerunt. Equidem in Titum & Tiberium filios meos iam animaduerti nec ob meam clementiam vlla lex aut iusiurandum violatum est: Collatinus verò Aquilios mihi eripuit, & negat se permissurum vt qui eorundem cõsiliorum fuerunt socij, eiusdem etiam supplicij sint socij, quòd si nihil illis dederint pœnas, neque de fratribus meæ vxoris, neque de reliquis patriæ proditoribus supplicium sumere mihi licebit. quam enim iustam causam illis afferre potero si hos dimisero? Cuius igitur rei hoc putatis esse indicium? Vtrum charitatis in patriam, an animi cum tyrannis reconciliati? vtrum confirmationis iurisiurandi quod nobis præeuntibus omnes iurastis, an violationis & periurij? quòd si illos latuisset, certè diris obnoxius fuisset, & diis per quos pejerat, pœnas dedisset. Sed quando à nobis manifesto deprehensus est, à nobis etiam in ipsum animaduerti decet: quippe qui paucis antè diebus persuasit vobis vt tyrannis pecunias restituerétis ne respondeo vti posset aduersus hostes in bello. Sed hostes contra Rempub. verò eos qui coniurarunt in tyrannorum reditum, impunè dimittendos censet: illis ipsis nimirum gratificans, vt si forte illi redeant siue per proditionem siue armis, hæc beneficia à se in ipsos collata reuocans ipsis in memoriam, vt amicus omnia quæcumque petierit ab illis impetret. An igitur ego, qui meis filiis nõ pepercí, tibi parcã Collatine, qui corpus quidẽ apud nos habes, animũ verò apud hostes & patriæ proditores cõ-

seruas

seruas: at me pro ea decertante interficis? quo pacto? multũ certè abest. Sed ne quid tale amplius admittas, magistratũ tibi abrogo, & alio te migrare iubeo. Vos verò, Quirites, iam iã ad suffragia cẽturiatim ferẽda vocabo, vt decernatis an hæc rata esse oporteat. illud aũt probè scitote, vos alterũ duobus, vel Collatinũ, vel Brutũ consulem habituros. } Hæc aũt eo dicente, Collatinus vociferãs grauiterq; id ferens, insidiatorem eũ & proditorẽ amicorum ad singula eius verba appellabat, & modò ad crimina sibi obiecta respondens, nec se purgans, modò pro filio sororis deprecãs, neq; permittens vt Brutus ciues ad suffragia vocaret, populi animos magis exacerbabat, & ad singula quæ dicebantur grauem tumultũ excitabat. Quũ igitur ciues exasperati contra eũ essent, nec eius defensionem ferre posset, nec eius preces admitteret, sed se in suffragia mitti inberent: socer eius Sp. Lucretius, apud populum gratiosus, timens ne ũ ignominia ex magistratu & patria expelleretur, petijt ab vtroq; cõsule dicẽdi potestatẽ, & quũ ipse omniũ primus eã impetrasset, vt tradunt scriptores Romani, (quũ nondũ mos apud Romanos esset receptũ, vt in concione homo priuatus ad populũ verba faceret) vtrumque consulẽ cõmunibus precibus oranit: Collatinũ quidẽ admonens ne tã pertinaciter collegæ resisteret nẽve magistratũ inuitis ciuibus retineret, quẽ à volentibus accepisset: sed, si illi qui eũ dederãt, eũ ẽt recipere vellẽt, sponte eũ deponeret, & crimina sibi obiecta refelleret re potiùs quam verbis, vtq; alio, quo ũque terrarũ voluisset, omnibus rebus suis secũ absportatis sedes transferret, donec resp. in tuto esset, si quidẽ hoc ex populi vtilitate videbatur, illud cogitans, homines ob cætera quidem delicta admissa so-

lere irasci: sed quando est aliqua proditionis suspicio, eos existimare magnæ esse prudentiæ, si vel vano metu territi potius sibi ab ea caueant quàm ob eius contemptionẽ se funditus euerti patiantur. Brutò verò suadens ne cum dedecore & cõtumelia collegam suum ex urbe eiiceret cum quo optimè consulere posset patriæ: sed, si ipse magistratum deponere, & sponte de patria decedere vellet, permitteret ei per otium bona sua alò transportare: atque etiam de publico aliquod munus adderet, vt pro suæ calamitatis solatio populi munificentiam haberet. Quum ille vtrique hæc suasisset, & ciues eius orationem collaudassent, Collatinus multum suam conditionem deplorans, quòd ob miserationem qua afficiebatur cognatorum causa, cogeretur nullo patrato scelere patriam relinquere, magistratum deponit. Brutus verò laudato eo, quòd optimè & suis & reipub. commodis consuluisset, hortabatur eum ne sibi, neve patriæ, memor præteritorum malorum infensus esset, sed alò transfatis suis sedibus, patriam à se relictam semper patriam suam duceret, neve contra ipsam cum hostibus vllum aut consilium, aut factum communicaret, ad summam eum hortabatur vt hanc migrationem existimaret peregrinationem, non autem relegationem, neque exilium: & corpus apud eos à quibus exciperetur haberet, animum verò apud eos à quibus dimitteretur. Quum igitur hoc modo illum admonuisset, persuasit populo vt viginti talentorum dono eum donaret: & ipse de suo alia quinque addidit. Tarquinius igitur Collatinus, quum in tale infortunium incidisset, Lauinium, veterem Latinorum patriam petijt, vbi senio confectus obijt.

3 ¶ At

3 ¶ AT *Brutus, quum minimè æquum censeret se* *solii imperare: & nollet venire in suspitionem apud ci-* *ues se regni cupiditate impulsum collegam suum patria* *expulisse, statim conuocato populo in campum, vbi sole-* *bant & reges & alios magistratus creare, consulatus* *collegam elegit P. Valerium, oriundum, vt & ante di-* *xi, a Sabinorum gente, virum cùm ob multa alia re-* *rum præclararum studia, laude & admiratione dignũ,* *tum verò præcipuè ob vitæ frugalitatem. Inerat enim in* *eo innatum quoddam sapientiæ studium, vt in multis re-* *bus demonstrauit, de quibus paulo post dicam. Quũ hoc* *igitur in omnibus rebus secum consentiente, de iis omni-* *bus qui in exulum reditum coniurarant, continuò sup-* *plicium sumpsit: & seruum, qui coniurationis indicia de-* *tulerat, libertate & ciuitate donarunt ac honorarunt,* *addita præterea non parua pecuniæ summa. Deinde cõ-* *stitutis tribus pulcherrimis ac vtilissimis reipub. institu-* *tis, effecerunt, vt omnes ciues concordiam alerent, &* *hostium sodalitates imminuerent. Illorum autem institu-* *ta hæc fuerunt. Primùm, optimos quosque de plebe* *delectos in patricium ordinem retulerunt, & ex his se-* *natum expleuerunt, vsque ad trecentorum numerum,* *deinde, tyrannorum bona in publicum lata omnibus ci-* *uibus diripienda dederunt, permittentes vt vnusquis-* *que sibi retineret quantum capere posset. & eorum agrũ* *quem illi priuatim possidebant, iis qui nullam agri por-* *tionem habebant diuiserunt, excepto tantùm campo qui* *inter vrbem & fluuium est situs. Hunc enim Marti* *eorum maiores publico decreto consecrarant, pratum e-* *quis & iuuentuti in armis exercẽdæ maximè commodũ.* *Sed & antequam his vsibus inseruiret, iampridem is*

campus huic deo sacer erat. At Tarquinius eũ vsurparat & suis segetibus oppleuerat. Maximũ aũt huius rei argumentũ arbitror esse, id quod tũc a consulibus in fruges, quæ in eo erant, factum est. nam quum omnia tyrannorum bona populo diripienda dedissent, frumentũ quod in hoc cãpo natum fuerat, cúmque in areis adhuc erat, tum id quod erat in stipula, quam quod iã erat tritum, nulli absportare permiserunt, sed, vt execrandum & minimè bonũ ad vsus domesticos si in ædes fuisset comportatum, in flumen proyci suo decreto iusserunt. Et nunc quoque extat eius facti clarum monumentũ, insula valde magna, Æsculapio sacra, quæ vndique flumine cingitur, quam aiunt ex puro facto stramenti acervo, præterea flumĩ collunione eam condensante, insulam factam. Et ciuibus Romanis qui cum tyranno profugerant, reditum in patriam cum impunitate, & omnium præteritorum delictorum oblitione concesserunt, viginti dierum spatio præstituto, quòd si intra istud statutum tẽpus non rediissent, mulctam hanc in eos statuerunt, exilii perpetuũ & omnium fortunarum quas possidebant, publicationem. Hæc illorum virorum instituta effecerunt, vt ij qui ex bonis tyrannorum, quantacunque illa essent, fructum aliquem iam perceperant, metuentes ne iterum spoliarentur præda quam habebant, ad quæuis pericula subeunda parati essent: vtq; illi qui sibi conscij erant alicuius facinoris sub tyrannis patrati, quique veriti ne pœnas dare cogerentur, volũtario exilio seipsos damnarant, illo metu liberati non amplius tyrannis, sed reipub. faucerent eiúsque commodis studerent. His paratis, & paratis rebus ad bellum necessariis, aliquando ad vrbem copias in campis sub signis & ducibus instructas &

ctas & militaribus exercitiis se exercentes continuerunt: sed quum audissent, exules ex omnibus Etruriæ populis cogere contra se copias, duósque populos palam adiuuare eorum reditum, Tarquinienses & Veientes, vtrumque non contemnendis copiis: ex aliis verò voluntarios quosdam, partim ab amicis paratos ac missos, partim mercede conductos, quum inquam hæc audissent, & cognouissent, hostes iam ex suis finibus egressos, illis obuiam ire statuerunt: & antequam illi flumen traijcerent, ipsi copias suas traiectus vlterius sunt progressi, & castra posuerunt propè Etruscos, in prato quod vocabatur Iunium, ad syluam sacram heroi Horato. Acciditautem vt eorum copiæ fermè pari essent numero, & vtræque pari ardore animi ad certamen ferrentur. Ac primùm quidem leue quoddam prælium commissum est inter equites, simulatque in mutuum conspectum illi venerunt, antequam pedites castra metarentur, in quo vtrique facto periculo aduersariorum fortitudinis, neque victores, neque victi se in sua castra receperunt. Deinde grauis armaturæ milites, & equites vtrinq; eodem modo instructi concurrerunt, postquam peditum aciem leuis armatura in medio collocarunt, & equitatum in vtroque cornu constituerunt, dextrum autem Romanorũ cornu Valerius, qui in L. Tarquinii Collatini locũ fuerat suffectus & creatus Consul, oppositus Veientibus ducebat, læuo Brutus præerat, ab ea parte in qua erant Tarquiniensium copiæ, quas Tarquinij regis filij ducebant. Quũ aũt iam essent ad manus veniendi progressus ante Etruscorũ aciem vnus de Tarquinij filijs, nomine Arũs, & corporis & animi robore fratrũ præstantissimus, equo ad Romanos eò vsq; acto, vnde & facienda

vocem ipsius omnes cognoscere poterant, verba contumeliosa in Brutum Romanorum ducem conijciebat, ac feram immanem filiorum sanguine pollutam vocabat: & ignauiam ac timiditatem ipsi exprobrabat: & postremò pro omnibus ad singulare certamen eum prouocauit. Tunc ille, quum ea conuitia ferre non posset, concitato ante aciem equo, neglectis amicis, à quibus reuocabatur, ad fatalem mortem forti animo properauit. Pari autem ira ambo concitati, nec quid passuri essent, sed quod facere in animo habebant, considerantes, infestis animis & equis aduersis concurrerunt, & ambo transfixis clypeis & thoracibus, vulnera letalia hastis sibi mutuò inflixerunt, ita vt alter per costas, alter per ilia mucrone fuerit traiectus. Et eorum equi concurrentes aduersis pectoribus cõtrarij ictus impetu in posteriores pedes erecti sunt, & sessores suos retorto collo excusserunt. Illi igitur ita prolapsi iacebant, multũ sanguine per vulnera effundentes, animasque luctãtes efflantes. Reliquæ verò copiæ vbi duces prostratos vidêre, concurrerunt cũ clamore & strepitu, & inter pedites & equites acerrima pugna æquo marte commissa est. Nam Romani qui dextrum cornu tenebant, cui alter consul Valerius præerat, Veientes vicerunt, & eos ad castra vsque persequuti campũ cadaueribus repleuerunt. Etrusci verò qui dextro cornu collocati erant, quibus præerant Titus & Sextus Tarquinij regis filij, Romanos qui in læuo cornu erant fuderunt fugarintque: & quum propius ad eorum vallum accessissent, tentarunt illi quidem eorum munitionem, si fortè eam primo impetu capere possent: sed acceptis multis vulneribus ab illis qui in castris erant, quique ipsorum impetum excipiebant, repulsi sunt. Ibi enim

enim præsidio erant ij qui triarij vocantur, veterani & in multis bellis spectatæ virtutis milites, quorum opera postremò quum omnis spes est perdita, in maximis periculis uti solent. Iam autem sole ad occasum vergente utrique se in sua castra receperunt, non tam ob victoriã lætis, quàm ob amissorum multitudinẽ mœsti, quia si iterum ipsis fuisset pugnandũ, existimabant suos qui reliqui erant prælium instaurare non posse, quòd bona eorum pars esset saucia, maior tamẽ luctus & desperatio fuit apud Romanos ob ducis mortem, multisque venit in mẽtem sibi satius esse antequam dies oriretur castra relinquere. Talia autem illis animo volentibus, & hoc modo inter se loquentibus, ferè circa primam vigiliam, ex sylua, ad quam castra posuerant, vox quædam ab utroque exercitu audita est, ita vt omnes eã audierint: siue ab heroë cui illa sylua sacra erat, siue ab eo qui Faunus vocatur, emissa. Huic enim deo Romani asscribunt panicos terrores, & quæcunque alia spectra solent apparere, quæ varias inducntia formas in hominum conspectum veniunt, & metum ipsis inuehunt: vocesque dæmoniacas auditum ac animum turbantes, huic quoque deo vt eorum autori attribuunt. Illius autem dei vox Romanos, vt victores, bono animo esse iubebat, vno plus hostiũ in acie cecidisse significans. Hac voce aiunt Valerium elatum, intempesta adhuc nocte ad Etruscorum castra copias suas duxisse, & multis eorum cæsis, & cæteris reliquis, castris potitum fuisse, atque hunc finẽ pugnæ habuit. Postero die Romani spoliatis hostium cadaueribus, & sepultis suis abierunt. Bruti verò corpus sublatum fortissimi equites cum multis laudibus & lacrymis, coronis victricibus, eiusque fortitudinem te-

stantibus cohonestatum Romam portarunt. Senatus autem illis obuiam venit, quòd decreuisset triumphi pompa ducis funus ornare, & totus populus crateris vini plenis & mensis vario ciborum genere onustis excepit exercitum. Vbi autem ad vrbem peruenerunt, consul triumphans ingressus, quemadmodum mos erat legibus quoties deuictis hostibus triumphabant, & sacrificia peragebant, post dedicata diis spolia, illum diem sacrum traduxit, & illustrissimos quosque ciues comitio excepit. postero die attratus Bruti corpus in foro proposuit in lecto splendido ornatum, & populum ad concionem conuocauit, & in suggestum progressus, & in eius laudem funebrem habuit orationem. Vtrum autem Valerius primus hunc morem apud Romanos instituerit, an institutum à regibus sequutus fuerit, certò affirmare non possum. Quòd tamen hoc sit Romanorum vetus inuentum, in funere illustrium virorum virtutes earum laudari, neque à Græcis primùm institutum fuerit, ex communis historiæ scriptis didici, quæ tam vetustissimi poëtæ quàm celeberrimi historici prodiderunt. Nam certamina quidem funebria in honorem clarorum virorum, gymnica, & equestria à necessariis facta tradunt, vt ab Achille in Patrocli, & multò ante ab Hercule in Pelopis funere. Hos tamen publicè laudatos nulli prodiderunt præter Athenienses tragicos, qui ciuitati suæ assentantes, Theseo Argiuos sepelienti hoc quoque fabulosè attribuerunt. Sero enim Athenienses legitimis funebris ritibus hanc laudationem funebrem addiderunt, siue ab iis qui ad Artemisium, & Salamina & Plateas pro patria occubuerãt, initium duxerint, siue etiam à rebus gestis in campis

Ma-

Marathoniis. Sed ea quoque quæ in campis Marathoniis sunt gesta, sexdecim annis Bruti funere sunt posteriora, si modò ab his primis laudes in defunctos cœptæ sunt dici. Sed si quis missa facta hac quæstione, quinam primi laudes funebres instituerint, examinare ac scire voluerit apud vtros iste mos melius se habeat, longè prudentiùs hunc apud hos quàm apud illos constitutum comperiet: quia Athenienses videntur eorum causa qui in bello cæsi sepulturæ mandantur, orationes funebres instituisse, ex una tantùm virtute, quæ in ipsa morte apparuerit, etiàsi quis cæteris in rebus fuerit nequã, existimantes viros bonos iudicandos. At Romani omnibus viris claris, suo eorum ducu, auspiciisque bella fuissent confecta, siue in reipu administratione & gubernatione prudentia dedissent consilia, & præclara edidissent facinora, hunc honorem haberi statuerunt, & non solum illis qui in bello cecidissent, sed etiam aliis quemcunque vitæ finem illi sortiti fuissent: existimantes, ob virtutes totius vitæ actæ, nõ aũt ob solum gloriosum obitũ viros bonis laudes deberi. Iunius igitur Brutus qui reges exegit, quique primus consul creatus fuit, & qui sero splendorẽ est adeptus, & in eo exiguum tẽporis spatiũ floruit, omniũ Romanorum habitus præstantissimus: talẽ sortitus est vitæ exitũ, nullis liberis aut maribus aut fœminis relictis, quẽ admodũ accuratissimi rerũ Romanarũ indagatores scriptũt, qui huius rei cum multa alia afferunt argumẽta, tũ verò præcipuẽ id, quod vix refelli põt q̃ ille fuerit generis patricij. Quis verò se ex illa familia dicebant Iunij & Bruti, oẽs erãt plebeij & magistratũ eos gesserũt, quos lex plebeiis gerere permittit, ædilitates, & tribunatus, ad cõsulatus verò

solis patriciis patebat aditus. Sed tamen tandem hunc quoque magistratum adepti sunt, quum ipsis quoque plebeis eum capere permissum est. Verum harum rerum veritatem discutiendam aliis relinquo quibus hæc curæ sunt & quorum hoc interest. Post Bruti mortem, eius collega Valerius apud plebem in suspicionem regni affectati venit: primum quidem quòd solus magistratum retineret, quum tamen oporteret illum statim collegam sibi cooptare, quemadmodum fecerat Brutus expulso Collatino: deinde, quòd domum in loco inuidioso ædificasset delecto ad id colle, qui foro imminebat, quique satis altus & præruptus ac pronde naturâ munitus erat, quem Romani Veliam vocant. Sed admonitus à suis familiaribus, populum hæc molestè ferre comitiorum die indicta, consulem creat Sp. Lucretium, qui non multos dies eo magistratu gesto obiit. In eius autem locum suffecit M. Horatium, omnémque domus materiam ex illo collis loco ad imas ipsius partes transtulit, vt liceret Romanis, quemadmodum ipse in sua concione dixerat, de superiore loco lapidibus se petere si in vlla re delinquentem se deprehendissent. Quum autem vellet plebem certa & minimè dubia libertatis suæ pignora habere, fascibus secures ademit: & cæteris coss. qui successerunt hunc morem reliquit, qui ad meam vsque ætatem perduraut, vt, quando extra vrbem essent securibus vterentur, at in ipsa vrbe solis fascibus ornarentur, legesque humanissimas tulit in plebis fauorem & auxilium. Vnam quidem, qua disertè cauit ne quis Romæ magistratum gereret, nisi à populo eum accepisset, capitalis statuta pœna in eum qui contra hæc feciisset, & proposita impunitate ei qui ipsum occidisset. Alteram verò, in qua scripta

est,

est. Si quis Romanus magistratus aliquem vel capite plectere, vel virgis cædere, vel pecuniis mulctare velit, licere priuato homini ab illo magistratu ad populi iudicium prouocare, nec interea magistratui licere in eum animaduertere vllo modo donec populus de eo suis suffragiis statuerit. Ob hæc instituta apud plebem gratiosus fuit eique cognomen impositum fuit Publicolæ hoc, sermone græco, significat bonum. Atque hæ sunt res, quæ illo anno à coss. sunt gestæ. SEQVENTI verò anno coss. creati sunt, is ipse Valerius iterum & cum eo Lucretius, in quorum consulatu nihil memoratu dignum gestum est. Census verò habitus, & tributa ad bellicos vsus constituta, & imperata quemadmodum Tullius rex lege sanxerat, quæ quandiu Tarquinius regnauit, fuerat neglecta: sed tunc primùm ab istis renouata. Censa autem sunt puberes Romanorum circiter, CXXXM. Et in Syceriam, locum ita appellatum, missus est Romanus exercitus, qui ea castella quod Latinorum & Hernicorum oppidis immineret, vnde bellum expectabatur, præsidio esset.

4 ¶ P. VALERIO Publicola tertium, & M. Horatio iterum coss. rex Clusinorum qui sunt in Etruria, Lars nomine, Porsena cognomine, quum Tarquinij ad eum confugissent, & ipse illis promisisset, se è duobus alterum effecturum, vel eos suis ciuibus reconciliaturum, vt in patriam redirent, & regnum recuperarent: vel, receptæ eorum bona, quibus fuerant spoliati, se ipsis redditurum, quoniam superiore anno legatis Romam missis, qui preces cum minis mixtas afferebant, neque illos Romanis reconciliare, neque vt in patriam reducerentur impetrare potuerat, quod senatus se diris imprecationibus, & iureiurando, quo se astrinxerant, impedirè

diceret: neque etiam bona eorū recuperarat, iis inter quos diu fa fuerant & quibus sorte obtigerant, ea restituere nolentibus, propterea contumelia se à Romanis affici, seque grauem perpetì iniuriam dicens, quòd neutrum eorum quæ ab illis postularat consequutus fuisset, vir arrogans, & præ diuitiis & maximo imperio & pecuniis mē te peruersus, se occasionem præclaram nactum arbitrabatur ad euertendum imperium Romanorum, quod iam multò antè facere voluerat. Quare, bellum illis indixit. Ad illius autem belli societatem vltro se addidit, Octauius Mamilius, Tarquinij gener, ex vrbe Tusculo profectus, qui omnem sedulam operam se Porsenæ alacriter nauaturum, & Camerinos & Antemnates, qui Latini nominis erant omnes adducturum promiserat, qui à populo Romano apertè iam defecerant, ex reliquis verò populis eiusdem gentis qui nolebant apertè bellum inferre ciuitati fœderatæ & præpotenti, præsertim nullis de causis necessarius, multos voluntarios gratia sua adductos ad bellum venturos dixerat. Consules his rebus cognitis primum pecunias ex agris & pecus, & mancipia à rusticis in proximos montes traduci iusserunt, extructis castellis in locis natura munitis, quæ facilè tutari possent eos qui in ea confugissent: deinde Ianiculum collem ita vocatum, (hic autem est mons altus propè vrbem trans flumē Tiberim situs) firmioribus munitionibus & præsidiis munierunt, quauis ratione cauentes ne locus adeò opportunus, ad oppugnandam vrbem in hostium potestatem veniret: ibique belli sedem fecerunt. In vrbe quoque multis blandimentis plebem in officio retinuerunt, variáque humanitatis officia pauperibus præstiterunt, ne ad tyrannorum partes transirent, priuatis commodis ad rem-

publicam

publicam prodendam impulsi. Etenim decreuerunt eos immunes esse omnium publicorum tributorum, quæcunque ante sub regibus pendebant, & omnibus pecuniæ collationibus, quæ in res militares & bellicos usus fiebant, liberarunt: existimantes rempublicam satis magnum facere quæstum, si illi tantum sua corpora exhiberent ad pericula pro patria subeundum: quumque copias iam multò antè exercitatas & præparatas haberent, in quodam campo ante vrbem sito castra sunt metati. At rex Porsena cum exercitu profectus, Ianiculum montem primo impetu occupauit, custodibus eius perterritis, ibique Etruscorum præsidium collocauit. Romam autem infesto exercitu petens, quasi eam quoque sine vllo labore in suâ potestatem redacturus esset, quum ad pontem accessisset, & Romanos ante flumen instructos animaduertisset, se ad pugnam parauit, sperans eos suorum multitudine facile superatum iri, copiásque magna cum hostium contemptione adduxit. Læuum autem cornu ducebant Tarquinij filij, Titus & Sextus, & Romanos exules, & Gabinæ iuuentutis lectissimos quosque, & externorum ac mercenariorum militum non exiguam manum habebant: at dextrum ducebat Tarquinij gener Mamilius in quo Latini, qui à Romanis defecerant, collocati erant. Rex Porsena aciem mediam tenebat. Dextrum verò Romanorum cornu Spurius Largius & Titus Herminius Tarquiniis oppositi tenebant. Læuum M. Valerius, frater alterius consulis Publicolæ, & T. Lucretius, qui superiore anno consulatum gesserat, cum Mamilio & Latinis congressurus: mediam verò aciem inter vtraque cornua consules ambo tenebant. Vbi autem ad manus ventum est, vtrique strenuè pugnarũt,

diúque alteri alteris restiterunt: sed Romani & peritia & tolerantia Latinis & Etruscis præstabant, at Etrusci & Latini, militum numero Romanis longè superiores erant. Multis autem vtrinque cæsis, timor Romanos inuasit: primùm eos qui in sinistro cornu erant, vbi duces Valerium & Lucretium ex acie saucios asportatos viderunt: deinde etiam eos qui in dextro cornu erant instructi, qui iam vincebant Tarquinij copias, idem timor corripuit, quòd suos socios in fugam versos viderent. Omnibus autem in vrbem refugientibus, & per vnum pòtem confertò agmine irrumpentibus, ingens impetus ab hostibus in eos est factus, parúmque abfuit quin vrbs per vim caperetur, quòd immunita esset à partibus quà flumine alluitur. si hostes insequentes vnà cum iis qui fugiebant in eam irrupissent. Sed qui hostium impetum repressérunt, quique totũ exercitum seruarunt, tres viri fuere, è senioribus quidem Sp. Largius, & Titus Herminius, qui cornu dextrum habebant: è iunioribus verò P. Horatius qui Cocles vocabatur, à clade oculorum: quòd alter oculus in prælio illi fuisset effossus: vir qui omnes mortales corporis forma antecellebat, animique virtute omnium præstantissimus erat. Hic fuit filius fratris M. Horatij alterius consulis, genere clarus: siquidem oriundus erat ab vno trigeminorũ M. Horatio, qui trigeminos Albanos vicerat, quũ bello inter has duas ciuitates de principatu contendentes orto, inter vtrasque conuenit ne totis viribus belli fortuna tentaretur, sed ternis vtrinque virís res committeretur, vt ante declarauí. Hi igitur soli, occupato primo pontis aditu ad multas horas hostem transitu prohibuerunt, & in eodem gradu permanserunt, petiti à multis vario telorum genere & comminus

gladiis

gladiis percussi, donec totus exercitus flumẽ traiecit: vbi verò suos in tuto iam esse existimarunt, duo ex ipsis, Herminius & Largius armis quibus tegebantur, ob continuos ictus iam corrupt⁹, pedetentim se receperunt. At Horatius solus, reuocantibus eum ab vrbe consulibus & reliquis ciuibus, qui de tam egregij viri salute summopere erant soliciti, & quauis ratione patriæ, parentibus q; seruatum optabant non paruit, sed permãsit vt primum steterat. iussitque Herminiũ suo nomine consulibus significare, vt ocius põtem ab vrbe rescinderẽt (Illis autẽ tẽporibus vnicus erat põs, ex sola lignea materia constructus, sine ferro & ex solis tabulis compactus quẽ ad meã vsque tẽpora Romani eodẽ modo seruabãt:) & illis mãdare, vt maiori põtis parte iã soluta, quũ exigua adhuc esset reliqua, id sibi aliquo signo vel voce clariore significarent, cætera sibi curæ fore dicẽs. Quũ hæc mãdata illis duobus dedisset, in ipso ponte substitit, & hostes secũ cõgressos partim gladio percutiẽs, partim clypeo propulsans omnes qui in pontẽ irruebãt, reiecit. Qui enim Romanos persequebant ut, cum illo vt homine furioso & mortem appetente manus conserere amplius non audebant: simul etiam ad eum accedere difficile erat, quòd à læua & dextra ipsum flumen pro propugnaculo haberet, à fronte verò armorum & cadauerum aceruum. Sed eminus cõferti lãceis, & stiptibus & lapidibus grandioribus eum petebant. Quibus verò hæc tela deerant gladiis & clypeis mortuorum eum infestabant. Ille verò ipsis resistebat illorum armis aduersus eos vtens. Et (quemadmodum est verisimile) in confertos tela coniiciens aliquẽ secum semper assequẽbatur. Sed iam telis confossus & multa vulnera in varijs corporis partibus habens, vnámque

plagam lanceæ, quæ rectè per alteram coxam ad caput fe
moris traiecta magnis cruciatibus eum afficiebat, gressum
que cum dolore impediebat, postquam audiuit eos qui à
tergo vociferabantur maiorem pontis partem iam solu-
tam, armatus in fluuium se dejecit, & ægrè admodũ tra-
nato fluuio (nam circa tabularum sublicas aquæ cursus
diuisus concitatus erat, magnósque excitabat vortices) ad
terrã enatauit, nullis armis inter natandum amissis. Hoc
facinus illi immortalem gloriam comparauit. Confestim
enim Romani eum coronatum celebrantes in vrbem re-
tulerunt, vt vnum de heroibus. & tota vrbana turba e-
gressa effundebatur cupiens dum adhuc superstes esset e-
ius vultum postremò videre. Videbatur enim ob vulnera
breui interiturus. Sed postquam ex mortis periculo euasit,
populus æneam eius statuam armatam, in maximè con-
spicuo fori loco erexit. Dedit & agri publici quantum
vno die vno boum iugo circumarare potuit. Sed præter
publica dona singuli tam viri quàm mulieres, per singu-
la capita, quo tempore omnes grauissima rerum ad victũ
necessariarum inopia premebantur, quum essent vniuer-
sorum capita plura quàm CCCM. illi vnius diei alimen-
ta dederunt. Horatius igitur quum tunc adeò insigne for
titudinis exemplum edidisset, ab omnibus beatus fortuna
tusque est iudicatus. si quisquam alius Romanus eius: sed
ad cætera reipub. munia obeunda inutilis fuit ob claudica
tionem, & ob istam calamitatem, neque consulatum, ne-
que vllam militarem præturam est adeptus. In illo igitur
certamine, tam admirando facinore edito apud Roma-
nos, si quisquam alius eorum qui fortitudinis ergò sunt
celebres, præcipuam meruit laudem, & præter eum C.
Mutius, cui Codro cognomen erat, vir claris natalibus,

&

& ipse facinus magnum aggressus, de quo paulo post agam, vbi prius narraro quibus in periculis respublica tunc versaretur. Nam post illam pugnam rex Etruscorum castris in proximo monte positis, vnde Romanorum præsidium expulerat, quidquid agri vltra Tiberim erat, id in suâ pot. state habebat. Tarquinij verò filii, & gener eius Mamilius ratibus & schaphis copias suas traiecerunt in vlteriorem fluuij partem quæ Romam fert, & in loco munito castra posuerunt, vnde excursiones facientes Romanum agrum vastabant, & stabula euertebant, & pecus quod ex castellis pactum exibat, intercipiebant per insidias. Quum igitur ab hostibus omnia loca quæ erant extra muros, detinerentur, neque terrâ vlli commeatus in vrbem importarentur: neque etiam per flumen nisi paucissimi subueherentur, breui rerum ad victum necessariarum inopia fuit ingens, multis hominum millibus res præparatas, quæ non multæ erant, absumentibus. Præterea multa mancipia desertis suis dominis quotidie ad hostes transfugiebant, & pessimi quique de plebe, facta defectione ad tyrannos transibant. Consulibus hæc videntibus placuit Latinos rogare, qui adhuc aliqua modo cognationem reuereri, & in amicitia permanere videbãtur, vt sibi celeriter auxilia mitterẽt: & Cumas agri Cãpani, & ad alias agri Põptini vrbes mittere legatos, qui ab illis peterẽt, vt sibi frumẽti expor tãdi copiã facerent. Latini igitur auxilia illis negarunt. quòd religione vetarẽtur, tã cũ Tarquinio quàm cũ Romanis bellũ gerere, quòd vtrisque ex æquo societatis fœdere iũcti essent. Ex agro Pomptino, legati Largius & Herminius qui missi fuerãt ad frumẽtũ cõuehẽdũ, multas

scaphas vario commeatu onustas à mari per fluuium no-
cte obscura luna non lucente clam hostibus in vrbem
duxerunt. Sed intra paucos dies hoc quoque commeatu
absumpto & eadem rerum penuria homines premente,
rex Etruscus quum cognouisset ex profugis oppidanos fa-
me laborare præcones ad eos misit imperãs vt Tarquinio
reciperẽt, si bello & fame liberari vellẽt. Sed quũ Roma-
ni imperata facere grauarẽtur, & extrema quæuis mala
perpeti mallẽt, Mutius animaduertens alterum è duobus
illis euẽturũ aut eos nõ permansuros diu in eodẽ proposito,
rerũ necessariarũ inopia coactos, aut si constanter in sen-
tẽtia permanerent, & quod decreuerãt obseruarẽt, miser-
rimo mortis genere interituros, rogatis consulibus vt sibi
Senatum cogerent, quòd magnam quandam ac neces-
sariam rem illis indicaturus esset: vbi fuit coactus, ita est
loquutus, § PATRES conscripti, habens in animo
audax facinus aggredi, quo Respub. præsentibus malis
liberabitur, id quidem mihi successurum confido, idque
me facilè confecturum spero. An verò post id factum
perpetratum vita mihi superstes futura, non magnã ha-
beo spem, imò potius, si verum est dicendum, nullam. Me
igitur tanto periculo obiecturus, nolui vos omnes latere,
rerum magnarum spe elatus: vt, si conatus iste mihi feli-
citer successerit, saltem rebus præclarè gestis magnam lau-
dem consequar, vnde pro mortali corpore, immortalem
gloriam adipiscar. At populo indicare ea quæ facere
cogito, non est tutum: nequis lucri & præmij spe ad
hostes deferat rem quæ vt mysterium arcanum silentio
est custodienda. Vobis verò qui, vt mihi persuadeo,
arcana constanter continebitis, primis & solis hæc
patefacio, & à vobis cæteri ciues opportuno tempo-
re hac

re hæc ediſcent. Facinus autem quod aggredi volo huiuſmodi eſt, per transfugæ ſpeciem caſtra Etruſcorum adire ſtatui. Si igitur fide mihi ab illis non habita moriar, vnius ſolius viri iactura reliquus ciuium veſtrorum numerus minuetur. Sed ſi ingredi caſtra mihi liceat, vobis polliceor me regi hoſtium necem allaturum. Mortuo autem Porſena belli finis fiet: ego verò quicquid fortunæ viſum fuerit perferam: hæc igitur ſunt quorum ego volo vos eſſe conſcios, vt teſtes mihi ſitis apud populum: ſed abeo patriæ fortunam bonam viæ ducem ſequutus. Quum autem à ſenatu collaudatus fuiſſet, & felix rei peragendæ auſpicium obſeruaſſet, ita demum flumen traiecit: quumque ad Etruſcorum caſtra veniſſet, ea ingreditur, deceptis portarum cuſtodibus, quaſi eiuſdem gentis vnus eſſet, quia nulla arma propalam geſtabat, & Etruſco ſermone loquebatur, quem, dum adhuc eſſet puer, didicerat à nutrice Etruſca doctus. Vbi verò in forum & ad prætorium venit, vidit virum magnitudine & robore corporis inſignem, veſte purpurea indutum, pro tribunali regio ſedentem, & circa eum frequentes milites armatos ſtantes. Deceptus igitur ipſius ſua, quippe qui regem Etruſcorum nunquam vidiſſet, hunc virum Porſenam eſſe arbitratus eſt. at ille erat ſcriba regis, ſedebátque pro tribunali milites recenſens, & pecuniam quam ipſis pro ſtipendio numerabat, in tabulas referens. Ad iſtum igitur ſcribam per circunſtantem turbam acceſſit, & vt inermis, à nullo prohibitus quum tribunal conſcendiſſet, euocit gladium quem ſub veſte occultabat, illiuſque caput percuſſit. Vt nico autem vulnere ſcriba interfecto, ſi tum ille comprehenſus ab iis qui

tribunal circunstabãt, ad regem, qui iã de scribæ sui cæde certior fuerat factus, abducitur. Ille verò quũ eũ conspexisset: {Omniũ (inquit) mortaliũ scelestissime, & qui brevi pœnas tuo facinore dignas dabis, dic quisnã sis, & vnde profectus, & quo fretus auxilio tãtũ facinus aggredi ausus fueris, & vtrũ meũ tantùm scribã interficere tibi proposueris an etiam meipsum: & quos habeas insidiarũ harum socios. Sed cave ne in vlla re mentiaris, ne tormentis veritatem dicere cogaris. Tunc Mutius, neque mutato colore, neque vultus mœrore vllũ metuentis signũ præ se ferens, neque vlla alia perturbatione motus, quæ hominem in mortis imminentis periculo turbare solet, ei respondit. Ego Romanus sum nec leui de causa, sed patriã bello liberare cupiens, veni in vestra castra, vt transfuga, te interficere volens: illud persuasum habens, siue prosperè res mihi succederet, siue mea spes falleret mortem mihi propositam. Sed patriæ, quæ me procreauit, vitam donare volens, & pro mortali corpore gloriam immortalem consequi spe falsus mea pro te scribam tuum mihi ignotum interfeci purpura, & sella, & reliquis regiæ potestatis insignibus deceptus. Mortẽ igitur, cui ego ipse me deuoui quũ hoc facinus sum aggressus, nõ deprecor. Cruciatus verò & cæteras cõtumelias si mihi remiseris, data per deos fide polliceor me tibi rem magnã, quæq; ad tuã salutẽ spectat, declaraturũ. } Ille igitur hæc dixit, habẽs in animo hominem stratagemate circumuenire. Rex verò non satis mentis suæ compos, simul etiam pericula non vera sibi à multis mortalibus imminere augurans, fidẽ ipsi datam iureiurando confirmauit. Tunc Mutius nouã dolorationem commentus, quæ manifestò refelli non posset, regi dixit, {Trecenti Romani iuuenes, omnes eiusdem ætatis,

etatis, omnes patricij, in tuũ caput, rex coniurauimus, & interposito iureiurãdo fidem mutuò dedimus & accepimus. Nobis autẽ de insidiarũ modo consultãtibus placuit, vt neque omnes simul rem aggrederentur, sed alius post aliũ, neque alter alteri diceret, quando, aut vbi, aut quomodo, aut quibus adminiculis vsus, te esset aggressurus, vt hoc pacto facilius latere possemus. His ita apud nos decretis rẽ sorti commisimus, & mihi primo sors obtigit vt rei periculum facerẽ. Tu igitur præmonitus, tam multos, & tam fortes viros gloriæ cupiditate eandẽ mentem habere: quorum si quis meliore quam ego fortuna vtatur, considera quonam modo ab omniũ insidiis tibi cauere possis. } Rex his auditis, illũ à suis satellitib. in vincula abduci & accurate asseruari iussit: ipse verò fidissimis amicis in consiliũ assumptis, & filio Arunte cũ illis sibi assidere iusso, quibus rationibus eorũ insidias propulsare posset, cõsultabat. Quũ igitur ex illis singuli propulsandarũ insidiarũ & tutãdæ salutis ineptas rationes proferrẽt, nemo illorũ quid faciẽdũ esset satis intelligere videbatur, at filius eius postremus suam declarauit sentẽtiã, longè prudẽtiorẽ quàm illa ætas ferret, cẽsens ipsi nõ cogitãdũ quibus rationibus hostiũ insidias propulsare posset, sed operã dãdam ne custodiis vllis opus ipsi esset. Omnibus autem eius sententiam admirantibus, & quomodo id posset fieri scire cupientibus, si inquit, eos ex hostibus amicos feceris, & tuam ipsius vitam antiquiorem duxeris ipsa restitutione exulum, qui sunt cum Tarquiniis. Rex optimè eum sentire dixit: sed tamen rem eam consultatione dignã putauit, quomodo honestis conditionibus pax cum illis fieri posset: magnum fore dedecus dicens, si sibi qui eos prælio vicisset, & intra mœnia compulsos obsideret, abeun-

dum esset infectare, præter Tarquinij expectationem quasi victus esset ab illis quos vicerat. & quasi fugeret eos qui ne auderent quidem extra portas progredi. demonstrans etiam vnam tantùm esse honestam pacis faciendæ rationem, si ab hostibus mitterentur legati qui de pace agerent. Atque hæc quidem tunc filio & cæteris qui aderant dixit Paucis tamen post diebus ipse coactus est prior Romanos ad pacis conditiones prouocare, tali de causa. Dispersis per agrum militibus & commeatus qui in vrbem portabantur intercipientibus, idque assidue facientibus, Romani consules quum insidias illis in loco opportuno collocassent multos eorum interfecerunt, & longè plures ceperunt quàm interemerunt: quam rem ægrè ferentes Etrusci, inter se colloquebantur in conuenticulis, regem & cæteros duces incusantes, quòd tamdiu bellum traherent: & ad suos proprios lares redire cupientes. Rex igitur ratus omnibus pacem gratam fore, misit legatos de suis domesticis maximè necessarios. Sunt autem qui dicunt ipsum etiam Mutium cum his fuisse missum, regi fide cum iureiurando data fore vt rediret: alij verò dicunt hunc donec pax fieret obsidem in castris fuisse asseruatum, quod certè verisimilius videtur. Mandata porrò, quæ rex legatis dederat hæc fuerunt. Vt de Tarquinijs in regnum restituendis nulla verba facerent sed postularent à Romanis vt bona illis restituerent, præcipuè ea omnia quæ Tarquinius Priscus heredibus suis reliquerat, & quæ ipsi iustè parta possidebant: sin minus, vt saltem quantum fieri posset, integra rusticorum vrbanorumque prædiorum, & pecoris, & frugum, quæ ex agris collegerant pretia darent, vtro modo eis magis conducere videretur siue à possessoribus, qui ij-

fue-

fruebãtur conferri,siue ex ærario persolui mallent,& hæc quidem pro illis. Sibi verò pro pace peti iussit, Septẽ pagos,quos ita vocant. Hic enim ager olim Etruscorum erat:sed Romani eum armis occuparant,suis possessoribus ademptum,vtq; Romani constanter in Etruscorum amicitia permanerent,ab illis liberos noi ilissimarũ familiarum pro ciuitate obsides peti iussit. Quũ autem legati Romam venissent senatus decreuit ex Publicolæ alterius consulis sententia omnia cõcedere quæcunq. Etruscus postulabat,quia existimabat populũ & inopẽ turbam rerũ ad victum necessariarum inopia laborare, & libentissimè pacẽ,quibuscunque conditionibus fuisset facta, accepturam. At populus reliquas partes senatusconsulti ratas fecit:sed bonorum restitutionẽ non tulit, quinimò contra scisit,vt neq. ex ærario,neq. à priuatis hominibus quicquã Tarquiniis restitueretur:vtq; his de rebus ad regem Porsenã mitterentur legati,qui ab eo peterẽt, vt obsides quidẽ & agrũ acciperet:de bonis verò,vt ipse iudex inter Tarquiniũ & Romanos constitutus,vbi vtrósq. audisset,quod iustum esse videretur,pronuntiaret,neq. gratia,neque odio impulsus. Etrusci igitur abierunt,& hæc responsa ad regem tulerunt & cũ ipsis iuerunt legati, qui à populo fuerãt decreti,adducentes ex primariis familiis viginti pueros,quos pro patria obsides esse oportebat & ipsi consules primi suos liberos dederunt, Marcus Horatius filiũ,& P. Valerius filiam iam nubilẽ. Quæ autem isti in castra venissent,rex lætus, multis laudibus Romanos extulit,& induias cũ illis fecit ad certum ac præstitutum dierum numerum,& illis controuersiæ iudicium recepit. At Tarquinij iniquissimè ferebant animo se magna spe frustratos, quam in rege ponebant:

quippe qui existimarant se ab illo in regnum restitutum iri: verumtamen in præsenti rerum fortuna acquiescere, & conditiones illas admittere cogebantur. Quum autem ad præstitutam diem venissent ex vrbe ad dicendam causam senatores natu maximi, rex pro tribunali cum amicis sedens adhibito etiam ad id iudicium filio, dicendi copiam illis fecit. Dum autem adhuc hæc causa disceptaretur, venit quidam qui nuntiauit obsides virgines fugisse. Quin enim à custodibus precibus contendissent vt sibi flumen adire, & se lauare permitterent, quum id impetrassent, eos rogarunt vt tantisper à flumine recederent, donec se lauissent, & vestes resumpsissent, ne se nudas viderent: quumque id illi fecissent Cloelia illas adhortante primáque incipiente, fluuio tranato in vrbem sunt reuersæ. Tunc Tarquinius vehementer in Romanos inuehebatur, periurium & perfidiam illis obiiciens, regémque instigabat vt quippe qui ab hominibus fraudulentis deceptus fuisset animum ad illos non aduerteret. Consule autem se purgante, idque facinus iniussu patrum ab ipsis virginibus ausum asserente, & breui se fidem facturum dicente, nihil à se infidiosè admissum, rex eius verbis adductus ei permisit vt abiret, & quemadmodum erat pollicitus virgines reduceret. Valerius igitur virgines reducturus discessit. At Tarquinius eiusque gener, neglecto iure, nefarij facinoris consilium occultum inierunt, & equitum turmam clam ad iter obsidendum miserunt, vt virgines quæ ducebantur caperent, & ipsum consulem, & cæteros qui ad castra proficiscebantur, comprehenderent, vt ipsi interea hæc corpora pro pignore bonorum Tarquinio à Romanis ereptorum retinerent, non expectato amplius iudicij fine. Sed deus non permisit vt

sit vt istæ insidiæ ipsis ex animi sententia succederent. Dum enim ex castris Latinis insidiatores, qui Romanos aggressuri erant prodeunt, consul Romanus eos anteuertens, virgines adduxit. Et quum iam ad ipsas Etruscorum castrorum portas accessisset, illi qui eum ex aduersis castris insequebātur, eum assequuntur, & ibi manus conserunt: sed statim Etrusci id senserunt, & regis filius cū equitum turma propere suppetias tulit, & pedites qui pro castris stationem habebant eò concurrerunt. Quamobrem indigatus Porsena ad concionem Etruscos conuocauit, & illis declarauit quemadmodum delato ad se à Romanis iudicio, & sibi commissa cognitione criminum quæ ipsis Tarquinius obiiciebat, nondum definita causa, contempta inducirarum religione, legatorum & obsidum sacrosancta corpora ij qui iure optimo ab ipsis fuerant expulsi, violare conati fuissent. Quare Etrusci suis suffragiis Romanos criminibus obiectis liberarunt, & Tarquiniis atque Mamilio hospitium renuntiarunt, eóque ipso die eos castris excedere iusserunt. Tarquinij igitur, qui principio bonam spem habuerant, vel se tyrannidem Etruscorum opera & auxilio recepturos, vel bona suæ recuperaturos, ob legatos & obsides contra ius violatos vtraque re frustrati ex castris cum ignominia & omnium odio discesserunt. Rex autem Etruscorum obsides Romanos ad tribunal produci iussit, & consuli restituit dicens se pluris facere fidem populi Romani quàm omnes obsides. Vnam verò virginem, quæ reliquis tranandi fluuij autor & dux fuerat, laudans ob animos maiores quàm sexus & ætas ea ferret, & vrbem beatam, prædicans, quòd non solùm viros fortes, sed etiam virgines viris similes produceret, hanc inquam, illam equo

bellico insignibus phaleris ornato donauit. Post dimissã concionem icto cum Romanis legatis pacis & amicitiæ fœdere, ipsisque hospitaliter acceptis, dono ciuitati reducendos dedit omnes captiuos sine redemptionis pretio, quorum valde magnus erat numerus, & locum ipsum vbi castra posuerat, non vt castra in solo peregrino ad exiguum tempus, sed vt oppidum priuatim ac publicè satis ornatum, quamuis mos Etruscorum hoc non ferret, vt quoties ex hostili agro rex castra moueret, milites erecta tentoria relinquerent, sed vrerent, tamen non cremauit: sed ita vt erat, manere est passus, largitus vrbi non parum donum, si res ad pecuniæ æstimationem reuocetur. Ipsa enim auctio, quam quæstores post regis discessum fecerunt, id declarauit. Bellum igitur quod populus Romanus cum Etruscis, & Larte Porsena Clusinorum rege gessit, & quod in maxima pericula pop. Rom. adduxit, hunc habuit finem. Romanorum autem senatus post Etruscorum discessum coactus censuit mittendam Porsenæ sellam eburneam, & sceptrum, & coronam auream, & triumphalem vestem, qua reges ornabantur. Mutio verò, qui vltro pro patria morte oppetere paratus erat, quòd visus fuisset belli finiendi causa præcipua, agrũ de publico largiendum trans flumen Tiberim, eodem modo quo Horatio, qui antè in primo pontis aditu pugnarat, quantum circumarare vno die posset. Hicque locus vsq. ad nostram etatem Mutia prata appellatur. Atque hæc quidem viris præmia dedêre: at Cloeliam virginem statua ænea donauêre, quam virginum patres in via sacra, quæ in comitium fert, ei erexerunt. Nos tamen non inuenimus hanc adhuc extantem & erectam: ferunt enim eam incendio circa proximas ædes exorto absumptam.

sumptam. Hoc anno templum Iouis Capitolini absolutum est, de quo suo loco in superiore libro egi. Eius verò dedicationem & inscriptionẽ alter consul, Marcus Horatius, ante sui collegæ aduentum occupauit. Tunc enim Valerius fortè ex vrbe cum exercitu ad agrum tuendum exierat. Quum enim nuperrimè agrestes castella reliquissent, & in agros conuenissent, Mamilius missa latronũ manu agricolas valde infestabat. Atque hæ. tertio consulatu iunt gesta. ANNO antem quarto consules creati Sp. Largius, & T. Herminius qui totum magistratus sui tempus sine bello transegerunt. His consulibus Aruns Porsenæ Etruscorum regis filius, quum Ariciam vrbem secundum iam annũ oppugnaret, obiit. Nã simulatque percussum est fœdus cũ Romanis, dimidiam exercitus partẽ à patre accepit, & expeditionem contra Aricinos fecit, sibi proprium paraturus imperiũ, & quũ parum abfuisset quin vrbem caperet, quũ auxilia Aricinis ab Antio, & Tusculo, & Cumis Campaniæ venissent, minoribus copiis cum maioribus acie instructa confligens cæteros quidem in fugam vertit, & ad vrbẽ vsq. compulit, at ipse à Cumanis, quos Aristodemus, Malacus cognomine, dubabat, victus occubuit. Et Etruscorum exercitus post illius mortem quum hostium impetum diutius sustinere non posset, fusus & fugatus est. Multi autem eorum in fuga à Cumanis eos persequentibus fuerunt cæsi: plerique verò eorum dispersi, in Romanorum agros non longè distantes confugerunt, tum quia amiserunt arma, tum etiam quia vulneribus debilitati vlterius progredi non poterant, quos Romani ex agris in vrbe plaustris & carpentis, & aliis iumentis, nonnullos semimortuos comportantes, & in suas domos ferentes, &

cibus, & medicamentis, & aliis humanitatis officiis cum magna commiseratione refecerunt, itavt eorum multi his beneficiis inuitati nullo amplius desiderio domum redeundi tenerentur, sed mallent apud homines bene de se meritos remanere, quibus senatus locum vrbis dedit, conuallem illã quæ inter Palatium & Capitolium ad quatuor ferme stadiorum longitudinem exporrigitur, vbi ædes extruerent. Quem locum ad mea vsque tempora Romani sua lingua vicum Thuscum appellant, quà transitur à foro ad circum maximum. Pro quibus officiis rex eorum illis munus rependit plurimi faciendum, quod illis fuit longè acceptissimum: agrum transtiberinum, quo excesserant, quum pacem fecerunt: & sacrificia magno impẽdio diis persoluerunt, quæ se illis facturos vouerant si septem pagos recuperassent.

5 ¶ ANNO autem quinto post exactos reges olympias erat sexagesima nona, qua vicit in stadio Ischomachus Crotoniates, Athenis verò iterũ archõ erat Acestorides: at Romæ consules creati M. Valerius, frater Valerij Publicolæ, & P. Postumius, qui Tubertus vocabatur. His consulibus bellum aliud à finitimis populis contra pop. Rom. exortum est, cuius initium à latrocinijs est factum: sed progressum est ad multa & magna prælia, veruntamen tandem honestis pacis conditionibus finitum est quartis post hos consulibus, ad quorum vsque tempora, sine vlla intermissione gestum est. Sabini enim quidam quũ animaduertissent Remp. Rom. aduerso Etruscorum bello debilitatam, quasi pristinam dignitatem amplius recuperatura non esset, eos qui ex castellis in planiciem descendebant, prædonum incursionibus adoriebantur, & agrestes magnis afficiebãt detrimentis. Quã-

obrem

obrẽ Romani, quum legatos ad eos misissent, antequã ad arma venirẽt pœnas reposcebãt suasq; res repetebant, & postulabant vt rationẽ iniuriarũ redderent, & ab omni vi & iniuria agricolis inferenda abstinerent. A quibus quũ superba accepissent responsa, bellũ illis indixerunt: & ab altero consule Valerio cũ equitatu, & lectissimis leuis armaturæ militibus prima expeditio in prædones repentina facta est, & eorum, qui in pabulationibus deprehensi fuerant, quorũ magnus erat numerus: ingens cædes edita, (vt verisimile est,) quia nullos ordines seruabant, nec hostiũ aduentũ præsenserant. Deinde, misso à Sabinis cõtra eos ingenti exercitu ductu imperatoris rerũ bellicarũ periti Romani ex vrbe iterũ egressi cũ omnibus copiis, quas ambo consules ducebant, illis obuiã venerunt. At Postumius quidẽ propè vrbẽ in montanis locis castra posuit, veritus nequa repẽtina incursio ab exulibus in se fieret. At Valerius prope hostes ad Anienem fluuium, qui ex vrbe, quæ Tybur vocatur, præceps & cũ impetu de alto saxo labitur, & per Sabinũ & Romanũ agri planitiem fertur, vtranq. regionẽ disterminans. Influit autem in flumen Tiberim aspectu amœnus, & potu dulcis. In altera verò fluuij parte Sabinorũ castra erant posita, & ipsa non longè à flumine distantia, in quodam colle leuiter de clui, nec valde munito. Primùm igitur vtriq. vicissim sibi cauebant, & traiecto flumine pugnæ initium facere metuebant. Sed postea nulla ratione nullóve certo proposito, nec vlla vtilitatis consideratione moti, sed ira & ambitiosa vincendi cupiditate accensi prælium cõmiserunt. Nã quidã dũ aquarentur, & equos ad fluuium portandi gratia ducerent, longè in fluuij alueum prouecti sunt, tũc. n. nõ valde erat profundus, quia

hybernis imbribus nondū erat auctus: quare quū eorum genua vix superaret, eū traiici bāt. Primū autē ꝙ pauci cum paucis fuissent cōgressi ex vtroq; vallo, quidā suis suppetias laturi procurrerunt. Deinde rursus alij hinc inde suis, qui ab hoste premebantur, auxilio venerunt, & modò Romani Sabinos à fluuio repellebant, modò Sabini Romanos ab eodē arcebant. Magna autē cade vtrinque edita, & multis illatis & acceptis vulneribus, quum omnium animos vincendi studium inuasisset, vt in lemibus prælijs temerè cōmissis accidere solet, ipsos quoq; ea strorum duces idē animi ardor ad fluuium traiciendum accēdit. Sed cōsul Romanus hostē anteuertit, & prior cū exercitu eum traiecit, & dum adhuc Sabini se armarēt & aciem instruerent, manus cum illis conseruit. Verūtamen ne illi quidem prælium cōmittere sunt cunctati, hoste contempto, & valde elati, quòd neq; cum ambobus cōmissi neq; cum omnibus Romanorum copijs essent dimicaturi: quare cū impetu irruentes pugnarunt, omnem animi præsentiā & alacritatē exerentes. Cōmisso autem acri prælio, quū dextrum Romanorum cornu vbi erat consul Posthumius, hostes grauiter vrgeret, & vlterius progrederetur, at sinistrum ita laboraret, & ab hostibus ad fluuium pelleretur, consul qui altera Rom. castra tenebat, re cognita eduxit exercitum, ac ipse quidem peditū aciem ducens pedetentim sequebatur: Spurium verò Largium legatum, qui superiore anno consulatum gesserat, cū equitatu celeriter misit, qui laxatis habenis equitans, & flumen nullo prohibente facilè traiecit, & dextrum hostium cornu obequitans in transuersum equitatus Sabini latus impressionem fecit: atque ibi inter vtrorumque equites comminus pugnantes, acriter diuque est certatū.

Interea

Interea & Posthumius qui peditatum ducebat ad eos accessit, & cum peditatu facto in eos impetu pugnans multos occidit, & reliquos fudit ac fugauit. Et nisi nox interuenisset, omnes Sabini à Romanis equitatu superioribus iam circundati internecione deleti fuissent. Iam verò ipsæ tenebræ, eos qui ex prælio diffugerant, qui erant inermes, & pauci, seruarunt: effecerunteque vt incolumes ad suos redirent. Consules verò eorũ castris sine vllo certamine sunt potiti, quæ à præsidiariis simulatque suos in fugam versos viderunt, desorta sunt. Ex quibus parta ingenti præda, militibus diripiendam concesserunt, copias domum reduxerunt. Tunc primùm pop. Rom. ex clade ab Etruscis accepta viribus recollectis pristinos resumpsit spiritus, & finitimorum populorum imperium vt antea ausus est sibi vendicare, & decernere vt simul ambo consules triumpharent: sed priuatim alteri eorũ, Valerio scilicet, area ad ædificandum in præstantissima palatij parte daretur dono, vtq; ei ex ærario sumptus ad id ædificium suppeditarentur. Huius domus ad quam stat taurus æreus valuæ solæ, præter morem omnium Romanarum ædium, tam publicarum quàm priuatarum in exteriorem partem aperiuntur. ANNO sequenti consules creati P. Valerius Publicola quartum, T. Lucretius iterum Valerij collega. His consulibus omnes Sabini ex communi concilij sententia bellum Romanis inferre decreuerunt, quasi rupta essent fœdera ex quo rex Tarquinius regno fuit pulsus, cum quo fœdus interposito iureiurando fecerant, impulsi à Sexto altero Tarquinij filio, qui vniuscuiusque ciuitatis primores priuatis officiis sibi concilians, & suppliciter orans, omnes eorum animos ab omnibus Romanis alienauit,

duósque populos Fidenates, & Camerinos ad defectionem à Romanis faciendam impulit, illíque vt ad suas partes transirent persuasit. Quapropter imperatorem cum summo imperio eum crearunt, eíque ex omnibus ciuitatibus copias conscribere permiserunt: quasi in superiore prælio ob copiarum imbecillitatem, & ducis stultitiam, cladem accepissent. Illi igitur in his erant occupati. Fortuna verò quædam detrimentis Romanorum commoda exæquare volens, pro sociis, à quibus fuerant desciti, ex ipsismet hostibus aliud nõ sperat um auxilium hoc modo illis addidit. Vir quidam Sabinæ gentis, qui Regillum vrbem incolebat, nobilis & opulentus, nomine T. Claudius ad eos transfugit, cum magno cognatorum comitatu & magna amicorum & clientium manu, qui cum ipsis familiis integris inde migrarunt inter quos erant circiter quinque millia eorum qui per ætatem arma ferre poterant. Necessitas autem quæ illum coegit Romam sedes transferre, talis fuisse fertur. Principes nobilissimorum populorum quum ei essent infensi ob eius in Repub. ambitionem, reum fecerunt, proditionis insimulantes, quòd parum propensus esset ad bellum Romanis inferendum, quinetiam solus in communi concilio aduersaretur iis qui fœdera rupta censebant, suósque cives non sineret ea rata facere quæ aliis placuissent. Ille hoc iudicium formidans (in alieno enim foro eius causæ cognitio futura erat) cũ pecunia sua, & amicis ad pop. Ro. migrauit, seq; ei adiunxit: suoq; aduentu rebus Romanis non paruã accessionẽ attulit, eiusq; belli feliciter confecti præcipuus autor omnibus est visus. Quapropter S. P. Q. R. eum in ordinem patriciorum retulit, eíque vrbis partem quantam voluit ad ædificandum concesit, agrumq; de

publico

publico qui est inter Fidenas & Picentiam addidit, vt suis omnibus agrum viritim diuidere posset: vnde etiam temporis progressu facta est quædã tribus Claudia, quæ ad mea vsque tempora nomen constanter retinebat. Rebus autem omnibus ad bellum hinc inde paratis, Sabini priores suas copias eduxerũt, & castra bina fecerũt, altera nõ longè à Fidenis sub dio, altera in ipsis Fidenis, tum vt oppidanis essent præsidio, tũ etiã vt ij qui castra sub dio habebãt, si quã cladẽ accepissent, refugiũ paratum haberent. Deinde, Rom. consul postquam cognouerunt Sabinos cum infesto exercitu contra se venire, ipsi quoque cum omnibus militaris ætatis hominibus profecti, bina castra separatim fecerunt, Valerius prope Sabinorum castra quæ sub dio erant: Lucretius non procul ab eo loco, in quodam colle, vnde altera collegæ castra conspiciebantur. Romani igitur primo quoque tempore cum hoste confligendum censebant, quòd in aperto prælio de belli exitu iudicium celeriter factum iri sperarent. At Sabinorum imperator metuens apertè signa conferre cũ audacia & tolerãtia hominũ, qui ad quæuis grauia pericula subeũda parati erant, eos noctu aggredi statuit: paratisq; rebus ad cõplendas fossas & vallũ transcendẽdum necessariis, quib omnia ad certamen iã essent parata, post primum somnum excitatam totius sui exercitus præstantissimã partẽ ad Romanorum munitiones erat ducturus: & illis quæ Fidenis castra habebant, denuntiauit vt vbi suos egressos sensissent, ipsi quoque ex vrbe exirent leuiter armati. Deinde iussit eos per opportuna loca insidiis collocatis, si qui ex alteris castris Valerio suppetias laturi cõtra se venirẽt, ex insidiis surgere, & à tergo eos cum ingenti clamore & strepitu inuadere. Quum

igitur Sextus hæc in animo haberet suum consilium cẽturionibus aperuit: quod postquam illi quoque probarant, occasionem expectabat. Sed quidã transfuga profectus ad vallum Romanorum, cõsulí eius consilium indicauit, nec multo post quidam equites Sabinos captiuos adduxerunt, quos ad lignationem egressos comprehenderant. Hi separatim interrogati quid ipsorum imperator facere pararet, responderunt, scalas & pontes ab eo fabricari: sed quo in loco, & quando ipsis esset vsurus se ignorare dixerũt. His rebus cognitis Valerius mittit Marcum legatũ suũ in altera castra, qui hostiũ consilia indicaret Lucretio, qui in illis castris erat, & qui eũ admoneret quo modo hostes essent adoriendi. Ipse verò tribunis & cẽturionib. conuocatis, & declaratis iis quæ ex transfuga & captiuis audierat, adhortatus eos vt viri fortes essent, existimantes se occasionẽ summopere optãdam nactos, qua egregias de inimicis pœnas sumerent, eos quid faciẽdum esset admonuit, ipsisque tesseram dedit, atq. ita in suos ordines eos dimisit. Nondũ aũt erat media nox, quum imperator Sabinorum excitatis militibus validissimam eorum partem ad Romanorum vallum duxit, indicto omnibus silentio, iussisque nullum armorum strepitum edere, ne hostes suum aduentum sentirent, antequàm ad ipsa castra iam ventum esset. Postquam autem illi qui præibant accesserunt ad castra, neque vllum splendorem ignium viderũt, neque voces vigilium audierũt, magnam Romanorum stultitiam damnantes, quasi castra incustodita reliquissent, & extra dormirent, fossas materia variis in partibus complerũt, & nullo impediente eas transiuerunt. At Romani in cohortes diuisi consederant inter fossas & vallum, & ob

tenebras

tenebras cerni non poterant, & hostes qui transibant, quum in ipsorum manus veniebant trucidabant. Aliquandiu igitur ij qui postremi accedebant, ignorarũt eædem suorũ qui præcedebant. Sed quum lunæ orientis lux apparuisset, qui ad fossam appropinquabant, ad ipsam aceruos cadauerũ conficientes, & validos hostium globos impetum in se facientes, armis abiectis fugæ dederũt terga. At Romani sublato ingenti clamore (hoc enim signum datum fuerat illis qui in alteris erãt castris) omnes in eos conferti procurrunt. Tunc Lucretius audito clamore, præmisso equitatu qui exploraret nequi hostes in insidiis delitescerent, interposito modico interuallo, cũ lectissimis quibusque peditibus eum sequebatur. Et eodem tempore quum equitatus incidisset in eos qui Fidenis fuerant missi vt in insidiis delitescerent, in fugã eos vertit, & peditatus eos qui ad sua castra venerãt cædens persequebatur, neque arma, neque ordinem seruantes. In his præliis ex Sabinis eorũq; socijs ceciderunt circiter tredecim millia, capta verò quatuor millia & ducenti præterea, eodémque die castra capta. Fidenæ verò, post paucorum dierum oppugnationem, à qua parte potissimùm inexpugnabiles esse videbantur, & à paucis custodiebantur, ab ea captæ sunt: veruntamen neque ciues in seruitutem redacti, neque ipsa vrbs euersa est: & capta ea pauci cæsi sunt. Ciuitas enim eiusdẽ gentis, ipsa bonorum & mancipiorũ direptione, & clade eorũ qui in pugna desiderati sunt, satis pœnarũ consulibus dedisse videbatur. Sed ne in posterũ illi qui in ipsorũ potestatẽ venerant, arma temerè caperent, satis fore existimarunt si moderata cautio adhiberetur, & in defectionis autores more Romano animadverteretur. Itaque conuocatis

in forum Fidenatibus qui capti fuerant multi in eorum amentiam inuecti: dixerunt omnes eos esse dignos qui cum ipsis pueris internecione delerentur: quippe qui neque beneficiorum acceptorum causa gratiam sibi haberent, neque ipsis calamitatibus ad bonam frugem reuocari possent. Quare nobilissimos quosque, omnibus inspectantibus, virgis cæsos securi percusserunt. Reliquis verò permiserunt vt in vrbe habitarent, vt antea, collocato ibi præsidio, quod cum illis habitaret, quod senatus decreuerat: & agri partem illis ademptam præsidiariis dederunt. His rebus gestis copias ex hostili agro reduxerunt, & ex sacro triumpharunt. Atque hæc quidem in istorum consulatu sunt gesta.

6 ¶ PVBL. autem Postumio Tuberto iterum, & Agrippa Menenio Lanato consulibus, Sabini tertium cum maiori exercitu in agrum Romanum irruptionem fecerunt, antequam Romani eorum expeditionem sentirent, & vsque ad ipsa vrbis mœnia accesserunt. Ibi magna Romanorum cædes edita, non solùm ipsorum rusticorum, quos nihil tale expectantes ex improuiso hoc malum inuaserat, antequam omnes in proxima castella refugerent sed etiam ciuium qui tunc in vrbe degebant. Nam Postumius alter consul, hanc hostium contumeliam non ferendam ratus, festinanter auxilium suis laturus egressus est, obuios quosq; temerè potiùs quàm prudenter ducens. Quos Sabini conspicati magna cum contemptione in se ferri, nullis seruatis ordinibus & dissipatos, quò magis eorum contemptionem augerent, celerius quàm militari gradu pedem referebant, fugam simulantes: donec in syluas densas venerunt, vbi reliquus eorum exercitus subsederat. Deinde conuersi, Roma-

manis persequentibus signa infesta tulêre, & qui erant in sylua magno sublato clamore eos inuasêre. Quum autem homines nullum ordinem seruantes & perturbatos atque ob cursum fatigatos & anhelantes, multi aciem egregiè instructa inuaderent, sternunt obuios quosq; qui secum congredi audebant, & reliquos qui in fugam se dederant, interclusis itineribus ad vrbem ferentibus, in quodam deserto & aspero montis dorso concludunt: armisque prope eos positis (nox enim eos iam oppresserat) per totam noctem excubantes seruabant, ne clam aufugerent. Qua clade Romam renuntiata, ingens tumultus ortus, concursúsque ad mœnia factus, omnésque timor cepit ne noctu vrbem hostes victoria elati inuaderent, eósque fuorum cæsorum miserebat, & reliquorum commiseratione mouebantur, quod eos mox ob rerum necessariarum inopiam in hostium potestatem facilè venturos putarent, nisi celeriter illis succurreretur. Illam igitur noctem animis mœrore dejectis insomnes transegerunt. Sequenti die alter consul, Menenius omnes iuniores armatos & egregiè instructos, ordinémque seruantes duxit, vt auxilium ferret iis qui in monte obsidebantur. At Sabini quum eos aduentantes vidissent, diutius ibi non manserunt, sed confestim castra mouerunt, & copias à monte abduxerunt, existimantes debere se præsenti felicitate cõtentos esse: nec diutius ibi cõmorati ad suos magna cum iactatione redierunt pecoris, & mancipiorũ, & pecuniarũ maxima prædabacta. At Romani eã cladẽ iniquo animo ferentes, & culpã in alterũ consulẽ Postumiũ conferentes, totis viribus in agrum Sabinum expeditionẽ celeriter facere decreuerunt, tum quia vehementer cupiebant fœdã & in-

sperata cladem sarcire & corrigere, tum etiam quia recenti hostium legatione valde superba & arrogãti mirum in modum offensi fuerant. Nam quasi eos iam esset vi coacturi, nisi mallent imperata facere, Tarquinios in patriam reuocare, & imperio sibi cedere iubebant, & formam reipublicæ ac leges constituere, quas victores ipsis imposuissent. Responsum autem legatis, vt suæ genti & reipublicæ hæc renunciarent, Romanos imperare Sabinis vt arma deponerent, vrbes sibi dederent, populique Rom. imperio denuo, vt ante, parerent: & his peractis, ita demum venirent petitum veniam iniuriarum & damnorum datorum in superioribus irruptionibus quas in suum agrum fecerãt, si pacem & amicitiam vellent impetrare: quæ imperata nisi fecissent, bellum primo quoque tempore domi expectarẽt. Quum igitur talia sibi inuicem imperassent, postquam omnibus rebus ad bellum necessariis instructi fuerunt, copias ex suis finibus eduxerunt. Sabini quidem lectissimam cuiusque ciuitatis iuuentutem armis insignibus ornatã adducentes. At Romani, cõtracto quicquid erat virium vel in vrbe vel in castellorum præsidiis, rati eos qui militarẽ ætatem excessissent, & seruitiorum, ac domesticorum turbam, ad vrbem & munitiones agri Rom. tutandum sufficere. In vnum autem coacti castra posuerunt vtrique modico interuallo à se inuicem distantia, non longè ab Eretro Sabinæ gentis vrbe. Vbi verò vtrique res hostium cognouerunt, tum ex ipsa castrorum magnitudine coniecturã facientes, tum etiam ex ipsorum captiuorũ relatione, Sabinis audacia creuit, & contemptio hostium paucitatis. Romanis verò hostium multitudo timorẽ incussit: tamen animos sumpserunt, & in exiguam victoriæ spẽ venerunt,

runt, cùm ob alia signa sibi diuinitus data, tum verò ob postremum prodigium quod pugnam præcessit. Ex pilis defixis ad tentoria, (hæc autem sunt tela Romanorum, quæ quùm manus conserunt iaculantur, ligna oblonga, & ea crassitudine quæ manum implere potest, quæ habent præfixa ferrea veruta, nõ minora quàm tripedalia, quæ hinc inde ab utraque summitate recta prominent, cui ipsõ ferro modicis iaculis paria,) ex istis inquam pilis circa ipsorum verutorum summitates flãmæ emicantes visæ sunt, & per tota castra splendor tanquam ex facibus effulsit, & magnã noctis partem duranit. Ex hoc ostento cœpere, quemadmodum ipsi prodigiorum, interpretes declararunt, & quinis facile poterat colligere, breui insignem victoriam se adepturos à numine significari: quando quidem omnia cedunt igni, & nihil est quod ab igne non absumatur. Quum igitur hic ignis in ipsorum telis effulsisset, magna cũ fiducia è castris progressi sunt, & facta in Sabinos impressione, quamuis inferiores essent numero, tamen cum longè maioribus copiis collatis signis conflixerunt, sola audacia, & longa experientia freti, quæ cum ipso laborum studio coniuncta, vt quoduis periculum contemnerent, efficiebat. Primus igitur Postumius, qui sinistrum cornu ducebat priorem cladem sarcire cupiens, dextrum hostium cornu loco pepulit, nullam habens suæ salutis rationem, dummodo vinceret, sed instar furentis & mortem appetentis in medios hostes se conijciens. Deinde, qui cum Menenio alterum cornu tenebant, quum iam laborarẽt & loco pulsi cederent, vbi cognouerunt suos qui cum Postumio erant hostes sibi oppositos vincere, collectis animis hostes inuaserunt, & vtrumque Sabinorum inclinantium cornu

penitus fusum ac fugatum est. Neque enim qui in media acie erant ab utroque latere iam nudati subsistere potuerunt sed ab equitatu Romano turmatim impressionem faciente pulsi loco pedem retulerunt. Omnibus autem castra effusa fuga repetentibus, Romani sequentes & una irrumpentes, utrisque eorum castris potiti sunt. Ne autem totus hostium exercitus interneccione deleretur ipse noctis intruentus prohibuit, & quod eam cladem Sabini in suo agro accepissent: qui enim fugiebant, ob locorum peritiam facilius ad suos incolumes euadebant, antequam ab ipsis hostibus insequentibus, & nullam diuerticulorum variorum notitiam habentibus, prehendi possent. Sequenti die consules crematis suorum cadaueribus, & collecta spolia, (inter quæ capta etiam fuerunt quædam arma à viris in ipsa fuga abiecta) non paucos captiuos abduxerunt, & pecunias multis potiti sunt, præter eas quas milites diripuerunt. His autem publicè venditis, omnes receperunt suas pecunias, quas uiritim contulerant, quibus milites armarant, & domum maximè insignem victoriam reportantes redierunt. Et consules ambo ex senatusconsulto triumpho fuerunt decorati: Menenius, maiore & honoratiore, vectus curuli regiáque sella: at Postumius minore & minus honorato, quem Romani vocant ouationem, deflexo nomine Græco in nomen obscurum & incertum. Nam primùm hæc ouatio dicta est ab euentu, & re ipsa ut & ego coniicio, & in multis Romanis historiis scriptum comperio: quod triumphi genus tunc primùm à senatu inuentum Licinius prodidit. Differt autē ab altero, primùm quòd in ipsa ouatione dux cum exercitu urbem ingreditur pedibus non autem curru, ut ille

qui

qui maiore triumpho ornatur, deinde quia nō gestat togam pictam & clauis aureis distinctam, neque ornatur trabea qui est consulum & prætorum patrius cultus, at laurea corona redimitur: quinetiam hac in re altero est inferior quòd nō gestet sceptrum, in cæteris verò rebus illi est par. Ne autem Postumius honore æquaretur Menenio quamuis in pugna omnium maximè egregiam operam nauasset, in causa fuit ingens & ignominiosa clades quam paulò ante acceperat dum hostes insequeretur ardentius qua & multos de suis militibus amisit, & parum abfuit quin ipse quoque cum reliquis, qui fusi fugatique fuerant, in hostium potestatem veniret. His consulibus P. Valerius Publicola ex morbo moritur, omnium illius seculi Romanorum præstantissimus omnium virtutum genere iudicatus. Cætera igitur illius viri facinora, ob quæ admiratione & memoria est dignus, à me dici non est opus. In huius enim libri principio multa fuerunt dicta. Sed quæ omnium illius viri laudem maximè est admiranda, & quæ nondum est dicta, hanc existimo non esse prætereundam silentio, quia ceteros hoc præcipuè historiarum scriptores decere, non solùm res bello gestas à claris imperatoribus narrare, & si quod institutum præclarum & salutare ciuitatibus excogitatum in lucem ediderint sed etiam eorum vitæ rationem, si modesti, si temperantes fuerint, si patrios mores, & instituta perpetuò seruarint, ostendere. Ille igitur vir, qui cum tribus aliis præcipuis patriciis reges expulerat, & eorum bona publicauerat, & quater consulatum gesserat, & ex duobus grauissimis bellis confectis victoriam reportarat, & ob vtrumq; triumpharat, in priore quidem de Etrusca gente, in po-

steriore verò, de Sabinis, quum tales parandæ pecuniæ occasiones, & facultates habuisset, quas nullus vt turpes & iniustas criminari potuisset, tamen non fuit captus auaritia, quæ omnes hominis sabactos tenet, cogitque res inhonestas perpetrare: sed paruo patrimonio contentus temperantem & frugalem nullique cupiditati obnoxiam vitam constanter exegit & liberos suos in exigua re familiari educauit, tali genere dignos. Et omnibus demonstrauit, non eum esse diuitem, qui multa possidet sed qui paucis indiget. Frugalitatis autem, qua vir ille toto vitæ tempore est vsus, argumentum certum & minime dubium est ipsa rerum inopia, quæ post eius mortem apparuit. Nam ne tantum quidem fortunarum reliquit, quantum satis esset ad funeris elationem, & sepulturam tanto viro dignam: sed cognati cadauer eius ex vrbe elatum, miserè & tanquam hominis vulgaris cadauer crematuri & humaturi erant. At senatus cognita ingenti eius egestate, decreuit vt ex ærario sumptus ad eius funus suppeditarentur, & misericordia motus, locum vbi crematus & sepultus est, illi soli ex omnibus viris illustribus, qui vsque ad meam ætatem fuerunt, in vrbe prope forum assignauit. Hic autem locus omnibus illius gentis posteris, vt sacer, ad sepulturam est concessus bonum quibuslibet opibus & regnis præstantius, si quis non voluptatibus, sed honestate felicitatem metiatur. Valerius igitur Publicola licet nihil præter res ad victum necessarias sibi comparare voluisset, tamen instar alicuius opulentissimi regis ab ipsa reip. splendido funere fuit elatus. Et omnes matronæ Romanæ eum communi consensu, eodem modo quo Iunium Brutum, depositio auro & purpura

per

per integrum annum luxerunt, vt in necessariorum & cognatorum funeribus lugere solent.

7 ¶ ANNO sequenti consules facti Spurius Cassius cognomine Viscellinus, & Opiter Virginius Tricostus. Quibus consulibus bellum quod cum Sabinis gerebatur, ab altero consule Spurio confectum est magno prælio ad Cures commisso in quo cæsa sunt Sabinorum millia decem & trecenti præterea capta circiter quatuor millia. Hac postrema clade perculsi Sabini legatos miserunt ad consulem qui de pace agerent. Quum autem Cassius ad senatum eos relegasset & Romam illi venissent, vix multis precibus amicitiam & pacem impetrare potuerunt, frumento exercitui dato quantum imperauit Cassius, & certa pecuniæ summa viritim mulctati, & agri culti decies mille iugeribus priuati. Spurius igitur Cassius ex hoc bello triumphans rediit. Alter verò consul Virginius, Camerinis qui in bello à pop. Rom. societate defecerant cum dimidia exercitus parte arma intulit, nullique declarauit quò esset iturus, & noctu iter confecit, vt oppidanos imparatos, & sui hostilis aduentus penitus ignaros adoriretur. Id quod accidit. Accessit enim ad ipsa mœnia quum iam dies illucescere inciperet, antequàm ab vllo ipsius aduentus præsentiretur & antequam castra metaretur, arietes, & scalas muris admouit & omni oppugnationis genere est vsus. Camerinis verò repentino eius aduentu perculsis & aliis consentibus portas aperiendas, & consulem recipiendum, aliis verò totis viribus resistendum, neque vt in vrbem hostes ingrederentur permittendum, interea dum illi tumultuantur, & inter se contendunt, consul portas effregit, eorumq; munitiones qua parte humillimæ erant, scalis superatas occupauit, & vi vrbem cepit. Per totum

gitur illum diem & noctem sequentem suis militibus permisit vt bona oppidanorum ferrent & agerent ac diriperent. Postero die quum captiuos in vnum locum cogi iussisset, omnes defectionis autores securi percussit, reliquam turbam sub hasta vendidit, & ipsam vrbem euertit. OLYMPIADE autem septuagesima quarta vicit in stadio Nicæas Locrensis Opantius, archonte Athenis Myro consules creati Postumius Cominius, & Titus Largius. His consulibus Latinorum populi à pop. Rom. amicitia defecerunt, Octauio Mamilio, qui erat gener Tarquinij vniuscuiusque ciuitatis primoribus, partim pollicitationibus munerum partim precibus persuadente, vt exulibus in patriam redire conantibus opem ferrent. Indictúque commune concilium ad Ferentinum, quò omnes conuenerunt præter solos Romanos. His enim solis non nunciarunt quemadmodum ante solebant, vt adessent. In eo autẽ concilio oportebat eos populos bellum decernere & duces creare, & de cætero apparatu cõsultare. Fortè autem eo tempore M. Valerius, vir consularis, à pop. Rom legatus fuerat missus ad finitimos populos, vt eos rogaret ne quid rerũ nouarũ molirentur. Nonnulli enim eorum agros finitimos latrociniis infestabant, à potentioribus missi & magnis detrimentis agricolas afficiebant. Qui vbi cognouit eorũ populorũ cõmunem consentum haberi, vt omnes bellũ decernerent profectus ad id concilium, & petita dicendi copia ab ipsis concessus præfidibus, dixit se à pop. Rom. legatũ missum ad eos populos, qui latrones emittebant, vt rogaret eos vt fontes perquisitos, & inuentos sibi dederent ad supplicium, ex lege quam in fœderibus sanxerant, quando pacẽ fecerunt: vtque postularet ab illis, vt in posterũ cauerent, ne quod publicum

blicum delictum admitterent, quod suã amicitiam & cognationem dirimeret. Quũ autẽ videret omnes populos conuenisse ad bellum contra Romanos decernendum, & hoc ipsum cùm ex multis aliis cõiiceret, tum verò præcipuè quòd solis Romanis non denuntiassent vt ad conciliũ venirent quũ tamen in fœderis conditionibus scriptum esset vt cõmunibus cõciliis interessent omnes populi quotquot essent nominis Latini, idque ab ipsorũ conciliorum præsidibus euocati: mirari se dixit, quanã iniuria accepta, aut quo pop. Ro. crimine cõsessus præfides solam eã ciuitatẽ ad conciliũ nõ admisissent, quã omniũ primã adesse oportuerat, & primã rogari sententiam, vtpote quæ gentis principatum obtineret, quæ sibi ab ipsis vltrò pro multis & magnis beneficiis acceptis oblatũ accepisset. Postea Aricini petita dicendi copia Romanos accusabant, quòd ipsi, qui sui erãt cognati, bellũ Etruscum cõtra se suscitassent, & quãtum in ipsis fuisset, omniũ Latinorũ populorũ libertatẽ Etruscis prodidissent. Et rex Tarquinius renouãs cũ omnium illorũ populorũ rep. percussa amicitiæ & societatis fœdera, rogabat eos vt iusiurandum seruarent confirmarẽntque, & se in regnum reducerent. Et Camerinorum & Fidenatum exules, alij quidem patriam captam, suúmque exilium: alij verò seruitutem & vrbis euersionem deflentes eos ad bellum adhortabantur. Postremus verò Mamilius, Tarquinij gener, qui eo tempore apud Latinos plurimùm poterat quum surrexisset, longa oratione in populum Romanum est inuectus. Quum autem Valerius omnia crimina obiecta dilueret, & iure superior esse videretur, illo die in accusationibus & purgationibus consumpto, nullum consultationi finem imposuerunt, nec quicquam certi decreuerunt. Se-

quenti die præsides consessus, non introductis amplius Romanorum legatis in concilium: sed Tarquinio & Mamilio, & Aricinis, & cæteris quicunque voluissent pop. Rom accusare, facta dicendi potestate, quũ omnes audissent, decreuerunt rupta esse fœdera à Romanis, & Valerio legato responsum dederunt se per otiũ deliberaturos quonammodo iniurias, quibus illi cognationis iura violarant, ulturi essent. Interea autẽ dũ hæc geruntur, coniuratio contra ipsam vrbem facta est à multis seruis, qui communi consensu decreuerunt arces oppugnare, & vrbem multis in locis incendere. Re autẽ indicata ab illius coniurationis conscijs, cõfestim portæ à cõss clausæ & munitissima quæque vrbis loca ab equitibus occupata, & statim fontes partim in priuatis ædibus cõprehensi, partim in foro correpti, omnes ad vnũ in crucem sublati fuerunt. Atque hæc quidẽ his cõss sunt gesta. DEINDE consulibus Seruilio Sulpitio Camerino, & Manio Tullio Lõgo, quidã Fidenates quũ milites à Tarquiniis accersiuissent, arcẽ occuparunt, & aduersæ factionis ciuibus partim cæsis, partim expulsis, effecerũt vt rursus ea ciuitas à pop. Rom. deficeret: & quũ legati Romani eò venissent, ciuibus suaserũt vt eos tanquã hostes tractarent. Sed à senioribus impediti eos ex vrbe expulerũt, neque illis dicendi potestatẽ facere neque etiã eos audire voluerunt. His rebus cognitis senatus Romanus nondum Reip. Latinorum bellum inferre volebat quòd intelligeret non omnibus placere ea quæ à primoribus concilij fuerant decreta sed in vnaquaque ciuitate ipsos plebeios bellum recusare, & plures esse qui censerent fœdera adhuc esse integra, quàm qui ea rupta dicerent. Cæterùm contrà Fidenates alterum consulem Manium mittere decreuerunt cum

magno

magno exercitu, qui eorum agro sine vllo metu impunè vastato quòd nullus eum defenderet, castris ad ipsa mœnia positis cauebat ne vllus commeatus aut arma in vrbem portarentur, néve vllũ aliud auxiliũ oppidanis ferretur. Fidenates igitur obsessi ad Latinorũ populos legatos miserunt, rogantes vt sibi celeriter auxilium mitterẽt. Principes verò Latinorũ indicto populorum concilio, & Tarquiniis & obsessorũ legatis qui eò venerant, facta rursus dicẽdi potestate, cõuocarunt suos assessores ad sententiam ferendam de ratione belli cũ pop. Rom. gerendi, à natu maximis & clarissimis quibusque viris initio facto. Quũ autem multa verba fuissent facta, ac primùm quidem de ipso bello, an esset decernendum, qui totius consessus erant turbulentissimi, censebant regem in regnum esse reducendum, & suadebant vt Fidenatibus supplicia ferrentur, id agentes, vt ipsi militibus præficerentur, & vt res magnas tractarent. Potissimùm verò illi qui in sua quique patria principatum & tyrannidem affectabãt, quã opera Tarquiniorum, si in regnum restituti fuissent, se adepturos sperabant. Opulentissimi verò & æquissimi quique ciuitatum viri in fœdere permanendum censebant, neque temerè arma capienda. atque hi apud plebem authoritate plurimum valebant. A pacis igitur suasoribus repulsi qui ad bellum adeò erant propensi, tandem hoc concilio persuaserunt, vt Romam mitterentur legati, qui populum Romanum rogarent, & simul ei suaderent, vt Tarquinios in vrbem reciperent, & cæteros exules, ea conditione vt illis impunitatem concederent, & omnem veterum iniuriarum memoriam deponerent, vtque his rebus iureiurando confirmatis patrio more rempublicam administrarent, & à Fide-

nis copias abducerent, quique declararent se non passuros vt cognati & amici patria carerent. Quòd si neutrum horum facere voluissent, tunc se de bello deliberaturos, idque fecerunt non quòd ignorarent Romanos neutrum esse facturos: sed quòd honestas & speciosas belli causas quærerent, & existimarent à se aduersarios suos interea officiis & beneficiis deliniri posse. His decretis, & dato anno integro Romanis ad deliberandum, sibi verò ad bellum apparandum, & legatis arbitratu Tarquinij designatis, concilium dimiserunt. Dispersis autem Latinis per vrbes, Mamilius & Tarquinius animaduertentes ipsam plebem ad pacem & fœdera pronam esse, externas spes, vt non admodum certas, missas fecerunt. Sed mutata sententia bellum ciuile, & inexpectatum, & quod caueri ac vitari non posset in ipsa vrbe conciare dolosè conabantur, pauperes contra diuites ad seditionem impellentes. Tum autem magna plebis pars, præcipuè verò egena, & ea quæ ære alieno premebatur, commouebatur, & alieno animo à republ. erat, ita vt in posterum nullam eius curam gerere nec ei fauere cogitaret: fœneratores enim in sua potestate immoderatè se gerebant, & obæratorum corpora in vincula abducebant, quibus nō aliter quàm empticiis mancipiis abutebantur.

8 ¶ His rebus cognitis, Tarquinius misit in vrbem vnà cum legatis Latinorum quosdam homines minimè suspectos, qui pecuniam secum ferebant. Hi cum egenis & audacissimis quibusque in colloquium venientes, & partim illis iam largientes pecuniam: partim, si reges in vrbem rediissent, promittentes, plurimos ciues corruperunt. Factáque est coniuratio contra optimates, non solùm ab ipsis ingenuis egenis, sed etiam

à seruis

à seruis improbis spe libertatis inductis, qui ob suos conseruos superiore anno supplicio affectos, infensi dominis suis, iisque insidiantes, tum quòd sibi ab illis fides non haberetur, tum quòd illi essent suspecti, quasi ipsi quoque aliquando, si occasionem fuissent nacti, eos essent aggressuri, lubenter iis qui se ad eos inuadendum incitabant, paruerunt. Illorum autem coniurationis hæc erant capita. Principes coniurationis oportebat nocte obscura obseruata, arces & loca vrbis munita occupare: ipsos verò seruos, quum primùm sensissent loca opportuna ab illis occupata, (hoc autem ipsi ex clamore edito cogniturierãt) dominos dormientes interficere: hisque rebus confectis, domos diuitum diripere, & portas tyrannis aperire. At diuina prouidentia, quæ semper & aliàs vrbem eam ex periculis eripuit, & ad mea vsque tempora incolumem etiam tuetur, eorum consilia detexit, re ad alterum consulem Sulpicium delata per indicium duorum fratrum Tarquiniorum, Publij & Marcij Lanuentinorum, qui inter illos coniuratos erant præcipui, & qui diuina quadam necessitate rẽ indicare coacti fuerunt. In somnis enim obuersabantur ipsis horribiles quædam species, quæ graues pœnas minabantur, nisi cœptis & conatibus illis desisterent, & se à quibusdam dæmonibus exagitari & verberari, oculósque sibi effodi, denique multa alia miseranda perpeti putabant. Quibus rebus perterriti, & metu trepidantes excitabantur & ne somnum quidem ob hæc terriculamenta capere poterant. Primùm igitur quibusdam sacrificiis auerruncatoriis & expiatoriis, istos dæmonas à quibus infestabantur, auertere conabantur, sed quum nihil proficerent, ad vaticinia confugerunt, consilium ipsum coniurationis

silentio tegentes, sed hoc solum cognoscere volentes, an tempus iam esset peragendi quæ in animo haberent. Vate autem respondente eos prauam & exitialem inire viam, & nisi sententiam mutassent fœdissimo mortis genere perituros: illi veriti ne ab aliis anteuerterentur, hæc arcana consilia consuli, qui tunc erat in vrbe, indicarunt. Consul, laudatis iis, & se multa beneficia in illos collaturum pollicitus, si eorum facta verbis respondissent, eos apud se domi retinuit, nulli re indicata: Latinorum verò legatis, quibus ad eam vsque diem responsum dare distulerat tunc introductis in curiam ex Senatusconsulto ita respondit. {AMICI nostri & cognati, domum reuersi nuntiate Latinorum Reipublicæ, neque antea Tarquiniensibus orantibus tyrannorum reditum concessisse, neque postea omnibus Etruscis eadem postulantibus, & Porsenæ ductu bellum sibi longè omnium grauissimum inferentibus cessisse: sed post vastatos agros, villásque in suo conspectu incensas, obsidionem pro communi libertate pati maluisse, quàm facere imperata quæ non placerent. Et demiramur vos, Latini, quòd, quum hæc sciatis, nihilominus tamen imperetis vt tyrannos recipiamus, & Fidenarum obsidionem soluamus, & bellum nobis, nisi imperata fecerimus, minari audeatis. Desinite igitur frigidas istas, & minimè probabiles odij bellique causas præexere, &, si propterea estis cognationis vincula dissoluturi, & bellum decreturi, rem amplius ne differatis} Quum hæc legatis responsa dedisset, eósque extra vrbem esset prosequutus, postea senatui occultam coniurationem patefecit, quam ex indicibus cognouerat: & acceptа

ptâ ab illo summa potestate inquirendi socios illius occultæ conspirationis, & animadvertendi in eos qui in eo numero fuissent inventi, non est ingressus viam arrogantem & tyrannicam, quemadmodum alius quispiam fecisset, ad tantas redactus angustias: sed rationi consentaneam, & tutam, & formæ civitatis, quæ tunc erat, convenientem est sequutus. Neque enim domi correptos, & à coniugibus, liberis & parentibus abstractos cives ad capitale supplicium duci voluit: cogitans quàm miserabile futurum esset si unusquisque propinquorum ultimum vale suis necessariis diceret & veritus ne fortè desperatione adducti ad arma recurrere inciperent, & ad civilem sanguinem iniustè profundendum se cogerent. Neque indicia ipsis constituenda censebat, considerans omnes inficiaturos, & indices nulla certa & minimè dubia argumenta habituros, præter ipsum indicium, cui fide habita cives noxios capite essent damnaturi. Sed novum quoddam doli genus excogitavit, quo rerum novarum studiosos detexit, & quo effecit ut primùm ipsi conjurationis duces nullo cogente in unum locum venirent: deinde minime dubijs argumentis convincerentur, ita ut nullus purgationi locus illis relinqueretur. Præterea non in locum aliquem desertum coacti, neque ubi à paucis testibus convincerentur, sed in ipso foro, omnibus inspectantibus deprehensi, merito supplicio afficerentur, & nullus tumultus in urbe excitaretur, nec ullus aliorum motus fieret: quemadmodum solet accidere quum supplicium sumitur de iis qui rebus novis student, præsertim periculosis temporibus. Hic alius fortasse

existimaret satis esse ipsam rei summam persequi, comprehensos à consulibus coniurationis clandestinæ socios & capitali supplicio affectos, credens his rebus narratione prolixiore opus non esse : at ego ipsum etiam modum, quo illi fuerunt comprehensi, dignum qui scriptis proderetur existimans, statui silentio minimè præterire : illud cogitans historiæ lectores non satis capere utilitatis, si ipsum solum rerum exitum audiant. Nam unusquisque vult ipsas etiam rerum causas quærere, & modos quibus res peracta sit & mentem eorum qui rem peregerunt, & varios fortunæ casus, & quantum illis fortuna vel fauerit vel aduersata fuerit : denique nullas rerum circumstantias præterire. sed omnes audire cupit. Hominibus verò rempublicam tractantibus puto valde necessariam esse harum rerum cognitionem, vt in similibus casibus exempla in promptu habeant quæ sequantur. Modus autem quem consul excogitauit vt coniuratos comprehenderet, talis fuit. Delectis è senatorum numero qui ætate & viribus maximè valebant, illis imperauit, vt simulatque signum à se accepissent, cũ fidissimis amicis & cognatis loca vrbis munita & suis domicilijs proxima occuparent. Ipsos quoque equites præmonuit, vt in opportunissimis circa forum ædibus cum gladijs præsto adessent, facturi quicquid imperatum fuisset. Sed ne fortè, dum fontes comprehenderentur, eorum propinqui alijve ciues aliquid noui molirentur, néve rebus perturbatis cædes inter ciues fierent, missis literis ad suum collegam qui Fidenas obsidebat, significauit ei vt noctis initio cum lectissima totius exercitus parte ad

vrbem

vrbem veniret & prope mœnia in montano loco castra poneret. His rebus præparatis, iudicibus imperauit vt ad coniuratorum principes venirent in forum circa mediam noctem eum fidissimis quibusque socijs: quasi vbi ordinem & locum & tesseram accepturi, & audituri essent quid vnicuique faciendum esset. factum est ita. Postquam autem omnes cum suis socijs in forum conuenerunt, dato signo illis incognito, confestim omnes arces repletæ sunt hominibus, qui pro republica arma ceperant & totum forum circum circa ab equitibus custodiebatur, nec vlla discedere volentibus euadendi facultas relinquebatur. Eodem tempore, alter consul Manius motis castris à Fidenis in campum Martium cum exercitu aduenit. Statim autem simulatque dies illuxit consules militibus armatis stipati tribunal processerunt & per omnia vrbis compita edici per præcones iusserunt, vt populus ad concionem veniret: & quum tota vrbana turba eò confluxisset, illis declararunt coniurationem factam de reuocando in vrbem tyranno & ipsos indices in medium produxerunt. Postea, facta omnibus sui purgandi potestate, si qui fortè fidem indicium in dubium vocarent, vbi nemo rem inficiari est ausus, è comitio in curiam digressi, de iis sententias in senatu rogarunt: & scripto senatusconsulto ad concionem sunt reuersi, ipsúmque senatusconsultum recitauerunt. Factum autem erat in hanc sententiam, Tarquiniis qui coniurationis indicia detulerant, ius ciuitatis dandum, & vtrique eorum argenti decies mille drachmas & de agro publico viginti iugera: coniurationis verò socios capite plectendos, si ita populo placuisset. Quum autem totus po-

pulus qui eò confluxerat ratum fecisset senatusconsultum consules iussis primùm secedere è foro qui ad concionem conuenerant, deinde vocatis lictoribus qui gladios habebant, imperarunt vt omnes coniuratos interficerent. His verò omnes eiusdem crimnis socios in eo ipso loco, in quo fuerant conclusi, corona cinxerunt, & contrucidarunt. His autem interfectis consules nullum amplius iudicium admiserunt aduersus quenquam eius coniurationis socium, sed omnes qui præsentem pœnam effugissent eo crimine absoluerunt, vt omnis tumultus materia penitus ex vrbe tolleretur. Qui igitur coniurationem fecerant, hoc modo perierunt. Senatus autem quum censuisset omnes ciues lustrandos esse, quòd ciuilis cædis autores fieri coacti fuissent, ita vt nefas illis esset sacris interesse & sacra auspicari, antequam id piaculum fuisset expiatum, & calamitas illa solennibus lustrationibus fuisset lustrata postquam quicquid pium sanctúmque erat peractum est more patrio ab iis qui rem diuinam procurabant tum demum sacrificia vt dijs ob Rempublicam seruatam gratias agerent, & ludos fieri suo decreto iussit, ad quæ celebranda tres dies sacros statuit. Quum autem alter consul Manius Tullius in sacris ludis Romanis, ab ipsa vrbe denominatis, de sacro curru decidisset in ipso circo & tertio die post illam pompam obiisset, per reliquum spatium temporis, quod erat breue, ipse Sulpicius magistratum solus gessit.

9 ¶ SEQVENTI autem anno consules creati fuerunt Publius Veturius, & Publius Aebutius Eluas. Horum alteri Aebutio inquam res vrbanæ commissæ quia non parua custodia opus ipsis esse videbatur, neque alius nouus tumultus à pauperibus exoriretur.

tur. Veturius verò cum dimidia exercitus parte, agrum Fidenatem vastauit nullo prohibente, & obsessam vrbem continuis tentabat oppugnationibus: sea quum non posset eam obsidione expugnare, vallo fossaque eam cinxit, vt oppidanos fame ad deditionem compelleret. Fidenatibus verò iam laborantibus Latinorum auxilia venerunt, quæ misit Sextus Tarquinius, vnâ cum frumento & armis & cæteris rebus ad bellum necessariis, quibus rebus freti ausi sunt cum paruis copiis ex vrbe egredi, & castra sub dio ponere. Itaque circumuallatio Romanis nihil amplius proderat, & res prælio indigere videbatur. pugnatúmque est prope vrbem aliquandiu æquo marte: sed tandem Romanorum duritia & laborum tolerantia, quæ ob diuturnam exercitationem in illis inerat, Fidenates quamuis numero longè essent superiores, tamen à paucioribus loco pulsi, fugæ se dederunt: sed cædes non ingens facta, tum ob propinquum refugium, tum etiam quia qui in muris erant, ipsos hostes insequentes repellebant. Postea sociorum copiæ dispersæ in diuersas partes abierunt, nec vlla in re oppidanos iuuerunt. Ipsa verò ciuitas iterum ad easdem angustias redacta est, & rerum omnium ad victum necessariarum inopia laborabat. Eodem tempore Sextus Tarquinius cum copiis Latinorum profectus est ad Signiam quæ à Romanis detinebatur, sperans se primo impetu id castellum occupaturum. Sed Romanis qui in eo erant strenuè pugnantibus, multum temporis ibi triuit nulla re gesta, quæ esset memoratu digna: & hac quoque spe frustratus missio à consulibus præsidio, commeatu & auxilio,

soluta obsidione copias suas abduxit. SEVENTI anno Romæ creati consules Titus Largius Flauius & Quintus Cloelius Siculus. Cloelio rerum urbanarum cura & administratio à senatu commissa, ut cum dimidia exercitus parte caueret ne quid turbarum ab hominibus qui nouis rebus studebant, excitaretur. Is enim vir mitis ingenij & popularis videbatur. At Largius ad bellum contra Fidenates instructum duxit exercitum, rebúsque necessariis ad obsidionem paratis abiit. Fidenates autem belli diuturnitate fatigatos & inopia rerum omnium ad victum necessariarum laborantes infestabat grauiter, ipsa murorum fundamenta cuniculis subruens, & aggeres excitans, & machinas bellicas ad muros admouens, neque interdiu, neque noctu oppugnationem intermittens, breui urbem se expugnaturum existimans. neque enim Latinorum populi, quibus solis Fidenates freti bellum illud tolerabant, tunc poterant eos seruare. Nullus enim populus per se poterat eos obsidione liberare. Nondum autem omnes totius gentis copiæ coactæ erant, sed sæpe illis legatos mittentibus, principes earum ciuitatum eadem respondebant, auxilia ipsis breui uentura. Res autem ipsis promissis nullo modo respondebant: sed uerbis tantum auxilij spes fouebatur. Non tamen penitus de Latinorum auxiliis Fidenates desperarunt, sed illa spe sese fouentes, acerba quæuis mala obstinato animo perferebant. Præcipuè autem dira fames, malum intolerabile, eos premebat, multósque mortales confecit. Sed calamitatibus iam fractis legatos ad consulem miserunt inducias ad certum dierum numerum petentes ut interea deliberarent de pace

cum Romanis facienda, & de conditionibus quibus ea fieret. Sed reuera tempus postulabant, non deliberandi, sed auxilij comparandi causa, vt ex transfugis quibusdam compertum est quàm maxime venerant. Superiore enim nocte nobilissimos ciues, & qui plurimùm apud Latinorum populos poterant, legatos ad eorum rempublicam supplicum more ornatos miserant. His igitur rebus cognitis, Largius legatis inducias petentibus imperauit, vt armis depositis & apertis vrbis suæ portis, tunc demum secum agerent, alioqui neque pacem, neque inducias, neque aliud quidpiam humanum moderatiùm ve à populo Romano illos imperaturos dixit. Ne autem legati ad Latinam gentem missi in vrbem redirent, cauit omnibus itineribus quæ ad oppidum ducebant, custodia accuratè intercluſis: quare qui obsidebantur coacti sunt desperatis auxilijs externis ad preces confugere, & veniam ab hostibus petere. Itaque conuocata concione decreuerunt conditiones pacis quascunque victor dedisset æquo animo accipere. Adeò autem mores ducum illius seculi ciuiles ac modesti erant, & ab omni tyrannica arrogantia alieni, (quam pauci admodum nostræ ætatis duces potestatis magnitudine elati effugere potuerunt) vt consul oppido per deditionem recepto, nihil de sua sententia fecerit, sed iussis ciuibus arma deponere & præsidio in arce relicto, ipse Romã venerit, & coacto senatu ei permiserit vt consultaret qua ratione quóue modo illi qui se dedidérant tractandi essent. Patres læti ob tantum honorem sibi à consule delatum æquum esse censuerunt vt nobilissimi quique Fidenates, & defectionis autores quos consul nominasset, virgis cæsi capite plecterentur. De cæterisverò rebus

ei potestatem fecerunt, vt quicquid voluisset suo arbitratu faceret. Largius verò totius negoty arbiter factus, pauces quosdam Fidenates ab aduersa factione accusatos inspectantibus omnibus interfecit, eorúmque bona publicauit. Cæteris verò permisit vt patria sua, suisque bonis fruerentur, dimidiámque agri partem illis ademit, quam diuisit Romanis militibus quos in vrbe reliquerat ad arcis præsidium. His rebus gestis copias domum reduxit. Quum autem nuntiatum fuisset Latinis Fidenas captas, omnes populi erecti & terroris pleni erant, & Reipublicæ principibus vt sociorum proditoribus infensi omnes erant. & ad Ferentinum coacto concilio, vi qui arma capienda censebant, multis inuecti sunt in belli dissuasores: præcipue verò Tarquinius & gener eius Mamilius & Articinorum principes, quorum popularibus concionibus moti quotquot Latini nominis erant, bellum communi omnium consensu aduersus Romanos susceperunt, & ne quis populus Reipublicæ societatem proderet, néve sine communi omnium consensu pacem priuatim antè alios faceret se mutuò iureiurando obstrinxerunt, & eos qui fœderis huius conditiones non obseruassent fœdifragos & execrandos ac pro hostibus ab omnibus habendos suo decreto censuerunt. Principes autem qui hæc in fœderibus scripserunt & iusiurandum iurarunt, hi fuêre, Ardeatæ, Aricini, Bouillani, Bubetani, Corani, Cornetani, Gabini, Laurentini, Lanuuini, Lauinienses, Labicanni, Nomentani, Norbani, Prænestini, Pedani, Querquetulani, Satricani, Scaptini, Setini, Telleni, Tiburtini, Tusculani, Tricrini, aliis Trebani, Veliternè. Ex omnibus his populis habito iuniorum delectu,

lectu, tantum copiarum contractum est quantum Octauio Mamilio & Sexto Tarquinio ducibus satis esse visum est. Ad illos enim summam rerum & imperium detulerant. Vt autem honestas belli causas habere viderentur, ex unoquoque populo nobilissimos viros Romam legatos miserunt, qui in curiam introducti, dixerunt populum Romanum accusari à populo Aricino, quòd quum Etrusci bellum Aricinis inferrent, non solùm illis per agrum suum tutò transire permiserint, sed etiam illos adiuuerint rebus quibuscunque ad bellum indigebant, & eos qui ex prælio effugerant receperint, omnesque saucios & inermes seruarint, quum tamen minimè ignorarent illos omnibus populis eiusdem gentis bellum intulisse: & si Aricinos subegissent, nihil futurum fuisse impedimento quominus reliquos quoque populos subigerent. Si igitur vellent ipsi iure cum Aricinis experiri ad commune Latinorum iudicium profecti, atque stare iis, quæ ab omnibus iudicata fuissent, dixerunt bello illis non fore opus. Quòd si solita arrogantia vsi, nihil æqui, nihil moderati suis cognatis concedere voluissent, minabantur bellum illis omnes Latinos totis viribus illaturos. Quum igitur legati populum Romanum ad hæc inuitarent, senatus nolens iure cum Aricinis experiri, quòd ipsi accusatores criminum obiectorum iudices futuri essent, & existimans hostes suos non fore contentos, si de his tantùm cognoscerent & iudicarent, sed etiam addituros his longè grauiora imperata, bellum suscipere decreuit. Et quod ad fortitudinem & rei militaris peritiam attinet, arbitrabatur populum Romanum nullam accepturum calamitatem, at hostium multitudinem formidabat. Quare, missis va-

rias in partes legatis, finitimos populos ad belli societatem solicitabat. Sed ipsi quoque Latini legatos ad eosdem populos mittebant. & grauiter populum Romanum accusabant. Hernici igitur communi concilio habito, suspecta quædam & minimè sincera responsa vtrique legationi dederunt, dicentes se neutris in præsentia auxilia missuros sed se deliberaturos per otium, vt cognoscerent vtrorum postulata essent æquiora, & ad eam consultationem anno sibi opus esse. Rutuli verò palàm professi sunt se auxilia Latinis missuros: Romanis verò si inimicitias deponere voluissent, pollicebantur fore vt ipsis Latinos æquiores redderent, & ipsarum pacis conditionum arbitri essent. Volsci demirari se dixerunt Romanorum impudentiam, qui conscij sibi cùm aliarum iniuriarum tum illius nouissimæ, quod optimam agri partem sibi adeptam retinerent, nihilominus tamen se hostes ad societatem belli soli itare audederent: illisque suadebant vt restituto agro, tunc peterent ab amicis id quod æquum esset. Etrusci verò vtrosque frustrabantur, dicebant enim cum Romanis recens fœdus ictum esse: & sibi cum Tarquiniis cognationem & amicitiam intercedere. Talibus acceptis responsis Romani non abiecerunt animos, id quod solet accidere iis qui magnum aliquod bellum suscipiunt, & qui nullam auxiliorum spem habent, sed solis suis domesticis copiis freti longè alacriores ad certamen facti sunt, vtpote ipsa necessitate coacti viri fortes in periculis futuri, & si sibi res ex animi sententia successisset, sua virtute bello feliciter confecto cum nullo gloriam partam communicaturi. Tanti spiritus, tantáque audacia ob longam rei militaris

militaris experientiam inerat.

10 ¶ QVVM autem res ad bellum necessarias apparārent, iámque milites conscribere cœpissent, in magnas difficultates & consilij inopiam inciderunt, quod non omnes pari alacritate nomina darent, neque operam suam offerrent. Qui enim erant egeni, & præcipuè qui suum æs alienum creditoribus dissoluere non poterant, quorum valdè magnus erat numerus, ad arma vocati non veniebant neque vocantibus parebant, & nulla in re patriciorum societ volebant esse, nihilque sibi cum illis esse dicebant, nisi prius debita senatusconsulto sibi remitterentur: quinetiam nonnulli eorum se vrbem deserturos dicebant, & mutuò se hortabantur ne desiderio vrbis incolendæ tenerentur, à qua nullius boni participes fierent. Aliquandiu igitur patricij eos consolari & hæc illis dissuadere conati sunt. Sed quum his hortationibus illi nihilo modestiores redderentur, ita demum coacto senatu, consultare cœperunt quánam honesta ratione vrbem tumultu liberare possent. Qui igitur erant clementioris ingenij & quibus mediocris erat facultatum census, autores erant vt æs alienum inopibus remitteretur, & paruo dispendio ciuium beneuolentia redimerentur, ex qua cùm singuli priuatim, tum vniuersi publicè magnos quæstus essent facturi. Huius autem sententiæ autor erat Marcus Valerius, Marci Valerij filius, vnius illorum qui tyrannidem euerterant, frater illius Publij, qui ob suam in populum beneuolentiam Publicola fuerat cognominatus: demonstrans illis in iis qui pro paribus præmiis certant, par etiam studium & gloriæ cupiditatem ad ipsas res gerendas innasci solere: in iis verò, ad quos nullus in-

de fructus & emolumentum redit, nunquam immaſcige neroſos ſpiritus. Addebat, irritatos eſſe omnes inopes, & per forum ambulantes dictitare. { Quid nobis proderit externos hoſtes vincere, ſi domi fœneratoribus ob noſtrum æs alienum licebit nos in neruum abducere? & ſi parto Reipublicæ imperio ipſi ne libertatem quidem noſtrorum corporum ſeruare poterimus? Et non ſolùm id periculum ipſis impendere demonſtrabat ſi plebs à ſenatu abalienaretur, ne vrbem in periculis deſereret, id quod omnibus publicæ ſalutis ſtudioſis eſt metuendum: ſed illud quoque quod cæteris longè grauius erat, ne tyrannorum blandimentis decepta, contra patricios arma caperet, Tarquiniumque in regnum reſtitueret. Hactenus igitur plebem verbis tantùm & minis vſam fuiſſe, nullum tamen improbum facinus patraſſe dicebat. Quare ſuadebat vt hac ope beneuolentiam plebis ſibi conciliarent, præſertim quum neque ipſi primi hoc inſtitutum eſſent conſtituturi, neque propter id in magnum dedecus incurſuri. ſed habituri multos, quorum exempla afferre poſſent, qui hoc & alia longè grauiora pertulerunt, quum nullum aliud remedium inueniri poſſet. Ne eſſitatem enim humana natura potentiore meſſe dicebat, & omnes cenſere tunc demum honeſtatis rationem habendam, quum res iam ſunt in tuto. Multis autem multarum ciuitatum exemplis enumeratis, poſtremùm attulit Reipublicæ Athenienſis, cuius nomen eo tempore ob ſapientiam celeberrimum erat, quæ non multis ante annis, ſed patrum ſuorum memoria remiſſionem debitorum pauperibus ſuaſu Solonis decreuerat. Ob quod factum à nullo reprehenſam fuiſſe dicebat, neque eius conſilij autorem ſeditio-

seditiosum aut improbum habitum: sed & eorum qui parum rant magnam prudentiam, & eius qui id suaserat, magnam sapientiam omnium testimonio laudibus efferri. Quis autem sana mente præditus vitio vertat Romanis, qui in periculo rerum non parui momenti versantur: sed ne iterum obiiciantur crudeli & quauis fera immaniori tyranno, si hac humanitate pauperes belli socios pro inimicis Reipublicæ reddiderint? Enarratis autem peregrinis exemplis tandem ad facta domestica transiuit, commemorans necessitates & angustias quibus paulo ante detinebantur, quum agro suo ab Etruscis occupato mœnibus inclusi, & ad magnam rerum ad victum necessariarum inopiam redacti nequaquam hominum insanorum & mortem appetentium mentem habuerunt, sed temporum iniquitati, qua premebantur, cesserunt, & ipsam necessitatem vtilitatis magistram acceperunt, obsidésque regi Porsenæ nobilissimorum virorum liberos dare sustinuerunt, nunquam ante hoc passi, & agri parte mulctari. Etruscis septem pagis cedentes, & hostis iudicio committere cognitionem criminum, quæ ipsis tyrannus obiiciebat, dato præterea commeatu, & armis, rebúsque aliis, quascunque Etrusci sibi, vt pax fieret, præberi postularunt. His igitur vsus exemplis, non eiusdem prudentiæ dicebat esse, hostibus quidem rem nullam quam petiuissent denegasse: cum suis verò ciuibus de re parui momenti contendere, qui pro imperio multa & egregia bella gessissent, quo tempore reges Rempublicam regebant, quique magnam animi alacritatem exhibuissent in liberanda à tyrannis Republica, & qui multo maiorem essent exhibituri in posterum, ad reliqua peragenda

hac ratione inuitati, victus quidem inopia laborantes, sed corpora & animas, quæ sola illis erant reliqua, periculis nequaquam parce obiicientes, dixitque quamuis illi præ pudore nihil tale auderent petere, neque enuntiare oportere tamen patricios rationem prout decet eorum habere, & quibuscunque rebus eos indigere cognoscerent, eas promptè & publicè & priuatim illis largiri, illud cogitantes superbè eos facturos si corpora ab illis petant, & tamen ipsi ne pecunias quidem eis largiantur, & si apud omnes se iactent se communis libertatis causa bellum gerere, & tamen suis adiutoribus eam eripiant, non quòd illis improbitatem possint exprobrare, sed inopiam, quæ miseratione potiùs quàm odio est digna. Hac oratione à Valerio habita, & multis eius sententiam laudantibus, App. Claudius Sabinus, suo loco sententiam rogatus, contrarium suasit. docens seditionem ex vrbe minimè sublatum iri nouis tabulis, sed longè periculosiorem fore si à pauperibus ad diuites transeat. Illud enim omnibus iam liquere, eos iniquo animo laturos qui suis pecuniis fraudabuntur, quum ipsi ciues sint, & viri insignes, & qui omnibus expeditionibus à Republica factis interfuerint, indignum esse censentes suum patrimonium, & ea quæ ipsi sua industria & parsimonia comparauerint, publicari nequissimis & ignauissimis omnium, & rem non ferendam iudicantes, eos qui aliena bona publicant, ea dominis eripere, qui iustè sibi ea quæsuerint. Quare ab ipsis petebat vt considerarent non à pauperibus, & iis qui nullas vires habent perdi Resp. quòd ipsa necessitate coacti in officio contineantur, sed à diuitibus, & qui res similes tractare possunt, quum ab inferioris cõditionis homini-

hominibus iniuria afficiuntur, & ius suum obtinere non possunt. Atq; licet illi qui pecuniis suis fraudabũtur, non iniquo sed quodãmodo æquo animo sint laturi & neglecturi suas iacturas, tamẽ ne sic quidem eos rectè aut sine periculo suo facturos dicebat, si tale domũ pauperibus donarent, propter quod à communi vita ac humana societate commercia tollerentur, & mutua odia nascerentur, & rerum necessariarum, sine quibus vrbes habitari nequeunt, penuria sequeretur. ipsis colonis agros non amplius serentibus, neq; quidquam in iis plantantibus, neq. ipsis mercatoribus mare nauigantibus, neque merces transmarinas permutantibus, ipsisq; pauperibus nulla alia iusta opera amplius facientibus. In hæc enim omnia, quotiescunque opus fuerit, nullum de diuitibus fore, qui pecunias suas temerè impendere velit, atque ita opes inuidiosas fore, & operandi studium euersum iri, potiorémque fore conditionem perditorum quàm frugi hominum, & iniustorum quàm iustorum, & eorũ qui res alienas interuertunt quàm eorum qui res suas seruant. Has autem esse causas seditionum in ciuitatibus, & mutuarum sine fine cædium, & cuiusuis alius malorum generis, ob quæ fortunatissimæ ciuitates libertate spoliantur, minus verò felices funditus euertũtur. Sed præcipuè censebat illis nouam reipublicæ formam constituentibus, cauendum ne qua praua consuetudo in eam ingrederetur, omnino necessarium esse dicens, vt qualia fuerint publica ciuitatum studia, talis etiam sit priuatorum vita. Nullã aũt peiorem esse consuetudinem aut ipsis rebus pub. aut familiis, quàm si vnusquisque semper pro sua libidine viuat, & si omnia à potentioribus concedantur inferioribus, siue id sponte, siue coacti faciant. Neq. enim

expleri hominum amentium cupiditates, si quæcunque petierint consequantur: sed continuò alia maiora appetere, & in infinitum progredi, hoc verò præcipuè multitudini accidere. Quæ enim vnusquisque solus aut pudore proprio, aut ab alio impeditus facere veretur, ea si more publico recipiantur ab eo in sua voluntate aliorum exemplo & consuetudine confirmato, facilius & audaciùs patrari dicebat. Quum igitur cupiditates vulgi stulti sint inexplebiles & infinitæ, earum principiis obstandum dicebat, quandiu sunt adhuc infirmæ, non autem quando iam ita sunt corroboratæ & auctæ, vt euelli nequeant. Omnes enim iniquiore animo ferre si rebus sibi concessis priuentur quàm si rebus sperati frustrentur. Vt autem hæc probaret, multis exemplis est vsus, Græcarum ciuitatum res gestas commemorans, quæ intempestiua lenitate, quam res ipsæ non requirebant, prauorum studiorum principia admiserunt, quæ postea neq; impedire, neque tollere potuerunt, ob quæ in fœdas & insanabiles calamitates coactæ sunt venire. Et rempublicam similem esse vni homini dicebat, in quo per quandam proportionem ac similitudinem animus senatum, corpus verò plebem refert. Si igitur patiantur plebem dementem imperare senatui, ita illos facturos dicebat, vt qui animum corpori subiiciunt, & qui non ex rationis præscripto, sed pro sua libidine viuunt. Quòd si assuefecerint plebem vt patiatur se regi & duci à senatu, ita facturos, vt qui animo corpus subiiciunt, vitæq; genus degũt & sectantur quod est optimum, non autem quod est iucundissimum. Nullam autem magnam iacturam à republica factum iri demonstrabat. Si inopes molestè ferentes tabulas no-

nas

uas sibi denegatas, nollent pro ea arma capere, omninò paucos quosdam esse dicens, qui præter ipsum corpus nihil sibi reliquerant, qui neque magnam aliquam vtilitatem reipublicæ afferre possent si expeditionibus interessent, neque damnum dare si abessent. Et illis in memoriam reuocabat, eos quorum minimus erat census postremum in bellis locum tenere, eósque additamentum quoddam legionum esse, tantummodo ad terrorem hostibus incutiendum sua præsentia, vtpote qui nulla alia arma gestarent præter fundas, quarum minimus est vsus in præliis. Illis verò qui ciuium paupertatem miseratione dignam censebant, quique suadebant iuuandos eos esse qui suum æs alienum dissoluere non possent, considerandum dicebat quænam esset eorum egestatis causa quum hereditates sibi à patribus relictas acceperint, & magnum quæstum in militia fecerint, & postremò tyrannorum bonis publicatis partem quique suam habuerint: deinde quos viderent ventri & fœdissimis voluptatibus indulgere, & propterea patrimonia absumpsisse, dedecus & detrimentum reipublicæ existimandos, & rempublicam magnum facturam quæstum si ipsi vltrò ex vrbe excederent, & in malam rem abirent: quos verò cognoscerent fortunæ iniquitate sua patrimonia amisisse, iis de bonis priuatis benefaciendum dicebat. Optimè enim hoc scire, & facturos dicebat eorum creditores, & illos ipsos eorum infortuniis opem esse laturos, non ab aliis coactos, sed sua sponte, vt pro pecunia illis credita præclara gratia ipsis habeatur. Omnibus verò communem opem ferre, cuius participes sint futuri æquè ipsi improbi atque probi, & non de suis facultatibus, sed de alienis beneficia in aliquos conferre, & quibus

pecuniæ auferuntur, his ne gratiam quidem pro beneficiis relinquere, hoc Romanæ virtuti minimè conuenire dicebat. Præcipuè verò dicebat rem esse longè omnium grauissimam, & minimè ferendum Romanis imperium sibi vendicantibus, si quæ maiores multis laboribus parta suis posteris reliquerunt, ea ipsi neque sua sponte, neque aliorum oratione adducti, neque eo tempore, quo potissimùm reipublicæ vtilitatibus, & commodis est consulendum, sed quasi capta vrbe, aut breui in hostis potestatem uentura, & ciuibus id formidantibus, contra suam voluntatem darent illis ex quibus aut nullam, aut certè perexiguam vtilitatem essent percepturi, & à quibus fœdissimas clades iam sibi imminentes essent accepturi. Longè enim ipsis esse satius Latinorum imperata, vt æquiora facere: neque belli fortunam experiri, quàm hominibus, quorum nullus prorsus esset vsus, concedere ea quæ peterent, atque ita de ciuitate fidem tollere, quam templo extructo, & sacrificiis anniuersariis maiores honorari voluissent, præsertim quum sibi ad eius belli societatem funditores essent ascituri. Summa autem eius sententiæ hæc fuit, vt ciues qui belli fortunæ participes esse vellent, ijsdem conditionibus, quibus & vnumquemque alium, assumerent sibi socios ad res gerendas. Eos verò qui quomodocunque de armis pro patria sumendis pasci vellent, valere sinerent, vt nihil profuturos si ea cepissent. Si enim hoc illi cognouissent, dicebat eos vltrò venturos, & obtemperaturos, ac operam suam oblaturos iis qui de republica optimè sentiunt. Omnium enim stultorum id semper esse ingenium, vt, quum quis ipsis assentatur, magnificè de se sentiant, at quum terror illis incutitur, sapiant. Hæ igitur

igitur sententiæ, maximè inter se discrepantes, fuerunt dictæ, & præter has multæ aliæ, quæ mediam quandam viam sequendam censebant. Alij enim censebant iis tantum remittenda debita qui nihil possiderent, ita vt creditoribus in ipsa tantùm bona, non etiam in corpora eius abducendi esset. Alij verò suadebant vt ex ærario dissolueretur æs alienum eorum qui soluendo non essent, vt fides pauperum hac munificentia publica seruaretur, & creditores eorum nullam iacturam facerent. Nonnulli etiam censebant, nexos nec tendósne in libertatem vendicandos: & facta permutatione, pro illis danda fœneratoribus alia bello quæsita mancipia. Quum igitur hisce de rebus multa hoc ferè modo fuissent dicta, vna sententia vicit, qua decretum fuit vt nullum in præsentia de iis rebus senatusconsultum fieret: at bello feliciter confecto, tunc demum consules ad senatum ea de re referrent, & senatoribus calculos distribuerent, eorúmque sententias exquirerent. Interea verò nulla fieret exactio pecuniarum, aut ex cõtractu, aut ex re iudicata debitarum, néve magistratus de vlla alia re cognoscerent, præterquam de iis, quæ ad bellum pertinerent. Hoc senatusconsultum ad populum elatum, aliquantulum tumultum eiusdem imminuit: verumtamen non propterea omnis seditio ex vrbe sublata est. Erant enim quidam de mercenariorum numero, qui non magnam in senatus auxilio spem collocandam censebant, quippe quòd nihil manifesti neque certi haberet. Quare postulabant vt senatus è duobus alterum faceret, aut sibi suum æs alienum remitteret, si se periculorum socios habere vellet, aut ne his dilationibus fucum sibi faceret. Dicebant enim

aliam esse mentem hominum egentium, aliam illorum qui abundant rebus omnibus quibus indigent.

II ¶ IN tali igitur rerum statu, senatus considerãs quánam potissimùm ratione posset efficere nequid nouarum rerum plebs ampliùs moliretur, decreuit in præsentia potestatem consularem tollere, alium verò magistratum cum summo imperio creare, belli & pacis, & omnium aliarum rerum arbitrum, à quo consiliorum factorúmve rationem reposcere non liceret. Atque huic nouo magistratui semestre tempus præfinitum est, vt eo exacto consules iterum reipublicæ gubernacula recuperent. Causæ autem quæ senatum coegerunt voluntariam tyrannidem subire, quò finem tyrannico bello imponeret, cùm multæ aliæ fuerunt, tum verò præcipuè lex lata à consule Publio Valerio Publicola, de qua antè egi. Nam consulum sententias irritas faciebat, ne in quempiam ciuem Romanum ante causæ dictionem animaduerteretur, permittens reis qui ad supplicium ducebantur, prouocare ab ipsis consulibus ad plebis iudicium, & donec ipsa plebs suffragia de illis tulisset, eorum corpora & bona in tuto esse iubens: qui verò aduersus hæc quidpiam facere ausus fuisset, eum impunè occidi iubebat. Videbat igitur, si hæc lex rata manssisset, pauperes magistratibus minimè obtemperaturos si cogerentur, contemptis (vt verisimile erat) supplicijs quæ non statim subituri essent, sed vbi à populo fuissent condemnati: sed si sublata fuisset, necessariò omnes coactos imperata facturos. At ne pauperes aduersarentur, si quis palàm ipsorum legem abrogari, magistratum qui parem tyrannicæ potestatem haberet, quæ legibus omnibus superior esset, in rem-

rempublicam inducere decreuit. Fecit itaque senatusconsultum, quo pauperes decepit, & legem, quæ libertatem illorum confirmabat, æstu clandestino sustulit. Tale autem fuit senatusconsultum, vt Largius & Cloelius, qui tum consules erant potestatem deponerent, & si quis alius magistratum gerebat, aut rerum publicarum procurationem habebat: vtque vnus, quem senatus elegisset, & populus suis suffragiis confirmasset, rerum omnium accepta potestate non amplius quàm semestre tempus imperaret, & moderatorem potestatem quàm consules haberet. Plebs quum ignoraret quamnam vim hoc haberet, senatusconsultum ratum fecit. (hic autem magistratus erat maior quàm dominatio legitima.) permisitque senatui vt ipse per se consultaret, eúmque qui imperaturus esset, eligeret. Postea principes senatus cœperunt valde accuratè quærere, & prouidè considerare quisnam idoneus esset cui hoc imperium traderetur. Videbatur enim illis respublica indigere homine industrio, & rei militaris non modicè perito, præterea prudente & sapiente, & qui præter potestatis amplitudinem, ad aliquam dementiam non adduceretur, sed præcipuè qui præditus esset reliquis artibus quæ in bonis imperatoribus requiruntur, qui seuerè imperare sciret, nec molliter contumacibus cederet, quo potissimum homine tunc ipsis opus erat. Quamuis autem omnia viderent quæcunque desiderabant, in altero consule T. Largio (Cloelius enim excellens artibus ciuilibus, industriæ militari, & rerum bellicarum studio carebat, neque erat imperiosus, neque etiam formidabilis: sed mitior in sumendo supplicio de iis qui dicto audientes

non essent) senatus tamen pudore quodam impediebatur, ne legitimum magistratum illi abrogaret, & huic largiretur utriusque potestatem, quæ speciem regia maiorem habebat. Quinetiam metus eum subibat ne Cloelius secum ipse reputans magistratum sibi quasi indigno ablatum, vt ignominia à senatu affectus, deinde sententiam mutaret & plebis patrocinium suscipiens totam rempublicam everteret. Omnibus igitur præ pudore suam sententiam in medium proferre cunctantibus, idque diu facientibus, tandem natu maximus, & honoratissimus inter viros consulares sententiam suam aperuit, qua ambobus consulibus honore pari seruato, ab illis ipsis virum magis idoneum ad imperandum ac eperunt. {Se enim censere dixit, quando & ita senatus decreuisset, & populus id suis suffragiis confirmasset, vt vni viro imperij summa committeretur, quòd hæc duo restarent quæ non parua consultatione & consideratione indigerent, cuius magistratus par regio esset dandus, & à qua legitima potestate is esset creandus: alterum ex iis qui tunc erant consulis siue collega cedēte, siue etiam sortitò aliquem alium ex ciuibus Romanis eligere debere, quem iudicaret optimè rempublicam administraturum, eiusque commodis consulturum. Inter regibus enim, penes quos antè in regio dominatu regem nominandi ius erat, quum respublica sanctum & legitimum magistratum haberet, in præsentia opus non esse dixit.} Omnibus autem eam sententiam collaudantibus, post eum alius surgens, ita est loquutus. {Ego verò, patres conscripti, hoc quoque huic senten-

sententiæ addendum censeo, quum duo viri spectatissimæ virtutis hoc tempore rempublicam administrent, quibus præstantiores alios vix inueneritis, alteri quidem summam nominandi potestatem dandam, alterum verò à suo collega creandum, vbi tamen prius illi inter se viderint vter ad id futurus sit magis idoneus, vt honore æquati, gaudio quoque pari fruantur, alter quidem quòd suum collegam virum optimum esse pronuntiarit, alter verò, quòd optimus à suo collega fuerit iudicatus. Vtrumque enim & iucundum & honestum. Equidem scio, etiamsi hæc pars addita sententiæ non fuisset, illos tamen ita facturos fuisse: attamen satius est id vobis volentibus fieri. Ea sententia omnibus placuit, & quum nihil à quoquam additum fuisset, senatusconsultum factum est. Vbi verò consules potestatem acceperunt dignoscendi vter ad imperandum esset aptior, admirandum quiddam & præter omnem humanam opinionem fecerunt. Vterque enim non se, sed suum collegam imperio dignum esse dicebat, & totum illum diem consumpserunt, dum alter alterius laudes recenset, & imperium deprecatur: ita vt patres conscripti valde inopes essent consilij. Dimisso autem senatu, cognati vtriusque, & honoratissimi quique cæterorum senatorum ad Largium profecti, eum vsque ad noctem precibus multis precati sunt: docentes in illo totam senatus spem esse sitam, & istam honoris ac imperij contemptionem reipublicæ damnosam esse dicentes. At ille immotus manebat, ipsisque constanter, partim precibus, partim obtestationibus diu restitit.

Postridie autem coacto iterum senatu, quum tunc etiam repugnaret, & licet omnes hoc ei suaderent, tamen de sententia non decederet, Cloelius surgens cum nominauit, vt facere solebant interreges, seque consulatu abdicauit. Hic primus Romæ dictator creatus est cum summa ac libera belli & pacis, aliarúmque omnium rerum potestate, noménque dictatoris ei impositum, siue à potestate iubendi & præscribendi aliis arbitratu suo quicquid vellet, quod iustum & honestum esset: (præcepta enim & præscriptiones rerum iustarum & iniustarum Romani edicta vocant) siue, vt nonnulli scribunt, quòd tunc dictus ac nominatus fuisset. Siquidem non à populo magistratum more patrio acceptum erat habiturus, sed ab vno viro creatus. Neque enim existimabant nomen inuidiosum & molestum imponendum magistratui, qui ciuitatis liberæ administrationem haberet, tum ipsorum subditorum causa, ne odiosis appellationibus perturbarentur, tum etiam vt cauerent ne iis qui magistratus acciperent, vel per imprudentiam ab aliis iniuria fieret, vel ipsi aliis faceret, quemadmodum homines in tanta potestate constituti facere solent: quandoquidem potestatis amplitudo, quam dictator habet, non satis ipso nomine declaratur. Romani autem videntur mihi hoc quoque institutum à Græcis accepisse. Qui enim olim apud Græcos αἰσυμνῆται vocabantur (vt Theophrastus scribit in libris de Regno) erant tyranni quidam electi. Eligebantur autem à ciuitatibus non certis temporibus, non in perpetuum, neque semper: sed pro temporum ratione, quoties id expedire

expedire videbatur, & ad certum temporis spatium, quemadmodum Mitylenæi quondam elegerunt Pittacum aduersus exules Alcæi poetæ socios. Hac autem ratione usi sunt ij qui primi utilitatem ipsa experientiæ cognouerunt. Principio enim omnes Græciæ ciuitates à regibus regebantur: non tamen, vt barbaræ gentes, tyrannicè: sed ex legibus & moribus patriis, optimúsque rex habebatur qui & iustissimus & legum obseruantissimus & qui nusquam à patriis institutis discedebat. Id quod ex Homero liquet, qui reges vocat διιπετέας & δημιοπόλους diúque regnatum est certis conditionibus, sicut apud Lacedæmonios. Sed postquam eorum nonnulli cœperunt ea potestate abuti, & rarò quidem uti legibus, plerunque verò pro sua libidine res administrare, multi Græciæ populi eam rem miquo animo ferentes, regna & id institutum sustulerunt, & legibus constitutis, & magistratibus creatis, his ciuitatum præsidiis uti cœperunt. Sed quum neque leges ab ipsis latæ iustitiam satis tueri possent, neque ipsi magistratus qui earum curam suscipiebant, legibus opem ferre possent, neque ipsa tempora quæ multas res innouãt, nõ optima instituta sed ea quæ maximè conuenirent casibus, in quos incidissent, eligere & sequi cogebãtur, nõ solùm autẽ in calamitatibus improuisis, sed etiã in nimia prosperitate, quum ob eam bona ciuitatum instituta corrumperentur quæ correctionem celerẽ & liberã postularent, cogebãtur iterum regias & tyrannicas potestates in medium producere, appellationibus honestioribus eas velantes. Sic Thessali ἀρχοὺς, Lacedæmonij verò ἁρμοστὰς vocabant, quos metu impediti vel tyrannos vel reges appellare nolebant, quòd ipsis nefas esset potestates quas iureiurando

& diris execrationibus deorum monitu sustulissent, restituere & iterum confirmare. Mihi igitur ab ipsis Græcis Romani hoc exemplum sumpsisse videntur, quemadmodum dixi. At Licinius existimat ab Albanis Romanos dictatoris creandi morem hausisse, quia asserit hos primos post Amulij & Numitoris obitum, deficiente regia stirpe, annuos magistratus creasse, qui eandem quæm reges habebant potestatem, eósque dictatores vocasse. Ego verò haud tam quærendum duxi unde Romana ciuitas hoc nomen sumpserit, quàm potestatis hoc nomine comprehensæ exemplum. Sed fortasse de hac re plura scribere præsentis operis non fuerit. QVAS verò res Largius primus dictator creatus gesserit, & quem ornatum huic magistratui addiderit, compendiosè narrare conabor, quia existimo vtilissima lectoribus hæc fore, quæ magnam copiam honestorum ac vtilium exemplorum præbebunt legislatoribus & iuuentutis doctoribus, & cæteris omnibus qui ad rempublicam administrandam animum appellunt: neque enim illaudatæ aut humilis ciuitatis instituta & vitæ rationes, neque ignobilium atque abiectorum hominum consilia aut res gestas sum narraturus, ita vt aliqua in re molestus sim futurus, & videar res paruas & leues nimis accuratè & verbosè persequi: sed de ea ciuitate sum actus, quæ omnia iustè & honestè statuit ac facit, & de ducibus qui eam ad hoc dignitatis fastigium perduxerunt: quarum rerum cognoscendarum si quis fuerit studiosus, is facilè & sapiens & ad ciuilia negotia aptus euadet. Simulatque igitur potestatem eam accepit, equitum magistratum dixit Spurium Cassium, qui consulatum gesserat olympiade septuagesima. Hic mos vsque ad nostram ætatem

à Roma-

à Romanis est seruatus, & nullus ad hanc vsque diem dictator sine equitum magistro dictaturam gessit. Deinde, quum vellet ostendere quanta esset eius potestatis vis ad terrorem potiùs quàm ad vsum lictoribus imperauit vt cum fascibus secures per vrbem sibi præferrent, patrio quidem more quo reges vtebantur: sed à consulibus intermisso, ex quo Valerius Publicola primus eum, dum consulatum gereret imminuit ad vitandam imperij inuidiam: at ab ipso tunc instaurato. His autem cæterisque regij principatus insignibus ciues turbulentos & rerum nouarum studiosos terruit, & primùm, ex longè optimo instituto Serui Tullij regis popularissimi, imperauit omnibus Romanis vt tributim suarum facultatum censum profiterentur, adscriptis vxorum & liberorum nominibus & sua liberorúmque ætate. Breui autem temporis spatio omnibus propter pœnæ magnitudinem censis, (qui enim non patuissent, bona & ciuitatem amissuri erant) puberum Romanorum inuenta sunt CL. millia & septingenti præterea. Postea segregauit à senioribus eos qui erant ætatis militaris, eósque in centurias distribuit, & diuisit pedites & equites in quatuor partes, quarum eam quæ ex lectissimis constabat militibus circa se habuit, reliquarum verò Cloelio in consulatu collegæ optionem fecit, vt quam vellet caperet: tertiam Spurio Cassio magistro equitum attribuit, at illi quæ erat reliqua fratrem Spurium Largium præfecit: hanc iussit cum senioribus manere in vrbe, eique præsidio esse. Quum autem res omnes ad bellum necessarias parasset, copias in loca aperta eduxit, & terna castra fecit ab ea parte, quâ potissimum Latinos cum infesto exercitu venturos suspica-

batur. Cogitans autem prudentium esse imperatorum non solùm res suas corroborare, sed etiam res hostium debilitare, præcipuè verò sine vllo prælio & labore bella conficere: sin minus, saltem cum minimo militaris multitudinis detrimento, eáque omnium bellorum pessima & molestissima ducens, quæ homines coacti contra cognatos & amicos suscipiunt, hæc æquitate aliqua potiùs quàm summo iure finienda existimabat. Quare, clàm mittens ad primores Latinorum homines quosdam minimè suspectos, suadebat ipsis vt de amicitia inter ciuitates conciliandà agerent. Et palàm missis legatis, cùm ad singulos populos, tum etiam ad eorum rempublicam, facilè effecit ne omnes amplius æquè ad bellum essent propensi. Huiusmodi autem beneficio de quo mox agetur, ipsos maximè sibi demerunt, & ab ipsis ducibus alienauit. Nã Mamilius & Sextus, ad quos totius belli summam Latini detulerant, in vrbe Tusculo copias continentes, parabant se vt Romam peterent: sed multum temporis in ea cunctatione consumebant, siue quòd expectarent populos eos qui nondum venerant, siue quòd litare non possent. Interea verò quædam pars à reliquo exercitu diuulsa agrum Romanum populabatur. Largius hac re cognita Cloelium in eos immisit cum fortissimis quibusque & equitibus & peditibus, qui quum illos ex improuiso adortus fuisset, paucos quosdam repugnantes interfecit, reliquos vinos cepit. Largius hos ex vulneribus refectos, & cæteris humanitatis officiis sibi deuinctos, simul omnes Tusculum nullo redemptionis accepto pretio remisit, & cum ipsis legatos Romanorum nobilissimos misit. Isti effecerunt, vt Latinorum copiæ dimitterentur, & induciæ in annum inter ciuitates fierent. His rebus gestis

stis. domum ex locis subdialibus exercitum reduxit, & nondum exacto toto imperij tempore, consulibus designatis dictatura se abdicauit nullo ciue Romano aut cæso aut patria pulso, aut alia graui calamitate affecto. Hoc præclarum istius viri exemplum postea omnes dictatores sequuti sunt vsque ad ætatem ab hac nostra tertiam. Nusquam enim in historia proditum reperimus, quenquam fuisse qui in hoc magistratu non gesserit se moderatè & ciuiliter, quamuis resp. sæpe fuerit coacta, legitimis magistratibus abrogatis rerũ summã vnius potestati permittere. Et si in externis bellis dictatores tantummodo egregiè patriam defendissent, imperij amplitudine non corrupti, hoc minus mirandum esset. Iam verò etiam in ciuilibus seditionibus, multis & grauibus, & in eiiciendis ijs qui in suspicionem vel regni vel tyrannidis affectatæ venerant, & in sexcentis aliis calamitatibus arcendis, quotquot tantam potestatem adepti sunt, omnes ad vnum sine vlla reprehensione primi dictatoris exemplum penitus sunt sequuti, ita vt omnes idem sentirent dictaturam esse cuiusuis insanabilis mali vnicum remedium, & extremam salutis spem cæteris omnibus desicientibus: idque quoties ipsæ res ita flagitarent. At patrum nostrorum ætate integris quadringentis annis elapsis à Titi Largij dictatura res ista damnari cæpit, & omnium hominum iudicio odiosa visa est, quando Lucius Cornelius Sylla primus & solus acerbè & crudeliter ea est vsus ita vt tunc primùm Romani cognorint id quod toto superiore tempore ignorarant, nimirùm dictaturam tyrãnidem esse. Senatum enim ex quibusuis vulgaribus hominibus constituit, & tribunitiam potestatem quam minimam fecit, & vrbes integras desolauit

& regna partim sustulit, partim ipse constituit: denique multa alia arroganter fecit, de quibus longum & arduũ esset dicere. Ciuium quoque, præter eos qui in præliis absumpti fuerant, non minus quàm quatuor millia, quæ se ipsi dediderant, interfecit: ex quibus aliquot antè tormentis cruciauit. Virum autem hæc fecerit ipsa necessitate coactus, an quòd ea è republica esse existimaret, non est præsentis temporis inquirere. Hoc enim mihi demonstrandum proposueram dictatoris nomen ob hasce causas odiosum & graue visum fuisse. Hoc autem non ipsis solis potestatibus sed etiam aliis rebus maximè expetendis, & quæ vulgò in humana vita admirationi sunt accidere solet. Omnia enim honesta & vtilia videntur vtentibus, quando quis rectè illis vtitur, turpia verò & detrimentosa, quando malos patronos & defensores sunt nacta. Huius autem rei causa est ipsa natura, quæ addit omnibus bonis quasdam etiam insitas pestes. Sed de his opportunius alio loco agetur. Sequenti anno consules creati sunt Aulus Sempronius Atratinus, & Marcus Minucius, septuagesima prima olympiade, qua vicit in stadio Tisicrates Crotoniates, archonte Athenis Hipparcho.

DIONYSII

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI,

ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER SEXTVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Belli cessatio, Sempronio & Minucio Coss. redintegratio autem sub Postumij & Virginij Consulatu, & Postumij Dictatoris milites ad prælium adhortantis oratio.

2 Inter Latinos & Romanos cruenta pugna. Vincuntur Latini, maxima clade affecti, & de iis triumphat Postumius.

3 Latini pacem petunt & obtinent, 14. anno post eiectos Tarquinios seditione domi laborant, & externum bellum gerunt Romani aduersus Volscos.

4 Dum Romani inter se rixantur, hostibus accedentibus populum ad concordiã hortatur Seruilius, & Volscis occurrit de quibus triumphat: deinde Sabinos & Aruncos prælio vincit.

5 Sabinis bellum instaurantibus, Romæ conspirant Plebeij, & varia proponuntur remedia aduersus morbum hunc popularem, præcipuè à Manio Valerio Dictatore, qui de Volscis, Sabinis & Aequis profligatis triumphat.

6 M. Valerij oratio excusatoria ad populum, qui deficit à patriciis & in montem secedit, vnde varia de remediis oriuntur consilia, quæ à plebe reiciuntur.

7 Agrippæ Menenij oratio qua Senatum ad concordiam cum plebe ineundam hortatur.

8 M. Valerij & Appij Claudij de eodem negotio orationes.

9 Consulum sententia, legati ad plebem missi, & ad eandem M. Valerij oratio.

10 L. Iunii, qui Brutus cognominabatur, ad Legatos responsio.

11 T. Largi oratio, Sicinnii responsio, Agrippæ Menenij oratio altera ad plebem.

12 Plebis in vrbem reuerti paratæ impetū reprimit Brutus, & quædam proponit quæ Senatus approbat, Tribuni plebis creantur: deinde aduersus Volscos bellum geritur, in quo Marcij, cognomine Coriolani, virtus elucet, & paulò post Menenius Agrippa, fato functus, sumptibus effertur publicis & magnificentissimè sepelitur.

Porrò liber hic continet quinque annorum historiam.

SEQVENTI *anno creati conss. Aulus Sempronius Atratinus, & M. Minucius, septuagesima prima olympiade, quæ vicit in stadio Tisicrates Crotoniates, archonte Athenis Hipparcho, nihil foris domiue memoria dignum in suo consulatu gesserunt. Nam & inducias cum Latinis factas ipsis magnam ab externis bellis quietem dabant, & suspensa ex senatusconsulto exactio fœnorum, donec bellum quod expectabatur tutò coniiceretur, sedauit vrbanos motus inopum, qui se ære alieno publico decreto, publicáque pecunia liberari postulabant. Senatus autem consultum sanxerunt, vt si quæ Latinæ gentis mulieres nuptæ essent Romanis viris æquissimis & magni nominis, vel Romanæ Latinis penes eas arbitrium esset, vel apud suos maritos manendi si ita vellent, vel*

vel etiam si id nollent patrias suas repetendi. Et liberis verò, mares quidem apud patres remanerent, fœminæ verò & adhuc innuptæ matres suas sequerentur. Erat autẽ frequens cõnubiũ inter vtrũque populũ, tũ ob cognitionẽ, tum etiã ob amicitiã. Mulieres verò eo decreto facta sibi libera potestate, satis declararunt quãto Romæ degẽdi desiderio tenerentur: nam & Romanæ quæ erant in Latinis ciuitatibus fere omnes, suis maritis relictis in patriam sunt reuersi, & Latinæ quæ Romanis datæ fuerant in matrimonium exceptis duabus reliquæ omnes neglecta patria apud viros suos remanserunt: quod fuit omẽ felicissimũ victoriæ, quam pop. Rom. erat adeptus. His consulibus ferunt Saturno templum consecratum fuisse in Clino Capitolino, quà è foro eò ascenditur, & sumptu publico solennitates, & sacrificia anniuersaria huic deo decreta. Antea verò aram ab Hercule extructam ibi fundatam fuisse ferunt, supra quam illi qui sacrorum ritus ab ea acceperant, more græco primitias eas sacrificabant, quæ in ignem conijci & cremari solebant. Quidã autem produnt T. Largium superioris anni consid templum faciendum locasse. At alij à Tarquinio rege, qui regno fuerat expulsus hoc opus faciendum aiunt locatũ. Dedicatum verò ex s.c. à Postumio & Cominio. His igitur consulibus (vt dixi) contigit vt maxima pace fruerentur. POSTEA creati consules Aulus Postumius & Virginius, quibus consulibus annuæ induciæ cum Latinis factæ finitæ sunt. Magni autem vtrinque belli apparatus fiebant. Ac Romana quidem multitudo tota constabat ex voluntarijs militibus, qui magna animi alacritate ad bellum ferebantur. Latinorum verò maior pars, remisso animo ac necessitate coacta ad id bellum ibat, quia prin-

cipes ciuitatũ ferè omnes donis & pollicitationibus à Tarquinio & Mamilio fuerant corruptiplebeij verò contra quorum voluntatem id bellum suscipiebatur ab administratione & cura reip. arcebantur. Neque enim amplius dicendi potestas volẽtibus dabatur. Quare multi eã rem molestè ferẽtes vrbes ac patriam relinquere, & ad Romanos trãsfugere cogebantur. Qui enim in ciuitatibus dominabantur, nolebant eos impedire, quinimò suis aduersariis ob voluntarium exilium magnam gratiam habebãt. Romani verò eos recipiebant, & eos qui cum coniugibus ac liberis veniebant, in numerum vrbanorum militum referebant, vrbanisque cohortibus immiscebant, reliquos verò in castella quæ circa vrbem erant dimittebant, & per colonias distribuebãt, nequid noui moliretur diligenter cauentes. Et quum omnes idem censerent, rem iterum indigere libero imperio vnius viri, qui omnia arbitratu suo administraret, nullíque reddendis rationibus esset obnoxius, iunior consul A. Postumius à collega Virginio dictator dicitur. Ipse verò eodem modo, quo prior dictator, magistrum equitum T. Aebutium Eluam dixit. Et quũ breui temporis spatio omnes iuniores Romanos conscripsisset, & exercitum in quatuor partes diuisisset, vni parti ipse præerat, secundæ suum Collegam Virginium præfecit tertiam Aebutio magistro equitũ attribuit, quartæ verò præfectum A. Sempronium reliquit, cui vrbis custodiam comisit. Et autem apparanti res omnes quæ ad bellum erant necessariæ, exploratores nuntiarunt Latinos cum omnibus copiis ex suis finibus egressos, & rursus alii eum certiorem fecerunt, ex itinere, primo impetu expugnatum ab illis fuisse castellum quoddam munitum, quod Corbionem vocant, in quo exi-

guus

guus Romanorũ præsidiariorũ numerus custodiendi gratia erat, quos omnes interfecerunt, & locũ illũ occupatũ belli sedem fecerunt. In agris tamen nõ inuenerunt tãtũ mancipiorum aut pecoris quantũ Gorbione ceperunt: quia rustici iam multò antè pro viribus quique suis quæcunque ferre aut agere potuerant secum in proximas munitiones comportarant horúmque domos desertas incenderunt, & agrum vastarunt. Quum autem ex suis finibus iam egressi fuissent, acceperunt ab Antio Volscorum vrbe nobilissima, & nouas copias & arma, & frumentũ, & alia quibuscunque ad bellum ipsis opus erat. Quibus rebus maximè fidentes in bonã spẽ venerunt, existimãtes alios quosque Volscos se ad illius belli societatem addituros, facto ab Antiatibus initio. His rebus cognitis, Postumius celeriter occurrit hostibus, antequam omnes ipsorum copiæ in vnũ cõuenirent, noctúque ducto exercitu, itinere concitato accessit ad Latinos, qui castra posuerant ad lacum Regillum in loco munito & castra posuit in colle excelso, cuius aditus erat difficilis, quique hostium capiti imminebat, in quo si mansisset multis in rebus meliore conditione quàm hostes erat futurus. At Latinorum duces Octauius Tusculanus Tarquinij regis gener, siue, vt nonnulli scribunt, generi filius & Sextus Tarquinius (tunc enim seorsum castra posuerant) in vnum locum copias coegerunt, & adhibitis in consilium tribunis militum & centurionibus, consultabant quónam modo bellum esset gerendum, & variæ sententiæ dictæ fuerunt. Alij enim censebant impetum faciendum in eos qui cum dictatore collem occuparant, dum adhuc illis essent formidabiles, existimantes non fiduciæ, sed timoris id argumentum esse quòd loca munita occupassent: alij verò fossa circum-

ducta eos aliqua exigua custodia coercendos, & cum reliquis copiis Romam eundum, quòd absente lectissimæ iuuentutis robore facilè expugnari posse videbatur. Alij verò censebant Volscorum & aliorum sociorum auxilia exspectanda & tutiora consilia audacioribus præferenda. Romanis enim nihil tam moram prosuturam, rerum verò suarum conditionem meliorẽ futuram, si cunctatione usi fuissent. Illis autem adhuc consultantibus, alter consul T. Virginius ex vrbe cum suo exercitu venit, improuiso proxima sequenti nocte itinere confecto. Et seorsum à dictatore in alterius montis dorso aspero, & natura munito castra posuit, ita vt Latinis vtrinque exitus in hostiũ intercluſus esset, quia consul à patre læua considebat, dictator verò à dextra. Perturbatis autem multò magis hostiũ ducibus, qui nullã rectã aut tutã viã sequebãtur, & verentibus ne ista cunctatione cõmeatus, quamuis essent magni, absumerẽtur, cogerentur. Postumius quum animaduertisset quanta esset in illis artis imperatoriæ imperitia, misit magistrum equitum T. Aebutium cum lectissimis equitibus & leuis armaturæ militibus, & imperauit vt occuparet collem quendam opportunè in ipso trãsitu situ quà commeatus domo Latinis apportabantur. Copiæ autẽ equitum magistro missæ, antequam hostes id sentirent, celeriter noctu præterierunt, & per siluæ itinera non trita transiuerunt, collémque occuparunt. Vbi verò hostium duces cognouerunt, à tergo etiam loca munita occupata esse, quum non amplius sperarent commeatus satis tutò ad se domo portari posse Romanos ex eo colle per vim pellere statuerunt, antequam vallo & colle se munirent. Quare Sextus alter eorum dux cum equitatu totis viribus eo contendit, quasi Romanus equi-

tatus

tatus impetum ipsius minimè esset excepturus. Sed quum equites Romani eorũ impressionem fortiter sustinuissent, aliquandiu quidem restitit, modò suos subducens, modò etiam iterum eos conuerso agmine in hostem adducens. Sed quum & ipsius loci natura eos qui collis verticem occuparant plurimum iuuaret, illis verò qui ex inferiore parte collem subibant, nihil præter plurima vulnera & labores irritos afferret, & nouus exercitus militũ legionariorum expeditatu delectorũ subsidio veniret Romanis, quos statim Postumius miserat & aliorum vestigia subsequi iusserat, quum nihil amplius facere posset, re infecta in castra copias suas reduxit. Romani verò iam firmè eum locum tenentes, palàm præsidium ibi collocarunt & munierunt. Postea Mamilio & Sexto non longas moras interponere, sed celeriter de re prælio decernere placuit. At Romanus dictator, quamuis principiò apud se statuisset bellum sine vlla pugna cõficere, & præcipuè se hoc facturum speraſſet propter commeatuũ inopiam, quæ hostium duces laborabant, tamen sententiã mutauit, & prælij committendi causa hæc videtur fuisse. Ab equitibus enim qui vias obseruabant, intercepti fuerant quidam nuntij qui literas ferebant à Volscis ad duces Latinorum, quibus significabatur, magnas sociorum copias ad diem tertiam ad summum illis subsidio venturas, & alias præterea ab Hernicis. Hæ igitur fuerunt causæ, ob quas Romani duces tunc præter suum propositum celeriter prælio decernere coacti sunt. Vbi verò ab vtrisque pugnæ signum datum est, vtrique in medium castrorum spatium progressi aciem hoc modo instruxerunt. Sextus Tarquinius in læuo Latinorum cornu collocatus est, Octauius Mamilius in dextro, mediam verò

aciem tenebat alter Tarquinij filius Titus, in qua Romanorum transfugæ & exules collocati erant. Totus verò equitatus trifariam diuisus in vtrunque cornu & mediam aciem distributus est. At in Romano exercitu læuum cornu tenebat T. Aebutius equitum magister Sexto Tarquinio oppositus, dextrum Titus Virginius consul locum in acie Octauio Manilio oppositum tenens, mediam verò aciem ipse Dictator Postumius implebat, cum T. Tarquinio & exulibus qui circa eum erant: confligeturus. Numerus autem copiarum, quæ ex vtroque exercitu in aciem descenderant, hic erat: Romanorum peditum viginti quatuor millia, equitum tria: Latinorum verò, quadraginta peditum millia, & tria equitum. Quū verò iam ad manus essent venturi, Latinorum duces suos milites conuocatos longa oratione ad fortitudinem hortati sunt, & multas preces addiderunt. At Romanus animaduertens suos perterritos, quòd congressuri essent cum numero qui suo longè esset maior, & metum illum ex eorum animis eximere volens, eos ad concionem conuocauit, & cum maximis natu senatorij ordinis, & honoratissimis quibusque in medium progressus, talem habuit orationem: {D}II (milites) auspiciis, exitis, & aliis vaticiniis reip. nostræ libertatem, & felicem victoriam pollicentur, egregiè nos remunerantes pro perpetua pietate qua eos colimus, & pro iustitia quam perpetuò exercemus, & inimicis nostris infensi, (vt æquum est) quòd quū multis & magnis beneficiis à nobis fuerint affecti, & sint cognati ac amici nostri, & iurarint communes vtrisque fore & inimicos & amicos, tamen his omnibus contemptis iniustum bellum nobis inferant, non de imperio aut principatu, vtros nostrum potiùs hæc habere opor-

teat

teat contendentes (hoc enim minus esset graue) sed de tyrannide Tarquiniorum, vt nostram ciuitatem, quæ est libera, illis in seruitutem tradant. Oportet igitur vos, centuriones, & milites, quum sciatis deos esse vobis socios, qui vrbem istam perpetuò seruant, in hoc certamine viros fortes esse, illud scientes, diuinum auxilium præsto esse illis qui fortiter pugnant, & iis qui totas suas vires omni animi alacritate exerunt, vt victoriam adipiscantur, non iis qui pericula fugiunt. sed iis qui pro salute suæ quæuis mala perpeti non dubitant. Habetis autem fortunæ beneficio cùm multa alia commoda, quæ ad victoriã parandam faciunt, tum verò tria præcipua, eáque manifestissima. Primùm quidem mutuam fidem, qua re potissimùm opus est iis qui ex hostibus victoriam sunt reportaturi. neque enim oportet vos hodie incipere amicos constantes, & socios fideles mutuò esse, sed patria iam multo ante omnibus hoc bonum præparauit. etenim simul educati fuistis, & eandem habuistis disciplinam, & diis supra easdem aras sacrificia fecistis, & multa bona percepistis, multa etiam mala simul estis experti quod validissimum & indissolubile amicitiæ vinculum inter mortales omnes naturæ esse voluit, quoties commune omnibus certamen de rebus maximis imminet. Si enim in hostium potestatem veneritis, non est quòd putetis fore vt vestrũ alij quidem expertes sint omnium malorum, alij verò grauissima quæque experiantur. sed æquè omnes dignitatem, imperium, & libertatem amittetis, & neque coniugibus, neq. liberis, neque fortunis, denique nullis aliis bonis, quæ habetis frui vobis licebit. Ipsi verò ciuitatis principes & magistratus Reipub. miserrimo mortis genere, verberibus cæsi & excruciati necabuntur. Si enim nul-

la aut magna, aut parua iniuria à nobis affecti, nos omnes multis & variis iniuriis, & contumeliis insolenter affecerunt, quid putandum est eos facturos si nunc armis fuerint superiores, in memoriam pristina mala reuocantes, se à vobis patria expulsos, & sibi bona sua erepta, neque in natale solum sibi redire per vos licere? Id autem quod est omnium ante dictorum postremum, certè non dixeritis vllo alio commodo esse minus, si rectè rem consideraueritis, nimirum res hostium non tales vobis occurrisse quales suspicabamur, sed longè deteriores quàm putabamus. Nam præter Antiatum auxilia, nullos alios belli socios illis videtis adesse, at nos existimabamus omnes Volscos illis auxilio venturos, & multos Subinos, & Hernicos, & hac inani opinione alia sexcenta terriculamenta nobis ipsis fingebamus. At hæc omnia erant Latinorum somnia, quæ inanibus pollicitationibus & irrita spe nitebantur. Alij enim deseruerunt eorum societatem, contemptis talium imperatorum imperijs: alij verò cunctabantur potiùs quàm auxilium ferent, tempus spe terentes: illi verò qui nunc se parant, quia seriùs profecti prælio non interierunt, nullo modo ipsis amplius prodesse poterunt. Quod si qui vestrum hæc à me rectè dicta existimant, & tamen hostium multitudine terrentur, eos res minimè formidabiles metuere paucis doceo, imò potiùs hoc illis in memoriam reuocabo. Primùm quidem considerent maiorem eorum partem coactam arma contra nos suscepisse sicut ex multis ipsorum & factis & dictis satis compertum habemus: reliquorum verò, qui vltrò & animi alacritate impulsi pro tyrannis certant, numerum esse valde exiguum, qui nimirùm vel minimam partem si cum nostris conferantur: deinde verò omnia

mnia bella feliciter confici non ab illis qui numero sunt superiores, sed ab iis qui fortitudine excellunt. Arduum ac longum esset exempla afferre, quot barbarorum Græcorumque exercitus hominum multitudine longè superiores, à minimis copiis superati fuerint, adeò vt multi ea quæ de illis feruntur credere non possint. Cætera omitto. Vos ipsi quot bella feliciter confecistis, quum copias longè minores quàm nunc haberetis, oppositi maioribus copiis quàm sunt illæ quas nunc hostes paratas habent? At fortasse aliis quidem, quos prælio vincere solebatis, formidabiles eratis: sed Latini isti, Volscique eorum socij vos contemnunt quòd vos in prælijs iam sunt experti. At omnes scitis vtramque hanc gentem multis prælijs à maioribus nostris fuisse superatam. An igitur hoc verisimile est, istorum quidem qui toties victi fuerunt, ob tot insignes clades à nobis acceptas conditionem meliorem esse, nostram verò, qui toties illos vicimus, ob tot tantasque res feliciter gestas, deteriorem? Quis sana mente prædituS hoc dixerit? Demiror certè si quis vestrum multitudinem hostium formidat, in qua pauci sunt viri fortes: domesticas verò copias tantas & adeò validas contemnit, quibus neque virtute præstantiores, neque numero maiores vnquam à nobis in vllo alio bello ad hanc vsque diem gesto coactæ fuerunt. Hoc quoque, cives, ad minimè formidandum, & pericula non refugiendum debet maximum esse incitamentum, quòd omnes senatorij ordinis principes adsint, quemadmodum videtis, communem belli aleam vobiscum subituri, quibus & ipsa ætas & lex immunitatem militiæ concessit. Nonne igitur turpe est vos qui viribus valetis, pericula fugere: istos verò qui iam militarem ætatem

excesserunt, ea sectari? Et senes quidem ita esse paratis animis, vt quando vires ipsis ad hostes cædendos non suppetunt, saltem pro patria mori non dubitent: vos verò, qui robore valetis, quibus, si res feliciter successerit, vtrunque licebit, & vitam seruare, & tuto vincere, sin minus, & facere & pati facinus aliquod forte, tamen neque fortunam experiri, neque vestræ virtutis opinionem posteris relinquere? Nónne, Quirites, ante vestrum seculum multa & admiranda facinora edita sunt apud alios, quos oratio pro dignitate celebrabit? nónne multas etiam, eásque celebres res à vobis gestas vestra posteritas audiet & fructum ex ipsis percipiet, eásque celebrabit, si hoc bellum feliciter confeceritis? Ne autem iis qui inter vos optimè sentiunt hæc fortitudo sit infructuosa, néue illi qui timent pericula plus quàm par est, antequam in ipsa venerint, hoc impune ferant, quænam vtróque præmia maneant, audite ex me. Cuicumque præclari & generosi alicuius facinoris in pugna editi testimonium dicent ipsi rerum gestarum gnari, cùm alios honores statim ei dabo, qui patrio illo more militibus, qui fortiter se gesserunt in præliis solent deferri, tum etiam de agro publico partem addam, quæ tanta erit, vt rebus nullis ad victum necessariis illi opus sit futurum. Cui verò ignauus & peruersus animus fugæ turpis cupiditatem iniecerit, huic mortem ipsam quam fugit, repræsentabo. Talem enim ciuem mori satius est, cùm ipsius, tum aliorum ciuium causa. Præterea illi qui ita obierint, neque sepulturæ, neque aliarum rerum, quæ solent tribui defunctis participes erunt, sed neglecti, indefleti.

ab ali-

ab alitibus, & feris laniabuntur. His igitur antè cognitis omnes alacriter ad certamen ite, bonam spem præclarorum facinorum sequuti ducem: quia si hoc vnum periculum habuerit exitum optimum, & quem omnes maximè optant maxima bona adipiscemini nam metu tyrannorum vos ipsos liberabitis, patriæ quæ vos genuit, educationis debitum gratiam reposcenti referetis, & quicunque de vobis liberos adhuc tenella ætate habent, & vxores legitimas ab inimicorum libidine & grauissimis malis defendetis, & efficietis vt parentes vestri iam ætate graues reliquum temporis exiguum spatium iucundissimè viuant. O vos beatos, quibus continget ex hoc prælio triumphum agere, excipientibus vos liberis & vxoribus, & parentibus! ô vos glorioſos & ob fortitudinem admirandos, qui corpora vestra patriæ donabitis! mors enim omnibus mortalibus est fatalis, ignauis æquè atq; fortibus, sed præclara & gloriosa mors solis viris fortibus continget.

2 ¶ ILLO autem eos ad fortitudinem adhuc adhortante, audacia quædam immissa diuinitus exercitum inuasit, & quasi vno ore omnes sustulerunt clamorem. Bono sis animo, imperator, & nos ducas. Postumius laudata eorum alacritate diis vouit, si ea pugna felicem & præclarum habuisset exitum se sacrificia magna, & magnis impensis facturum, & ludos splendidissimos instituturum, qui quotannis à pop. Rom. celebrarentur, atque ita eos in suos ordines dimisit. Postquam autem milites à ducibus tesseram acceperunt, & tubæ belli signum cecinerunt, sublato clamore manus conseruerunt, primùm quidem vtrinque leuis armaturæ milites & equites, deinde pedites legionarij pariter armati & in-

ſtructi. Et omnibus promiſcuè pugnantibus acre prælium commiſſum eſt, atque cominus. Quum autem utroſque longè ſua fefelliſſet opinio (neutri enim ſperarant prælio ſibi opus fore, ſed primo impetu hoſtem à ſe territum iri exiſtimarunt: Latini quidem ſua equitatus multitudine freti, cuius ne impetum quidem à Romanis equitibus ſuſtineri poſſe arbitrabantur. Romani verò, credentes audacia ſua & periculorum contemptione ſe hoſtibus terrorem inuſſuros) quum inquam, utrique hac falſa opinione decepti fuiſſent, ſtatim in ipſo initio viderunt rem ſibi ſuccedere contrà quàm ſperarant. Quare utrique non amplius in hoſtium formidine, ſed in ſua fortitudine ſalutis & victoriæ ſpem ac fiduciam poſitam eſſe exiſtimantes, ſtrenuos ac ſupra vires egregios pugnatores ſe præſtiterunt. Varia autem & reciproca eorum certaminis fortuna fuit. Primùm enim Romani, qui in media acie collocati erant, vbi dictator Poſtumius erat circa ſe lectos equites habens, & ipſe inter primos pugnans, cornu ſibi oppoſitum loco pellunt: quòd Titus alter Tarquinij filius pilo in dextrum humerum impacto ſauciatus fuiſſet, neque manu amplius vti poſſet. At Licinnius & Gellius, quòd minus accuratè perpenderint quid veriſimile eſſet, & quid fieri poſſet, inducunt ipſum regem Tarquinium, ex equo pugnantem, & ſaucium, virum qui ad nonageſimum annum accedebat. Proſtrato autem Tito eius milites non diutius præliati, viuóque eius corpore ſublato, nullum poſtea generoſum facinus ediderunt, ſed inuadentibus Romanis pedem referentes cedebant. Deinde rurſus conſtiterunt, & ſigna conuerſa in hoſtes intulerunt, quia Sextus alter Tarquinij filius cum Romanis exulibus, & aliis delectis equi-

tibus

tibus subsidio illis venit. Isti igitur redintegratis viribus pugnarunt. Vtriusque verò aciei duces, T. Aebutius, & Octauius Mamilius, quum longè omnium fortissimè pugnarent, & hostes sibi resistentes profligarent, quacunque in partem se vertissent, & suos pertubatos in aciem restituerent, se inuicem ad certamen prouocarunt, & concurrerunt infestis armis, factáque impressione grauia, non tamen lethalia vulnera mutuò intulerunt & acceperunt, equitum magister in pectus Mamilij hasta per thoracem acta, at Mamilius illius dextro brachio per medium transfixo: & ambo ex equis deciderunt. Ambobus autem ex acie relatis, M. Valerius, qui legatus iterum ipsi Aebutio datus fuerat, & qui duorum legatorum maior erat natu quum in locum magistri equitum succesisset, cum suis equitibus restitit hostibus à fronte sibi oppositis: sed quum diuturnus eorum impetum sustinere non posset, longè ab acie reiectus est. Exuti enim Romanorum equitatus, & leuis armaturæ milites subsidio illis venerant. Et Mamilius quum se ex vulnere recollegisset, reuersus est in aciem cum valida manu & equitum & peditum leuiter armatorum. In hoc prælio Marcus Valerius legatus, qui primus de Sabinis triumphauit, quique animos pop. Rom. ob cladem ab Etruscis acceptam deiectos erexit, hasta ictus cecidit & circa eum multi alij Romani egregij & fortes viri: & circa ipsius cadauer acre prælium commissum est, P. & M. Publicolæ filiis, patruum protegentibus. Quum igitur illum minimè spoliatum, & nonnihil adhuc spirantem armigeris tradidissent, in castra remiserunt, ipsiq; cum magna animi præsentia & alacritate, in medios hostes se se coniicientes, acceptis multis vulneribus à confer-

acciderant, cognouissent etiam hanc deorum visionem, rati vtrobique eorundem deorum spectra oculis obuersata, vt verisimile erat, crediderunt eas fuisse Castoris & Pollucis imagines. Huius incredibilis & admirandæ deorum visionis Romæ multa extant monumenta cùm ipsa ædes Castoris & Pollucis, quam in foro pop. Rom. ædificauit, in eo ipso loco vbi visæ fuerunt illorum imagines, tum fons ædi vicinus, qui istis diis sacer dicitur, & qui ad hanc vsque diem talis creditur: tum etiam magnifica sacrificia quæ quotannis pop. Rō. per primarios equestris ordinis viros idibus Quintilibus peragit, quo die bellum hoc feliciter est confectum. Sed præter hæc omnia est illa pompa, quæ peracto sacrificio ducitur ab iis qui equum publicum habent, qui tributim & centuriatim distincti: ordine omnes equis vehuntur, quasi è pugna redeant, coronati fronde oleagina, & togis purpureis, & punicei coloris materiam prætextam habentibus induti, quas vocant trabeas, initium pompæ facientes à quodam templo Martis extra vrbem, extructo, & transeuntes cùm alias vrbis partes, tum etiam ædem Castoris & Pollucis in foro sitam prætereuntes. interdum numero quinquies millo homines, qui ferunt quæcunque fortitudinis suæ præmia in præliis à ducibus acceperunt, egregium certè & dignum illius imperij amplitudine spectaculum. Atque hæc sunt, quæ ob Castoris & Pollucis visionem à Romanis dici & fieri obseruaui. Quibus ex rebus, præter multas alias eásque magnas, coniicere est quàm chari diis essent illius seculi homines. Postumius autem eam noctem transegit in castris quæ in planitie posuit. Postero die coronatus iis qui in præliofortiter se gesserant,

rant, & distributis captiuis, ut asseruarentur, votiua sacra ob victoriam quam fuerat adeptus diis persoluit. Dum autem adhuc esset coronatus, & aris primitias igne cremandas imponeret, exploratores quidam ex editioribus locis decurrentes nuntiant, hostilem exercitum contra se venire. Erat autem Volscorum iuuentus delecta, quæ Latinis auxilio missa fuerat, antequam finis ipsorum prælio imponeretur. Qui quum hæc intellexissent, statim omnes ad arma concurrere iussit, & in castris ad sua quenque signa manere, custodias agentes, & ordinem seruantes, donec ipse quid agendum esset ipsis imperaret. Quum autem Volscorum duces suas copias in locum excelsum duxissent, unde Romanos videre possent, ubi viderunt planitiem cadaueribus constratam & utraque castra erecta, neque ex munitionibus quenquam vel hostem, vel amicum prodire aliquandiu id admirati sunt, nec satis conijcere potuerunt quisnam esset rerum status. Sed postquã ex iis qui ex fuga euaserant, omnia quæ in prælio acciderant, cognouerunt, cum aliis ducibus consultare cœperunt quidnam esset faciendum. Illi igitur, qui inter eos erant audaciſsimi, censebant optimum esse Romanorum vallum ex itinere, & primo impetu inuadere, dum adhuc multi ob vulnera laborarent, & omnes labore maxime defatigati essent, & arma essent maxima ex parte inutilia, & partim acie obtusa, partim fracta, nec dũ ab vrbe illum recẽs auxiliũ ipsis subuenisset. Suum enim exercitum, quòd esset & ingens & strenuus, & egregiè instructus, & bellis exercitatus, & illis minimè expertantibus derepente improuisus aduenisset, nec audaciſsimis quibusque formidabilem fore dicebant. At viris

prudentioribus nequaquã tuta periclitatio illa videbatur, non expectatis socioriũ auxiliis congredi cũ viris fortibus & bellicosis, & qui nuperrimè tantas Latinorũ copias deleuissent: præsertim quũ prosumma rerũ in alieno agro periculũ esset subituri, vbi si qua clades fuisset accepta, nullum tutũ refugium essent habituri. Isti igitur censebant potius de reditu in patriam celeriter cogitandũ, & saluti consulendum, & pro magno lucro reputãdũ, si ex ea expeditione nullam calamitatem accepissent. Alij verò neutrum horum faciendum censebant. Dicebant enim audacem illum impetum quo adeò alacriter ad dimicandum ferebantur, iuuenilem esse, & turpe esse sine vlla causa domum refugere, & vtrum horum fecissent, ipsos rem hostibus gratissimam facturos. Horum autem sententia erat, vt in præsentia quidem munirent castra, & res necessarias ad pugnam pararent, & missis legatis ad reliquos Volscos, è duobus alterũ postularent, vel vt sibi alias copias mitterent quæ pares esset Romanorũ viribus, vel etiã eas quæ fuerant missæ reuocarẽt. Sententia verò quæ maximæ illorum parti placuit, & quã exercitus duces ratam fecerunt, hæc censebat, mittẽdos esse aliquos exploratores in Romanorũ castra, legatorum nomine protectos, qui data imperatori dextra, eóque salutato, dicerẽt se Romanorũ socios à rep. Volscorũ missos venire, & se molestè ferre, quòd serius ad prælium venirent, nullam vel certè perexiguam sui in eos studij gratiam reportaturi: cæterum, se eorũ fortunæ gratulari, qui re feliciter gesta sine vllis socioriũ auxiliis ingẽti prælio hostem vicerint. Ita enim fore vt Romanos verborum blanditiis decipiãt, eósque inducant vt sibi tanquã amicis fidem habeant, atque interea omnia explorent,

& te-

& reuersi ad suos significent quis sit eorũ numerus, quæ armatura, quis apparatus, & quæ eorum consilia. His autem accuratè cognitis, tunc se deliberaturos vtrum præstet eos accersitis nouis copiis adoriri, an verò præsentes etiam domum reducere. Quum igitur omnes in hanc sententiã iuissent, postquã legati ab illis electi ad dictatorem venerunt, producti in concionem, mandata ad decipiendum composita exposuerunt. Postumius verò paulo post ipsis ita respõdit. ¶ Mala cõsilia, Volsci, bonis verbis tegitis, & quum hostilia facinora faciatis, tamen de vobis vt de amicis opinionem haberi vultis. Vos enim estis missi à repub. Volscorum, Latinis auxilium contra nos laturi: sed quia seriùs venistis, quàm vt prælio interesse posset is, & quia victos eos cernitis, nobis imponere vultis, dicẽtes contraria illis quæ facere decreueratis, neque benevolentia, quam verbis in præsentia simulatis, neque iste simulatus vestræ legationis aduẽtus sanus est, sed doli & fraudis plenus. Neque enim missi fuistis vt cõgratularemini nostris bonis, sed vt exploraretis quàm validæ aut quàm infirmæ sint nostræ vires, & verbis quidẽ legati estis, sed reipsa exploratores. ¶ Legatis aũt omnia inficiãtibus, breui se eius rei fidem illis esse facturum dixit, & statim eorũ literas, quas interceperat antè quã prælium committeretur, quæ ducibus Latinorum afferebantur, quib. se illis auxilia missuros pollicebantur, protulit, & illos qui eas tulerãt produxit. Quũ autẽ hæc essent eæ literæ, & ipsi captiui mandata quæ acceperãt, exposuissẽt, tota multitudo militaris concitata est in Volscos, quos vt manifestos exploratores percutere volebat. At Postumius existimauit minimè oportere probos improbis similes esse, dixitq; satius & animi excelsioris

ac generosioris esse, iram reseruare in eos qui ipsos miserant quàm in eos qui missi fuerant, eósque ob certum legationis nomen potiùs dimittendos, quàm ob incertum explorationis facinus perdendos, ne Volscis honestam belli occasionem præberent, legatos suos contra ius gentium cæsos simulantibus: néve alij inimici hanc occasionem arriperent, & de populo Romano dicerent ea, quæ licet falsa essent, tamen neque à ratione, neque à fide remota essent. Represso igitur multitudinis impetu, imperauit vt illi dimitterentur, & ad suos recta redirent, nec se conuerterent: & custodiæ causa equites illis addidit, qui eos vsque ad Volscorum castra prosequuti sunt. Eiectis autem exploratoribus, imperauit militibus vt res ad prælium pararent, quòd postridie eorum actem esset instructurus eósque in hostē ducturus. Sed nullo prælio ei opus fuit. Volscorum enim duces, nocte adhuc intempesta motis inde castris domū redierunt. Quū autē omnia ei ex voto succesissent, humatis suorum cadaueribus, & lustrato exercitu, Romam redijt insigni triumpho ornatus, armorum cumulos multis plaustris vehens, & supellectilem militarem abundantissimam in vrbem importans, & hominum in pugna captorum adducens quinque millia, & quingentos præterea. Et quū de manibus decimas exemisset, ludos & sacrificia diis fecit, quadraginta talentorum impendio, ædémque quā vouerat, Cereri, Libero, Liberæq; extruendam locauit. Initio enim belli laboratum est victus inopia, & magnus erat metus ne victus penitus deficeret, tum ob terræ sterilitatem, tum quòd nulli amplius commeatus extrinsecus ob bellū afferrentur. Ob istum igitur timorem, quū iussisset Sibyllinos libros consuli ab eorū custodibus,

& co-

& cognouisset oraculorum monitu hæc numina placãda esse, vouit, quam esset iam educturus exercitum, si impetrij sui tempore felix prouentus fuisset in vrbe, qualis antè fuerat, se & templa illis extructurum, & sacrificia quotannis peragenda constituturum. Dij verò exaudito eius precibus, effecerunt, vt non solùm segetes, sed & arborifera terra fruges opimas produceret, vtq; vrbs magis quàm antè, omni importatorum commeatuum genere abundaret. Quæ animaduertens Postumius, tunc templa ædificare decreuit. Romani igitur bello tyrannico deorum benevolentia propulsato, feriis & sacrificiis operam dabant.

3 ¶ PAVCIS aũt post diebus legati à Latinorũ rep. ex omnibus delecti populis, qui suis sentẽtijs huic bello aduersati fuerant, supplices cum ramis oleæ lana obuolutis, & velamentis quæ porrigebant, ad eos venerunt. Isti in senatum introducti, primùm causas belli in singularum ciuitatum principes reijciebãt, ipsum verò vulgus hac tantùm in re peccaße dicebant, quòd improbis ductoribus suum lucrum quærẽtibus obtemperaßet. Obstam aũt fraudẽ, ad quã maxima necessitas non reprehendenda accesserat, vnam quamque ciuitatẽ pœnas dedisse dicebant: præstantißima iuuentute sublata, ita vt difficile esset aliquam domum luctus expertem inuenire; & ab illis petebant vt se vltrò deditionem facientes reciperent, neque amplius de imperio contendentes, neque de iuris æquabilitate pertinacius disceptantes, bellique socios & subditos in omne posterum tempus futuros, & quidquid fortuna Latinorum dignitati ademißet, id ad felicem Romanorum fortitudinem addituros. In ipso autem orationis fine, eos per cognationem obtestabantur,

& iis in mentem reuocabāt ſuam quondam in ferendis auxilijs non ſimulatam alacritatem, & calamitates deplorabant, in quas miſeri inſontes incidiſſent, quæ longè plures erat quam ipſa delinquentiū diuerſa, lamentis ſingula proſequentes, & ad totius ſenatus genus accedētes, & ſupplicū inſignia ad Poſtumij pedes ponentes, ita vt totus patrum conceſſus lacrymis & precibus eorū cōmoueretur. Vbi verò è curia exceſſerunt, & ſententiæ dictæ poteſtas, de more, ſenatus principibus eſt facta. T. Largius, qui primus ſuperiore anno dictator fuerat creatus, ipſis ſuaſit vt fortuna moderatè vterētur: dicens maximam eſſe laudem, vt vnius viri, ita etiam totius ciuitatis ſecundis ſuccēſſibus non corrūpi, ſed æquo & moderato animo bona ſua ferre. Omnem enim proſperitatem maximè inuidioſam eſſe, præſertim eam in qua eſt communella & aſperitas in nomines afflictos ac miſeros, ac in noſtram poteſtatem redactos. Fortunæ autem non eſſe fidēdum, quum ipſi ſæpe eam ſint experti in ſuis malis & bonis, quàm ſit incerta & variabilis, neque ad extremorum periculorum neceſſitatē adducendos aduerſarios, ob quam ſæpe præter omnem expectationem nonnulli audaces & ſupra vires pugnaces efficiuntur: ipſis autem Romanis metuendum eſſe dicebat, ne commune odium omnium eorum in quos affectabant imperium, ſibi cōciliarent, ſi acerbas & inexorabiles pœnas à delinquentibus exigerent, recedentes à conſuetudine ſuorū inſtitutorum, obliti quibus artibus ad tantum ſplendorē fuiſſēt prouecti, & imperium, quod antea erat principatus, & patrocinium quoddam, in tyrannidem conuertentes, & delicta mediocria, neq; indignatione digna eſſe dicebat, ſiqui populi quis quondā in libertate viuere conſueuerūt,

qui-

quique aliis imperare didicerũt, pristinã dignitatẽ retinere cupiant. Quod si optimarũ rerũ cupidis sua spe frustrati aliquo insanabili malo afficiantur, nihil fore quod prohibeat quominus omnes homines cæde mutua pereãt. In omnibus enim libertatis desiderium innatum esse. Addebat, longè optimum ac firmissimum id esse imperiũ, quod beneficiis non suppliciis subditos in officio cõtinere solet. Illorum enim benevolentiã, horum verò timorem esse comitem. Quicquid autem est formidabile, id necessitate naturali omnibus maximè esse exosum. In fine autem suæ orationis ab illis petyt, vt exempla præstantissima suorũ maiorũ sequerentur, ob quæ magnam laudem illi essent consecuti, recensens vrbes per vim ab illis captas, quas quòd illi minimè euertissent, neque pubes interfecissent, neque ipsos colonos in seruitutẽ abstraxissent, sed Romanas colonias fecissent, & quicũque devictis apud se remanere voluissent, eos ciuitate donassent, suam rempublicam ex parua magnam fecissent. Summa autem eius sententiæ hæc fuit, renouandum cum republ. Latinorum fœdus antè factum, & omnem memoriam iniuriarum ab illis populis acceptarum deponẽdã. Seruius verò Sulpicius contra pacẽ & fœderum renouationem nihil dixit: sed quòd Latini priores rupissent fœdera, idque nõ tunc primùm ita vt aliqua venia illis necessitatẽ & fraudem prætendentibus esset danda: sed & sæpe iam ante, ista vt correctione ac animaduersione opus ipsis esset suasit vt omnibus quidẽ impunitas & libertas ad cognationis ius concederetur, sed agri dimidia pars illis adimeretur: & coloni Romani in eam mitterentur qui ea fruerentur, & caueret ne isti aliquid rerũ nouarum amplius molirentur. At Sp. Cassius eorũ vrbes

solo æquandas censebat, dicebatque se deminari fatuitatem eorum, qui suadebãt vt eorum peccata impunita sinerentur, quòd non animaduerterent eos ob inuidiam innatam, & quæ eximi nequit, qua persequuntur populum Rom. crescentem, bella alia post alia moliri nos, nec abinsidiarum ipsi struendarum proposito vnquam sponte recessuros, quamdiu in ipsorum animis misera ista clades inhæreret, siquidem postremò conati sunt ciuitatem cognatam in tyranni omnibus feris longè immanioris potestatem redigere, omnibus fœderum conditionibus conculcatis, & diis eorum testibus contemptis, nulla alia spe freti quàm populi Romani elementia, quòd nullas pœnas, aut certè leuissimas daturi essent, si hoc bellum sibi ex animi sententia non successisset. Ipse quoque ab illis petebat vt exemplis maiorum suorum vterentur, qui verbum Albãũ cuius & ipsi & omnes Latini populi essẽt coloni, quòd eã felicitati suæ inuidere cognouissẽt, & priorũ delictorũ impunitate, quã cõsequuta fuerat, abusi ad maiores insidias struẽdas vno die deleri suo decreto iussẽrant, existimãtes perinde esse nullius misericordia moueri ad veniam ipsi ob delicta leuia dandum, ac in nullũ animaduertere, qui grauissimũ atque incorrigibile facinus patrasset. Id autẽ magnæ stultitiæ & stupiditatis esse, non autem humanitatis aut modestiæ, eorũ quorũ essent coloni, inuidiã quòd immodica & intolerabilis videretur, pati noluisse eandem tamen ferre in cognatis, & eos qui in leuioribus criminib. hostes deprehensi fuerãt patria mulctasse, ab iis verò qui sæpius in ipsos suũ odiũ implacabile demõstrarint nullas exigere pœnas. His dictis, & enumeratis omnib. Latinorũ defectionibus, & cladib. Romanis qui in bellis cõtra eos gestis ciderãt, eorum-

rũq; multitudine illis in memoriã reuocata, censebat eos à Romanis eodẽ modo tractãdos, quo Albanos ante tractãssent, & eorum vrbes euertendas eorúmque agrum Romano addendum, homines verò qui aliquod beneuolentiæ signum erga pop. Roma dedissent, saluis suis fortunis ciuitate donandos. autores verò defectionis, à quibus fœdera fuissent violata, vt proditores interficiendos. Reliquum verò vulgus mendicum, otiosum & inutile in mancipiorum numero habendum. Hæ igitur sunt sententiæ à senatus principibus dictæ. Sed quum dictator Largij sententiam cæteris prætulisset, & nullus amplius ei aduersatus fuisset, legati in senatum reuocati sunt, vt responsa acciperent. Tũ Postumius, malitia incorrigibili ipsis exprobrata, Digni inquit, essetis extremis malis, siquidem facturi eratis, si vobis ex animi sententia successissent ea quæ toties contra nos tentastis: tamen non est Romanorum vt summum ius ipsi clementiæ anteponant, quia illud cogitant, Latinos sibi cognatione coniunctos esse, & ad misericordiã eorũ quibus iniurias fecerunt, confugisse. Quare hæc quoque delicta se illis cõdonare dixit, tũ deorum causa, quib. iura cognationis curæ sunt, tum etiam fortunæ incertæ gratia cuius beneficio pop. Rom victoriam obtinuisset. Nunc igitur omnino liberi discedite. Vbi verò captiuos dimiseritis, & transfugas nobis dedideritis, & exules expuleritis, tunc mittite legatos ad nos qui de amicitia & societate agant, quia nullorum æquorum postulatorum patiemini repulsam. Legati his responsis acceptis abierunt, & paucis post diebus redierunt. liberatis captiuis, & [illegible] quos ceperant vinctos adducentes, & pulsis ex vrbibus suis exulibus, qui [illegible] Tarquinio erant, pro quibus meritis à senatu in pristi-

nam amicitiam & societatem recepti sunt, & fœdera quondam hisce de rebus cum ipsis icta per fœciales renouata sunt. Hic igitur fuit finis belli quod cum tyrannis post eos expulsos per X I I I I annos gestum est. Rex autem Tarquinius (iste enim solus ex suo genere superstes erat) fermè nonagesimo ætatis anno, quum tunc liberis & suorum affinium familia orbatus esset, & senectutem vel inimicis miserabilem toleraret, quòd neque Latini sum amplius intra oppida reciperent, neque Etrusci, neque Sabini, neque vllus alius vicinus ac liber populus, Cumas agri Campani petijt, diuertitque apud Aristodemum, cognomine Malacum, tunc temporis Cumanorum tyrannum, apud quem quum perpaucos dies vixisset, obijt, & ab eo sepulturæ mandatus est. Exulum autem qui cum eo erant, alij Cumis remanserunt, alij in aliis vrbibus dispati vitam in exilio finierunt. Quum autem Romani externa bella confecissent ac sedassent, domi seditiones exortæ, quia senatus decreuerat vt iudicia restituerentur, & controuersiæ, quarum cognitio propter belli dilata fuerat, ex legibus dirimerentur. Sed illi qui de contractibus & æ e alieno inter se contendebãt, graues tempestates excitabant, & ad indignam insolentiam & impudentiam prouehebantur. Ipsi enim plebeij simulabant se soluendo non esse, tum quòd diuturno bello se agricultura prohibitos fuisse, tum quòd suũ pecus interijsse, & à se multa mancipia amissa dicerent, quæ partim trãs fugerant, partim in hostium excursionibus capta fuerãt, tum etiam quòd omnia bona quæ in vrbe habebant, impensis in militium factis exhausta affirmarent. Ipsi verò creditores dicebant eas calamitates non ipsis solis debitoribus, sed æquè omnibus communes fuisse: & minimè ferendum

rendum arbitrabantur, si non solùm ea quæ sibi ab hostibus propter bellum fuissent erepta, sed etiam quæ pacis tempore nonnullis ciuibus egenis mutuò dedissent, amitterent. Itaque quum neque ipsi creditores ad vllas aquas conditiones descendere, neque ipsi debitores quicquam æquè facere: sed illi ne vsuras quidem remittere, isti ne ipsam quidem sortem persoluere vellent, ob has causas omnes qui in pari versabantur fortuna, passim per vias iam coibant & conglobabantur, & in foro aduersa stabant acie, quin etiam interdum à manibus sibi non temperabant, & omnis ciuilis disciplina turbata erat. Hæc videns Postumius, cui etiam tunc honos æquè ac antè ab omnibus habebatur, præclarum esse duxit graui bello tempestates vrbanas sedare, & antequam vltimum, ac totum dictaturæ suæ tempus expleret, dictatura se abdicauit, & indicto comitiorum die, vnà cum suo collega patrios restituit magistratus. Rursus igitur annuum & legitimum magistratum acceperunt consules Appius Claudius Sabinus, & P. Seruilius Priscus, qui multò ante rectè animaduerterant esse è republica turbulentam plebem ad bella externa diuertere, & in istis eam occupatam detinere. Quare, parabant se vt contra Volscorum gentem alter consul exercitum duceret, tum quia cupiebant eos vlciscí ob auxilia Latinis contra Romanos missa, tum etiam quia volebant præuertere eorum apparatus, qui adhuc erant exigui. Erant enim qui nuntiabant illos quoque omni studio exercitum iam conscribere, & missis ad finitimas gentes legationibus, ad belli societatem eas sollicitare, quòd audirent plebem à patriciis dissidere, & vrbem intestino bello laborantem facilè capi posse spe-

rarent. Quum igitur consules expeditionem aduersus hos faciendam censuissent eorumque sententia, vt recta, à toto patrum consessu fuisset comprobata, edixerunt vt omnes iuniores præsto essent ad certum tempus, quo tempore milites conscripturi erant. Sed quum plebeij ad militare sacramentum sæpius vocati non venirent, neque ipsis parerent, non amplius inter vtrumque consulem conueniebat: sed iam inde discordes esse cœperunt, & contrarijs actionibus sibi inuicem toto magistratus tempore sunt aduersati. Seruilius enim censebat eundum multo via, ex M. Valerij ciuis populariſsimi sententia, qui seditionis principijs medendum censebat, decreta remissione, vel imminutione debitarum pecuniarum si fieri posset. Sin minus, saltē impediendos creditores in præsentia, ne eos qui præstitutum solutioni tempus excessissent, in seruum abducerent, & adhortatione potiùs quàm necessitate ac vi adducendos pauperes ad militare sacramentum, neque pœnas graues & inexorabiles contumacibus infligendas, vt in ciuitate concordi, sed moderatas aliquas & æquas. Verendum enim esse dicebat, ne homines victus quotidiani inopia laborantes, cœtu facto ad desperationem adducerentur, si suis sumptibus militare cogerentur. Appij verò, qui præcipuus erat inter principes factionis optimati, sententia austera & rigida erat, nihil indulgendum plebi: quinimò debitorum in contractibus expressorum exactiones ipsis creditoribus permittendas, quocunque iure & conditionibus eas essent facturi, & ab altero consule qui in vrbe remaneret, constituenda esse iudicia more patrio, & pœnas, quas leges in vadimony desertores statuerunt, exigendas: nihil verò nisi quod æquum esset, precibus concedendum, neque eam in praua potentia

paranda

paranda iuuandam. ¶ Nunc enim (inquiebat) ob nimiam libertatis licentiam prius quàm par est lasciuit immunis tributorum quæ regibus pendebat antea, & immunis pœnarum, quas illis corpore luebat, quoties celeriter imperata non fecisset. Quòd si eò audaciæ prouecti fuerint plebeij, vt aliquid aut mouere aut immouare conentur, coërceamus ipsos per partem ciuitatis sobriam & sanam quæ longè maior erit quàm pars quæ morbo laborat, nec sana mente est prædita. Nec parum virium ad rem peragendam nobis afferet iuuentus patriciorum ad imperata nostra faciendum parata. Sed validissimum & inuictum telum quo vsi facilè plebeios superabimus, est ipsius Senatus potentia qua à nobis qui stamus à legibus terrebuntur. Quòd si ipsis postulata concedamus, primùm in dedecus incurremus, quod reipublicæ administrationem plebi permiserimus quæ ab optimatibus regi poterat, deinde in periculum non minimum veniemus, libertatis iterum amittendæ, si quis ingenij tyrannici vir eius fauore meritis, ac officijs sibi conciliato potentiam legibus superiorem sibi comparârit. Hoc igitur modo disceptantibus inter se consulibus, vel in ipso Senatu, quoties cogebatur, & multis vtrinq; adhærentibus ac fauentibus, Senatus quin nihil præter altercationes & tumultus, ac verba parùm decora & conuicia, quibus se mutuò afficiebant, audiret, nec vllum salutare decretum faceret, dimittebatur. Multo autem tempore in his contentionibus absumpto, alter consul Seruilius (fortè enim ea expeditio ei obtigerat) multis precibus & obsequijs demerita plebe, vt ad huius belli societatem sequi vellet, cum copijs non ex delectu per vim coactis, sed voluntarijs, prout ipsa tempora postulabant ad bellum est profectus. Volscis adhuc se pa-

rantibus atque existimantibus Romanos cum exercitu cõtra se minimè ventu os, vtpote quorum vesp tanta sit ditione laboraret & premeretur, ipsique ciues mutuis odiis se prosequerentur: & putantib s eos non ausuros congredi cum iis qui ipsos vltrò inuaderent. sibi verò magnam fore facultatẽ belli inferendi quotiescunque libuisset. Sed quũ Romani bellum gerere cœpissent, quũ tamẽ ipsi bello essent petendi tunc eorum celeritate, consternati honoratißimi quique ex ciuitatibus more supplicum progressi ad Seruilium venerunt, sẽque ei dediderunt, permittentes ipsi vt arbitratu suo de se tanquam de sontibus statueret. At ille accepto ab illis in vsum exercitus commeatu, & vestibus ac trecentis obsidibus nobilißimarum familiarum delectis, abijt. id bellũ confectũ esse ratus. Sed reuera hoc nõ fuit belli finis, at potiùs dilatio quædam & facultas ad se instruendũ ac parandũ data hostibus insperato Romanorum aduentu præuentis. Nã post discessum Romani exercitus, iterum Volsci bellũ parare, & oppida munire cœperunt, & loca omnia quæ opportuna erãt ad suos ab hoste tutandũ maioribus præsidiis quàm antea custodiebant. Hernici autem & Sabini apertè se ad illius periculosi belli societatẽ addiderũt. clam verò & multi alij. Sed Latini quũ legati ad eos societatẽ petitum venissent, eos vinctos Romã abduxerũt, quibus senatus gratiã referẽs ob fidei cõstantiã, & multò magis ob eorũ alacritatẽ ad id bellum (vltrò n. suam operã ad bellum illud offerebãt,) quòd eos maximè cupere, sed præpudore petere non audere arbitrabatur, hominum fermè sex millia, quæ fuerant in bellis capta, illis sine pretio largitus est, vtque ad eam munificentiam accederet ornamentum cognationi maximè conueniens, omnes eos vestitos ac cultos libera-

beraliter dimisit. Cæterùm, dixit se auxilio Latinorũ non indigere. Satis enim fore dixit pop. Rom. copias domesticas ad vlciscendũ eos qui defectionẽ fecerant. Cũ hoc responso dimissis Latinis bellum contra Volscos decreuit.

4 ¶ PATRIBVS autem adhuc in curia sedentibus, & de copiarum mittendarum numero consultantibus, quidam iam senior se in forum proiecit, sordida laceráque indutus veste, barba valde promissa ac densa, & squalida coma vociferans, hominúmque fidem & auxilium implorans. Facto autem concursu à turba proxima ille stans in loco vnde à multis conspici posset, dixit se ingenuum esse, & militem emeritum, atque duodetriginta prælijs decertasse. & sæpius ex bellis præmia suæ fortitudinis reportasse, & se reipublicæ extremis temporibus quibus ad maximas angustias redacta fuerat æs alienum facere coactum fuisse, vt tributum imperatum conferret, quòd agellus suus hostium excursionibus fuisset vastatus, & rem familiarem annonæ vrbanæ caritas absumpsisset. Quæ re, quum soluendo non esset à creditore vna cum duobus filijs in seruitutem abductum fuisse, & quòd domino suo durius quiddam imperanti respondisset, cæsum se verberibus affatim. His dictis vestem illam squalidam abiecit, & pectus cicatricibus plenum ostendit, & tergum recenti verberum sanguine totum repletum. Ob cuius rei indignitatem clamore cum lamentatione à circumstantibus sublato, senatus est dimissus. & tota vrbe inopes discurrebant, deflentes suum infortunium, & auxilium à vicinis imploran tes. simúlque ex priuatis ædibus, nexi ob suum æs alienũ, capillitio hirsuto ac promisso propijciebant se in publicum, & plurimi eorum cum ipsis catenis & compedi-

bus nemine eos retinere audente: quos siquis vel tantummodo attigisset, statim vt iure belli, diserpebatur, tanta rabies eo tempore plebem corripuerat: nec ita multo post totum forum repletum est hominibus ex creditorum manu effugientibus. Appius igitur metuens sibi à plebis impetu, quòd ipse esset malorum illorum autor, atque propter ipsum hæc accidisse viderentur, ocius se ex comitio proripuit. At Seruilius abiecta prætexta ad singulos de plebe cum lacrymis procumbens, vix tandem illis persuasit vt eo die se continerent, & postero die rediret, promittens rem eorum senatui curæ fore. Ita loquutus, quum per præconem edixisset, nemini creditorum licere quenquam ciuem Romanum ob ipsius æs alienum in neruum abducere, donec senatus de illis cognouisset, & præsentes posse tuto abire quocunque libuisset, hoc modo tumultum illum sedauit. Tunc igitur illi ex foro discesserunt. Postero autem die adfuit non solùm ipsa vrbana turba: sed etiam ex proximis agris popularis multitudo & summo manè totum forum plenum erat. Coacto autem senatu, vt quid his de rebus statuendum esset, consultaretur, Appius quidem suum collegam plebis adulatorẽ vocabat, & ducem pauperum insolentiæ. Seruilius verò eum austerum & arrogantem, & præsentium reipublicæ malorum autorem: & nullus altercationum finis fiebat. Interea autẽ Latini equites equis summo studio concitatis in forum aduenerunt, nuntiarúntque hostes cum ingenti exercitu domo egressos, & iam esse in sui agri finibus. Atque illi quidem hæc nuntiarunt. Patricii verò, & equestris ordinis viri, & cæteri quotquot vel diuites vel nobiles erant, vtpote qui pro magnis rebus periclitabantur, arma ocius ceperunt, at quotquot ex illis erant

illis erant inopes, præcipuè verò qui ære alieno premebantur neque arma tãgebãt neque vllũ aliud reip auxilium ferebant: sed lætari & exultare cœperunt bello externo, quasi ita præsentibus malis ipsi liberari possent: atque iis qui eos adhortabantur ad patriam defendendam, catenas & compedes cum conuicijs ostendebant, atque ex ipsis quærebant, num horum bonorum seruandorum causa æquum esset se bellũ gerere: quin etiam multi dicere audebant satius esse seruire Volscis quàm patriciorum contumelias perferre. Et tota vrbs vlulatus & tumultus, ac variarum muliebrium lamentationum plena erat. Patres quum hæc viderent, Seruilium alterum consulem, cuius in eo rerum statu magna autoritas apud plebem videbatur esse rogarunt vt patriæ opem ferret. Ille verò, populo ad concionem conuocato, demonstrabat præsentis temporis necessitatem non pati amplius ciuiles contentiones, & eos orabat vt tunc vnanimes in hostem irent, neque patriam funditus euerti paterẽtur, in qua dỹ patrỹ & monumẽta maiorũ singulis essent, quæ omnibus mortalib. pretiosissima sunt: vtque parẽtes vererẽtur, qui se per ætatẽ nõ p̃ssent defendere, vtque misericordia mouerẽtur mulierũ quæ mox mox graues & nefarias contumelias coactæ essent latura, præcipuè verò infantium nõ ad talem spem educatorum iniurias & crudeles contumelias miseraretur. Cæterùm, postquam præsens periculum omnes patrij animi contentione vsi propulsassent, tunc viderent quõnam modo æquam & communem ac salutarem omnibus reipublicæ formam constituerent, ita vt neque inopes diuitum fortunis insidiarentur, neque illi contumelioſe humiliorum hominum fortunæ insultarent. Hæc enim in ciuitate nullo modo ferenda dicebat.

Quinetiam viderent *quódnam auxilium* iuil. *pauperibus & quódnam moderatum subsidium credi oribus ferri posset. Nam* inquiebat *optimum in vita cõtra omnes iniurias remedium, & quod in omnibus ciuitatibus concordiam seruat, contractuum videlicet fides, non omnino, neque in perpetuum ex sola rep. R. tolletur. Quum igitur hæc & alia, quæ tale tempus postulabat, dixisset, postremò de sua erga plebem constanti beneuolentia paucis egit, & se purgauit, ac ab ea petiit vt secum ad hanc expeditionem proficisceretur & hanc gratiam sibi pro suo erga ipsam studio referret, quòd vrbis curæ collegæ obtigisset, & ad se belli imperium delatum fuisset: hanc enim fortunam sibi ab ipsa sorte datam. Dicebat autem, patres sibi pollicitos esse se ratum facturos quicquid ipsi plebi promisisset, séque illis vicißim promisisse, fore vt persuaderet ipsis plebeiis ne patriam hostibus proderent. Hac oratione habita, per præconem edixit, nepiui licere ciuium Romanorum, qui ad bellum contra Volscos secum proficiscerentur, aut domos retinere aut vẽdere, aut oppignerare, aut eorum familiam vllius contractus causa in seruum abducere, aut etiam impedire quominus quilibet nomen ad militiam daret, eiúsque particeps esset: & qui militiam deseruisset, contra eos creditoribus ius esse exigendi quibuscunque conditionibus pecuniam ipsis mutuò dedissent. Pauperes his auditis confestim consenserunt, & magna animi alacritate omnes ad bellum ferebantur, alij quidem lucri spe excitati, alij verò Imperatoris gratia, plurimi verò vt effugerent Appium, & contumelias patriciorum in eos qui in vrbe remansissent. Seruilius igitur cum hoc exercitu itinere continuato, valdè properauit vt prius cum hostibus congrederetur, quàm ipsi in*

Romanum

Romanum agrum irrumperent. Quum autem eos offendisset castra metatos in agro Pomptino, & Latinũ agrũ populantes quòd à se inuitati belli societ esse noluissent, circa vespertinum crepusculum in colle quodam qui x x. fermè stadia ab eorum castris aberat, castra posuit. Noctu verò Volsci eos adorti sunt, existimantes paucos eos esse, & ob iter longum fatigatos, & animis ad operam nauãdam minùs paratis ob inopum seditiones propter æs alienum excitatas, quæ tum maximè vigere credebantur. At Seruilius, quandiu nox duravit ex ipso vallo pugnauit, sed vbi primùm dies illuxit, & animaduertit hostes nullis seruatis ordinibus palantes, iussit omnes castrorũ portas clam aperiri, & simul vno signo exercitum in eos immisit. Quum autem Volsci ingrane, repentinum, & inopinatum malum incidissent, eorum pauci quidam ausi resistere ad vallum pugnantes concisi fuerunt. reliqui verò effusa fuga fugientes, multis suorum amissis plerisque saucy, & inermes in sua castra se receperunt. Sed Romanis illos è vestigio insequentibus, & castra circundãtibus, post non longam defensionem castra dediderunt multis mancipiis, & pecore, & armis & reliquo bellico apparatu referta. Captus est etiam hominum ingenuorum magnus numerus, partim ipsorum Volscorum, partim gentium, quæ ipsis auxilium in eo bello tulerant, & quicquid pecuniarum, auri, argenti, & vestium milites habebãt: quarum rerum ibi maxima erat copia haud aliter ac in opulentissima aliqua vrbe expugnata. Seruilius autem hæc omnia militib. concessit vt vnusquisq. aliquid lucraretur, & nihil in publicum referret, & prædam diuidi iussit: & castris incensis cum exercitu ad Pometiam vrbem Suessæ proximam profectus est. Hæc enim ambitus magnitudi-

ne, & colonorum multitudine, præterea gloria & opibus, longè cæteris antecellere videbatur, & erat tanquã illius gentis caput, qua obsessa & exercitu neque interdiu, neque noctu ab oppugnatione revocato, ne ullum tẽporis spatium hostibus daretur ad quiescendum, aut somnum capiendum néve à prælio unquam cessarent, eos fame confectos, & consilij inopia, ac sociorum penuria laborantes, breui temporis spatio expugnauit. & omnes puberes interfecit. omnibúsque rebus, quæcunque ibi quoque erant, militibus in prædam concessis, ad alias vrbes copias duxit. quod nullus de Volscis ipsi amplius resistere posset. Quum igitur Romani res Volscorum ita afflixissent, Appius Claudius, alter consul. productos in forum eorum obsides, qui erant trecenti, neque in posterum fidem datis obsidibus confirmam temere violarent, in omnium conspectu virgis cæsos securi percussit. Deinde, post paucos dies collegæ ex illa expeditione reuerso, & triumphum, qui Imperatoribus ob rem in prælijs præclarè gestam bellúmque feliciter confectũ concedi solet, ab senatu petenti obstitit. seditiosum & prauæ disciplinæ amatorem eum vocans: præcipuè verò eum accusans quòd ex eius belli præda nihil in ærarium retulisset, sed quibus voluisset, ea omnia largitus fuisset, & senatui persuasit ne triumphum ei concederet. At Seruilius, quum existimaret se contumelia à senatu affectum præter Romanorum morem se gessit arrogantius. Conuocato enim ad cõcionem populo in campum ante vrbem situm, & narratis rebus à se in bello gestis, & declarata collegæ inuidia, atque senatus contumelia, dixit se à rebus ipsis quas gesserat, & ab ipso exercitu suorum laborum socio habere potestatem triumphandi, ob rem præclarè & fœliciter gestam.

gestam. Hac oratione habita, fasces coronari iussit, & ipse coronatus & triumphali veste indutus vrbem ingressus est, toto populo eum prosequente in Capitolium vsque. Quò postquam venit, vota diis persoluit, ac spolia dicauit. Quo facto in multò maiorem patriciorum inuidiam incurrit sed plebis fauorem sibi conciliauit. Quãnis autem Resp. in talibus seditionibus, taliq; e tumultu versaretur, aliquandiu tamen quædam induciæ fuerunt ob sacra patria, & dies festos ac celebritates magnificas, quæ quandiu celebratæ sunt plebis seditionem cohibuerunt. Illos autem, dum hos dies festos celebrarent, Sabini cum ingenti exercitu inuaserunt, hac ipsa occasione iam multò ante obseruata, noctis initio iter ingressi, vt antequam Romani suum aduentum sentirent, ipsi in vrbe iam adessent, & facillimè eos vicissent, nisi vites quidã à reliqua exercitus acie diuulsi prædæ cupiditate, villas quasdam adorti tumultum excitassent. Confestim enim clamor exortus est, & concursus agrestium ad mœnia factus, antequam hostes ad portas accederent. Quorum aduentu à Romanis cognito, qui interea coronati in spectacula erant intenti, ludis relictis ad arma concurrerunt. Et Seruilius militum voluntariorum manum satis firmam præsto habuit, quæ instructa impressionem in hostes fecit, vigilia & labore defessos, neque infestum Romanorum aduentum expectantes. Quum autem ad manus venissent concurrerunt vtrique nullo ordine, & nulla militari disciplina seruata, præ festinatione nimia: sed prout sors tulit, legio legioni, cohors cohorti, vir viro occurrit, & equites ac pedites promiscuè pugnabant. Vtrisque autem auxilia celeriter venerunt exciuitatibus, quæ haud procul inde aberant, quæ quum suis labo

rantibus animos redintegrassent, effecerũt vt diutius mæ
lis & laboribus resisterent. Quandẽ tamen Romani quũ
equitatus auxilium ipsis tulisset, Sabinos iterum vicerũt,
& multis cæsis in vrbem redierunt cum magno captiuo-
rum numero, & Sabinos, qui in vrbe erant, & qui per
speciem spectandi eò profecti, in suorum aduentantium
gratiam arces & loca vrbis munita occupaturi erant,
vt inter illos conuenerat, diligenter conquisitos in carce-
rem coniecerunt. Sacra verò quæ bello interrupta fue-
rant, duplo maiore quàm antè sumptu ex senatusconsul-
to instaurata sunt: atque ita populus iterum in epulis at-
que hilaritatibus versabatur. Illis autem adhuc festum
celebrantibus, legati ab Auruncis venerunt, qui agri Ca-
pani pulcherrimam planitiem tenebant. Isti in senatum
introducti, postularunt vt sibi restituerent agrum Vol-
scorum qui Ecetrani vocabantur, quem Romani Ece-
tranis ademptum, colonis ad eius gentis præsidium miss-
sis diuiserant: & inde præsidium deducerent. Quæ nisi fe
cissent, denuntiabant Auruncos breui in agrum Roma-
num venturos, & pœnas pro iniuriis, quas populis finiti
mis intulerant sumpturos. Romani verò hæc responsa il
lis dederunt. ¶ Renuntiate, legati, Auruncis nos Roma-
nos æquũ esse censere, vt quæcunque quis sua virtute ho-
stibus ademerit, & sibi compararit, ea suis posteris tan-
quam res proprias relinquat, bellum autem Auruncos
non timere, vt pote quod neque primum, neque grauis-
simum futurum sit. Sed assuetos nos esse cum quibusuis de
imperio, & de virtute decertare, & si rem ad certamen
perductam viderimus, nos impetum intrepidè excepturo-
ros. ¶ Postea Auruncis cum ingenti exercitu ex agro suo
venientibus, Romani cum suis domesticis copiis ducta

Seruilij

Seruilij occurrerunt ad Aricianam vrbem, quæ ab vrbe centum & viginti stadia abest & vtrinque castra posuerunt in montibus natura munitis parũ inter se distantia: & vallo munito, in mediam planitiem dimicaturi processerunt, collatisque signis à matutinis horis vsque ad meridiem pugnarunt, alteri alteris fortiter resistentes, ita vt magna hinc inde cædes facta fuerit. Gens enim Aurũcorum bellicosa erat, & corporis magnitudine, & robore, & truci oris aspectu feritatem maximè formidabilem præ se ferebat. In hoc prælio virtus atq; egregia opera equitum Romanorum, & ducis eorum A. Postumij Albi, qui anno superiore dictator fuerat, maximè eminuisse fertur. Locus enim vbi prælium commissum est minimè equitabilis erat, & confragosos colles, & profundas conualles habebat. ita vt neutris equitatus vllo modo prodesset. Sed Postumius iussis equitibus quos secum habebat, ex equis descendere, & facto sexcentorum hominum globo, qua parte maximè laborabat acies Romana loco pulsa, ab ea parte cum hostibus congressus est, & confestim eorum impetum repressit. Vt verò semel barbari reiecti fuerunt, audacia Romanos subiit, accensis peditibus equitum æmulatione, factóque ex vtrisque agmine quadrato, dextrum hostium cornu ad collem vsque propulerunt. atque alij quidem hostes ad castra fugientes insequuti, magnum eorum numerum occiderunt. alij verò eos qui adhuc pugnabant à tergo premebant. Quos etiã in fugam versos, quum laboriosè & tardè se recuperent ad loca aceliuia ac aspera, Romani persequebantur, nervos pedum succidentes, & poplites obliquis gladiis diuidentes, donec ad eorum vallum peruenerunt. Cuius defensoribus, qui pauci erant, vi submotis, castris sunt potiti.

eáque diripuerunt, non magnam tamen prædam ibi inue nerunt, præter arma & equos, & si quod aliud bellicum instrumentum erat. Atque hæ sunt res à Seruilio, & Appio consulibus gestæ.

5 ¶ POST hos creati sunt cõsules A. Virginius Mõtanus. & Titus Veturius Geminus, archonte Athenis Themistocle, anno ab u. c. ducentesimo sexagesimo, quorũ consulatus præcessit initium septuagesimæ secundæ olympiadis, qua iterum vicit in stadio Tisicrates Crotoniates. His consulibus Sabini iterum contra pop. Rom maiorem quàm antè exercitũ ducere parabant: & Medullini facta à Romanis defectione cũ Sabinorũ gente fœdus adhibito iureiurãdo fecerunt. Patricij, cognito eorũ consilio, sese ocius apparabant vt totis viribus in eos proficiscerentur. Plebs verò eorũ dicto minimè audiens erat: sed recordabatur se toties deceptam fuisse eorum pollicitationibus de subleuãda egenorũ inopia, & ea omnia quæ pro illis decreuissent, ab ipsis irrita fuisse facta. Itaq; paulatim, & pauci coeuntes iureiurando se inuicem obstrinxerunt, ne quis amplius patricios in nullo bello adiuuaret, & vt vnicuiq; pauperũ cõtra cuiusuis violentiã cõmuni cõsensu omnes auxilium ferrent. Itaq; conspiratio cũ multis aliis in rebus, tum etiam in verborum contentionibus & rixis apparuit, præcipuè verò consulibus delectũ habentibus. Quum enim citati ad danda nomina non venirent, & lictores consulis iussu quendam de plebe corripuissent, pauperes conferti & conglobati eum qui abducebatur eripuerunt, & lictores qui eum dimittere nolebant, ipsi pulsantes repulerunt, neque ab ipsis equitibus, & patriciis quicunq; aderãt, quiq; id impedire volebant, manus abstinuerunt, & breui tota vrbs cõfusionis & tumultus ple-

tus plena fuit. Et interim dū seditio in vrbe crescit, faris quoq; bellū longè maiore conatu & apparatu ab hostibus parabatur. Volscis enim & Aequis ad defectionem iterū spectātibus, legati ab omnibus Romanorū subditis venerunt, qui petebant vt sibi opē ferrent, néve se in ipsa via hostibus obiectos desererent. Latini enim dicebāt, Aequos irruptione factā in suum agrum omnia populari, & nōnullas vrbes iā diripuisse. Crustumerini quoq; præsidiary significabāt Sabinos propè esse, & summo stipendio illius oppidi præsidium oppugnare: alij verò aliquam aliā calamitatē acceptā, vel imminentē nuntiabant, & vt ocius sibi subsidiū ferretur, postulabāt. Venerunt etiam ad senatū legati à Volscis missi, qui petebant vt ager sibi ab illis adēptus restitueretur, antequā belli initiū fieret. Coacto autē senatu vt hac de re cōsultaretur, T. Largius primus à consulibus sententiā rogatus, tum quia cæteris dignitate antecellere, tum etiam quia prudētissimus existimabatur, progressus in medium sic est loquutus, {MIHI certè, p. c. ea quæ alij timenda, & celeri indigere auxilio existimāt, neq. timenda, neq. valdè vrgētia videntur, quonā modo videlicet auxiliū socijs sit ferendum, at quonā modo hostes repellendi, ac vlciscendi. Quæ verò neq. maxima mala alij existimāt, neq. in præsenti rerū statu vrgētia, & quæ negligūt quasi nullū dānum nobis sint allatura, hæc mihi maximè formidanda, & nisi ea vos hæc repræsserimus, extremā euersionē & cōfusionē Reip. allatura videntur, nimirū contumacia plebis recusantis consul imperata facere, & nostra ipsorum in refractarios & liberius se gerentes acerbitas. Existimo autem nulli alij rei vobis in præsentia tam esse prospiciendum quàm huic, vt ex vrbe hæc mala tollantur, &

omnes vno cõsensu cõmoda publica priuatis anteponẽtes Remp. administremus. Si. n. Reip. potẽtia concors fuerit, facilè poterit & amicos ab hoste tutos reddere, & inimicis terrorẽ incutere: sed si (vt nũc) discors fuerit, horũ neutrũ præstare poterit. Mirabor verò nisi hæc discordia ipsam Remp. cõficiat ac perdat, & sine vllo labore hostibus victoriã tradat: id quod per Iouẽ cæterosq; deos breui euenturũ puto, si ita Remp. administrare pergatis. Diuisi enim sumus (vt videtis) & duas habemus ciuitates: quarũ alterã paupertas & necessitas regunt, alterã, satietas & superbia. Pudor verò & modestia ac iustitia quibus omnis ciuilis societas conseruatur, ab vtraq. exulant. Iã n. per vim mutuò alij ab aliis ius nostrum repetimus, & in summa violẽtia summum ius ponimus, tanquã feræ, malumusque aduersarios nostro malo perdere, quã nostræ incolumitati cõsulẽtes simul cũ ipsis aduersariis seruari. Quibus rebus vt accuratè prospiciatis, de his instituta consultatione post dimissos legatos, à vobis peto. Responsa verò quæ legationibus in præsentia censeo danda, hæc sunt (quandoquidem Volsci à nobis repetunt ea quæ victores armis quæsiuimus, & nobis nisi imperata fecerimus bellum minantur, hæc respondeamus) nos Romanos existimare ea honestissimè & iustissimè quæsita esse, quæ iure belli fuerint parta, neque vnquam nos passuros vt virtus stultitia deleatur, quod fieret si res iam partas traderemus iis qui eas amiserunt. Sed nos daturos operam vt hæc communicemus cum nostris omnibus posteris, atque hæc ipsis relinquamus. Alioqui si rebus iam partis ipsi nos fraudaremus, nos ipsos hostiliter tractaremus. Laudata autem Latinorum beneuolentia, eorum animos confirmemus, & metum eximamus

exornamus, & polliceamur fore vt in nullo periculo, quod nostra causa subierint, eos vnquam deseramus donec fidem erga populum Romanum seruarint, dicamus etiam breui nos illis missuros tantum copiarum quantum satis fuerit ad hostium vim propulsandum. Hæc responsa & optima & æquissima fore iudico. At post discessum legatorum primum senatum vrbanis tumultibus dandum censeo, idque non longo temporis spatio interposito, sed crastino die. ¶Quum igitur Largius hanc sententiam dixisset, eáque ab omnibus collaudata fuisset, tunc legati acceptis responsis, de quibus antè actum, discesserunt. Postero die consules, coacto senatu de corrigendis, ac sedandis vrbanis tumultibus ad eum retulerunt. Primus igitur rogatus sententiam P. Virginius, vir popularis, mediam tenens viam, ita est loquutus. ¶QVANDO plebs superiore anno summam animi alacritatem in bellis pro Republ. gestis demonstrauit, quo tempore Volscis & Aurunc is cum ingenti atque infesto exercitu venientibus sese obuiscum opposuit, censeo illos qui tunc nos adiuuerunt, quique horum bellorum socij fuerunt, dimittendos, & nulli ex eorum vel corpus, vel fortunas à creditoribus detinendas. Et idem ius eorum parentibus vsque ad auos, & filiis vsque ad nepotes concedendum, cæteros verò debitores ex contractuum obligationibus à creditoribus iure abduci posse iudico. Postea T. Largius, Mihi (inquit) patres conscripti, optimum videtur si non solùm illi, qui in bellis strenuè se gesserunt, sed etiam tota reliqua plebs contractuum obligationibus liberetur. Hac enim sola ratione totam ciuitatem concordem redd emus. Tertius verò App. Claudius, superioris ann;

consul, ita est locutus, Quoties, patres conscripti, de his rebus agitur, semper in eadem permaneo sententia, nihil esse concedendum plebi quod petat, nisi sit legitimum & honestum, neque generosos Reip. animos imminuendos ac deprimendos. Et ne nunc quidem aliter sentio ac præcipio: alioqui omnium mortalium essem stultissimus, si, quum ante superiore consul collegæ mihi animaduersanti, & plebem in me concitanti restiterim, & constanter in proposito perseuerauerim, nec vllo terrore vt de sententia decederem compelli potuerim, nec vllis precibus aut gratia cesserim, iam priuatus me ipse deiicerem, & meam loquendi libertatem proderim. Siue igitur hãc animi mei libertatem vnusquisque vestrum velit appellare generositatem, siue arrogantiam, tamen (quandiu viuam) nunquam in gratiam improborum hominum nouas tabulas introducam. sed etiam omni studio eos oppugnabo, qui eas introducere voluerint, illud considerans omnia vitia, dissentiones, & (vt paucis rem complectar) omnem Reip. subuersionem ex nouis tabulis nasci: & siue quis aliqua cum prudentia siue per insaniam (si quidẽ non priuatam, sed publicam incolumitatem spectandam censeo) siue quo vnque alio modo hæc à me dici putabit, ei permitto vt, prout voluerit, sentiat: ego tamen semper aduersabor iis, qui instituta noua contra patrium morem in Rempub. inducent. Quoniam verò tempus nõ patitur vt de ære alieno agatur, sed magno aliquo auxilio opus est ipsi. quod solum est seditionis in præsentia remedium, censeo dictatorem quàm primùm creandum, qui vsus potestate nullis reddendis rationibus obnoxia, & senatum & populum optimè de Repub. sentire cogat. nulla enim alia ratione tantum malum tolli poterit. } Hãc Appij

sententiam

sententiam, vt optimam, iunioribus strepitu comprobantibus. Seruilius contradicturus surrexit, & alij quidam de senioribus, qui ad hoc ipsum parati venerant, & valde obnitebantur: tandem tamen vicit Appij sententia. Postea consules de communi consensu, maxima hominum parte existimante Appium dictatorem creatum iri, quasi solus ille Reipubl. patrocinium fortiter retinere posset, illum reppulerunt, & Manium Valerium, fratrem P. Valerij, qui primus Romæ consulatum gessit, quique popularissimus fore existimabatur, iam senem crearunt, rati satis ad terrorem ipsum potestatem sufficere, & præsentem rerum statum egere viro penitus clementi, ne quem nouum tumultum excitaret. Valerius, accepto eo magistratu, & dicto equitum magistro Q. Seruilio, fratre Seruilij collegæ Appij, populum ad concionem aduocauit. Quum autem ingens turba eò confluxisset, tunc primùm ex quo Seruilius magistratum deposuerat, & plebs educta in expeditiones ad manifestam desperationis insolentiam se verterat, progressus in tribunal, istam concionem habuit. Probè scimus, Quirites, id vestra voluntate fieri vt semper aliquos magistratus de gente Valeria habeatis, cuius opera tyrannide grauissima liberati fuistis, & nullius rei quæ esset æqua repulsam tulistis, permittentes vos ipsos arbitrio eorum qui popularissimi videbantur. Quare, apud vos verba faciam non vt vos doceam nos plebis libertatem confirmaturos, quam ab initio ei dedimus (vt scitis) sed vt vos paucis moneam, posse vos tutò nobis fidere, nos quicquid polliciti fuerimus id re ipsa præstare velle. Ad eam enim ætatis perfectionem venimus, quæ dolis ac impostoris vti non solet, & digni-

tate satis ampla præditi sumus, quæ minimè patitur vt fraudulenter agamus, & reliquũ vitæ spatium nõ alibi, sed inter vos ipsos transigemus, ita vt si qua in re vos à nobis deceptos existimar tis, pœnas de nobis sumẽdi potestas vobis sit futura. Hæc igitur, vt dixi, quũ prolixa oratione nõ indigeãt, apud vos rei gnaros omittã. Quod aũt mihi videmini ab aliis perpessi meritò de omnib. suspicari, quòd videatis semper aliquem consulem hortari vos ad bella, pollicentem se quicquid petieritis, & quacunque re vobis opus fuerit, à senatu impetraturum, & tamen nihil præstare eorum quæ fuerit pollicitus, hoc vos immeritò de me quoque suspicaturos esse istis duobus præcipuis argumentis fidem faciam, tum quia senatus me, qui plebis studiosissimus habeor, minimè abusus fuisset ad tale ministerium, præsertim quum alij sint magis idonei, tum etiam quia non ornasset me summo hoc dictaturæ imperio, vt ea quæ mihi optima viderentur, vel sine sua voluntate ad vestram opem conferre possem. Ne igitur existimetis me fraudis alicuius conscium velle vos vnà cum ipso senatu decipere, aut me consilium iniisse vnà cum eo astutè vos circumueniendi. Si enim hæc vobis in mentem veniunt de me, quasi ego sim omnium mortalium fraudulentissimus tractate me arbitratu vestro dummodo habita mihi fide istam suspicionem ex animis vestris eximatis. Iras porro ab amicis in hostes transferatis qui veniunt vt patria vos spolient, & ex libertate in seruitutem redigant, quique cladibus cæteris quæcunque inter homines grauissimæ habentur vos afficere primo quoque tempore cupiunt, nec procul à nostris finibus esse nuntiãtur. Alacriter igitur accingite vos, & ostendite ipsis Romanorum potentiam vel quum discidio laborat

laborat, tamen esse potentiorem concordi aliorũ potentia. aut enim illi impetum nostrum sustinere non potuerunt, si vnanimes inuaserimus eos, aut pœnas sua audacia dignas dabunt. Illud enim vobis est cogitandum, esse Volscos & Sabinos toties prælio à vobis superatos, qui iam nobis bellum inferunt, & neque corpora maiora nũc quàm antè afferre, neque animos fortiores quàm antè habere, sed sola vestra discordia fretos vos contemnere. Vbi verò hostes vlti fueritis, ego spondeo vobis senatũ vestri æris alieni, pro quo contenditis, rationẽ habiturũ, & quicquid mediocri ab ipso petieritis, pro eo ac meruerit virtus quam in hoc bello exhibueritis, vobis concessurum. Interea verò omnia bona, omnia corpora libera sunto, nullique liceat vllum ciuẽ Rom. qui sit bonæ existimationis & integri status, vel ob creditam pecuniam, vel ob vllum cuiuscunque contractus ac obligationis nomen pro pignore retinere. Illi autem qui alacriter operã suam in prælio nauauerint pulcherrimam coronam habebunt, nimirum patriæ suæ incolumitatem, & præclaram laudem à sociis suis referent. Nos quoq. eos iis honestabimus præmiis, quæ & eorum remfamiliarem in integrum restituere, & genus honoribus illustrare poterunt. Et à vobis peto vt alacritatis ad subeunda pericula exemplũ à me sumatis. Ego. n. nõ secus ac robustissimus quisq. vestrũm pro patria pugnabo. Quum hanc orationem ab illo habitã tota plebs lubenter audisset, vt pote quæ sperare non amplius deceptũ iri, ad id bellum suam operam pollicita est: & decem legiones conscriptæ sunt quarum singulæ quatuor hominum millia continebant. Ex his ternæ singulis attributæ, & tantum equitum quantum sat esset, vnicuique distributum est: at

quatuor reliquas legiones & equites ipse dictator ducebat: atque instructi omnes cõfestim maturarunt iter, & in Aequos T. Veturius, in Volscos A. Virginius, in Sabinos ipse dictator Valerius iuit. Ad vrbis verò custodiam cum senioribus & exigua quadam iuniorum manu T. Largius relictus est. At cum Volsci citò debellatum est. Quum enim se militum numero longè superiores hostibus existimarent, superiorum cladium memores, celeriùs quàm prudentius coacti pugnare, ocius in Romanos ipsi priores impetum fecêre simulatque in mutuum conspectum venêre, & alteri alterorum castra vidêre. Commisso autem acri prælio multa quidem egregia facinora ediderunt, sed longè maiori clade accepta in fugam versi sunt, & castra eorum capta sunt, & insigne illius gentis oppidum, cui nomen erat Velitræ, obsessum in pop. Rom. potestatẽ venit. Pari quoque modo perexiguo temporis spatio illa Sabinorum superbia domita est, vno prælio vtrisque de summa rerum decernere volentibus: deinde ager vastatus, & oppidula aliquot expugnata, vnde magnum hominum numerum milites abegerunt, magnámque pecuniæ vim absportarunt. Aequi verò suis viribus diffidentes, postquam audiuerunt debellatum cum sociis, continebant se in locis munitioribus, neque in aciem prodire audebant, & quò poterant recipiebant se per mõtium & saltuum iuga, & tempus terentes bellum aliquandiu produxerunt. Non potuerũt tamen incolumem exercitum reducere, quia Romani in locis præruptis audacter eos sunt adorti, & castra eorum expugnarunt. Postea & ipsi ex agro Latino fuga se proripuerunt, ac mox sequutæ crebræ deditiones vrbium, quas primo suo aduentu atque impetu ceperant,

rant, nonnullæ etiam expugnatæ sunt, quarum arces obstinatè hostes tuebantur, nec deserere volebant. Valerius autem, quum id bellum ex animi sententia ipsi successisset, de more ob partam victoriam acto triumpho milites dimisit, quum tamen senatus nondum id opportunum tempus esse arbitraretur, ne inopes promissa repeterent. Ut agrum autem bello partum, quem Volscis ademerant, colonos misit, quos de inopum numero selegerat, ut & hostilem agrum quem ceperant, tuerentur & seditionem urbanam minuerent. His rebus gestis, petyt à senatu ut pro egregia opera in ipsius gratiam in prælus alacriter nauata, plebi ea quæ promiserat, præstaret. Sed quum senatus ad eius verba mentem non adhiberet, at (ut antea) eius sententiæ aduersaretur, tumiores & violenti homines, qui etiam aliis numero longè superiores erant, facta in eum conspiratione tunc quoque ei aduersabantur, & grauiter in eum inuehebantur, ipsius familiam populi adulatricem appellantes, & morum improborum autorem. Sed quum nunciatum fuisset hos ipsos homines in concione & iudiciis hac reipub. administrandæ ratione totam patriciorum potentiam ab eo sublatam queri, tunc verò præcipuè Valerius grauiter indignatus, & de iniustis eorum calumniis cum exprobratione apud populum questus, & deplorato infelici talium consiliorum futuro exitu, & (ut solet accidere in tali malo) partim præ dolore, partim etiam quod esset præcellenti prudentia præditus, infortunia futura vaticinatus è curia se proripuit, & conuocato ad concionem populo, sic eum est alloquutus, {Quum magnam gratiam vobis, Quirites, haberem ob alacritatem quam mihi exhibuistis, vltrò

bellum hoc suscipientes, & in eo me iuuantes, & multò maiorem ob spectatam vestram virtutem in bellicis certaminibus, equidem multum sum conatus gratiam vobis referre, tum aliis rebus, tum hac, vt præstarē ea quæ senatus nomine vobis pollicitus fueram, vtq; consiliarius ac arbiter vtriusque partis constitutus, iam tandem vestram seditionem sedarem, vósque ad concordiam perducerem. Sed huic meo studio obstant ij, qui non optimè reip. consulunt, suisque cōmodis in præsentia studere malunt, cæcósque superant, & hominum multitudine & viribus, quas illis ætas iuuenilis dat maiores quàm præsens rerum status postulet, at ego iam sum senex, vt videtis, & alios similes habeo socios, quorum vires quum in solo consilio positæ sint, nequeunt re ipsa exequi quod illi sentiunt, nec aliud nobis est reliquum, quàm vt hæc nostra prouidentia, qua reipu. consulere videmur, priuatim nobis apud vtramque partem odium cōciliet. Nam & senatus me accusat, quòd vestræ multitudinis sim studiosius, & apud vos malè audio quasi maiorem beneuolentiam in ipsum demonstrem. Si igitur plebis beneficio antè affecta promissis senatui à me factis non stetisset, ad hoc fuisset mihi respondendum vos fidem vestram fefellisse: at is me nulla fraus fuisset. iam verò quia senatus non præstitit quæ vobis promisit, necesse est vt apud populum verba faciam quibus probem hæc vobis meo consensu non accidisse, sed æquè nos vtrosque deceptos, & præter expectationem circumuentos fuisse, & me multò magis quàm vos; qui non solùm iniuriam patior, quòd cum cæteris omnibus fuerim deceptus, sed etiam quia priuatim malè audio, quasi prædam ex hoste captam non ex communi senatus sententia illis, qui

de vo-

de vobis sunt egeni dederim, studens priuatis meis commodis, & quasi ciuium bona, velit nolit senatus, publicare cupiam, & quasi contra leges & præter militiæ disciplinam fecerim, quòd repugnante senatu vos dimiserim, quos in hostico castrensibus laboribus & erroribus fatigare oportuerat. Quinetiam exprobrata mihi est colonia à me in Volscos missa, quòd agrum amplum ac feracem non patriciis aut equitibus largitus fuerim, sed iis qui de vobis sunt egeni diuiserim, præcipuè verò quod mihi maximum stomachum mouet illud est, quòd plures quàm quadringentos plebeios in ordinem equestrem à me relatos dicant, qui in hac expeditione rem suam familiarem non mediocriter auxerint. Certè si hæc mihi viribus corporis valenti accidissent, re ipsa inimicis demonstrassem, quali viro contumeliam fecerint. Iam verò, quum septuagesimum ætatis annum excesserim, neque amplius mihi ipse opem ferre, ac iniurias illatas propulsare, & vindicare possim, quumque videam vestras seditiones à me sedari amplius non posse, imperium depono, & quibuslibet, (si quid fraudis à me admissum existimant) mei corporis potestatem facio, vt me arbitratu suo tractent, prout æquum esse iudicarint. Hac oratione habita, tota plebs commiseratione mota est, eumque de foro decedentem prosequuta est: id quod Patrum animos longè magis in ipsum exasperauit. Statim autem hac postea consequuta sunt. Inopes non amplius clam, neque noctu, vt antè, sed propalam iam coëuntes, consultabant de defectione à patriciis facienda. Quum autem senatus id prohibere vellet, imperauit consulibus vt exercitus nondum dimitterent. Adhuc enim in potestate sua habebat sacras legiones.

que militaribus sacramentis tenebătur, nec eorum quisquam signa relinquere audebat. Tantùm apud vnumquẽque iurisiurandi religio valebat. Prætexebatur antẽ speciosa educendi exercitus causa, quasi Aequi & Sabini facta conspiratione bellum pop. Rom. inferre decreuissent. Sed postquam consules cum copiis ex vrbe sunt egressi, & castra non magno spatio inter se distantia posuerunt, milites in vnum omnes coëuntes, armorúmque & signorum domini, Sicinnio quodam Belluto eos concitante raptis signis à consulibus defecerunt. Hæc autem militiæ à Romanis in summo honore & tanquam sacra deorum simulacra habentur: creatíſque nouis centurionibus, & belli totius summa ad Sicinnium delata, occuparunt montem quendam ad Anienem amnem, non procul ab vrbe situm, qui nunc ab eo tempore mons sacer vocatur. Quum autem consules & centuriones eos cum precibus & fletu reuocarent, & multa pollicerentur, respondit Sicinnius, {Quo animo, patricij, eos quos patria expulistis, & ex liberis seruos feciſtis, nunc reuocatis? aut qua fide promissa vestra firmabitis, quam toties à vobis falsam fuisse constat? Sed quando soli vrbem vultis tenere, hinc abite, nec vobis inopes atque humiles homines molesti erunt. Nos verò omni regione, in qua libertatem nostram retinere poterimus, contenti erimus, & vbicumque illa fuerit, eam patriam nostram ducemus.} His in vrbem renuntiatis, ingẽs tumultus & fletus est exortus, & per vias factus concursus, plebeiis vrbem deserere parantibus, patriciis verò eos à proposito deterrere conãtibus, & vim illis qui parere nolebãt, afferre volentibus. Et clamor, atq; comploratio ingens ad portas erat, nec à dictis nec à factis hosti-

hostilibus homines sibi temperabant, quia nullus amplius aut ætatis aut sodalitatis, aut dignitatis ac virtutis reuerentia monebatur. Quum autem qui à senatu ad exitus seruandos statuti fuerant, diutius plebis furori resistere non posset quòd numerus ipsorum esset exiguus & per vim a plebe diuelli custodiam deseruissent: tum verò magna plebis multitudo sese effundebat, eratque non secus ac capta vrbe commiseratio & vlulatus eorum qui remanebant, & incusatio mutua eorum qui vrbem deseri conspicicbant. Postea senatus crebro habitus, & secessionis huius autores accusat. Eodem autem tempore hostes etiam eos inuaserunt, & prædabundi vsque ad ipsa mœnia excursiones fecerunt. Verumtamen qui secessionem fecerant, res ad victum necessarias ex proximis agris sumentes, & à cæteris agri maleficijs sibi temperantes, sub dio manebant, & eos qui ex vrbe & finitimis castellis adueniebant, quorum iam magnus erat numerus, excipiebant. Non solùm enim ad eos confluebant illi, qui ære alieno liberari, & iudicia & impendentes necessitates effugere cupiebant, verùm etiam alia turba hominum otiosorum & segnium, & eorum qui non habebant vnde suis cupiditatibus satisfacerent, & qui malis artibus studebant, & qui aliorum felicitati inuidebant, denique, qui ob aliquam aliam calamitatem vel causam, iniquo animo præsentem reipub. statum ferebant. Interea verò patricij in magnam perturbationem & animi consternationem inciderunt, ingensque timor eos inuasit, quasi mox mox ij qui secessionem fecerant, vrbem coniunctis cum externo hoste copijs essent aggressuri. Deinde, tanquam signo dato, correptis armis cũ suis quique clientibus, alij qui-

dem ad vias seruandas, qua hostes venturos putabant, accurrebant: alij verò ad castella munitionum custodiendarum causa prodibant: alij in adiacentibus vrbi campis castra ponebant. Qui verò propter senium nihil horum facere poterant, ad muros acie instructa collocati sunt. Verùm, vbi animaduerterunt, plebem, quæ secessionem fecerat, neque se cum hostibus coniungere, neque agrum vastare, neque vllum aliud damnum dare, quod esset alicuius momenti, metuere desierunt, & mutata sententia, consultare cœperunt quibusnam conditionibus compositio cum ea fieri posset. Et variæ ac plurimum inter se discrepantes sententiæ à principibus senatus dictæ sunt, atque moderatissimæ & præsenti fortunæ maximè conuenientes eæ fuere, quas eorum natu maximi dixere, quibus docebant nulla malitia plebem à se fe isse secessionem, sed partim vrgentibus calamitatibus compulsam, partim à malis consiliarijs deceptam, & quodam animi impetu magis quàm certa ratione in vtilitate iudicanda vsam: id quod imperitæ multitudini accidere solet: deinde plerósque eorum sibi conscios esse se mala iniisse consilia, & studere peccata sua abolere honestam aliquam occasionem nactos. Et certè re ipsa pœnitentiam præ se ferre, & si quam bonam spem de futuro haberent, ipsis ex senatusconsulto impunitate data, factáque honestis conditionibus compositione, acquieturos, séque lubenter in suas sedes recepturos. Dum autem patribus consilium hoc darent, orabant eos ne ipsi qui erant hominibus deterioribus præstantiores se ita vinci paterentur, néve in illud tempus compositionem differrent, quo tempore stulti vel necessitate coacti sa-

pere,

pere, vel minus malum maiori sanare, & traditis armis, & corporibus deditis, libertatem ipsi sibi eripere cogerentur. hæc enim vix fieri posse dicebant. Petebant itaque ab ipsis vt moderatè se gerentes consiliorum vtiliũ autores essent, & plebem ad compositionem prouocarẽt, illud cogitantes, administrationem & curam reipub. ad patricios pertinere, amicitiam & pacem ad bonos ciues, senatus verò amplitudinem non propterea multum imminutum iri dicebant si fortiter casus necessarios ferentes tuta consilia sequerentur, sed si iracundia in animis pertinaciter seruata rempub. euerterent. Insani autem esse, decori ita cupidum esse, vt propriam salutem negligas. Optandum enim esse vtrunque posse consequi, sed siquis alterutro prohibeatur, salutem honestati, vt rem magis necessariam præferendam esse. Denique eorum consiliũ eò spectabat vt legati ad plebem quæ secessionem fecerat de pace acturi mitterentur, quum nullum ab ea peccatum admissum esset quod sanari non posset. Placuit id senatui. Posteà delectos ad eam rem maximè idoneos viros misit in castra eorum qui secessionem fecerant, cum mandatis vt quærerent ex illis quidnam peterent, & quibusnam æquis conditionibus in vrbem redire vellent. Nam si quid æqui aut quod fieri posset postularent, senatum illis non aduersaturum dicebant: nunc igitur si arma deposuerint, & in vrbem redierint, delictorum impunitatem senatum illis concessurum, & omnem iniuriarum memoriam ab illa die in posterum depositurum. Quòd si strenuam operam reipub. nauarint, & alacriter pro patria pericula subierint non defutura etiam honesta ac fructuosa præmia. Legati hæc mandata allata apud exercitũ exposuerũt, addide-

rúntque eæ quæ ad causam facere arbitrabantur. Sed quum ipsa plebs quæ à patriciis secessionem fecerat, eas conditiones ad quas inuitabatur non admisisset, at in patriciorum superbiam & acerbitatem, & magnam simulationem grauiter fuisset inuecta, quòd illi simularent se ignorare quasnam res ipsa plebs peteret, & quibus coacta necessitatibus ab ipsis secessisset, & ei impunitatem concederent, ne ob secessionem factam vllas pœnas daret; quasi rerum summa penes illos adhuc esset, quum tamen ipsi egerent ciuium auxilio contra externum hostem, totis viribus iamiam affuturum, cui ne resistere quidem possent ipsi qui salutem suam non tam sibi vtilitatem quàm suis belli sociis felicitatem allaturam putabant. Quũ autem plebeij postremæ suæ orationi hoc addidissent, ipsos patricios iam melius cognitis difficultatibus quibus resp. premebatur, intellecturos cum quibus aduersariis certamen sibi sit futurum, & quum præterea multas & graues minas ipsis intentassent. Legati, quũ adhæc nihil amplius respondissent, discesserunt. & patriciis quid à plebe quæ secesserat, responsum esset, declararunt. V bi autem ciuitas hæc responsa accepit, multo grauius quàm antè tumultuari ac trepidare cœpit: & neque senatus vllum malorum remedium inuenire poterat, neque dilationem: sed quum per dies multos nihil aliud quàm maledicta & accusationes mutuas inter primores patrum audiret, ita nullo s.c. facto dimittebatur: neque plebs quæ adhuc patriciorum beneuolentia, vel patriæ desiderio in vrbe præter voluntatem detinebatur, sui perstabat similis, sed huius quoque & palàm & clàm magna pars dilabebatur, & nihil certi ac firmi esse videbatur in iis qui remanebant. Interea consſ. (reliquum

quum enim magistratus eorum tempus breue erat) comitia ad certam diem indixerunt. Plebs autem postquam dies venit magistratuum in campo Martio suffragiis populi eò conuenientis creandorum, quum nullus consulatū ambiret, neque oblatum accipere audæret, ipsa consfecit qui eum magistratum iam antè gessérant, viros qui & apud plebem & apud optimates gratiosi erant, Postumū Cominium, & Sp. Cassium, quorum auspicijs Sabini debellati Romanis imperio cesserunt: septuagesima & septima olympiade, qua vicit in stadio Tisicrates Crotoniates, archonte Athenis Diogneto. Isti inito magistratu calendis septembris, maturiùs quàm superiores consfacere consueuerant, antequam aliud quidpiam agerent, conuocato senatu de plebis reditu ad eum retulerunt, petierúntque vt patrum vnusquisque diceret quidnam ea de re sentiret. primúmque sententiam rogarunt Agrippam Menenium, virum qui tunc ætate præstantissima erat, & qui cæteris prudentia antecellere existimabatur, & qui præcipuè laudabatur quòd optimè in reip. administratione se gereret, quia in neutram factionum partem inclinabat, ita vt neque optimatum superbiā augeret, neque plebi daret licentiam faciendi quicquid vellet.

7 ¶ Is senatum ad compositionē faciendam hac oratione est hortatus. § SI, PATRES CONSCRIPTI omnes qui hic adsunt, eandem haberent mentem, & nullus impedimento futurus esset, quominus compositio quibuscunque conditionibus siue æquis siue iniquis cum plebe fiat. simul etiā si de his tātùm in præsentia nobis esset consultandū, paucis meā sententiā vobis aperirē: iam verò quoniā nōnulli hoc ipsum cōsultatione indigere arbitrātur, vtrum vobis magis expediat cōpositionem cum

plebe quæ secessit facere. an bellũ cum ea gerere, nõ facile mihi esse puto paucis vos monere quid factu optimũ censeã: sed necesse est vt prolixiore vtar oratione qua doceã eos qui de vobis à pace sunt alieni contrariũ suadere, vel certè grauissimis & insanabilibus malis satis inconsideratè prouidere, dũ volunt vos terrere obiectis quas ipsi formidãt, quibus dã difficultatibus leuissimis, & ad quas remediũ facile adhiberi potest: idque ob nullã aliã causam facere. quàm quia non ratione, sed potius ira & insania vtilitatẽ suã metiuntur. Quomodo. n. isti dicentur mente præuidere aliquid quod sit vtile, aut quod fieri posset, qui existimant tantã rẽp & cuius imperiũ tã longè latèque patet, & quæ iam odiosa & grauis est populis finitimis, posse vel sine plebe subditas gentes facilè in officio continere atque tutari, vel aliam plebẽ meliorẽ in huius nequissimæ locũ in vrbem indu. ere, quæ foris pro ipsorũ imperio pugnet, & quietissimè in ciuitate viuat, ac se cùm pacis tũ belli tempore modestè gerat? nihil. n aliud posset afferre, quo freti pacem à nobis minimè accipiendã censeant. Quorũ vtrunque quantæ sit plenum stultitiæ vellẽ vt ex ipsis rebus consideraretis: illud cogitantes, quũ plebs à vobis secesserit propter eos qui neq. ciuiliter neque moderatè in ipsius aduersa fortuna se gesserunt, & ex vrbe discesserit nullúmque aliud maleficiũ vobis fecerit aut facere in animo habeat, sed tantummodo spectet quánã ratione honestã parẽ facere possit: multos eorum qui animis erga vos malè sunt affecti hãc occasionem à fortuna sibi oblatam amdè arripuisse, & animis esse elatis, atque illud sibi optatissimum tempus venisse arbitrari, quo vestrũ imperium euertant. Nam Aequi, Volsci, Sabini & Hernici, præter quàm quòd bellũ cõtinenter nobiscũ gerũt, re-

en-

centibus etiã cladibus exasperati, nostros agros publicãt. Cãpaniæ verò & Etruriæ populi quotquot dubia fide à nobis sunt relicti, eorũ alij apertè defectionẽ faciũt, alij occultè se ad eã parãt. Quinetiã Latini cognati nostri haud amplius mihi videtur cõstanter in amicitia & fide permanere, sed horũ quoque magna pars mutationis ac rerum nouarũ cupiditate capta, cuius omnes natura sunt cupidi laborare fertur. Nos verò qui antè ad hanc vsq; diẽ aliis belliũ inferebamus, nũc ipsi mœnibus inclusi sedemus, & agros incultos relinquimus & villas nostras in nostro cõspectu diripi patimur, & prædã abigi, & seruitia trãsfugere, ignoramúsque quomodo in his malis nos gerere debeamus. Et hæc quidẽ patimur, quia adhuc speramus plebẽ nobiscũ cõpositionẽ esse facturã, & quia scimus in nostra esse potestate, vno senatusconsulto omnẽ seditionem sedare. Quin autem foris rerum nostrarũ status adeò sit miser, ne domestica quidẽ mala minus sunt formidanda: neque enim ad tolerandam obsidionem auxilia multo ante paranimus, neque ipsi satis numerosas copias aduersus tot hostiũ gentes habemus. Nostri verò exigui neque satis firmi numeri maior pars est ex plebeiis mercenarijs clientibus & opificibus qui sibi manu victũ queritãt, quiq; sunt status optimatum perturbati non admodũ firmi custodes. Et crebra transfugia ad eos, qui secesserunt, faciũt vt reliqui omnes sint suspecti: sed præter hæc omnia commeatus, qui ad nos apportari non potest, quòd ager sit in hostium potestate, famem præcipuè nobis meditatur. Sed & vbi ad ipsam inopiam fuerimus redacti, hoc multò maiorem terrorem nobis incutiet. Præterea ipsum bellum, quod non sinit vnquã animos nostros quiescere, nos terrebit. Sed quod atrocissima quæque mala superat

Illud est, quòd mulierculæ illorum qui secessionem fecerunt, & infantes, & parentes senio confecti, sordidati, ac lugubri habitu per fora & per compita vagantur, flentes, vnumquenque supplices orantes, dextram & genua vniuscuiusque attingentes, deplorantes solitudinem ad quam sunt redacti, & quæ in posterum maior etiam est futura atrox sanè & non ferendum spectaculum. Nullus certè est adeò efferatis moribus, quin si hæc videat, animo grauiter turbetur, & hominum hoc infortunio vehementer cõmoueatur. Quapropter si plebi diffidere volumus, tollenda quoque sunt è medio corpora ista, quorum alia ad obsidionem tolerandam nullum vsum sunt allatura, alia verò constanter in amicitia & fide non sunt permansura. Si igitur hæc quoque expellãtur, quænam copiæ ad vrbem tutandam relinquentur? aut quibus freti auxilijs grauia mala ingruentia ferre audebimus? Illud enim nostrum domesticum refugiũ, ac sola certa spes, patriciæ iuuentutis robur paruum est, vt videtis, nec satis dignum ob quod magnificè de nobis sentiamus. Quid igitur belli sustinendi autores delirant, nobisque fucum faciunt? quin potiùs apertè suadent vt sine sanguine & sine labore vrbem hostibus iam dedamus? At fortasse ego hæc inaniter iacto & ea formidanda censeo quæ minimè sunt extimescenda. Fortasse etiam nullum aliud periculum, reip. iã impendet quàm mutatio, res haud difficilis, quia perfacilè ex quibusuis gentibus & locis mercenariorum & clientium turbã in vrbem recipere poterimus. Hoc enim est quod multi plebis aduersarij & certè quasi res non cõtemnendas vulgò iactant. Nonnulli enim eò stultitiæ iã sunt prouecti vt non sententiarum salutarium sint autores, sed vota quæ fieri nequeũt, proferant. Ex quibus libenter

lenter quærerem, quodnam temporis spatium ad hæc libere exequēda nobis in hoc statu versantibus dabitur, quū hostes urbi adeò sunt propinqui? Quænam venia dabitur moræ & cunctationi venturi auxilij, in malis quæ nullas moras & nullam cunctationem patiuntur? Quis mortalium aut immortalium nos tutabitur, & pacatissimè ac per amplum ocium auxilia undecunque contrahet, & huc vsque ad nos deducet? Præterea quinam illi sunt qui patriam suam deserent & ad nos migrabunt? vtrum illi qui iam certas sedes & lares & res ad victum necessarias habent, & qui ob maiorum nobilitatem, vel ob virtutis suæ gloriam apud suos ciues in honore esse possunt? At quisnam suis bonis relictis alienorum malorum turpiter particeps fieri æquo animo velit? neque enim pacis & deliciarum particeps futuri huc venient, sed periculorum & belli, quorum exitus felix necne sit futurus incertum est. An turbam plebeiā & laribus carentem in vrbem introducemus, cuiusmodi ea erat quæ hinc expulsa fuit, nimirū quæ æs alienū & mulctas aliáque istiusmodi mala libenter secū sit translatura, quocunque ei migrare contigerit? quæ licet alioqui frugi & modesta sit, (vt hoc quoq; eis largiamur,) quia tamē neque domi nota neque eadē vitæ ratione vtitur, quia etiā nostrorū morū & legū, & disciplinæ imperita erit, procul dubiò longè imò vtò omnino hac nostra plebe deterior est futura. Huius enim indigenæ & liberos & coniuges, & parentes, & multos alios necessarios hīc obsides habemus, atque adeo ipsum natalis soli desiderium, quòd omnibus ineſt necessariò nec potest eximi. At ascita hæc & inquilina turba, si nobiscum habitarit, quam nihil horum hīc habeat, cuius bonā causa periclitari volet, nisi quis polliceatur se & ei agri

partem daturum, & vrbis portionem aliquam iis ereptã qui nunc eam possident, quæ tamen nolumus impertiri ciuibus, qui sæpius pro his certarunt? Ac fortasse ne his quidem solis datis cõtenta erit, sed etiam honorũ & magistratuum & aliorum bonorum ex æquo cum patriciis particeps esse volet? Quapropter, nisi quæcunque postularint eis concesserimus, eos ob acceptam repulsam inimicos habebimus, quòd si concesserimus, patria & respub. à nobis ipsis euersa peribit. Non addam hoc loco nobis in præsentia opus esse hominibus ad bellum idoneis non agricolis, aut mercenariis, aut mercatoribus, aut etiam iis qui sordidis artibus operam nauant, quos vno eodémque tempore & res bellicas discere, & earum specimẽ dare oportebit, sed non assueto difficile est sui specimen dare. Necesse autem est tales esse eos, qui huc conuenient, & ex omnibus nationibus migrabunt. Nullas enim militares sociorum copias in nostram gratiam ita coactas video, neque si quæ ex insperato apparerent, vobis eas intra mœnia temerè recipiẽdas censerem, quum nos ipsi sciamus multas vrbes ab exercitibus præsidij causa in eas introductis in seruitutem fuisse redactas. Hæc igitur & alia quæcunque à nobis antè sunt dicta considerantes: præterea, eorũ qui vos ad pacem hortantur memores, sciatis non apud nos solos aut primos dissensisse pauperes à diuitibus, & ignobiles à nobilibus: sed in omnibus, vt ita dicam & paruis & magnis ciuitatibus plerunque multitudini paucitatem esse inimicam, in quibus rerumpub. principes, qui moderatè se gesserunt patrias suas seruarunt, qui verò arrogãtes fuerũt, vna cũ cæteris viris bonis ipsi se quoque perdiderunt, & quicquid ex multis partibus cõstat ita natura cõparatum esse, vt aliqua eius pars laboret: præterea,

neque

neque semper partẽ, quæ in humano corpore laborat resecãdã esse. Ita nec reliquũ corpus aspectu turpe esset, nec ipsa natura diutius duraret: neque etiã ciuilis societatis laborantem partẽ expellendã, hoc enim pacto partibus corporis paulatim depereuntibus totũ corpus exiguo temporis spatio interiret. Considerantes etiam quanta sit vis necessitatis, cui soli vel ipsi dij cedant, æquo animo feratis fortunæ vicissitudines: neque, quasi res omnes vobis ex animi sententia sint successuræ, arrogantia & rerum imperitia tumeatis sed flectam mi & cedatis recti consilij exẽpla sumentes, non ex rebus quas alij gesserunt, sed ex iis quas vos ipsi gessistis. Oportet enim tum singulos ciues, tum integram ciuitatem rebus suis præclarissimè gestis gloriari, & dare operam vt postremæ primis respondeant. Vos igitur multos hostes à quibus grauissimas acceptis iniurias, in vestrã potestatem iam redactos neque occidere, neque ex suis sedibus expellere voluistis, sed & domos, & agros ipsis reddidistis, & patriam suam in qua nati erant, incolere permisistis, quinetiam nonnullos eorum ciuitate donatos in parem iuris libertatisque conditionem qua ipsi estis recepistis: Sed aliud vestrum facinus isto longè admirabilius afferre possum, quòd scilicet multis vestris ciuibus, qui grauiter in vos deliquerant, pœnam remisistis, ira in solos delictorum autores effusa, in quo numero sunt coloni, quos Antemnas Crustumerium, & Medulliam & Fidenas misistis, & multi alij. Quid enim tã omnes recẽsendi sunt, quos obsidioni expugnatos moderatè & ciuiliter castigatis? neque tamẽ in vllum propterea periculũ aut vituperationem resp. incurrit. sed laudatur vestra clementia neq; salus publica imminuta est. Vósne igitur, qui hostibus parcitis, cum amicis bellum

geretis? & qui hostes in vestrã potestatẽ redactos impune dimittitis, eos qui vos in imperio parando adiuuerunt multatabitis? & qui vrbem vestram omnibus ea indigentibus tutum refugium præbetis, sustinebitis ex ea expellere ipsos indigenas cum quibus diuturnam habuistis consuetudinem & cum quibus educati fuistis & multorum cùm malorum, tum bonorum, & pacis & belli tempore participes fuistis? nonsi id quod æquum est, quódque vestros mores decet facere volueritis, & si sine ira quid vti de sit iudicaueritis Sed, dixerit quis, nos quoque seditionem sedandam censemus, hócque nobis non minus quàm tibi placet, & ad hanc rem maximè sumus propensi. sed quomodo sedanda sit hoc nobis ostende si potes. Vides enim quanta sit in plebe arrogantia quæ quamuis ipsa iniuriam nobis fecerit tamen nullos legatos de pace ad nos mittit, neque nostris legatis vllum ciuile ac humanum responsum dat, sed fastu tumet & minitatur, nec quid illa sibi velit facilè coniici potest. Quomodo igitur in his rebus gerere vos debeatis, & quid nunc vobis faciendum censeam, audite. Equidem neque plebẽ adeo infensam nobis existimo, vt recõsiliari nolit, neque quidpiã eorum quæ minatur facturam puto, hoc inde coniiciens, quia eius facta dictis non respondent: quinimò eam paris multò magis quàm nos cupidam esse arbitror. Nos enim patriam charissimam incolimus. & res ad victum necessarias & domos & parentes, & omnia quæ ab hominibus plurimi fiunt in nostra potestate habemus: at illa est extorris. & sine laribus, & suis necessarijs orbata, victúque quotidiano non admodum abundat. Quòd si quis ex me quærat, cur igitur misera cõditiones ad quas eam inuitamus nõ accepit? cur nullã legationem ad nos mittit?

Ei

Ei respondebo. Quia per Iouem ad hanc vsque diē verba tantum à senatu audit & nihil eorū quæ dicuntur vel humane, vel moderatè fieri videt, & existimat se sæpius deceptam fuisse à nobis qui semper promittimus nos aliquā eius rationē habituros, & tamen nihil præstamus. Legatos verò mittere non vult ob suos quotidianos accusatores qui hic sunt, & quia vereturne rerū à se postulatarū aliquā repulsam patiatur, fortasse etiā aliquo stultæ ambitionis vitio laborat. Neque verò hoc mirū, siquidē inter nos ipsos nonnulli sunt in quorū animis hæc grauia litigia & contentionū studia residēt, & laborātes vulgato vitio, nolūt pati se ab aduersarijs superari, sed quauis ratione semper superiores esse conantur, nec prius beneficium largiri volunt, quàm eos qui id sunt accepturi, in suam potestatem redegerint. Hæc igitur cogitans censeo legatos ad plebem mittendos ex iis quibus illa maxima sit habitura fidem. Illis verò qui mittentur, liberæ atque absolutam potestatem dandam ipsius seditionis sedandæ conditionibus quas iudicarint æquas, ita vt nihil amplius hac de re ad senatum referant. Qui enim nunc superbi & graues videntur, illi hoc scient & cognoscent vos reuera concordiæ studere, & ad æquiores conditiones descendent, & nihil quod turpe sit aut quod fieri nequeat, postulabunt. Omnes enim qui irritati sunt præsertim verò si sint infimæ conditionis homines solent aduersus superbos exasperari, & mites & faciles se præbere ijs à quibus comitate officiorū fouētur. Hac oratione à Menenio habita, murmur ingens in senatu est ortum, & patres singuli per ordines, & cateruatim colloquebātur atque illi qui plebi fauebāt sese inuicē adhortabantur ad omnem suam operam diligenter conferendam

vt plebē in patriam reducerent, quando sententiæ tunc dictæ ducē nacti essent, totius optimatū factionis nobilissimū. At optimates cæteri quū pristinū ac patrium reip. statū nullo modo mutari vellent, & dubitarent quonam modo in præsentia se gerere deberent, nec sententiam mutare vellēt, nec tamen in ea permanere possent, quum adhuc essent integri, & neutri factioni adhærerent, pacē cupiebant, & quonam modo obsidio præcaueri ac vitari posset spectandum censebant.

8 ¶ SILENTIO autē facto ab omnibus, consul maior natu laudata Menenij generositate & cæteros hortatus vt similes illi essent in reip. cura & administratione, tū libere dicendo quod sentirēt, tū etiā sine vllo timore quæcūque visa essent faciendo, aliū eodē modo nominatim vocauit, & vt suā sententiā aperiret rogauit is erat Manius Valerius frater vnius illorū qui patriā regio dominatu liberarant, vir omniū optimatū plebi charissimus. Qui quū surrexisset primùm cōmemorauit patribus acta sua, dixitque sæpe se mala quæ euentura essent prædixisse, sed suā orationē spretā ab illis fuisse: deinde petiit ab iis qui pauci aduersabātur, ne mediocritatis ac æquitatis rationē nimiū tunc haberēt, sed quādo seditionē sedari passi non fuissent, quo tempore parua adhuc in rep. eius principia erāt, nec admodū ei nocebāt, tunc saltē darēt operā vt ocius ea sedaretur, ne si clā lōgiùs progrederetur, fortasse fieret insanabilis vel certè curatu perdificilis & multas calamitates sibi afferret. Et demonstrauit plebis postulata non amplius eadem fore, quæ antè sequesque suspicari dixit plebē non amplius intra eosdem compositionis terminos staturā, ita vt sui æris alieni remissionem tantummodo peteret sed fortasse aliquod etiam auxilium

xdiũ postulaturã, quo tuta permaneret in posterum. Ex quo enim dictatura in remp. fuerat introducta, dicebat antiquatam fuisse legẽ libertatis eius custodem, quæ neque ciuem vllum ab istiusmodi hominibus interfici, neque plebeios in iudicio à patriciis superatos ipsis aduersarius victoribus, quorũ opera damnati fuissent, tradi sinebat. sed quibusuis potestatem faciebat prouocãdi à patriciis ad populum & quod populus post causæ cognitionem iussisset, id ratum esse iubebat, & ferè omnem aliam potestatem plebeiis ereptam fuisse dicebat, quæ superioribus seculis penes eos fuerat quod post partam de hostibus victoriam triumphũ à senatu impetrare non potuissent, P. Seruilio Prisco qui erat vir omniũ hominũ hoc honore dignissimus. Quapropter verisimile esse plebẽ offensam animum despondere, & de incolumitate sua male sperare: quia neque cõsuli, neque dictatori curã ipsius gerere volẽtibus, id facere licuit. sed etiã præterea ipsa eorũ contumeliæ & ignominiæ particeps fuit ob multorũ aduersariorũ studiũ ac prouidentiam. Hæc autem omnia clàm facta esse non à gratiosissimo quoque ordinis patricij, sed ab insolentibus ac auaris quibusdam, & iniustorum lucrorum auidissimis hominibus, qui pecunia ingenti mutuò data, idque magno fœnore, multos ciues in seruitutem abduxerunt, atque in eos crudele & superbum ac violentum exercentes imperium totam plebem ab opticatibus alienarunt & sodalitate conflata, eiúsque duce creato App. Claudio, viro plebeiis infenso, & paucorum potentiæ studioso illius opera totam rempub subuertunt. Quibus nisi sana pars obstiterit periculum esse ne resp. in seruitutẽ redigatur atq. euertatur. Postremò dixit se quoque cẽsere Menenij sentẽtiã sequẽdã & legationẽ ocius

mittendã censebat: autórque erat vt legati ad plebẽ profecti, periculũ facerẽt an arbitratu suo seditionẽ sedare possent, quòd si plebs illis ea quæ peterẽt nõ concederet, conditiones quæ ab ea offerentur, accipiendas censebat. Post hunc App. Claudius vocatus surrexit, aduersæ factionis vir, magnificè de se sentiens, idque non merito: nam & quotidiana eius vita modesta & veneranda erat, eiusque animus in administrãda republica generosus, & dignitatis optimatum conseruandæ studiosus, qui arrepta occasione ex Valerij concione in hunc modum verba fecit. MINVS certè culpandus esset Valerius si tantum sententiam suam dixisset, nec eos qui contrariæ sunt sententiæ accusassẽt. Sic enim nullum suum vitium audisset. Iam verò quoniam non satis ei fuit ea dare consilia ex quibus nihil aliud sequetur, nisi vt teterrimis ciuibus seruiamus, sed etiã eos qui aduersantur ip si perstrinxit, mei obiter quandam mentionem fecit, video mihi quoque magnam necessitatem impositam esse ad hæc respondendi: ac primùm quidem falsa crimina in me iecta diluendi. Exprobratum enim mihi fuit ab eo neque ciuile neque liberale studium, me lucro quibusuis artibus consectari, & multis pauperibus libertatem eripuisse, & me præcipuum autorem secessionis à plebe factæ, quorum nihil verum, neque sanum esse facilè cognoscere potestis. Eia enim, dic mihi, Valeri, quinam sunt illi qui ob suum æs alienum in seruitutem à me rapti fuerunt? quos vnquam ciues in vinculis aut antè habui, aut iam habeo? quis eorum qui secesserunt, propter me, m crudelitatem aut auaritiam patria sua caret? sed certè nullum nominare posses. Tantum enim abest vt vlli ciui libertatem ob ipsius æs alienum eripuerim, vt etiam permultis largitus sim de-

sim de meis fortunis, & nullum eorum, qui me credita pecunia fraudarunt, mihi addixerim, atque in seruitutem adduxerim, aut ignominia notarim sed omnes sint liberi, omnésque mihi vt amici & clientes gratiam habeant, & sint in numero eorum qui mihi necessitudine sunt coniunctissimi. Neque verò hæc dico, vt accusem eos qui idem quod ego non fecerunt, neque si qui legis permissi aliquid fecerunt, eos cuipiam iniuriam facere arbitror: sed crimina mihi obiecta dilu. Quod autem mihi morum asperitatem, & improborum hominum patrocinium exprobrarit, plebis hostem & paucorum dominatus studiosum me appellans, quoniam optimatibus faueo, hæc crimina mihi sunt communia vobiscum, quotquot deteriorum imperium detrectatis, quam ipsi suis meliores, & quotquot eam Reipublicæ formam, quam à maioribus accepistis, à dominatu populari, qui est pessimus omnium earum Reipublicæ formarum quibus homines vtuntur, eripi vobis ferre non potestis. Neque enim quod ille nomen dominatus paucorum imposuerit optimatum principatui, propterea res ipsa hoc nouo nomine in inuidiam adducta peribit. At nos multò iustius & verius ei exprobrare possemus plebis adulationem & tyrannidis affectationem. Nullus enim est qui non videat manifestè ex plebis adulatore omnem tyrannum fieri, & compendiosissimam esse viam iis qui ciuitatis libertatem opprimere volunt, eam quæ per fauorem pessimorum ciuium ducit ad potentiam, quos iste semper coluit, & ne nunc quidem colere desunt. Illud enim vos scitis, viles & abiectos homines tale flagitium patrare nunquam ausuros fuisse, nisi à venerando isto, ac Reipublicæ studioso viro concitati fuissent, sperantes fore vt in nullum pro

pterea incurrerẽt periculum, quinetiam præter ipsam impunitatem, conditionem quoque priore meliorem consequerentur. Hæc autem à me verè dici cognoscere potestis, si meministis, eum, dum vos belli impendentis inani metu terreret, & pacem necessariò faciendam diceret, illud etiam addidisse, pauperes non fore contentos æris alieni remissione, sed etiam auxilium aliquod postulaturos, nec vestrum imperium ut antè laturos: postremò autem vobis suasisset ut in præsenti rerum statu acquiesceretis, & concederetis quæcunque rediius sui causa plebs postulasset, nullo statuto discrimine inter res honestas & turpes, aut inter iustas & iniustas: tanta arrogantia insanum vulgus senex iste nostro fiuore omnibus honoribus functus repleuit. An igitur, Valeri, id te decebat, alios falsa probra obiicere, quum tu ipse sis talibus obnoxius criminibus? Atque hæc quidem aduersus istius calumnias sufficiunt. Quòd verò attinet ad præsentem consultationem cuius causa coacti estis, censeo æquum esse, & ex pop. Rom. dignitate, atque è re nostra, non solùm ea quæ principio dixi, sed ea etiam quæ nunc in eadem permanens sententia dico, non confundendum bene constitutum Reipub. statum nec mutandam consuetudinem à maioribus nostris acceptam, quæ minimè est mutanda, neque tollendam ex hominum consortio fidem, rem sacram, per quam omnes ciuitates tutò habitantur: nec plebi ingratæ res iniustas ac nefarias expetenti concedendas. Et tantum abest ut de sententia decedam territus ab aduersariis, qui vrbanam plebem in me concitantes me territare conantur, ut multò magis nunc quàm antè in mea ira confirmatus sim, & duplò magis indigner talibus plebis postulatis. Et vestram, patres conscripti, absurdam mẽ-

tem

tem deterror, qui quod ei negastis, quum nondum esset manifestus Reipub. hostis, novas tabulas & damnationum remissionem petenti, iam quando est in armis & hostiliter se gerit, ei hoc ipsum concedere velitis, quæ, quicquid præterea ipsi in mentem venerit (multa autem venient) faciet, atque id primùm à vobis impetrabit quod postulat, nimirum ut ius æquum in gerendis honoribus sibi detur, & earundem rerum nobiscum sit particeps. Non igitur conuertetis vestræ Reipubl. formam in dominatum popularem, qui (vt antè dixi) est imperitissimus, ac pessimus omnium Reipubl. formarum quæ sunt inter homines, & maximè damnosus vobis, qui aliorum imperium aspiratis: certè non mutabitis si sapueritis, alioqui omnium stultissimi eritis, si quum vnius viri tyrannici imperium minimè vobis ferendum existimaueritis, nunc vos ipsos dedatis ac subiiciatis plebi, quæ est tyrannis ex multis capitibus constans, præsertim si neque eius gratia: neque oratione adducti postulata concedatis, sed necessitate coacti, & quasi nihil aliud in præsentia facere possitis, nisi præter animi sententiam ipsi cedere. Nam si plebs insana pro supplicio suis peccatis debito, insuper honores ob hæc ipsa acceperit, quàm arrogantem & quàm superbam eam fore putatis? Ne enim illa spe efferamini, plebem in postulatis suis moderatam fore si cognouerit hoc à vobis omnibus ita fuisse decretum. Sed hac in re potissimùm Menenium virum sapientem, & aliorũ mores ex suis metientem, ac de iis bene sentientem, opinio valde fefellit. Plebs enim grauiter, & vltrà modum instabit vobis præ arrogantia, quæ victoriam semper comitari solet, & præ amentia, cui vulgus maximè est obnoxium, quòd si nõ principiò, nec sta-

tim, at certè aliquando pòst ob vnamquamque rem cuius repulsam passa fuerit, arreptis armis eodem modo insolenter nos adorietur. Itaq; si prima postulata ei concesseritis, id vobis conducere rati, mox vobis aliquid deterius accersetis, ac mox rursus aliud hoc ipso molestius quasi & in illis primis postulatis terrore adducti morem ei gesseritis, donec tandem illi vos ex vrbe pellant, quem admodū & in multis aliis ciuitatibus accidit & nouissimè Syracusiis, vbi agrorum domini à colonis suis clientibus expulsi fuerunt. Si verò indignitate illorum postulatorum commoti, ipsis estis aduersaturi, quin tandem hinc spiritus liberos sumere incipitis? Præstat enim leuiore de causa & minore cum periculo nondum vllo detrimēto accepto, animi generositatem demonstrare, quàm pòst multas clades acceptas, tunc demum ob ea quæ acciderint, indignari, & nolle reliqua concedere, & serò tandem sapere. Ne verò quisquam vestrum aut horum desertorum motu, aut bello externo terreatur, néve domesticas vires contemnatis, quasi ad vrbem tutandam satis validæ non sint futuræ. Nam profugorum istorum vires sunt exiguæ, neq. diuturnæ erunt, neque, vt nunc manent, ita etiam hyberno anni tempore sub dio in tugurijs durare, & aeris iniurias resistere poterunt, quia non solùm commeatus perraptum amplius sibi comparare non poterunt, consumptis iis quos in præsentia habent, sed etiam ob paupertatem, ne alinde quidem emptos in sua castra aduehere poterunt quia nec priuatam nec publicam vllam pecuniam habent. Bella verò plerunque pecuniarum copia sustentantur, & quia sunt sine imperio, verisimile est seditionē quoq. ex ea rerum omnium confusione ortam, eorum consilia breui dissipaturam, diffe-

Curam

turam atque fracturam. Neque enim volent aut Sabinis, aut Etruscis, aut aliquibus aliis gentibus exteris se dedere, & illis seruire quibus ipsi quondam nobiscum libertatem ademerunt. Imò verò, ne fides quidem ipsis habebitur ab illis, quia timebunt ne qui tam malè & turpiter ad suam patriam pe. dendam parati sunt, idem facturi sint illi à qua fuerint recepti. Omnes verò gentes finitimæ & ipsæ ab optimatibus regũtur, & in nulla ciuitate plebs æquo iure cum optimatibus degit. Itaque cuiusq; ciuitatis principes non patientur suã plebem sedibus expelli propriis, vt aduenam istam & seditiosam in suam patriam recipiant, ne si eos in parem iuris, libertatis, aliarumque rerum conditionem receperint, ab illis postea his ipsis spolientur. quòd si forte mea opinio me fefellerit & ciuitas aliqua eos receperit, tunc cognoscemus eos esse hostes, & hostiliter propterea tractandos. Habemus autem eorum obsides ipsius vxores, parentes, & reliquos cognatos (quibus pignoribus ne meliora quidem optare, & à diis petere possemus) quos in cognatorum conspectu statuentes trucidabimus, si ausi fuerint nos aggredi, & extremo & contumelioso supplicij genere necabimus. Qui si hoc intelligerent, mihi credite, mox ad nos venirent supplices cum lamentis, inermes, quantumuis duris cõditionibus sese vobis dedituri. Graues enim sunt istiusmodi necessitates, & quosuis arrogantes animos frangere & penitus deiicere possunt. Hæc igitur sunt quorum causa bellum ab exulibus minimè timendum puto. Externos verò terrores non nunc primùm experti sumus in minas tantum consistere, sed etiam antea, quoties hostes nobis sui specimen dederunt, multò minores quàm ipsa opinio esset, apparuerunt. Qui verò existimant, do-

mesticas Reip. vires non satis esse firmas, & propterea maximè bellū formidant. sciant illi se non satis cognoscere quantæ sint. Nā aduersus ciues, qui defectionē fecerūt habebimus manū quā illis opponamus si delectu ex seruitiis habito, robustissimos quosq. libertate donare voluerimus. Præstat. n. libertate istos donare, quā imperio ab illis spoliari. Sunt autē rei militaris satis periti, quippe q̄ sæpius nostris expeditionibus interfuerint. Cæterum, ex terno hosti obuiam ipsi omni animi alacritate eamus, & omnes clientes, & reliquā plebē nobiscum adducamus. Vt autem alacriter in præliis operā nauet, æris alieni remissionem non cōmuniter ac vniuersè, sed viritim ei largiamur. Si quid enim temporibus cedendo moderatè nos agere oportet, ne erga ciues hostes hac moderatione vtamur: sed erga amicos, in quos nō coacti, sed oratiōe adducti beneficia conferre videbimur. Et si alio præterea auxilio opus fuerit, nisi istud sufficiat, præsidiarios ex castellis accersamus, & eos qui sunt in colonis, reuocemus. Horū autē quantus sit numerus ex proximo censu habito facile est cognoscere. Nā CXXX. millia puberū Romanorum censa sunt, quorū ne septimam quidē partē profugi numero æquarint. Quid verò memorē triginta Latinorū populos, qui vel summopere optauerint pro nobis propter cognationē dimicare, si modò æquū ciuitatis ius, quod precibus assiduis petunt, ipsis decernatis? Quod autē in bellis est maximi momēti, & quod nondū cuiquā de vobis in mentē venit, neq. consiliariorū quisquā dixit, id postquā addidero, finē dicendi faciā. Nulla re ad felicem victoriā ex præliis reportandā æquè opus est atq. bonis ducibus, his nostra ciuitas abundat: aduersariorū verò ciuitates horum inopia laborant. Numerosæ. n. copiæ si natæ

fuerint

fuerint duces imperandi minimè peritos, nullũ præclarũ facinus faciunt, & sæpissime ipsæ suarũ cladiũ sunt auctores, & tantò magis cõfligantur qui mò maior est earum numerus. At egregij imperatores quãuis exiguas habeãt copias, tamen celeriter eas augent. Quapropter donec duces idoneos ad imperandũ habuerimus, non deerunt nobis qui eorũ ductu lubenter militare velint. Hæc igitur considerantes, & rerũ, à pop. Ro. gestarũ memores, nihil demisse, nihil non generosè, nihil deniq. cõtra vestrã ipsorum dignitatẽ decernatis. At si quis ex me quærat, quid igitur? quid nobis faciendũ censes? Hæc n. fortasse iãpridem scire vehementer cupitis: censeo nullã legationẽ ad illos patriæ desertores mittendã, neque æris alieni remissionẽ decernendã, neq. quidquã aliud faciendũ, quod timoris & inopiæ consilij speciem præ se ferat. Quòd si depositis armis in vrbem redierint, & de se per otium deliberandi, & rẽ examinandi vobis potestatẽ fecerint, moderatè cũ ipsis agendũ, quia scitis omnes stultos (præsertim verò vulgus) in humiles arrogãter, erga superbos demisè solere se gerere. Quum autẽ App. Claudius dicendi finẽ fecisset, magna vociferatio & ingẽs tumultus diu in senatu fuit. Qui n. optimatum factionis esse videbantur, & qui iusta iniustis præferenda censebant, in Claudij sententiã ibant, & consules rogabãt vt ipsi præcipuè ad meliorẽ partẽ accederẽt, illud cogitantes, se regiã non autẽ plebeiã potestatẽ habere: sin minus saltẽ æquos vtrique se præberẽt, & neutri factioni vim afferrent. sed dinumeratis senatorũ sententiis, maiori eorũ parti adhærerent. Quòd si hoc vtrunq. neglexissent, & ad se cõpositionis arbitriũ traxissent, negabãt se id ipsis permissuros, sed omni studio repugnaturos, & verbis, donec licuisset,

& armis, si necessitas ipsos cogeret. Hic autẽ globus erat validus, & penè tota tricioriũ iuuentus huic sententiæ adhærebat. At pacis studiosi, præcipuè verò ij qui ætate proueCtiore erãt, Menenij & Valerij sententiæ adhærebãt, secũ ipsi reputantes quantæ calamitates ex bellis ciuilibus ciuitatibus cõtingere soleãt. Sed victi clamore & petulantia iuuenũ, & eorũ ambitionẽ atq. superbiam in cõsules suspectã habẽtes, & veriti nisi illis cessissẽt, mox mox à manibus tẽperatũ non iri, tandẽ ad lacrymas & preces confugerunt, & aduersarios obtestari cœperunt.

9 ¶ Tvmvltv autẽ sedato, & silentio vix tãdem facto, consules iterum inter se colloquuti, tandẽ talẽ sententiam pronuntiarũt: {Nos, patres conscripti, in primis vellemus vt vos omnes consentiretis, præsertim quũde publica salute cõsultetis: simminus saltẽ vt iuniores vobis senioribus cederẽt, neq. pertinacius vobiscũ contenderent, cogitantes se quoq; vbi ad hãc ætatẽ peruenerint, parẽ honorẽ à natu minoribus habituros. Sed quoniã videmus vos in contentionẽ omniũ humanorũ morborũ pernicioſissimam prolapsos & magnam iuuenũ arrogantiũ inter vos versari, nunc quia reliquũ diei spatium est breue, nec tam citò ad finem vestra decreta perduci possent, abite ex curia & ad proximũ senatum moderatiores & melioribus mentibus redite. Quod si hoc contentionis studium in vobis permanserit, vobis iunioribus, neque iudicibus, neque consultoribus in iudicanda rerum vtilitate vtemur sed posthac vestram istam petulantiam lege coercebimus. Statuto annorum numero, quem senatores habere oportea: senioribus verò facta iterum dicendi potestate, si dissenserint eorum contentionem compendiaria via dirimemus, quam præstat à vobis antè auditi

& co-

& cognosci. Scitis nobis esse, iam inde ab vrbe lege, quæ rerum omnium summam senatus potestati permittit præter magistratuum creationem, legum lationem, & belli vel inferendi vel finiendi arbitrium: horum enim trium potestatem esse penes suffragia populi. In præsentia verò de nulla alia re quàm de bello & pace consultamus: quare, omninò necesse est vt populus harum rerum dominus, ac summus arbiter sententias nostras suffragiis suis ratas faciat. Indictis igitur populo ex hac lege comitiis, vbi vos sententias vestras tuleritis, eius suffragiis eas committemus, quia ita potissimùm vestram contentionem tolli posse existimamus. Quòd verò maior pars decreuerit, id ratum habebimus. Qui autem perpetuò & constanter Reipub. beneuoli fuerunt, quique malorum & bonorum participes nobiscum sunt futuri hoc honore profectò sunt digni. His dictis senatum dimiserunt. Diebus insequentibus, quum per nuntios imperassent vt omnes qui in agris & præsidiis degebãt, in vrbem venirent, & senatui denuntiassent vt ad eãdẽ diẽ in curiã veniret: vbi animaduerterũt vrbẽ turba plenã, & patriciorũ animos victos precibus quibus cũ fletu & lamẽtatione parentes, & paruuli liberi eorũ qui secessionem fecerant, eos fatigarant ad præstitutam diem ante solis ortum, & summo manè in forũ omnis generis turba refertũ prodierunt. Et quũ in Vulcani ædẽ venissent, vbi conciones habere solebant, primùm quidẽ populũ laudarunt quòd tanto studio & tanta animi alacritate frequens adesset: deinde hortati sunt eũ vt quietè expectaret, donec senatusconsultũ fieret. Necessarios verò eorum qui secesserant, bene sperare iubebant, quòd breui res charissimas essent recepturi. Postea ingressi curiam, &

ipsi leniter ac moderatè sunt loquuti, & alios orarunt ut utiles ac humanas sententias dicerent. Primũ autẽ omniũ sententiã rogarunt Menenĩũ, qui quũ surrexisset, iisdem verbis est usus quibus antè ad pacẽ senatũ hortãs & cã dẽ protulit sententiã, censẽs primo quoq; tẽpore ad eos qui secessionẽ fecerant, legatos cũ summa ac libera cõpositionis faciendæ potestate mittẽdos. Post hunc alij viri cõsulares, pro cuiusq; ætate vocati surrexerunt: qui omnes L. Menenij sententiã sequendã cẽsuerũt: donec ventũ est ad Appiũ. Qui quũ surrexisset, {V i deo equidẽ (inquit) & cõsulibus & vobis cæteris fermè omnibus placere plebẽ reduci, quibuscunq; cõditionibus ipsa voluerit, & me ex omnibus, qui cõpositioni antea aduersabantur, solũ super esse, méq; illis exosum, nec vobis amplius utilẽ esse. Verumtamẽ non propterea de pristina mea sententia decedã neq; mea sponte Reip. causam deserã. Quò n. magis mẽ deseror ab aliis, qui eandẽ sententiã antea sequebantur, eò maiore in pretio aliquando apud vos ero, & vnius laudẽ merebor, & mortuus memoriam apud posteros consequar. Faxis igitur, Capitoline Iupiter & dij nostræ vrbis præsides & heroes & genij, quotquot agrum Romanũ tuemini, vt honestus & vtilis sit omnibus istorum profugorũ reditus, & me mea fallat opinio, quã de futuro tempore concepi. Quòd si qua calamitas ob ista cõsilia Reipub. acciderit, (hoc autem breui manifestum erit) vos ista celeriter corrigatis & tutam salutem rebus labanti lus afferatis. Mihi verò, qui neq; aliàs vnquam res iucundissimas vtilissimis in dicendo anteposui, neque nunc Rempublicam prodo, meæ priuatæ saluti consulens, benigni ac propicij sitis. Hæc sunt quæ precibus à diis peto. Verbis enim non opus est amplius. Sententiam autem

autem eandem quam & antè, profero, plebeios quidem, qui in vrbe permanent, ære alieno liberandos, cum iis verò qui à nobis defectionem fecerunt, bellum omni studio totisque viribus gerendum, quandiu in armis perstiterint. Hæc loquutus tacuit. Postquam verò omnes seniores in Menenij sententiam iuerunt, & ad iuniores, ex ordine rogandi, ventum est, omnibus patribus expectatione arrectis, surrexit Sp. Nautius, ex illustrissima natus familia (nam Nautius autor eius generis erat vnus ex Aeneæ sociis, qui coloniam deduxerunt, erátque Mineruæ πολιάδος, id est vrbium custodis, sacerdos, qui aliò migrans illius deæ simulacrum abportauit, cuius custodiam per successionem remansit penes gentem Nautiam:) qui & propter suam virtutem omnium iuniorum clarissimus, & breui consulatum assequuturus videbatur. Hic igitur tunc exorsus à communi omnium iuniorum purgatione, negauit eos vel contendendi studio vel arrogantia à patribus dissensisse, quòd contrariam sententiam in senatu antè habito tueri voluissent, & culpam, siquid erat culpæ, in ætatem ad lapsum facilem transtulit, & tandem eos mutata sententia fidem huius rei facturos dixit. Itaque illos permittere ipsis, vtpote prudentioribus, vt decernerent quicquid è republica esse existimarent, se enim nulla in re ipsis aduersaturos, sed senioribus obtemperaturos. Quum autem reliqui quoque iuuenes idem dixissent (præter paucos quosdam Appio cognatione iunctos) consules laudata illorum modestia, & hortati eos vt in omnibus publicis consiliis ita se gererent, decem legatos seniorum nobilissimos creárunt, omnes (vno excepto) viros consulares.

Creatorum autem hæc fuêre nomina, T. Largius Flauus, Agrippa Menenius, C. F. M. Valerius M. F. P. Seruilius P. F. P. Postumius Q. F. Tubertus, T. Aebutius T. F. Flauus, Ser. Sulpicius P. F. Camerinus, A. Postumius P. F. Albus, A. Virginius A. F. Cœlimontanus, & Sp. Nautius. Postea dimisso senatu, conss quum in concionem processissent, S. C. recitarunt, & legatos produxerunt. Omnibus autem cupientibus mandata illis data cognoscere, aperte responderunt nõ datum ipsis esse, vt quibuscunque possent rationibus plebi patricios reconciliarent sine dolo & fraude, & primo quoque tempore exules in suas sedes reducerent. Cum his igitur illorum mandatis, eo ipso die legati abierunt. Sed fama ipsorum aduentum anteuertit, & res omnes in vrbe gestas nuntiauit illis qui erant in castris: quare confestim omnes vallo relicto, legatis qui in itinere adhuc erant obuiam ibant. Erat autem in castris eorum vir quidam valde turbulentus & seditiosus, præditus acri ingenio ad præuidendum multò ante res futuras, qui, vt loquax & garrulus, quicquid sentiebat facilè & liberè dicebat, & vocabatur L. Iunius, eodem nomine quo ille qui reges expulerat. Quare, quum appellationis similitudinem explere vellet, se etiam Brutum cognominari volebat. Multis igitur inane illius hominis studium & affectatio risum mouebat, & quum eum irridere volebant, Brutum vocabant. Iste quum demonstrasset Sicinnio castrorum præfecto, minimè expedire plebi se facilem oblatis conditionibus præbere, ne iniquioribus legibus reditum in ius honoratum consequeretur: sed diu aduersari, & rebus aliquod tragicum commentum addere, quúmque pollicitus

fuisset

fuisset se pro plebe verba facturum, eiusque causam susceperturum atque acturum, quum etiam de cæteris rebus, quæ faciendæ aut dicendæ essent, Sicinnium commonuisset, rem ipsi persuasit. Postea Sicinnius conuocata ad concionem plebe, iussit legatos sui aduentus causam exponere, tum Manius Valerius legatorum maximus natu & plebis studiosissimus, quum in medium processisset, plebe summum eius studium blandissimis acclamationibus & salutationibus testante, postquam silentium impetrauit, in hunc modum verba fecit, NIHIL amplius, Quirites, vetat vos ad vestras sedes reuerti, & in gratiam cum patribus ac patriciis redire: senatus enim honestum atque vtilem vobis reditum decreuit, decreuit etiam omnem iniuriarum præteritarum memoriam deponere, & nos, quos plebis studiosissimos & apud vos meritò in summo honore nouit esse, legatos misit cum summa ac libera potestate compositionis faciendæ, ne opinionibus & coniecturis, de vestra voluntate vsi, sed ex vestro proprio ore auditis conditionibus, quibus discordias finiri cupitis, si quid æqui postulaueritis, & si id fieri, atque salua senatus populique Romani dignitate concedi possit, id vobis concedamus, non expectato amplius s.c. neque rebus in longum tempus dilatis, aut aduersariorum inuidiæ permissis. Quum igitur tale sit senatus decretum, accipite, Quirites, lubenter ipsius beneficia cum omni animi alacritate & studio tantam felicitatem magni facientes, & magnam diis pro ea gratiam habentes, quòd pop. Romanus cuius tam latè patet imperium, & senatus penes quem sunt omnia huius ciuitatis ornamenta, quamuis maiorũ ac patriæ consuetudo non ferat vt vllè aduersario cedãt,

vobis tamẽ solis vltrò dignitate cedant, vobis inquam inferioribus ipsi qui sunt superiores: neq; nimiũ accuratè cõsiderare voluerint quid vtrosque deceret: sed ipsi priores legatis missis vos ad amicitiam inuitent, neque vobis ob vestrum superbum responsum quod superiori legationi dedistis, infensi sint: sed vestram istam petulãtiam & iuuenilem ac grauem arrogantiam, non secus ac boni patres stultorum filiorum ferant, & alteram legationem mittendam denuo censuerint, & de suo iure decedere: denique, Quirites, ad quasuis mediocres & tolerabiles conditiones descendere voluerint. Tãtam igitur nacti felicitatem ne cunctemini, Quirites, iudicare quibus rebus indigeatis, néve in nos petulanter vos geratis: sed sedata seditione redite cum lætitia in ciuitatem, quæ vos genuit ac educauit, cui malam educationis remunerationem & gratiam referetis, qui eam (quantum in vobis fuit) deseruistis, & pecori depascendam reliquistis. Quòd si hanc occasionem elabi patiamini, aliam talem nanciscì sæpe optabitis.

10 ¶ QVVM autem Valerius dicendi finem fecisset, progressus Sicinnius dixit, non ex vna tantùm ratione debere vos qui bene de re aliqua consultant, vtilitatem æstimare. sed sibi etiam contrariam rationem proponere, præsertim quum de rebus tanti momenti consultetur. Quare imperauit vt qui vellet omni pudore & timore posito, ad hæc respondeat. Dixit enim præsentem rerum statum non ferre, vt ad tales redacti angustias, aut timori aut pudori cederent. Facto autẽ silentio quia alij in alios oculos conuerterent, quærentes aliquem qui communẽ causam susciperet ac defenderet & nullus prodiret, Sicinnio sæpius eadem repetente verba, tandem vt erat:

erat pollicitus, prodijt Lucius Iunius, qui se Brutum cognominari volebat, totiusq; multitudinis magno cõsensu talẽ habuit cõcionẽ. {TIMOR patricioru, Quirites, animos vestros occupauit, terrere vos videtur: & propterea dimissi non audetis in mediũ proferre ea quæ quotidianis sermonibus inter vos iactare soletis, fortasse verò vnusquisq; vestrũm putat aliquẽ aliũ proximũ causam publicã suscepturũ & acturũ, & oẽs simul periculum, si quod est facilius subituros. se verò tutò & securè eius boni quodcunq; ex aliena audacia prouenerit, partẽ habiturũ. Sed sanè de his malè sentit, si nõ cẽs eandẽ sequamur sententiã, nostra hæc singulorũ timiditas vniuersis æquè erit damnosa & dũ vnusquisq; suæ priuatæ consulet, cõmunẽ vniuersorũ perdet. Quæro si antè ignorabatis vos hoc metu liberatos esse, & libertatẽ statim ex quo arma cepimus confirmatã esse, nunc saltẽ istis vsi magistris hoc discatis. Superbi enim & imperiosi homines veniunt ad nos, iã nõ vt antè imperitantes & minitãtes, sed rogantes atq; inuitantes nos vt in nostras sedes reuertamur, & iã vt cum hominibus æquè liberis atq; ipsi sunt, incipiũt nobiscũ agere. Quid igitur eos amplius formidatis, & taceti? Quin liberam mentẽ sumitis, & disruptis iã tandem frænis, corã omnibus profertis iniurias quas ab illis accepistis? O miseri! quid veremini ne vobis accidat, si me ducem sequuti, liberè quod sentitis proferatis? Ego enim illis pro vobis meo cum periculo liberè id quod æquum est dicam, & nihil celabo. Et quia Valerius dixit nihil esse impedimento vobis quominus in vestras sedes redeatis, quòd senatus vobis reditum concedat, & præterea decreuerit omnium iniuriarum præteritarum memoriam deponere, illi ea respondebo, quæ & veritas di-

Etat, & ipsa necessitas postulat. Cùm multæ aliæ causæ, Valeri, vetant armis positis vestræ fidei nos ipsos committere: tum verò tres maximæ & manifestissimæ. Primum quidem, quia huc venistis ut nos accusetis, quasi deliquerimus, & beneficium aliquod in nos conferre putatis, dum reditum concedatis. Deinde, quia ad pacem nos inuitantes, nullo modo indicatis quàm æquis aut humanis conditionibus eam simus facturi. Postremò, quia nihil eorũ quæ nobis estis polliciti certum ac firmum est: sed iam sæpius nobis imponere ac fucum facere non dubitastis. Dicam autem separatim de singulis, facio à iure initio: etenim tum in priuatis, tum in publicis disceptationibus à iure ducenda sunt orationis exordia. Nos igitur si vobis iniuriam facimus, nullam impunitatem, nullam iniuriarum obliuionem petimus: atque adeò ne eiusdem quidem ciuitatis vobiscum participes amplius esse volumus, sed fortunam & genios duces sequuti, si des ibi figemus quocunque fatum nos deduxerit. Quòd si à vobis iniuriam passi coacti fuimus hanc fortunam experiri, in qua sumus: quin fatemini vos, qui nobis iniuriam fecistis, indigere venia, & illatarum iniuriarum obliuione? Nunc verò, quum veniam petitis, eam nobis vos dare dicitis, & iram quam vobis remitti cupitis, quasi nobis eam remittatis, magnificè ac superbè loquimini, consumdentes veritatis naturam, & iuris dignitatem peruertentes. Quòd autem non patiamini, sed faciatis iniuriam, quòd etiam multis & magnis beneficiis à plebe affecti, partim in libertate tuenda, partim in imperio parando, nõ egregiam gratiam ei retuleritis, audite: verba autem faciam ducto initio à rebus, quas vos ipsi scitis, & vos per deos obsecro, si quod mẽdacium dixero, ne feratis, sed

conse-

confestim arguatis. Nostra respub. olim regibus fuit, & ad septimam vsque ætatem hac reip. forma maiores nostri constanter sunt vsi. Quandiu tamen regius ille dominatus duravit plebs nullum vnquam detrimentum à regibus præsertim verò à nouissimus accepit. Missa facio multa & magna bona, quæ ex eorum regno percepit, nã præter alias blanditias & assentationes, quibus eã sibi deuincire & conciliare, vobisque inimicam reddere studebant, quod solent facere omnes qui legitimam potestatem in tyrannicam conuertere cupiunt, diuturno bello expugnata Suessa vrbe valdè fortunata ac opulenta, quã illis licuerit prædam nulli impertiri, sed sibi ipsis retinere, & cæteros reges diutius superare, hoc tamen facere noluerunt: sed omnem prædam tulerunt, ac in medio posuerunt, ita vt nos, præter mancipia & pecus & res alias multas & pulchras, quinque argenti minas viritim acceperimus. Quibus rebus neglectis, postquam illi tyranni potestate sua abuti cæperunt, non in plebem delmquẽtes, sed in vos ipsos, illa eorum facta iniquo animo ferẽtes à regum beneuolentia alienati sumus, & nos vobis adiunximus, & conspiratione vobiscum in eos facta, tã qui in vrbe quàm qui in castris eramus, eos expulimus, vobisque illorum imperium detulimus. Et quum sæpius arbitratu nostro id ad reges exactos trãsferre possemus, magnis allecti muneribus, quæ nobis afferebant, ne tamẽ fidem vobis datam falleremus, hoc facere noluimus, sed multa & grauia atque assidua pericula & bella propter vos subijmus & pertulimus, & ad hanc vsque diem annum iam decimum septimum atterimur pro communi libertate, cum omnibus mortalibus pugnantes. Nã reip. statu nondum composito, nec satis stabilito (quem

admodum solet accidere in repetitis mutationibus) duobus nobilissimis Etruscorum populis, Tarquiniensibus & Veientibus, reges in regnũ reducere volentibus, non sine nostro periculo cum ingentibus copijs obuiam iuimus, & pauci cũ multis pugnauimus, & maxima animi alacritate demonstrata, & hostes à nobis superatos repulimus, & superstiti consuli imperiũ conseruauimus. Neque multis post annis Porsenam, Etruscorum regem, qui & ipse exules in patriam reducere volebat, quum totis Etruriæ viribus quas secũ ducebat, & copiis ab illis iã multò antè coactis pares non essemus, ac propterea intra mœnia compulsi obsideremur, & ad consilij inopiam & rerum omnium penuriam redacti essemus: tamen, quod durissima quæque mala perferremus, coegimus eum nobis amicum discedere. Postremò autem quum reges tertium tentassent reditum in patriam, opera & auxilio gentis Latinæ, & triginta populos sibi adsciuissent, quum videremus vos suppliciter orantes & lugentes, & vniuscuiusque opem implorantes, & sodalitates, & communes educationes communémque militiam commemorantes vos deserere non sustinuimus. Sed existimantes certamen pro vobis susceptum honestissimum ac præclarissimum esse, cum hostibus immanibus manum conseruimus, maximum illud periculum tunc subire non dubitantes, in quo acceptis multis vulneribus, & amissis multis cognatis & sodalibus & contubernalibus, hostes vicimus, eorumque duces interfecimus, & totum regium genus extinximus. Hæc igitur sunt quæ pro communi vestra libertate à tyrannis vindicandi vobis præbuimus, illud videlicet nostrum studium, quod vires superabat, quod non necessitate potius coacti quàm virtutis

tutis ergò vobis exhibuimus. Quæ verò præstiterimus vestra causa, vt & honorẽ & imperiũ in alios conseq̃remini, & principatum maiorẽ quàm initiò existimabatur, vobis compararetis, audite: & si qua in re à veritate vel minimũ recesserò, quemadmodũ principiò dixi, mihi reclamate. Vos enim postquam existimatis libertatem vestram iam tutam & firmam esse, hac contenti non fuistis, neque in hoc rerum statu manere voluistis: sed eò audaciæ prorupistis, vt res nouas moliri non dubitaritis, eos omnes qui libertatis tuẽdæ cẽsent studiosi, pro hostibus habentes, & bellum penè omnibus mortalibus indicentes, atque in his periculis & prælijs pro hac vestra pluris habendi cupiditate susceptis, nostris corporibus vobis abutendum esse putastis. Quot verò ciuitates, modò singulas, modò duas simul vobiscum pro libertate bellum gerentes, partim acie superatas & in nostram potestatẽ redactas, partim obsessas ac expugnatas subegerimus, prætereo. Quid enim oportet minutatim res gestas recensere, quæ tantã verborum materiam præbent? Vniuersam verò Etruriam in duodecim principatus diuisam, & magna cùm terrestri, tum maritima potentia pollentem, quinam vobis compararunt, & in vestram ditionem redegerunt? ita vt vestro imperio pareret? quorum verò ope factum est vt Sabini isti, gens tam valida, quibuscum continenter de principatu contendebatis, de æquo iure vobiscum amplius non contendant? Quid? Latinorum triginta populos non solùm magnitudine potentiæ elatos, sed etiam ob æquiora postulata magnificè de se sentientes, quinam subegerunt? quinam eos coëgerunt, ne in seruitutem abriperentur, & vrbes ipsorum euerterentur, sup-

plices ad vos confugere? Alia multa prætereo, quæ quia nondum à vobis dissideremus, nos quoque nonnihil commodorum ex imperio sperantes, vobiscum non sine nostro periculo militia gessimus. Verùm, postea quàm manifestè constitit vos imperium vestrum in tyrannidem iam conuertisse, & nobis tanquam mancipiis abuti, nos quoque eodem animo erga vos esse desiimus. Interea verò omnes fere populi, qui imperio populi Romani parebant à vobis defecerunt, initio defectionis facto à Volscis, quorum exemplum Aequi, Hernici, Sabini, multique alij sequuti sunt, & occasio opportuna illis qualis nunquam antè videbatur oblata, si nos hoc voluissemus, ad alterum è duobus faciendum, vel ad vestrum imperium euertendum, vel ad id in posterum moderatius reddendum. An recordamini in quantam imperij desperationem veneritis? & quàm solicito animo perpetuò essetis ne vel operâ nostrâ vobis in bello denegaremus, vel ita perciti ad hostes transiremus, & quàm multas preces & pollicitationes effuderitis? Quid igitur nos humiles atq; à vobis cõtumelia affecti tunc fecimus, vestris victi precibus, & adducti pollicitationibus quas optimus iste Seruilius tunc consul plebi obtulit? Omnem à vobis antè acceptarum iniuriarũ memoriam deposuimus, & quum in posterum meliorem rerum statum speraremus, nos vobis præbuimus, & omnes hostibus breui temporis spatio debellatis, cum multis captiuis & præda opima redijmus. Pro ea opera quam gratiam nobis retulistis? an iustam, & illis periculis dignam? vnde? certè multùm abest. nam frustrati nos estis omnibus ijs rebus, quas consulem reipub. nomine nobis promittere iusseratis. Et ipsum istum, optimum virum, cuius

vnius opera ad nos decipiendum abusi fueratis. fraudatis triumpho, quum tamen is omnium hominum dignissimus esset, qui hunc honorem consequeretur. Et hac contumelia eum affecistis nulla alia de causa, quàm quia postulabat vt id quod æquum erat, (quemadmodum polliciti fueratis) faceretis, & quia constabat eum iniquo animo ferre factum nobis fucum. Nuper autem (nam vbi hoc vnum addidero ad meâ hanc de iure orationem, finem dicendi faciam) quando Æqui & Sabini, & Volsci de communi sententia tum ipsi in vos arma sumpserunt, tum alios etiã ad idem solicitarunt, nõne coacti fuistis, vos venerandi viri & graues, ad nos abiectos atque viles confugere, nihil non pollicentes præsentis salutis gratiã? & ne iterũ nos decipere videremini, quod sæpiùs feciistis, vestræ fraudis velamentum inuenistis. istum Manium Valeriũ, virum plebis amantissimum cui nos habita fide (vt pote qui existimaremus à dictatore, præsertim viro erga nos bono minimè deceptum iri) vobis in hoc quoque bello nostram operam nauauimus, hostésque magnis multis atque insignibus prælijs commissis vicimus. Quum autem id bellum omnium spe citius felicissimè confectum fuisset, tantũ abfuit vt lætaremini, & magnam plebi haberetis gratiã, vt etiam nos adhuc inuitos retinere volueritis sub signis in armis, vt pactis promissa vestra irrita facere quemadmodum principio apud vos ipsos statueratis. Quum autem vir iste vestram fraudẽ pati non posset, neque istius facti dedecus: sed relatis in vrbem signis, exercitum in suas domos dimisisset, speciosam hanc nacti causam, ne faceretis quæ iusta sunt, istum contumelia afficistis, & nihil eorum quæ nobis promiseratis præstitistis, sed vno hoc facto iuris tripli nomine grauissimè violastis, subla-

ta senatus dignitate ac autoritate, huiusque viri fide fracta, ac hominibus bene de vobis meritis relata infructuosa laborum gratia. Quum igitur hæc & multa alia his similia vobis, patricij, obijcere possimus, noluimus vos supplicite orare, neque precari: neque etiam, quasi aliquod scelus atrox patrarimus, impunitatis & obliuionis iniuriarum conditionibus impetratis, in vrbem redire voluimus. Verumtamen diligentius de his in præsentia differendum non arbitramur, quando acturi de pace & concordia conuenimus: sed ea negligimus, & obliuioni tradimus, atque æquo animo ferre volumus. Quin igitur aperte dicitis quæ sit vestræ legationis causa & quid petituri veneritis? Quánam proposita spe in vrbem nos redire vultis? quam fortunam viæ ducem sequutos? qua lætitia quo gaudio excipiendos? Nihil enim humani aut boni nobis à vobis offerri hactenus audiuimus, nullos honores, nullos magistratus, nullum inopiæ leuamen: denique vt rem paucis expediam, nihil aliud ne vel minimum quidem. Quanquam non oportebat, vos, quid facturi sitis dicere, sed facere, ac ita demum dicere, vt accepto iam antè aliquo beneficio à benevolentia vestra, ex eo de cæteris in posterum coniecturam facere possimus. Sed arbitror eos fortasse ad hæc responsuros, se cum summa ac libera rerum omnium potestate venire, ita vt quicquid alteri alteris persuaserimus, id sit ratum futurum. Faciamus hæc esse vera: respondeant facta verbis: nihil contrà dico. Sed quæ postea sint euentura, cupio ex illis intelligere. Vbi nos dixerimus conditiones, quibus in patriam velimus redire, & hæc nostra postulata nobis fuerint concessa, quis erit nobis harũ conuentionum sponsor? quæ cautione

cautione freti arma de manibus ponemus, atque iterum horum potestati nos committemus? vtrùm senatusconsultis, quæ de his fient? (nam nondum sunt facta.) At quid, vetabit hæc iterum nouis senatusconsultis irrita fieri, vbi Appio & reliquis eiusdem factionis hominibus ita placuerit? An legatorum dignitati, qui fidem suam interponunt? Atqui horum opera & antè illi nos deceperunt. An conuentionibus, quas fide nobis data, & iurisiurandi religione interposita, diis testibus confirmarint? At hæc mihi multò magis, quàm omnis humana fides suspecta est quia eam video à potestatibus, ac principibus contemni. Et conuentiones, quæ inter imperandi cupidos & suæ libertatis conseruandæ studiosos contra voluntatem fiunt, quum non nunc primùm, sed sæpe antè hoc cognouerim, scio tandiu durare quandiu necessitatis vinculo retinentur. Quænam igitur hic esse potest amicitia, & fides, vbi cogemur præter voluntatem nos inuicem colere, obseruantes vtrique opportunas occasiones? Præterea nunquam aberunt suspiciones, mutuæ criminationes, inuidiæ, odia, & quoduis aliud malorum genus: & vtrique studebunt aduersarios dolo præuentos perdere, quòd in cunctatione periculum esse intelligent. Nihil autem (vt omnes norunt) ciuili bello est peius: in quo victos sequitur miseria & infortunium, victores iniustè faciunt, & accidit illis quidem vt ab amicissimis perdantur, istis verò vt amicissimos perdant. Ne igitur vos patricij, nos ad talem fortunam, & tales calamitates minimè optandas vocetis, neve nos, Quirites, ipsis obtemperemus: sed in ea fortuna quæ nos alios ab aliis separauit acquiescamus. Atque isti quidem habeant sibi totam vrbem, & sine nobis eius cõmoda percipiãt, & cæteris omnibus bonis

soli fruantur, qui nos homines abiectos ac ignobiles patria expulerunt. Et nos quoque eamus quocunque fortuna nos duxerit existimantes locum alienum, non nostram urbem à nobis derelinqui. Nullus enim nostrùm hic relinquit aut agrum aliquem sibi sortitò datum, aut paternum domicilium aut sacra communia, aut dignitatem velut in patria, quarum rerum desiderio capti, vel contra nostram voluntatem hic manere cupiamus, immo ne libertatem quidem armis & multis laboribus partem relinquit. Quandoquidem res nostras partim ipsi hostes corruperunt, partim verò ipsa quotidiani victus inopia consumpsit, partim isti superbi fœneratores nobis eripuerunt. Ob quas causas eò tandem est ventum, ut nos miseri cogamur agros nostros ipsis colere fodiendo, plantando, arando, pecus pascendo: ita ut simus conserui nostrorum mancipiorum bello captorum & partim catenis nexi, partim compedibus partim, ut truculentissimæ feræ collaribus ligneis ac ferreis. Taceo verbera, & contumelias, & flagra & continuatos labores à summo manè ad noctem usque & omnem aliã necessitatis crudelitatem & insolentiam & superbiam, quã passi sumus. Tot igitur ac tantis malis à deo liberati, quanto maximo quisque potest studio, ac totis viribus ab istis fugia nus læti, fortunam & deum qui nos seruant, vitæ duces sequuti, & existimemus nostram libertatem esse patriam nostram, nostramque virtutẽ diuitias esse nostras. Quæuis enim terra nos excipiet socios: quia partim minime molesti, partim viles ijs qui nos excipient futuri sumus. Hac autem in re nobis sint exemplò multi Græci & plurimi barbari, præcipuè verò maiores istorum, & iidem nostri. Quorum cum Aeneas ex Asia in Europam migran-

migrantes, in agro Latino vrbẽ condiderunt, alij verò postea ex Alba migrãres. Romulo coloniæ duce in his locis vrbem, quæ nunc à nobis derelinquitur, fundarunt. Habemus autẽ copias nõ solùm paulò maiores illis, sed etiã triplò maiores, & migrationis iustiorẽ causam. Nam qui ex Ilio migrarũt ab hostibus expulsi sunt, at nos hinc ab amicis. Profectò autẽ miserabilius est à suis domesticis quàm ab alienis expelli. Atque qui cũ Romulo expeditionẽ susceperunt, vt meliorem agrum sibi compararent, suũ patrium neglexerunt: nos verò deserentes vitã istã, & patriã, & laribus carentẽ, neque diis inuisam, neque hominibus molestam, neque vlli agro grauẽ coloniã deduximus. Sed quum nihil sanguinis effuderimus, & nullam ciuiũ qui nos expulerũt, cædẽ fecerimus, nec igne, nec ferro agrũ qui à nobis derelinquitur vastauerimus, nec vllũ sempiterni odij monumẽtũ reliquerimus (quẽadmodũ nationes cõtra fœderis conditionẽ violatæ, & ad graues ac duras necessitates redactæ facere solent) deos & genios, qui omnes res mortaliũ iustè moderãtur testati, illisq; pe. mittẽtes vt pœnas pro nobis exigãt, illud solũ postulamus vt qui de nobis in vrbe habẽt infantes & parẽtes, autetiã vxores, si quæ nostræ fortunæ comites esse volent, eos eásque illis recipere liceat, hæc. n. recipere nobis est satis, nec aliud quidpiam de patriæ rebus præterea petimus. Sed agite feliciter, & vt lubet viuite, quando tales geritis animos id humilioris fortunæ homines, & adeo inciuiles, atque insociabiles estis. Brutus igitur tali oratione habita finem dicendi fecit. Illis verò quæ aderant ibi, vera visa sunt tum ea quæ de iure, tum ea quæ de senatus superbia dixerat, in quam inuectus fuerat: sed præcipuè ea quibus conuentionum fidem &

cautionem doli & fraudis plenam esse demonstrauit. Quũ autem in extrema sua oratione percurrisset graues iniurias, quibus à fœneratoribus fuerant affecti, & vnicuique sua mala in memoriam reuocasset, nullus fuit animo tam duro, quin totus lacrymis perfunderetur, & communes calamitates crebris ac repetitis lamentis deploraret, idque non ipsis solis accidit, sed & iis qui à senatu fuerãt missi. Nam ne legati quidẽ à lacrymis sibi temperare poterant, cogitantes miserias quæ ex hac ciuiũ secessione cõtigerant, & eos diu mœstos & lacrymantes, & quid dicendum esset dubitantes silentium tenuit.

II ¶ SED vbi hæc magna lamenta cessarunt, silentiúmque tota concione factum est tunc ad crimina obiecta responsurus, eaq; diluturus prodiit T. Largius, qui cæteris ciuibus ætate & dignitate antecellere videbatur, qui iterũ consul creatus effecit vt inuidiosus ille magistratus dictatoriæ potestatis, quòd se in ea præclarissimè omniũ hominũ gessisset, sacer & venerandæ maiestatis plenus existimaretur. ¶ Aggressus autẽ de iure disserere, & modò fœneratores, quòd crudelia & inhumana facinora perpetrassent, incusans, modò pauperes perstringens, quòd iniqua postularent, dum mallent vi quàm gratia suo ære alieno liberari, & quòd neque rectè neque meritò senatui infensi essent, quòd nihil moderati aut æqui ab eo possent impetrare, potius quàm ipsis eius rei autoribus: & conatus demonstrare exiguam esse plebis partem quæ inuita peccaret, & quæ magna rerum inopia coacta sui æris alieni remissionem peteret, sed maiorem partem petulantiæ & insolentiæ & voluptuario vitæ generi deditam esse, ac paratam ad inseruiendum suis cupiditatibus per raptum rerum alienarum, discernendósque censens improbos

probos à calamitosis, & odio dignos ab illis qui humanitate indigent, & alia quædam in hanc sententiam locutus, (vera illa quidem, sed tamen non grata omnibus iis qui ea audiebant,) hæc plebi persuadere non poterat, sed ingens murmur ad singula quæ disebat, oriebatur: & alij indignabantur, quòd ille suos dolores refricaret, alij apertè confitebantur rem ita se habere, quòd ille veritatem minimè celaret. Hæc autem pars longè minor erat quàm altera, ita vt multitudine obscuraretur, & indignantium pars alteram clamore superaret. Quum autem Largius his pauca addidisset, & eorum secessionem & consiliorum temeritatem perstrinxisset, tunc Sicinnius plebis patronus ac dux, eius verba excipiens, multò magis eorum animos exasperauit dicens, {eos ex his verbis præcipuè posse cognoscere quinam honores, quæ beneficia maneant ipsos in patriam reuersos. Quibus enim in summo periculo versantibus, & plebis opem implorantibus, & ad hoc ipsum venientibus, ne nunc quidem in mentem venit vt moderata & humana vtantur oratione, quem animum existimandum est illos habituros vbi res ipsis ex voto successerint, & quos nunc contumelijs verbis lacerant, suæ potestati obnoxios habuerint? à quo superbiæ genere eos sibi temperaturos? à qua verberatione contumelioſa? à qua crudelitate tyrannica? Sed si vobis placet toto vitæ tempore seruire, ita vt nexi, verberibus cæsi, & igne & ferro & fame & cæteris iniurijs ac contumelijs perdamini, ne teratis tempus, sed abiectis armis, & manibus post tergum reflexis ac reuinctis, eos sequamini. Quòd si quo libertatis desiderio tenemini, ne eos feratis, & vos leuati, aut dicite quibus conditionibus nos in patriam

revocetis, aut si hoc dicere non vultis ex concione discedite, neque enim amplius vobis dicendi potestatem faciemus. } Quum autem ille dicendi finem fecisset, omnes qui aderant plausu ac strepitu eius orationem approbarunt, ipsique sunt assensi, quòd eius rationes ac verba, bona & opportuna esse cognoscerent. Postea facto silentio, Menenius Agrippa, qui etiam pro plebe in senatu verba fecerat, & vt legatio cum summa ac libera potestate mitteretur sua sententia præcipuus autor fuerat, significauit, se quoque velle aliquid dicere. Illis verò id pergratum & optatum visum est, & tunc demum sperarũt se audituros orationẽ, quæ veras cõpositiones & sententias vtrique parti salutares contineret: ac primùm quidem omnes ingenti voce acclamarunt iubentes eum verba facere, deinde verò ita quieuerunt, & tantum silentium tota concione factum est, vt locus ille à solitudine nihil differre videretur. Ille verò & cæteris in rebus quantum in ipso fuit oratione visus est uti, quæ ad probandum ac persuadendum maximam vim habebat, & ad voluntatem eorum qui audiebant, maximè accommodata erat, sed in fine suæ concionis, fertur fabulam quandam ad Aesopearum formam confictam dixisse, ad rem præsentem maximè accommodatã, & hac potissimũ eos flexisse: quapropter etiam digna iudicata fuit quæ memoriæ proderetur: & omnibus priscis historiis celebratur. Ille igitur qui legationis princeps erat, in hunc modum est loquutus. { NOS à senatu missi sumus ad vos, Quirites, neque illũ purgaturi, neque vos accusaturi, (neque enim hæc oportuna esse, neque etiam misero statui, in quo respublica versatur, conducere videbantur) sed seditionem omni alacritate & quauis ratione sedaturi,

se daturi, & rempublicam in pristinum illum egregium statum restituturi. Quum autem huius rei summam ac liberam habemus potestatem existimamus prolixiore oratione de iure disserendum non esse, quemadmodum Iunius iste fecit. Sed quibus conditionibus humanis arbitremur seditionem sedandam, & quæ fides conuentiones nostras sit confirmatura, de his ea quæ sentimus ac statuimus, vobis dicemus. Cogitantibus nobis, omnem seditionem in quauis ciuitate curari posse, si dissidiorum causæ tollantur, necessarium esse duximus huius discordiæ causas cognoscere eásque tollere. Quum autem comperiamus, asperas æris alieni exactiones præsentium malorum causam esse, sic eas corrigimus. Illis omnibus qui æs alienum contraxerunt, nec sunt soluendo vt id remittatur æquum esse censemus: &, quorum corpora, elapso iam legitimo ac præstituto pecuniæ persoluendæ tempore à creditoribus detinentur, hæc quoque libera esse placet. Et quotquot in iudicijs damnati, priuatim addicti sunt creditoribus qui eos damnandos curarunt, hos quoque liberos esse volumus, & eorum damnationes irritas facimus. Ac præteritos contractus, propter quos hæc secessio à vobis videtur facta, ita corrigimus, & de iis statuimus: de futuris verò quicquid à vobis, populo, & senatu communi sententia statutum fuerit, id pro lege habeatur. Nónne hæc ea sunt, Quirites quæ vos à patricijs alienarunt, & his impetratis contentos vos fore putatis, nec quidquam præterea desiderabitis? dantur nunc vobis. Iam igitur læti in patriam redite. Fides autem quæ has contentiones firmabit, & quæ vobis cauebitur, ea erit quæ legitima ac solen-

nis est omnibus in gratiam redeuntibus. Hæc autem se natus suo decreto rata faciet, rebúsque quæ scripta fuerint, senatusconsulto legis autoritatem tribuet. Quinimò hic scribantur à nobis ea quæ videbuntur, & senatus his parebit. Vt autem, quæ nunc conceduntur, rata fore certò sciatis, nec senatum quidquam in posterum contra hæc moliturum, primùm quidem nos legati erimus fideiussores, vobis corpora & animas & familias nostras oppignerantes: deinde reliqui senatores idem facient, *quorum nomina in senatusconsulto scribentur. Nihil enim profectò inuitis nobis contra plebem scribetur. Nos enim sumus senatus principes & cæterorum omnium primi nostras sententias diximus. Vltima verò fides est, communis omnibus tum Græcis tum barbaris gentibus, quam nullum vnquam tempus tollet, ea scilicet quæ iureiurando interposito & fœderibus ictis ipsos deos sponsores conuentionum facit, quæ multas & graues priuatorum hominum inimicitias, & multa bella inter populos coorta composuit ac finiuit. Hanc quoque fidem accipite, siue paucis senatus principibus permittatis vt totius senatus nomine iusiurandum dent vobis, siue maualtis omnes, quorum nomina in senatusconsulto scribentur, iurare per sacra, vtique se omnes fœderis conditiones firmas seruaturos: dextras verò vt fidem quæ dijs testibus in fœdere vltro citróque datur & accipitur, ne crimineris, ô Brute, néve pulcherrimum omnium humanorum institutorum tollas, neque vos patiamini eum impiorum & tyrannicorum hominum scelera commemorare, à quibus Romana virtus plurimùm abest. Vbi verò vnam præterea attulero, quæ à nullis mortalium ignoratur, & de qua minimè*

nimè dubitabatur, finem dicendi faciam. Quænam verò est illa? ea videlicet, quæ communis vtilitatis est autor, & quæ vtranque partem mutuo auxilio seruat. Hæc certè prima & sola nos in vnum contraxit, nec vnquam alteros ab alteris separari patietur. Semper enim egebit, & nunquam egere desinet imperita quidem multitudo ducibus prudentibus: senatus verò, qui alijs præesse potest, turba quæ ex ipsius imperio velit parere. Neque verò hoc ex sola opinione coniicientes sed re ipsa experti scimus. Quid igitur mutuis molestijs nos inuicem terremus? quid malis verbis vtimur quū bona facta sint præ manibus? Quin potius passis vlnis, ac manibus nos mutuò amplexantes redimus in patriam pristinam rerum iucundissimarum oblectationem recuperaturi, & longè suauissimum desiderium iterum percepturi? An nobis inaudito cautionis genere caueri, & fidem infidam requirimus, tanquam infensissimi hostes omnia in peius suspicantes. Nobis quidem senatoribus, Quirites, vna fides sufficit, & persuasum habemus fore vt si in patriam redeatis erga nos mali non satis: quia nota nobis est vestra bona educatio, & studia legitima, & cæteræ vestræ virtutes sæpiùs tum pace tum bello nobis sunt spectatæ. Quòd si ad res componendas & ad melioris status spem publicè confirmandam fides necessario videtur, nos certè & cætera bona in vobis fore credimus, & vobis fidimus, nec petimus à plebe aut iusurandum aut obsides, aut vllam aliam fidem: nullis tamen vestris postulatis aduersabimur. Ac de fide quidem propter quam Brutus nos calūniari est conatus, hæc sufficiunt. Quòd si qua nō iusta inuidia in vestris animis residet, quæ vobis suadeat vt malè de senatu sentiatis, volo & ad hæc aliquid respondere,

Quirites, & me, per deos oro, quietè & attentè audiatis. Respublica quodammodo humano corpori similis videtur. Vtrunque enim est compositum, & constat ex multis partibus, quarum singulæ nec eandem vim habent, nec vsus pares exhibent. Si igitur humani corporis partes singulæ proprium census & propriam vocem separatim accipiant, deinde orta inter eas seditione reliquæ omnes partes conspirent contra vnum ventrem, & pedes dicant sibi totum corporis onus incumbere: manus verò, se artes exercere & victum comparare, & cum hostibus pugnare, & multas alias vtilitates in commune conferre: humeri verò, se omnia onera ferre: caput se videre & audire: os, se loqui, & reliquos omnes sensus quos à natura accepit in se complecti, quibus ipsa corporis vniuersitas conseruatur: deinde ventri dicant: Tu verò bone quid horum facis? quam gratiam nobis refers, & ad quid prodes? certè tantùm abest vt nos aliqua in re iuues, & aliquid in communem vtilitatem conferas, vt etiam nobis impedimento nobisque afficias, & negotium facessas quia cogis (id quod minimè ferendum) nos tibi inseruire, & vndique conquirere quæ tuas cupiditates expleant? Eia, cur non asserimus nos in libertatem, & tot molestijs nos liberamus, quas huius gratia perferimus? Si igitur hæc ipsis placeat, & nulla corporis pars amplius sui faciat officium, fierine potest vllo modo vt corpus diutius duret, ac non intra paucos dies fame, pessimo mortis genere, consumatur? Nullus certè est qui possit aliter dicere. Eodem sanè modo & de ciuitate sentiatis. Nam & hæc quoque constat ex multis & dissimilibus gentibus, quarum vnaquæque proprium aliquem reipublicæ vsum præbet, vt membra corpori. Alij enim agros colunt, alij pro-

ipsis

ipsis pugnant cum hostibus, alij mercaturam exercentes multa commoda Reipublicæ ex mari afferunt: alij necessarias artes exercent. Quid si omnes hæ gentes in senatum, qui ex optimatibus constat, conspirent, & dicant, Tu verò, senatus, quid boni nobis facis? & quam ob causam aliis imperare vis? Nullam certè afferre possis: nónne tandem aliquando ab hac tua tyrannide nos liberabimus, & sine principe degemus? Si igitur hæ gentes hæc cogitantes à consuetis studiis discedant, quid vitabit hanc ciuitatem malam, malè perire fame, & bello, & quouis alio calamitatum genere? Hoc igitur sciatis, Quirites, quemadmodum venter in nostris corporibus, conuiciis immeritò à multis petitus, dum alitur alit corpus, & dum seruatur, id seruat, ésque velut commune quoddam penuarium, quod omnibus membris id impertitur, quod ipsis conducit, & quod pacem omnium conseruat: sic etiam in ciuitatibus senatum, qui Rempublicâ administrat, & qui solicitus est de eo quod vnicuique conuenit, omnia seruare, custodire, & corrigere: quare, desinite inuidiosas in eum voces iactare, vos ab eo patria expulsos vt errones & mendicos, propter eum vagari. Nullo enim maleficio ille vos affecit, nec affectu rus est, sed ipse vos reuocat, & orat, & passis manibus, & simul portis patentibus vos recipiet.

12 ¶ Dvm hæc diceret Menenius per totam concionem multæ & variæ voces emittebantur ab illis qui ibi aderant. Quum verò in extrema suæ concionis parte sese ad lamenta vertisset, & Reipublicæ calamitates imminentes, tam illis qui in vrbe remanebant, quàm illis qui expulsi fuerant, & vtrorum-

que miserias deflemisset: tunc omnes lacrymas effundere cœperunt, & una voce, ac de communi sententia conclamarunt, vt se in vrbem reduceret, néve tempus tereret. Et certè parum abfuit quin celeriter ex concione abirent, rebus omnibus legatorum arbitrio permissis, & cæteris suæ incolumitatis cautionibus temerè neglectis: nisi progressus Brutus eorum impetum repressisset, dixissétq; cætera quidem quæ senatus plebi offerebat, rectè se habere, & se magnam ei ob postulata concessa gratiam habendam censere: sed tamen se omne posterum tempus timere, & hominis ingenio tyrannico præditos, ne rursus aliquando (si se occasio obtulerit) præteritas plebis iniurias in memoriam reuocent, easque vlcisci conentur. Vnam verò rationem esse, qua caueatur omnibus qui potentiores timent, hanc videlicet, si compertum habeant, iis qui iniuriam ipsis facere volent, potestatem defore: quandiu enim malefaciendi facultatem illi habuerint, non defore improbis voluntatem. Si igitur hanc cautionem plebeij fuerint consequuti, nulla re illis præterea opus fore. Quum autem Menenius eius verba excepisset, & iussisset dicere cautionem qua plebem adhuc egere existimabat. Concedite, inquit, nobis vt quotannis aliquot ex ordine nostro eligamus, qui magistratum gerant, quique nullam aliam autoritatem ac potestatem habeant: sed tantùm plebeiis iniuriam & vim patientibus opem ferant, nec quenquam iure suo fraudari patiantur. A vobis autem supplices petimus, & precibus contendimus, vt præter alia quæ vltro nobis concessistis, (si modò non verbis, sed reuera de pace agitur) hoc quoque detis & largiamini. Plebs igitur his auditis

auditis ingenti ac longo clamore hominem laudauit, & à legatis petiit vt hoc quoque sibi concederent. Tum legati, quum è concione secessissent, post habitum inter se breue colloquium, non multò post redierunt. Facto autem silentio, Menenius progressus, ita est loquutus, {Hæc res, Quirites, magna est, & multis suspicionibus absurdis plena: & timor & cura nos subit ne fortè duas ciuitates in vna faciamus: veruntamen, quantum in nobis erit, ne huic quidem vestræ petitioni aduersabimur. Hoc tamen nobis concedite, quod etiam pro vobis facit: permittite legatis vt in vrbem redeant, & hæc senatui declarent. Quanuis enim potestatem ab eo acceperimus arbitratu nostro compositionem faciendi, & liberè ac absolutè pollicendi qui quid placuerit, tamen minimè æquum censemus, vt tantum nobis assumamus: sed quia præter opinionem noua hæc res nobis occurrerit, quasi hac nostra potestate priuati, rem totam ad senatum referemus. Persuasum tamen habemus eadem illi quæ & nobis, probatum iri. Ego igitur hic manebo, & mecum pars aliqua legatorum: Valerius verò cum reliquis suis sociis abibit.} Placuerunt ista. Quum igitur properè equos conscendissent ij qui senatui nuntiaturi erant quæ gerebantur, ad vrbem contenderunt. Quum autem consules rem ad senatum retulissent, Valerius hoc quoque beneficium plebi dandum censuit: at Appius, qui iam ab initio paci aduersabatur, tunc quoque apertè contrà dixit, vociferans & deos obtestans, & prædicens quantarum Reipublicæ calamitatum semina Valerius iacturus esset: sed maximæ eorum parti hoc persuadere nõ potuit: quia, vt antè dixi ad pa-

cem erat procliuior. Factum igitur est senatusconsultum, vt cùm cætera, quæ legati plebi promiserant rata essent, tum etiam ei hanc cautionem quam petebat, permitterent, & concederent. His peractis, legati postero die in castra redierunt, & senatusconsultum exposuerunt. Postea, quum Menenius suasisset plebi vt aliquos ad senatum mitteret, qui ab eo fidem acciperent, mittitur L. Iunius Brutus, de quo antè feci mentionem, & cum eo M. Decius, & Sp. Icilius, Legatorum verò à senatu missorum dimidia pars cum Bruto in vrbem est missa: Agrippa verò cum reliquis remansit in castris, rogatus vt perscriberet leges plebi, quibus magistratus crearet. Sequenti die Brutus cum collegis reuersus est, icto fœdere cum senatu per εἰρηνοδίκας quos Romani feciales vocãt. Plebs verò diuisa in φρατρίας, quæ tunc erant, siue quocunque alio nomine velit quis eas appellare, quas illi curias vocant, annuos magistratus creauit, Lucium Iunium Brutum, & Caium Sicinnium Vellutum, quos & ad id vsque tempus duces habebant: & præter istos Caium & Publium Licinios, & Caium Iusillium Ruganum. Hi quinque primi tribunitiam potestatem acceperunt quarto idus Decembris, quemadmodum vsque ad hanc nostram ætatem fit. Post comitia peracta legatis à senatu missis, ea omnia quorum causa fuerant legati, rectè se habere visa sunt. Brutus verò conuocata concione suasit plebi, vt suum magistratum sanctum & sanctum esse decerneret, lege & iureiurando confirmata eius rei cautione. Placuerunt hæc omnibus, léxque ab ipso eiusque collegis scripta est. Legis autem verba hæc sunt, {Tribunũ plebis iniuitum, nemo, vt vnum de vulgo, quidquam facere cogito, neque verberato, nec ab alio verberari iubeto: neque interficito,

terficit o, neque interfici iubeto. Quòd si quis contra ea quæ interdicuntur aliquid fecerit, sacer esto & bona eius Cereri sacra sunto: & qui eum occiderit, qui ale facinus patrarit, purus à cæde esto. } Et ne in posteũ liceret plebi hanc legem abrogare, sed vt in perpetuũ immobilis maneret, decretum fuit vt omnes ciues Ro. iurarent per sacra, vtique se suósque posteros in perpetuum hac lege vsuros: additáque est ad iusiurandum precatio „vt iis qui hanc legem confirmassent & immobilem seruassent, & dij superi & dij inferi propitij essent: iis verò qui eam violassent, omnia contraria à diis vtrisque vt maximo piaculo obnoxiis contingeret. Hinc mos apud Romanos obtinuit vt tribunorum corpora sacrosancta essent, & ad nostra vsque tempora durauit. His ita decretis aram extruxerunt in summo montis vertice, vbi castra posuerant, quam à terrore, qui tunc ipsos corripuerat ac infestarat, suo patrio sermone, Iouis terrorem incutientis, aram appellarunt. Cui deo peractis sacrificiis, & loco à quo fuerãt recepti, cõserato, in vrbẽ cũ legatis descenderunt. Quũ autẽ dies quoque, qui in vrbe colebãtur, victimas & sacrificia, vt ipsis ob pacẽ factã gratias agerent, persoluissent, & patriciis persuasissent vt suffragiis magistratum suum confirmarent, hac quoque re ab illis impetrata, petierunt præterea à senatu vt sibi permitteret, vt duos de plebe quotannis crearent qui tribuni plebis ministrarent ea omnia quibus indigerent, & de causis quæ eorũ arbitrio permissæ fuissent, cognoscerent, & sacrarum ædium, & publicorum locorum, & annonæ curam gererent. Hac quoque re à senatu impetrata, crearunt quosdam quos ministros tributorũ plebis & collegas & iudices appellabant. Nunc tamen patrio

Romanorum sermone ab vno officio, quo funguntur, vocantur ædiles, & potestatem alterius magistratus ministram, vt antea habent. Multæ autem & magni momenti res illis committuntur, & quodammodo ferè plurimis in rebus similes sunt iis qui apud Græcos ἀγορανόμοι vocantur. Pace autem domi parta, & Repub. in pristinum statum restituta, ad bella externa à ducibus delectus habebantur magna plebis alacritate, ita vt breui temporis spatio res omnes ad bellum necessariæ paratæ fuerint. Quum autem consules, de more, munia ac prouincias sortiti fuissent, Sp. Cassius, cui rerum vrbanarum cura obtigerat, delecti exercitus partem, quanta ad vrbis custodiam sufficeret, apud se retinuit, reliquos ad militiã misit. Postumius verò Cominius eduxit reliquum exercitum, qui constabat ex Romanorum ipsorum non contemnendis copiis & Latinorum auxiliis non paruis. Quum autem statuisset primùm Volscos aggredi, Longulam eorum vrbem primo impetu cepit, & licet oppidani fortitudinem aliquam sibi vindicare conati fuissent, seque viros strenuos præstare, ac demonstrare voluissent, licet etiam ex vrbe in campos apertos copias quasdam misissent, quibus Romanum exercitum venientem à se arceri posse confidebant, turpiter tamen terga fugæ dare sunt coacti, antequàm præclarum vllum facinus ederent, ne in ipsa quidem murorum oppugnatione vllo forti facinore edito. Vno igitur die Romani & eorum agro sine vllo labore potiti sunt, & vrbem absque magno negotio vi ceperunt. Imperator autem Romanus, quum res in vrbe relictas ac inuentas, militibus in prædam concessisset, & præsidium in ea reliquisset, eduxit copias in aliam

liam vrbem Volscorum, quæ Polusca vocatur. & à Longula non multum abest. Quum autem nullus obuiam ei venire ausus fuisset, timere per agrum illum facillimè cõfecto mœnia oppugnare cepit. quumque militum alij portas fregissent alij scalis muros conscendissent, eo ipso die hanc quoque vrbem in suam potestatem redegerunt. Hac vrbe recepta paucos quosdam defectionis autores delegit, eósque securi percussit: reliquos verò pecuniis mulctatos & armis spoliatos in posterũ populi Romani imperio parere coegit. Relicta aiũt hic etiã exigua militũ manu præsidij causa, postero die cũ exercitu Coriolos petiit. vrbẽ valde insignem, & quasi Volscorum antiquam patriam & caput: vbi & validus exercitus iam coactus erat, & muri non facilè expugnari poterant, & res ad bellum necessariæ iam multò ante aboppidanis fuerãt paratæ. Quũ autem hanc aggressus fuisset, & ad vespertinum vsque crepusculum eam oppugnasset, ab hostibus, amissis suorum compluribus repulsus est. Postero die comparatis arietibus & vineis & scalis, sese ad vrbis oppugnationem instaurandam totis viribus paraebat: sed quum audisset Antiates, ob cognationis vinculum cum magna militũ manu Coriolanis subsidio venturos, & eos qui missi fuerant, iã esse in via, dimisso exercitu suo, cũ dimidia eius parte vrbẽ oppugnare statuit, cui Titum Largium præfecit: cũ reliqua verò parte hostẽ aduentantẽ arcere decreuit. Bis autẽ eo die pugnatũ: sed in vtraque pugna Romani victores fuerunt, & omniũ egregia enituit opera. Sed præcipuè vir quidam facinora fortitudinis incredibilia, & omnem orationis fidem superantia edidit. Is genere erat patricio, & minimè obscuris natalibus, nomine C. Marcius, homo frugi in quotidiano victu, & libe-

rali ac generoso animo præditus. Ita autem in utroque prælio pugnatum est. Largius simulatque dies illuxit, copias eductas ad mœnia Coriolana admouit, & variis locis ea oppugnare cœpit. Coriolani verò elati Antiatum auxilio, quod iamiam affore sibi credebant, apertis omnibus portis conferto agmine eruptionem in hostes fecerunt. Romani verò primum eorum impetum exceperunt & multa vulnera intulerunt iis qui in se ruebant. Deinde verò quum maior hostium numerus eò procurreret, pulsi sunt per loca decliuia & reliqua acies inclinauit, & ad castra refugere cœpit. Hacre animaduersa, Marcius, de quo ante mentionẽ feci, cum paucis substitit, atque impetum conferti hostium agminis in se ruentis excepit, multisq. eorum prostratis, reliquis cedentibus, & in vrbẽ fugæ se recipientibus, instabat à tergo semper cædens postremos quosq. qui in ipsius manus incidissent, & semper hortans suos, qui dederant se in fugam, vt se conuerterent, & bono essent animo, & se sequerẽtur. Illi verò præpudore talis flagitij conuersi sunt, & oppositis sibi hostibus, cædentes & persequentes instabant, & quum breui temporis spatio singuli eos qui cum ipsis manus conseruerant in fugam vertissent, ad muros accedebant, & Marcius tunc audacius periculis sese obiectans vlterius progrediebatur & quum ad ipsas portas accessisset in vrbem vna cum ipsis hostibus fugientibus irrupit. Quum autem multi alij cum eo simul irrupissent, in multis vrbis partibus magna vtrorumque cædes facta, quod alij pugnarent in ipsis viarum angustiis, alij in ædibus quæ expugnabantur. Adiuuabant autem oppidanos & ipsæ mulieres, de tectis hostes tegulis petentes, & vnusquisq. & pro viribus alacriter

patriæ

patriæ opem ferebat. Verùt amen malis diutius resistere non potuerunt, sed sese victoribus dedere coacti sunt. Hoc igitur modo expugnata vrbe, cæteri milites Romani ad res quæ in ea fuerant relictæ, diripiendas se conuerterunt, & ad multum tempus in prædam intenti fuerunt, quia & multæ pecuniæ, & multa mancipia in vrbe erant. At Marcius, qui etiam primus hostium impetum sustinuerat, omniumque Romanorum fortissimum tum in ipsa murorum oppugnatione, tum in prælijs in vrbe commissis se manifestissimè præstiterat, in secunda pugna contra Antiates commissa fortitudinis longè maioris ac illustrioris facinora fecit. Nam ne ab hoc quidem prælio abesse voluit, quòd hoc indignum iudicaret. Sed statim post vrbem captam, cum paucis qui se sequi poterant, ad alios Romanos accurrit, & nactus aciem iam instructas & mox congressuras, vrbem captam prius suis nuntiauit, & argumentum eius rei fumum ostendit, qui magnus ex incensis ædificijs erumpebat, & venia à coss. impetrata, è regione firmissimi hostium roboris aciem explicauit. Dato autem pugnæ signo primus cum hostibus congressus est, & multis cæsis quicum ipso ad manus venerant, in mediam eorum aciem perrupit. Antiates verò eius impetum diutius comminus sustinere non poterant: sed ordines, in quoscumque ille impressionem fecisset, deserebant, & conferta acie eum circundabant, eúmque suos inuadentem & insequentem, ipsi pedem referentes telis eminus petebant. Postumius verò, ea re cognita, veritus ne illi ab omnibus destituto grauius aliquid accideret, lectissimos ac fortissimos quosque iuuenes subsidio ei misit. Illi

facto globo, & acie densata impressionem in hostes fecerunt. Quum autem hostes à fronte oppositi impetum eorum sustinere non potuissent, sed in fugam se vertissent, vlterius progressi inuenerunt Marcium vulneribus vndique sauciatum, & circa eum viderunt multos milites cæsos, multósque qui semimortui iacebant. Postea omnes simul, ductu ipsius Marcij, reliquos hostes qui ordines adhuc seruabant, inuaserunt, eos qui ipsis resistebant, interficientes & eos haud aliter quàm mancipia tractantes. Egregiam autem & memorabilem operam nauarunt in illo prælio cum alij milites Romani, tum verò præcipuè qui Marcium protexerunt. Sed eos omnes virtute superauit Marcius, qui citra omnem controuersiam autor præcipuus illius victoriæ fuit. Quum autem iam aduesperasceret, Romani ob victoriam valde elati, multis Antiatibus cæsis & multis captis in castra se receperunt. Postridiè Postumius exercitu ad concionem conuocato, prolixa oratione Marcium laudauit, eúmque virtutis ergò corona decorauit, & ob egregiam in vtroque prælio nauatam operam ei præmia dedit, gratiámque retulit, eúmque bellico equo imperatorijs insignibus ornato, & decem captiuis, data ipsi optione vt quos vellet eligeret, & argento quantum ille secum absportare posset, & ex reliqua præda præclaris præmijs donauit. Sublato autem ingenti ab omnibus clamore, vt laudantibus & congratulantibus, Marcius progressus dixit: se & consuli, & cæteris omnibus ob honores quibus se dignabantur, gratiam habere: verùm tamen se iis minimè abusurum, sed se contentum fore equo ob ornamentorum pulchritudinem

& vno

& vno captiuo, qui suus erat hospes. Milites verò qui & antè illius viri generosum animum admirabantur, multò magis tunc eum sunt admirati quòd diuitias contemneret, & in tanta felicitate modestè se gereret. Ob hoc igitur facinus Coriolanus est cognominatus, & omnium suæ ætatis nobilissimus fuit. Quum igitur prælium cũ Antiatibus commissum talem habuisset finẽ, reliqui Volscorũ populi depositis inimicitiis pacẽ cũ Romanis fecerunt, & quotquot idẽ, quod illi cogitabant, & qui in armis iã erant, & qui bellum parabant, quieuerũt. Quibus omnibus clementer tractatis, Postumius domũ redijt, exercitumq; dimisit. Alter verò cõsul Cassius, qui in vrbe relictus fuerat, interim ædem Cereris, Liberi, Liberæq; consecrauit, quæ est ad metas Circi maximi, supra ipsos carceres sita, quam A. Postumius dictator pro reip. salute se diis istis dedicaturũ vouerat, quo tẽpore cũ Latinorũ copijs dimicaturus erat, & quæ post partã victoriã ex S. C. locata fuerat, vt tota de manubijs extrueretur: sed eius opus tunc demum absolutum est. Eodẽ tẽpore cum omnibus Latinorũ populis fœdus iureiurando interposito renouatum est, & pax atq; amicitia instaurata, tum quia seditionis tẽpore nihil cõtra pop. Rom. moliri sunt conati, tũ quia cõstabat eos omnes plebis reditu lætari, tũ etiam quia in bello cõtra populos, qui à Romanis defecerãt, alacri animo fidelẽ operã nauasse videbantur. Quæ autem in illo fœdere continebantur, hæc erant, Romanis & omnibus Latinorum populis sit pax dum cœlum & terra eandem stationem obtinuerint: & neutri alteris bellum inferant, neue aliunde hostes accersant, neue bellum inferentibus tutum iter præbeant: & infestatis bello totis viribus opem ferant, & manubiarũ ac prædæ

in bello, communibus auspiciis gesto, æquâ vtrique parte sortiantur. Primatorumque contractuum iudicia intra decem dies in foro eius populi vbi cõtractus fuerint facti, finiantur. Istis autem fœderibus nihil aut addi aut demi nisi ex communi omnium Rom. & Latinorum consensu liceat. In has igitur conditiones Romani & Latini fœdus inter se per omnia sacra iurantes fecerunt: senatusque ob pacem & gratiæ reconciliationem cũ plebe factam diis sacrificia persoluere, & supplicationes facere decreuit, addito vno die Latinis feriis (quæ ita vocantur) quum duo tantùm earum dies antè essent: quorũ alter à Rege Tarquinio consecratus est, quo tempore Etrusci ab eo deuicti fuerunt, alter verò à populo additus, quando exactis regibus remp. in libertatem vindicauit: quibus tertius additus est ob reditum plebis, quæ secessionem fecerat. Munus autem procurationémque sacrificiorum & ludorum, qui in illis feriis fiebant, Tribunorum plebis ministri acceperunt, qui nunc ædilitiam habentes potestatem (vt dixi) à senatu prætexta & sella eburnea & reliquis regiis insignibus ornantur. Nec multò post has ferias Menenius Agrippa vir consularis, diem suum obiit, ille qui Sabinos vicerat, & maximè insignem triumphum de illis egerat, cuius suasu senatus profugis reditum concesserat, & cuius fidem plebs sequuta ab armis discesserat. Elatusque est publicis impensis, & longè omnium mortalium pulcherrimè & magnificentissimè sepultus est: nam priuatæ illius hominis facultates ad honestum, & magnificum funus & sepulturam non sufficiebant. Quare liberorum eius tutoribus, post habitam consultationem, placuit eum vt vnum de vulgo, vili funere efferre, atq.

sepulturæ

sepulturæ mandave. Plebs tamen id fieri non est passa, sed tribuni aduocata plebe ad concionem, & multis laudibus res tum bello tum pace ab illo viro gestas persequuti, eiusque temperantia & frugalitate, præcipuè verò à quæstibus abstinentia summis laudibus in cœlum elata, facinus longè turpissimum fore dixerunt, si vir tãtus ignobile atque humile funus ob inopiam consequeretur: plebique autores fuerunt vt eos funeris sumptus in se reciperet, conferréque quãtum à se imperatũ esset. Plebi verò his auditis grata hæc fuerunt. Quũ aũt confestim vnusquisque imperatam summam attulisset, magna vis pecuniæ coacta est. Senatus verò hac re cognita eum sibi dedecori fore putauit. Quare decreuit minimè pati virum Romanorum nobilissimum stipe viritim coacta sepulturæ mandari: sed æquum esse censuit vt sumptus ex ærarij pecunia fieret, huius rei cura quæstoribus commissa. Illi verò ingenti ære funus libitinariis locauerũt, eiusque cadauer ornatum magnificentissimè, cæterisque omnibus rebus ad magnificentiam ac splendorem suppeditatis, pro dignitate ac virtute hominis sepulturæ mandarunt. Quum autem plebs in honoranda defuncti memoria senatui minimè cederet, ne ipsa quidem illud collatitium æs recipere voluit, quamuis quæstores id ipsi restituere vellent, sed id largita est illius viri liberis, miserata inopiam eorum, ne quid indignum paterna virtute exercerent. Eodem tempore à consulibus habitus est census, censaque sunt vniuersorum capitum centum & decem millia & amplius. Atque his consulibus hæc à Romanis sunt gesta.

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI, ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER SEPTIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Romani annonæ graui caritate laborantes, legatos in Siciliam frumento abundantem, mittunt: quorum alij vt exploratores excipiuntur, alij in Aristodemum Cumarum tyrannũ incidunt: qua occasione huius tyranni artes & mirandus vitæ cursus ac exitus describuntur.

2 Volsci de bello Romanis inferendo cogitantes per silentia inuaduntur: seditio plebis Romanæ Patricijs infensæ recrudescit: quæ inter Consules ac Tribunos contentiones inde ortæ sint: deinde exercitus in Volscos eductus.

3 Sub Minucio & Sempronio Coss. domestici tumultus recrudescunt: M. Marcij Coriolani ad Senatum concio aduersus plebem, vnde ingens oritur tumultus.

4 Minucij consulis ad plebeios Oratio, ad diluendas calumnias, & eos rogandos ne quid grauius in M. Coriolanum statuerent: C. Sicinnij Tribuni adu. Coriolanum inuectiua: Coriolani superbum responsum, vnde seditio exorta Iunij Bruti consilio sedatur.

5 Senatusconsultum de annona : à Sicinnio dies dicitur M. Coriolano: Lucij tribuni ea de re concio ad Senatum.

6 Appij Claudij, aduersus Lucij concionem ad Senatum Oratio.

7 Manij Valerij, omnium Senatorum maximè popularis, concio qua apertè plebi patrocinatur : M. Coriolani verba : quæ crimina ei obiecta sint.

8 Tribuni Coriolano de affectata tyrannide accusato diem dicunt : de Comitiis tributis & Centuriatis Romanorum : in Comitiis de Coriolani causa Minucij Consulis oratio : Sicinnij responsio: Coriolani defensiones, condemnatio & exilium.

9 Q. Sulpicio & Sp. Largio Coss. ob varia prodigia ludi Romani instaurantur : horum ludorum origo & varia exercitia, ex quibus colligit Dionysius Romanorum progenitores Græcos fuisse, non barbaros.

Continet hic liber septimus trium annorum historiam.

I TITO *Geganio Macerino, Publio Minutio consulibus, grauis annonæ caritas ex secessione orta vrbem inuasit. Plebs enim à patricijs secesserat post autumnale æquinoctium, sub ipsum fermè sementis faciendæ initium. Coloni verò agrum deseruerunt simulatque hic motus factus est, ac ij quidem qui ditiores erant partes patriciorum sunt secuti, mercenarium verò vulgus ad plebeios transijt, atque ab eo tempore itaaly ab aliis segregati manserant, donec ciuitas (quæ non multò ante solstitium hybernum gratiæ reconciliationem fecerat) componeretur, & in vnum coiret. At medio temporis spatio quod ad omnem*

sementem faciẽdam maximè est appositum, agri coloni erant vacui, idque diu durauit, ita vt ne post ipsum quidem agricolarum reditum cultura facilè pararì posset, tum ob seruorum fugam, tum ob iumentorum interitum, quibus ad agrum colendum, qui vastatus fuerat, opus erat, tum etiam quia non magna aut seminum aut alimentorum copia in sequentem annum parata erat. Senatus his rebus cognitis legatos dimisit in Etruriam & Campaniam, & in agrum Pomptinum, vt quantam maximam possent frumenti copiam coemerent. Publius autem Valerius, & Lucius Geganius in Siciliam missi sunt, Valerius quidem Publicolæ f. Geganius verò alterius consulis frater. Tyranni autẽ tunc oppidatim dominabantur, inter quos nobilissimus erat Gelo Dinomenis f. qui nuperrimè Hippocratis fratris sui, cui hereditario iure successerat, tyrannidem adeptus fuerat, non autem Dionysius Syracusanus, quemadmodum scripserunt Liuius & Gellius & multi alij Romani scriptores, nullo modo temporum rationibus accuratius examinatis, vt res ipsa indicat. Sed temerè quicquid in mẽtẽ venit, narrantes. Nam decreta in Siciliam legatio anno secundo septuagesimæ secundæ olympiadis eò nauigauit, archonte Athenis Hybilidæ, decimo & septimo anno post exactos reges: quemadmodum & isti & alij fere omnes historici cõmuni consensu scribunt. Dionysius verò senior, octogesimo quinto post anno quum inuasisset Syracusanos, tyrannidem occupauit, anno tertio nonagesimæ tertiæ olympiadis, archonte Athenis Callia, qui successit Antigoni. Certè ferendum esset in historicis si exiguo annorum numero in ipsa temporum supputatione fallerentur, præsertim quum priscam & multorum an-

annorum historiâ cõponunt. Sed totis duabus tribúsve ætatibus à veritate aberrare nullus ipsis permiserit. At qui primus hoc in suos annales retulit (quem cæteri omnes sunt sequuti) hoc solùm in priscis annalibus videtur inuenisse, his consulibus legatos in Siciliam missos vt frumentum emerent, atque inde quod tyrannus dono dederat aduexisse. Non tamen videtur vlterius Græcorum scriptorum historias scrutatus esse, quisnam tunc Siciliæ tyrannus esset, sed temerè & inconsideratè, prout ei in mentem venit, Dionysium posuisse. Legati igitur qui in Siciliam nauigabant, tempestatibus in mari iactati, & coacti circumnauigare insulam, serò ad tyrannum peruenerunt, & ibi exacta hyeme, primo vere in Italiam reuersi, magnam commeatuum copiam aduexerunt. Quò verò in agrum Pomptinum missi fuerant, parum abfuit quin, vt exploratores, à Volscis interficerentur, falsò delati ab exulibus Romanis. Quum autem ægrè admodũ suorum hospitum studio ac fauore ipsa corpora seruare potuissent, pecunia amissa & re infecta Romam redierunt. Idem accidit iis, qui ad Italicas Cumas iuerant. Quum enim in hac ciuitate multi Romani degerent, qui cum Tarquinio rege euaserant, profugerántque ex vltimo prælio, primum quidem illos à tyranno ad supplicium deposcere conati sunt: sed quum hoc impetrare non potuissent, postularunt vt saltem sibi liceret eorum corpora pignoris loco detinere, donec à ciuitate quæ eos miserat sua bona reciperent, quæ à populo Romano iniustè publicata dicebant, atque ipsum tyrannum istius suæ litis iudicem esse oportere censebant. Tunc autem Cumis tyrannus erat Aristodemus Aristocratis filius, vir non obscuri generis, qui à Cumæis Malacus vocabatur, &

temporis progressu illa nominis appellatio magis innotuit, siue quòd puer adhuc effœmmatus esset, & malièbria pater turquemadmodum quidam produnt, siue (vt alij scribunt) quòd miti & minimè iracundo esset ingenio. Quibus autẽ tyrannidis occupandæ rationibus, quibus occasionibus sit vsus, & qua via ad eam peruenerit, & quomodo se in ea gesserit, & quem vitæ exitum habuerit, non intempestiuum iudico, intermissa paulisper rerum Romanarum narratione, summatim percurrere. Sexagesima & quarta olympiade, archonte Athenis Miltiade, Cumas Græcã vrbem in Opicis ab Eretriẽsibus & Chalcidẽsibus conditã, Etrusci qui circa Ioniũ sinum habitabant, inde à Gallis temporis progressu pulsi, & vna cũ illis Vmbri, & Dauny, & multi alij barbari, euertere sunt conati, ũ nullã aliã iustiam ob iij causam, quàm ipsam vrbis felicitatẽ afferre possent. Cumæ enim illis temporibus tota Italia celebres erant ob diuitias & potentiam & alia bona, quòd totius Campani agri fertilissimam partem possiderent, & opportunissimos circa Misenũ portus haberẽt. Barbari his bonis insidias struentes, expeditionem contra eam vrbẽ fecerũt, ferè cũ quingentis peditum, & decem & octo equitum millibus. Illis autem non procul ab vrbe castra habentibus admirandum prodigium apparuit, quale nunquam aut apud Græcos, aut barbaros vspiam accidisse memoratur. Nam omnes qui præter eorũ castra fluebant, quorum alter Vulturnus, alter Glanis vocatur, omisso naturali cursu aquas retorserunt, & ab ostiis ad fontes suos recurrerunt. eumq. cursum diu tenuerunt. Hac re cognita Cumæi tũ demũ ausi sunt cum barbaris cõgredi, quòd ex hoc prodigio coniicerent deum res hostiũ elatas depressurum,

depressurum, & suas quæ videbātur humiles elaturum. Quare, diuisis trifariā totius iuuentutis viribus, partem unam ad urbis præsidiū, alteram ad nauium custodiam reliquerunt, tertiam pro mœnibus instruxerūt, impetum hostium excepturi. atque horū numerus cōtinebat equites 600. peditū verò quatuor millia, & quingentos præterea. Et quamuis tam exiguum militū numerum haberēt, tamen tot hostium millia sustinuerunt. Vbi verò barbari cognouerunt eos ad pugnā paratos esse, clamore sublato, ut fert barbarorum mos, eos inuaserunt, nullo seruato ordine, pedites & equites promiscuè, quasi eos omnes primo impetu essent deleturi. Locus autē ubi pugnabatur erat vallis angusta ante urbem montibus & paludibus undique clausa, pro Cumæorum virtute faciēs, & iniqua barbarorū multitudini. Quum enim alij alios euerterent, humique deijcerent & conculcarent, cum multis aliis in locis, tum verò præcipuè circa cœnum paludis, ne congressi quidem cum acie Græcorum plerique eorum à suis obtriti interierunt. Atque ingens illeorum peditatus mutua collisione afflictus, & nullo forti facinore edito, dissipatus est, & alius aliò fugit. Equites verò pugnarunt illi quidem, & multum negotij Græcis exhibuerunt: sed quum non possent hostes circundare ob locorum angustias, quinetiam ipso deo fulminibus, imbribus, & tonitruis Græcos adiuuante, territi terga verterunt. In eo prælio omnes Cumæorum equites egregiè pugnarunt, atque hi potissimum vel omnium confessione victoriæ autores fuerunt. Sed inter cæteros Aristodemi cognomine Malaci virtus præcipuè enituit. Etenim ipse solus impetum sustinens, ducem hostiū & alios multos strenuosque viros interfecit. Bello autem confecto

Cumæi, sacrificio diis pro parta victoria facto, & iis qui in pugna ceciderant, honorifice sepultis, magna contentione certatum est cuinam ob rem fortiter gestam prima corona danda esset. Nam sinceri iudices Aristodemum hoc honore dignabantur, & plebs ei fauebat: at potentes ciues Hippomedontem magistratum equitum, & totus senatus huic suffragabatur. Erat autem tunc temporis penes optimates Cumæa resp. & plebs non multum poterat. Ob hanc igitur contentionem orta seditione, maiores natu veriti ne ad arma & cædes ambitio ista progrederetur, persuaserunt virique factioni vt æquos honores capere illis ambobus permitteret. Ob hanc igitur causam Aristodemus cognomine Malacus plebis patronus est factus, qui quòd in ciuili genere dicendi non mediocriter exercitatus esset, concionibus plebem ductabat, eam actionibus popularibus recreans ac reficiens, & proceres qui publica depeculabantur arguens, & de suis pecuniis beneficia in multos ciues conferens. Quapropter primoribus optimatũ grauis & formidabilis erat. Vigesimo aũt anno post pugnã cũ barbaris cõmissam, ad Cumæos venerũt Aricinorũ legati suppliciter opẽ illorũ implorantes contra Etruscos, à quibus bello premebantur. Nã Porsena, rex Etruscorum, post pacem cum pop. Romano factam, filium suum Aruntem cum dimidia copiarum parte miserat, quia proprium imperium sibiquærere volebat, quemadmodum supra declarauimus. Ille igitur Aricinos intra mœnia compulsos tũc obsidebat, & se breui vrbẽ fame expugnaturum sperabat. Quũ legati ista venissent principes optimatum Aristodemum odio prosequentes, & veriti ne quam calamitatem reip. afferret, pulcherrimam occasionẽ se nactos arbitrabãtur, qua illũ per

per speciem honestæ causæ de medio tollerent. Quum igitur populo persuasissent, vt auxilio Aricinis duo hominum millia mitteret, & ducem eorum creassent Aristodemum, quòd esset rebus bellicis clarus, postea pararunt insidias homini, per quas ipsum vel ab Etruscis in pugna concisum iri, vel in mari periturum arbitrabantur. Nam à senatu accepta potestate delectus habendi eorum qui auxilio mittendi essent, nullos nobiles aut memoratu dignos conscripserunt: sed delectis ex plebe pauperrimis ac nequissimis quibusque, quos semper suspectos habebant, & metuebant ne quid rerum nouarum molirentur, ex his classem compleuerunt: & decem vetustis nauibus, & parum idoneis ad nauigandum, in mare deductis, quarum præfecti erant Cumæorum pauperrimus quisque, in his illos posuerunt, pœnam capitalem minati si quis eam militiam deseruisset. At Aristodemus hæc tantùm loquutus, perspectum ac notum esse sibi inimicorum consilium, qui verbis quidem se ad auxilium Aricinis ferendum mitterent, reverò ipsa ad manifestum exitium, accepit earum copiarum imperium, & cum Aricinorum legatis celeriter portu soluit, & medium illud maris spatium laboriosè & periculosè emensus, appulit ad littora Ariciæ proxima, & præsidio in nauibus relicto quantùm satis erat ad earum custodiam, illa eadem nocte confecto terrestri itinere, quod non erat longum, sub diluculum in Aricinorum conspectum ex improuiso venit, castrisque prope illos positis, persuasit iis qui intra mœnia confugerant, vt in campum apertum prodirent, & ita tunc Etruscis pugnandi copiam fecit. Collatis autem signis acre prælium commissum est, in quo Aricini non diu hostium impetum sustinuerunt, sed omnes inclinarunt, atque

iterum intra muros fuga se receperunt. At Aristodemus cum exigua lectorum Cumæorum manu, quæ stipatus erat, totam illius pugnæ molem sustinuit, & Etruscorum ducem sua manu interfecit, & gentes exteras ac barbaras in fugam vertit, & maximè insignem victoriam ex hoste reportauit. His rebus gestis, & ab Aricinis multis decoratus muneribus celeriter discessit, quòd ipsemet suæ victoriæ nuntium Cumæis afferre vellet. Eum autem sequebantur permultæ Aricinorum onerariæ naues, spolia & Etruscos captiuos vehentes. Quum autem iam ad Cumas accessissent, classe ad littus appulsa exercitum ad concionem vocauit, & longa oratione in ciuitatis principes & gubernatores inuectus, & multis laudibus eos prosequutus, quorum egregia opera in prælio enituerat diuisaque viritim pecunia & muneribus Aricinorum in medio positis, vt omnibus essent communia, rogauit eos vt horum beneficiorum essent memores vbi in patriam rediissent & siquod fortè periculum sibi ab optimatibus aliquando immineret, opem pro viribus vnusquisque ferret. Omnibus autem vno ore se illi magnam habere gratiam dicentibus, tum ob insperatam salutem quam eius opera fuerant adepti, tum ob reditum in patriã minimè vacuis manibus: & suam potius vitã quàm illius salutem hostibus se prodituros pollicentibus, collaudatis iis, concionem dimisit. Postea in suum tentorium vocatos eorum selectissimos quosque & manu fortissimos, largitionibus & humanis alloquiis, & spe (quæ omnes decipit) corrupit, & paratos habuit ad se iuuandum in præsenti reip. statu mutando. Quibus assumptis ad operæ & periculi societatem, & monitis quid cuique agendum, & captiuis quos adducebat, libertate gratis data, vt illorum

quoque

quoque beneuolentiam sibi conciliaret instructis nauibus in portus Cumæos est delatus. Tunc militū patres & matres & reliqui omnes cognati & liberi & uxores obuiā illis ex nauibus in terram exscedentibus iuerunt, cum lacrymis eos amplectentes, & osculantes, & suauissimis vnumquemque appellationibus salutantes. Quinetiam tota reliqua multitudo vrbana cum gratulatione & plausu ducē salutans, redeuntem domum prosequuta est. Quam rem molestè ferentes ciuitatis primores, præcipuè verò illi qui exercitus imperium ei dederant, & alia in eius perniciem machinati fuerant, malè de futuris cogitare cœperunt. Ille verò intermissis paucis quibusdā diebus, quibus votiua sacrificia diis persoluit, & onerarias naues, quæ tardiores erant, expectauit, postquā tempus opportunum iā venisse existimauit, dixit se velle in senatu res à se in prælio gestas narrare & prædā eo bello partam ostendere. Qui autem frequens senatus & magistratus in curiā cōuenissent, ipse in medium progressus cœpit concionari, & ordine narrare quæcunque in prælio gesta fuerāt. Interim verò illius conspirationis socij, iā antè ab eo parati, cū sicis sub veste tectis magna manu in curiā irrumpentes omnes optimates iugularunt. At mox omnes è foro diffugere & currere, alij domū, alij extra vrbem, exceptis iis qui conspirationis erant socij. Isti enim & arcem & nauale & munitiones ciuitatis occuparunt. Sequenti verò nocte solutis iis qui erāt in vinculis, & qui capite dānati fuerant, quorum magnus erat numerus, & armatis illis vnà cum suis amicis, inter quos erant & Etrusci iuuenes captiui, ex his satellitiū ad corporis sui custodiā cōstituit. Quum autem dies illuxisset, conuocato ad concionem populo, & longa oratione inuectus in ciues à se cæsos, illos

quidem sibi toties insidiis ab ipsis appetito meritas luisse pœnas, & se cæteris ciuibus iam libertatem, & ius æquũ, & multa alia bona afferre dixit. Hæc loquutus, & omnibus plebeiis mira spe repletis à duabus longè omnium pulcherrimis actionibus reip. administrationem orsus est, quæ solent esse cuiuslibet tyrannidis primordia ab agrorũ videlicet diuisione & æris alieni remissione. Pollicitus autem est se vtriusque huius rei curam in se recepturum, si imperator cum summo ac libero imperio creatus fuisset, donec resp. in tuto esset, & se popularem dominatum constituturum. Quum autem plebs, & improba multitudo libenter alienorum bonorum rapinam accepisset, ipse accepto summo imperio, aliud à se excogitatum consilium intulit, quo eos decepit, & omnes libertate spoliauit: simulans enim se vereri ne diuites tumultum aliquem excitarent, & in plebem impetum facerent ob agri diuisionem, & æris alieni remissionem, ne quod ciuile bellum oriretur, néve quæ ciuium cædes fierent, vnicam rationẽ, qua id præcaueri posset antequam ad ipsa mala esset ventum, se inuenire dixit, si omnes arma ex ædibus prolata diis consecrarent, vt possent illis vti cõtra externa bella, quæ ipsis inferrentur, si qua necessitas vrgeret, non autem contra se ipsos. Interim verò apud ipsos deos rectè reponi posse dicebat. Vbi verò hoc quoque illis persuasum est, eodem die omnibus Cumæis arma abstulit, & sequentibus diebus priuatas ædes scrutabatur, in quibus multos & bonos ciues interfecit, quasi non omnes arma diis indicassent. Post hæc tribus præsidiis tyrannidẽ suam firmauit, quorũ vnum constabat ex sordidissimis atque scelestissimis ciuibus, quorum ope & auxilio statum reipub. quæ ab optimatibus regebatur, euertit. Alterũ ex impijs

seruis

seruis quos ipse manumiserat, quòd dominos suos interfecissent: tertium, ex mercenariis immanissimis barbaris. Illi non pauciores erant duobus millibus, & re militari longè cæteris præstantiores. Cæsorum autem hominum statuis ex omni templo ablatis, & in loca profana delatis suas in earum locum substituit & erexit: domos verò eorum, prædia, & reliquas fortunas occupauit & exportato inde auro & argento, & si qua alia res tyrannide digna erat reliqua largitus est iis quorum opera & auxilio imperium sibi compararat: plurima verò & maxima dona dedit seruis qui dominos suos interfecerant. At illi petebant etiam eorum filias & vxores in matrimonium. Cæterùm quum virilem hominum occisorum progeniem principiò contemneret, postea tamen, siue aliquo oraculo monitus, siue etiã verisimili aliqua ratione motus, existimans eam in magnum suum metum ac periculum ali, conatus est vno die totã perdere. Sed deprecantibus hoc omnibus, apud quos matres ipsorũ erant, & ipsi pueri alebantur, quum hoc quoque donum illis largiri vellet, illos quidẽ à mortis periculo præter suam sententiam liberauit: sed tamen vt sibi caueret ne qua conspiratione inter se facta aliquid contra tyrannidem molirentur, omnes iussit ex vrbe abire alium aliò, & in agris degere: atque nullis disciplinis, aut studijs pueros ingenuos decentibus operã dare, sed pastoralia munia exercere, & cætera opera agrestia facere. mortem interminatus si quis eorũ intra mœnia deprehensus fuisset. Illi verò relictis paternis laribus, in agris, vt serui alebantur, patrũ suorũ interfectoribus seruientes. Et ne vel in aliorum ciuium quopiã animus aut generosus aut virilis esset, institutis suis totam vrbanam iuuentutem quæ alebatur, effœminare est ag-

greſſus ſublatis gymnaſiis & armorum exercitationibus, & mutata viuendi ratione, qua pueri priùs vtebantur. Iuſſit enim mares more virginum comam alere, eámque colore flauo inficere, cincinnóſque facere, & reticulis capillos religare, & pictis atque talaribus togis indui, & palliolis tenuibus ac mollibus amiciri, & in vmbra degere. Eos autem comitabantur ad ludum ſaltatorum & tibicinum & aliarum huiuſmodi muſicarum illecebrarum, puerorum magiſtræ mulieres, cum vmbellis & flabellis, & ipſæ lauabant eos allatis ad balnea pectinibus, & vnguentorum alabaſtris, & ſpeculis. Tali educatione corrumpens pueros donec annum ætatis viceſimum impleuiſſent ac exegiſſent. ita demum eos poſtea inter viros referri patiebatur. Sed quum his aliíſque multis modis cum contumelia illuſiſſet, & inſolenter inſultaſſet Cumæis, & à nullo libidinis aut crudelitatis genere ſibi temperaſſet, quum putaret ſuam tyrannidem tutam eſſe, iam ſenex graues diis hominibuſque pœnas dedit, vnà cum tota ſtirpe exciſus. Qui autem in eum inſurrexerunt, & ciuitatem ab eius tyrannide in libertatem vindicarunt, fuêre filij ciuium ab ipſo cæſorum, quos quum olim omnes vno die interficere decreuiſſet, deſtitit incepto (vt dixi) cohibitus precibus ſuorum ſatellitum, quibus in matrimonium matres eorum dederat: ſed eos in agris vitam degere iuſſerat. Nam aliquot annis poſt, dum per pagos iter faceret, conſpecta iuuentute multa & valida, veritus ne facta conſpiratione in ſe inſurgerent, eóſque præuenire volens ſtatuit omnes interficere, antequàm id aliquis præſentiret: & adhibitis in conſilium amicis, cum illis conſultabat quánam ratione & facillimè & celerrimè illi clàm de medio tolli poſſent. Iuuenes hac re cognita ſiue

aliqua-

alicuius conscij indicio, siue etiam ipsi per se verisimili aliqua suspicione moti, in montes fugerunt arreptis armis rusticis. Illisque celeriter auxilio venerunt Cumæi exules, qui Capuæ degebant: inter quos nobilissimi erant: & magnum Campanorum hospitum numerum adducebant Hippomedontis filij, eius qui bello Etrusco magister equitum fuerat, & ipsi armati & arma illis quoque afferentes. adducentes etiam Campanorum mercede conductorum & amicorum manum non paruam, quã collegerant. Viribus deinde omnibus in vnum collatis, agros hostium incursionibus & latrocinijs infestabant ac populabantur & seruos ad defectionem à dominis faciendam impellebant, eósque abducebant, vinctósque soluebant, & armabant, & quascunque pecunias aut pecus agere aut ferre non potuissent, partim cremabant, partim iugulabant. Tunc quum tyrannus animo perplexo esset, & ignoraret quánam ratione bellum cum ipsis esset gerendum, quòd neque apertè illi rem gererent neque in isdem locis diutius morarentur, sed modò à nocte ad crepusculum vsque matutinum, modò à matutinis horis vsque ad noctem grassarentur, & ita iter suum metirentur, quúmque sæpius milites ad agri præsidium, & custodiam frustra misisset, quidam ex illis corpore verberibus lacerato ab exulibus, vt transfuga missus ad eum venit, qui petita impunitate & fide publica pollicitus est tyranno, si ab eo accepisset copias, quas erat missurus, se deducturum eas in eum locum, in quo proximam sequentẽ noctem exules erant acturi. Cuius oratione adductus tyrannus fide illi habita, quòd ideo nullum præmium peteret, & se obsidem offerret, misit cum illo fidelissimos duces cum magna equitum & peditum mercede conducto-

rum manu quibus mandauit disertissimis verbis vt omnes exules, sin minus, quamplurimos eorum vinctos ad se adducerent. Ille igitur transfuga, qui hæc commentus & machinatus fuerat, per tramites minimè tritos ac inuios, & saltus desertos tota nocte continuato itinere, exercitum magno cum labore duxit ad partes ab vrbe remotissimas. Interea verò fugitiui & exules circa montem Auernum vrbi propinquum, in insidiis delitescentes, vbi cognouerunt tyranni copias ex vrbe exisse, signo, vt inter eos conuenerat, à speculatoribus dato miserunt ex suis citer sexaginta audacissimos pellibus pastoralibus indutos, & fasces sarmentorum ferentes. Isti circa vespertinum crepusculum, alij per alias portas vt operarij clàm se in vrbem insinuauerunt, vrbémque ingressi depromptis sicis, quas in fascibus occultarant, omnes in eundem locum conuenerunt, deinde simul inde confecto agmine cum impetu currentes ad portam, quæ ad Auernum montem ducit & ipsos custodes sopitos interfecerunt, & omnes suos iam muris propinquos apertis portis in vrbem receperunt idque sentiente nemine. Fortè enim illa nocte celebrabatur quidam publicus dies festus. Quare, quum tota vrbana multitudo indulgeret potationibus & alijs voluptatibus, id præbuit illis facultatem sine vllo metu ac periculo, omnes vias quæ ad tyranni regiam ferebant, transeundi: & ne circa fores quidem magnam vigilum custodiam inuenerunt. Sed hic quoque alios iam sopitos, alios ebrios sine magno negotio trucidarunt, & vno agmine in tyranni ædes facta irruptione, reliquos omnes nec corporis, nec mentis præ vino amplius compotes, instar pecudum iugularunt. Ipsum verò Aristodemum eiúsque liberos, & reliquos cognatos comprehensos,

vsque

vsque ad multam noctem verberibus laceratos & tortos, & omnium (vt ita dicã) cruciatuum generibus affectos interfecerunt. Atque tota tyranni familia, abstirpe radicitùs excisa ita vt neque filios, neque vxores, neque vllos eorum cognatos relinquerent: & per totam noctem scrutari omnes qui eum in tyrannide occupanda adiuuerant, simulatque dies illuxit in forũ progressi sunt. Deinde conuocato ad concionem populo, arma deposuerunt, & rempub. in pristinum ac patrium statum restituerunt. Quum igitur ad hunc Aristodemum, qui annum iam fermè decimumquartum tyrannidem Cumis obtinebat, exules, Tarquinii socij venissent iudicium contra patriam petebant. At Romanorum legati aliquandiu illi quidem negarunt se ad hoc iudicium venisse, dixerúntque se potestatem agendæ causæ publicæ nullam habere quam à senatu non accepissent. Sed quum nihil proficerent, & viderent tyrannum in alteram partem propensiorem esse ob studium & preces exulum petito temporis spatio ad dicendam causam, & pecuniis pro vadimonio promissis si id deserent pendente adhuc causa, nullo amplius eos obseruante aufugerunt. Horum verò famulos & iumenta & pecunias coemendi frumẽti causa allatas tyrannus retinuit. His igitur legationibus contigit vt tales iniurias passæ res infecta domũ redirent. Sed quimissi fuerant in Etruriam militum, & far ab eius regionis populis coẽptum fluuialibus ratibus in vrbem comportarunt. Ille commeatus Romanos exiguum temporis spatium sustentauit: sed postea hoc absumpto ad eandem inopiam, quæ ante laborabant redacti sunt. Nullum autem cibi genus intentatum reliquerunt, ad quod necessitas solet homines adigere, accidítque multis eorum tum ob rerum penuriã,

tum ob insolētiam insueti cibi, vt alij quidem infirmis & malè affectis essent corporibus, alij verò ob inopiam neglecti prorsus inualidi essent.

2 ¶ QVA re cognita, Volsci nuper bello deuicti, se inuicē occultis legationibus ad bellū cōtra Romanos solicitabāt, rati, si quis eos bello & fame vexatos adoriretur fore vt illi hostib. resistere nō possent. Sed diuina prouidentia, cui curæ erat, nō pati pop. Rom. in hostiū potestatē venire, tūc quoque manifestissimè vim suā demōstrauit. Tanta. n. p. stilētia repētè Volscorum vrbes inuasit, quantā nusquam vel apud Græcos vel apud barbaros accidisse memoriæ proditū est, quippe quod nulli ætati, nulli cōditioni, nulli sexui parceret, sed æquè valida atque inualida corpora conficeret. Cuius ingētis cladis magnitudo satis cognosci potest ex insigni Volscorū vrbe, cui nomen erat Velitræ, quæ tunc ampla & frequens erat, cuius tantā incolarum multitudinem pestis exhausit, vt decem partibus vnam tantùm reliquerit, cæteras verò corripuerit & assumpserit. Qui verò tandem incolumes ex ea clade superfuere, missis ad Romanos legatis, suam desolationem indicarunt, & vrbem illis dedidērūt. Quia autem etiam antè colonos Roma missos acceperant, idcirco nouos colonos sorte delectos ab illis petebant. Hac re cognita, Romanos eorum calamitatis miseratio subiit. Quare, censuerunt in tam afflicta hostium fortuna, omnē præteritarum iniuriarum memoriā deponendā, quòd satis pœnarū diis, pro scelere contra populum Romanum cogitato dedissent. Velitras autem ipsis recipere placuit, misso non paruo colonorum numero, quia multa commoda inde prouentura secum ipsi reputabant. Nam & ipse locus idoneus videbatur, si satis firmo præsidio occupa-

occupatus fuisset, ad magnum impedimentum afferẽdum illis qui aliquid rerum nouarum moliri, aut aliquos motus excitare voluissent. Et ipsam alimẽtorum penuriam qua resp. premebatur, multò leuiorem fore arbitrabantur, si ex vrbe plebis pars aliqua non contemnenda migraret. Præcipuè verò seditio noua quæ excitabatur, priore nondum satis bene extincta, impulit eos vt nouam coloniam mittere decernerent. Iterum enim, vt & antè, plebs concitabatur, & patriciis erat infensa, & multa grauia cõuicia in illos iactabantur, aliis incuriam eorũ & negligentiam incusantibus, quòd non multò antè præuidissent fore annonæ inopiam, neque aduersus eam calamitatem aliqua remedia antè excogitassent ac præparassent: aliis apertè dicentibus eos per insidias & consultò annonæ caritatis autores esse, quòd irati essent, cuperẽtque plebem vexare, à qua se desertos recordarentur. Ob has igitur causas ocius colonia decreta est triumuiris ad eam deducendam à senatu creatis. Plebi autem principiò qui dem gratũ erat aliquos sorte delectos in coloniam mitti, quòd se fame liberatum iri, & regionem fertilem se habi taturam speraret. Deinde verò considerans pestem, quæ in vrbe sibi destinata grassata fuerat & quæ incolas ab sumpserat, nouósque colonos eodẽ modo tractatura vide batur, sententiam paulatim mutare cœpit, ita vt nõ multi essent qui nomina dare, & in numerum nouorum colõ rum referri vellent sed multò, pauciores quàm ipse sena tus decreuerat: atque hos ipsos iam sui cõsilij pœnitebat, quòd malè sibi cõsuluissent: nec exire volebãt sed tergiuer sabantur. Hæc igitur pars domi relicta est & alij quot quot in coloniam lubenter non proficiscebantur: sed facto postea senatus cõsulto vt ex omni ciuiũ Romanorũ numero

coloni sorte delecti deducerentur, & grauissima atque inexorabili pœna proposita ijs in quo sors cecidisset, si eò ire recusassent, ita demum & egregia ista colonia necessitate coacta Velitras est missa, & alia noua paucis post diebus deducta est Norbam Latini nominis vrbem non ignobilem. Fefellit tamen suas spes patricios, quòd ad seditionem attinet, quam sopitum iri sperabãt, nec quidquã eorum quæ cogitarãt ipsis successit: nã reliqui plebeij multò grauiùs irascebantur & patres valde incusabant, & per cœtus & sodalitia paucis primũ coeuntibus mox gregatim inopia grauiùs eos iã vrgente: concursúque in comitium facto, tribunos plebis vocabãt. Coacta deinde ab illis concione progressus Sp. Icilius, qui tunc tribunorum collegij princeps erat, & ipse vehementer in senatũ inuectus est, in quantã maximè fieri poterat inuidiam eum rapiens & alios iussit corã populo suã mentem aperire, præcipuè verò Sicinnium & Brutũ, qui tunc erãt ædiles, vtrumque nominatim appellans, qui & primæ secessionis plebi autores fuerãt, & intreducto in remp. tribunatu, primi eum magistratũ gesserant. Hi in medium progressi malignissimas cõciones iã multò antè præparatas habuerũt, quæ plebis auribus admodum erant gratæ, quasi data opera & diutiũ insidijs præsens annonæ caritas & inopia contigisset, quòd libertatẽ illis inuitis plebs per secessionẽ sibi cõparasset. Dicebant enim illa calamitate & fame nõ æquè premi diuites atque pauperes: imò vel ne minimũ quidẽ diuites ea grauari. Illis enim esse alimẽta occultata & pecunias quibus emant cõmeatus in vrbẽ importatos, quibus freti hoc malũ facilè possint contẽnere: & plebem vtriusq; huius rei inopia laborare. Addebãt coloniã ab illis in loca pesti obnoxia emissam in manifestum & pessimum exi-

mum exitium fuisse pulsam: & mala, quantum poterat, exaggerabant & scire volebant quis tandem malorum finis futurus esset, & in memoriâ ipsis revocabant verbera & contumelias quibus olim à diuitibus fuerant affecti, & alia his similia liberrimè dicebant. Postremò, Brutus orationẽ suam tali cõminatione clausit, si velint sibi parere se breui effecturũ, vt qui hoc malum accẽdissent: iidem coacti hoc restinguerent: atq; ita concio dimissa est. Postero die consules senatũ conuocarunt hoc nouo motu grauiter perculsi & illâ Bruti popularem concionem in graue aliquod malum eruptura existimantes. Multæ autem & variæ sententiæ in senatu dictæ fuerunt, cùm ab illis ipsis consulibus, tum ab aliis natu maioribus, nonnullis censentibus deliniendam plebẽ omni verborum comitate & operæ pollicitatione, & eius duces placandos, propositâ illis rerum difficultate, rogandámq; plebẽ vt secum communi Reipub. vtilitati consuleret: aliis contrà censentibus, nullo modo cedendũ nullâ in re indulgendũ vulgo arroganti & imperito, & audaci ac intolerabili tribunorum plebi assentantium insaniæ sed respondendũ patricios nullo modo horum malorum autores esse, & senatui pro viribus rem curæ fore promittendum. Cæterùm plebis turbatores obiurgandos, addita interminatione: ni seditiones excitare desinant, eos meritas pœnas daturos. Huius sententiæ autor fuit Appius, quæ etiam euicit magna patrum contentione, ita vt populus, exaudito eorum clamore, vehementer permotus ad curiam concurreret, & tota ciuitas expectatione rerum erecta esset. Postea consul. egressi è curia, populum ad concionem conuocarunt (exiguum autem diei spatium reliquum erat) progressique senatus voluntatem exponere conabantur

Sed tribuno pleb intercedente, exorta est inter eos importuna & indecora altercatio: nam & simul vociferabantur, & sibi inuicem obstrepebant ita vt ij qui aderant, difficulter, quid ipsi sibi vellent intelligere possent. Consules enim æquum esse censebant se, qui maiorem haberet potestatem, totius etiam vrbis imperium habere. Tribuni verò dicebant concionem suum esse locum, sicut illorum senatum, & in sua esse potestate quicquid apud populum iudicandum decernendúmve esset. Pro his stabat plebs, acclamationibus addens animos, & cõgredi parata (si opus fuisset) cum iis qui impedimẽto esse voluissent. A consulum partibus stabant patricij, qui eos cõferto agmine stipabant. Atque ingenti contentione certatum est ne alteri alteris cederent, quasi in vna ista præsenti victoria ius omne quod in posterum vtrique essent habituri, consisteret. Iámque sol ad occasum vergebat & reliqua multitudo ex ædibus in forum concurrebat, & nisi noctis interuentum contentio fuisset dirempta illi aduersus lapidibúsque iactus venissent. Sed ne hoc fieret, Brutus in medium progressus à consule petiit vt sibi dicendi potestatem facerent, pollicitus se seditionem sedaturum. Illi igitur putantes se vicisse, quòd præsentibus tribunis pleb. popularis ille cõcionator hãc gratiãm ab illis sed à se petiisset, ei dicendi potestatẽ fecerũt. Brutus imperato silentio nihil aliud dixit sed in hunc modum consules interrogauit. Nónne (inquit) meministis inter pacis cõditiones nobis hoc ius à vobis concessum, quoties tribuni quascunque de causa plebẽ conuocarint vt minimè liceat patricijs ei cõcioni aut interesse, aut eã turbare & impedire. Meminimus, respõdit, Geganius. Tum Brutus infert. {Cur igitur nos impeditis, nec finitis tribunos, quæ volunt dicere?

Ad

Ad hæc Geganius respondit, Quia plebs ad concionem non ab illis sed à nobis consſ. conuocata fuit: si enim illi cõcionem conuocassent, certè neque vobis impedimento esse, neque curiosius in eam nos ingerere vellemus. Sed quia nos concionem conuocauimus, non impedimus quominus isti concionentur. sed ab his nos impediri iniquum esse dicimus. Tunc Brutus eius orationem excipiens, Vicimus (inquit) Quirites, & ab aduersarijs quæcunq; petebamus nobis sunt concessa. Nunc igitur abite, & contendenti finem facite: cras verò polliceor me vobis demonstraturum quantam habeatis potentiam & vos, tribuni, in præsentia foro illis cedite: neque enim in perpetuum illis cedetis vbi quanta sit vestri magistratus potentia cognoueritis, sed breui cognoscetis. Ego igitur me vobis hoc demonstraturum polliceor, & istorum superbiam moderatiorem redditurũ. Quòd si me fucum vobis fecisse constiterit, de me arbitratu vestro statuite. Quũ antè nullus contra hæc dixisset, ex concione discesserunt, non eadẽ vtriq; expectatione, sed inopes quidẽ existimantes egregiã aliquã rationem à Bruto excogitatam, qua malis præsentibus liberarentur: neque temerè rem tantam eum pollicitum esse. Patricij verò contemnentes hominis leuitatem, & pollicitationum audaciam vltra verba non processuram existimantes. Sciebant *enim tribunis nihil aliud concessum à Senatu, nisi vt opem ferrent plebeis iniuriam patientibus. Non tamen omnes (præsertim vero natu maximi) negligebant hoc negotium, sed censebant cauendum ne hominis istius furor graue aliquod & insanabile malum afferret. Brutus verò sequenti nocte suo consilio cum tribunis communicato, & præparata non modica plebeiorum*

manu, cum illis in forum descendit, & ante claram lucem occupata Vulcani æde, vbi conciones haberi solebant plebem ad concionem vocauit, ac mox referto foro (tanta enim turba eò conuenerat quanta nunquam ante confluxisse videbatur) tunc progressus Icilius tribunus, prolixa oratione inuectus est in patricios, commemorans quæcunq. contra plebeios illi fecerant. {Deinde dixit se hesterno die ab illis dicere prohibitum, & sui magistratus potestate priuatum. Cuius enim (inquiebat) alius rei potestatem amplius habebimus, si ne loquendi quidem facultas nobis detur? quomodo alicui de vobis vim ab illis patienti opem ferre poterimus, si potestas vos conuocandi nobis erepta fuerit? Verba enim initium sunt omnium operum, & certum illud est, quibus non licet proferre ea quæ sentiunt, multò minus illis licere facere quæ volunt. Aut igitur recipite potestatem, quam nobis dedistis, quando eam confirmare cunctamini, vt sit tuta, aut lege lata vetate ne quis in posterum nobis sit impedimento. {Hac oratione habita quum plebs ingenti acclamatione iussisset eum legem ferre, ipse eam iam scriptam habens recitauit, plebique calculos distribuit, vt ex tempore suffragia de ea ferret. Neque enim res aut dilationem aut cunctationem pati videbatur, ne fortè consulum interuentu impediretur. Legis autē verba hæc erant. {Tribuno concionem ad populum habenti nemo contraria oratione aduersator, neve dicentem interpellato. siquis contra fecerit, vades tribunis dato se, si in iudicium fuerit vocatus, soluturum multam, quam ei irrogarint. Qui vades non dederit, morte mulctator, eiúsque bona sacra sunto. Siquid controuersiæ huiusmodi mulctarum causa inciderit, iudi-

cia

cia penes populum sunto. } Tribuni hac lege suffragiis confirmata concionem dimiserunt, & plebs bono animo, & optimæ spei plena abiit, magnam Bruto habens gratiam quòd hanc legem eius inuentum existimaret. Deinde multæ, variæque de rebus inter tribunos & consules altercationes sunt secutæ. & neque ipsa plebs senatusconsulta rata habebat, neque senatus ipse vlla plebiscita approbabat. Sed magna contentione vtrique alteris aduersabantur, & se inuicem suspectos habebant. Veruntamen eorum illud odium non processit vlterius ad facinus aliquod grauius, vt in istiusmodi tumultibus accidere solet. nam neque pauperes impetum fecerunt in diuitum domos, vbi putarent se inuenturos aliqua alimenta recondita, aut commeatum propalam venalem expositum ausi sunt diripere. sed æquo animo res parvas magno pretio emebant, & quum pecunia eos deficiebat, radicibus ex terra euulsis, & herbis sese pascentes famem tolerabant. Neque diuites vi imbecillioribus allata, freti suis & clientelarum magnis opibus, vrbem soli tenere voluerunt, aliis ex ea expulsis, aliis cæsis. sed vt patres, qui se prudentissimè ac moderatissimè erga filios gerunt, eorum peccata benevolo ac solicito animo constanter ferebant. Quum igitur Respublica Romana in tali esset statu, vicini populi inuitabant Romanos ciues, quotquot apud se habitare vellent, eos ad id allicientes oblato iure ciuitatis, & spe aliorum officiorum atque humanitatis, alij quidem optima mente, ob suam erga populum Romanum benevolentiam, & ob illius cladis commiserationem, maior verò pars ob pristinæ felicitatis inuidiam. Et valde magnus fuit numerus eorum qui cum totis familiis Roma

migrarunt: sedibus suis aliò translatis, quorum alij compositò Reipublicæ statu redierunt, alij ibi permanserunt. Consulibus autem hæc videntibus, placuit ex senatusconsulto delectus habere, & exercitum educere. Huius autem consilij sui occasionem honestam arripuerunt quòd crebris incursionibus & depopulationibus ager ab hostibus vastaretur. Secum enim reputabant, cùm alia commoda ex hac re sequutura, si exercitus extra agri Romani fines mitteretur, tum verò ista, quòd videlicet qui domi remansissent, ad minorem numerum redacti, maximam annonæ copiam habituri essent & illis, qui ad militiam profecti fuissent, maior commeatuum copia esset futura, ex hostico sese alentibus: tum etiam quòd seditio durante militia esset quietura. Præcipuè verò communis patriciorum & plebeiorum militia, & in periculis prosperæ aduersæque fortunæ ex æquo futura societas, re ipsa eorum reconciliationem confirmatura videbatur. Verùm plebs illis non obtemperabat, neque vt antè vltrò ad nomina danda veniebat. Eam verò inuitam legibus cogere consules nolebant sed voluntariy quidam patriciy vnà cum clientibus conscripti sunt, quos ad militiam proficiscentes pauci de plebe sunt sequuti. Illius autem exercitus dux erat C. Marcius qui Coriolos ceperat, & in prælio contra Antiates commisso rem fortissimè gesserat. Tunc maxima pars plebeiorum, qui se ad illam expeditionem socios addiderant, quum eum ad militiam euntem vidissent, animis sunt confirmati, alij quòd eum amarent, alij quòd bonam spem rei feliciter gerendæ concipierent. Iam enim illius viri nomen celebre erat, & magno hostibus erat terrori. Iste exercitus Antium vsque progressus,

gressus, præter magnam frumenti copiam in agris relictam ac interceptam, mancipiis quoque, & magna pecoris copia potitus est: neque multo post rebus ad victum pertinentibus ditior factus domum rediit, ita vt qui in vrbe remanserant mœsti de tribunis graviter conquererentur, quorum culpa simili felicitate se fraudatos putabant. Geganius igitur & Minucius, huius anni consules, qui magnis ac variis tempestatibus iactati fuerunt, & qui sæpius Rempublicam pene subuerterunt, tamen ei nullam grauiorem calamitatem attulerunt. sed in ipsis fortunæ casibus maiore prudentia quam felicitate vsi, eam seruarunt.

3 ¶ Hos sequuti sunt conss. M. Minucius Augurinus, & A. Sempronius Atratinus iterum eundem magistratum adepti, viri & rei militaris & dicendi periti qui prouidè magnam adhibuerunt diligentiam, vt frumento & alio commeatu vrbem replerent, quòd in annonæ vtilitate populi concordia sita esset, Verumtamen non contigit illis vt hoc vtrunque simul possent consequi sed vna cum ipsa bonorum satietate, eorum etiam qui illis erant vsuri, petulantia in Rempublicam est ingressa. Et quo tempore hoc minimè expectabatur, tunc denuò populus Romanus in maximum periculum incurrit. Nam & legati ad frumentum coemendum ab ipsis missi ex maritimis & mediterraneis emporiis coemptum frumentum in horrea publica aduexerunt: & ipsi frumentarij mercatores, qui commeatus in vrbem ferre solebant, vndique confluxerunt, quorum merces ciuitas ære publico emptas accuratè reseruabat. Geganius etiam & Valerius, legati in Siciliam antea missi, redierunt cum multis onerariis nauibus, in quibus

adueheb.antur frumenti quinquagies mille modij Siculi, quorum dimidium vili admodum pretio emerant, reliquum verò tyrannus dono miserat, suisque sumptibus aduehendum curarat. Vbi verò nuntiatum est in vrbe, naues frumento onustas ex Sicilia redire, diu inter patricios agitatum est quonam modo eo vtendum esset. Nam qui inter illos æquissimi plebisque amantissimi erant, considerantes in quantis necessitatibus Respublica versaretur, donum tyranni plebeiis diuidendum censebant frumentumque ære publico emptum paruo pretio illis vendendum, docentes his potissimùm beneficiis pauperes delinitos, diuitibus æquiores sese præbituros: atqui arrogantiores & dominatus paucorum fautores erant, omni studio & quauis ratione plebem premendam censebant, & suadebant vt patricij quàm possent charissimè commeatus plebeis venderent, vt necessitate coacti fierent modestiores, & iuris ac reliquarum ciuilium legum obseruãtiores. In numero eorum qui paucorum dominatui fauebant, erat & ille Marcius, Coriolanus cognomine, qui non (vt reliqui) clàm & cautè sua n sententiam dixit sed apertè & audacter, ita vt vel multi de plebe eam audirẽt. Nam præter publicas criminationes, quandam etiam priuatam ac nouam causam habebat, ob quam plebeios meritò odisse videbatur, illam videlicet iniuriam recèns acceptam. Proximis enim comitiis illi consulatum petenti, & patricios suffragantes habenti plebs aduersata magistratum illum dari non est passa, quòd illius viri claritatem & audaciam suspectam haberet, ne fortè propterea aliquid rerum nouarum moliretur, & tribunitiam potestatem euerteret: præcipuè verò quòd timeret patriciorum multitudinem, quæ nulli candidato

candidato tanta animi alacritate vnquam antè fuerat, quantã erga ipsum tunc demonstrarat. Ille igitur ob hanc contumeliam ira percitus, & mutatam Reipublicæ formam, in pristinum statum restituere cupiens, & ipse, vt ante dixi, apertè plebẽ oppugnabat, eiusque potentiã euertere studebat, aliósque ad idem faciendum impellebat. Iámque circa se habebat validam sodalitatem nobilium iuuenum, quorum maximus erat census: & multos clientes, quos militiæ commoda illi conciliarant: quibus elatus ferociebat, & illustris erat, & ad maximam claritatem proiectus fuerat: veruntamen non propterea felicem rerum exitum habuit. Nam quum hac de causa senatus coactus fuisset, & natu maximi, vt fert ipsorum mos, primi sententias suas dixissent, inter quos pauci quidam fuerunt, qui apertè contrarias plebi sententias dicerent, vbi ad iuniores ordine ventum est, ille petita à cõsule venia & facultate dicendi quæcunque vellet, omnibus alacriter annuentibus, & attentas aures ei præbẽtibus, talem concionem contra plebem habuit. {NON necessitate inopiáve coactã plebem, patres conscripti, sed praua spe elatam secessisse, quòd vestrum optimatum statum à se euersum iri speraret, séque rerum omnium ad Reipublicæ gubernacula pertinentium dominam fore putaret, existimo vos fermè omnes cognouisse ex pacis conditionibus, quas adeò iniquas videtis. Quandoquidem non satis illi fuit fidem è contractibus tollere, & leges de his latas abrogare, & in his saltem acquiescere: sed nouum etiam magistratum constituit vt consulatum tolleret, eúmque lege lata sacrosanctum fecit, & nunc iis recenti plebiscito per vestram imprudentiam, patres conscripti, tyrannica potestate est firmatus. Quum

enim tribuni plebis hac maxima potestate præditi speciosam causam prætendant, se videlicet hanc potestatem adeptos esse vt plebeis iniuriam patientibus opem ferant, & tamen hac potestate abutentes agant & ferant quicquid ipsis placet, & nullus sit qui eorum iniurias prohibeat, non priuatus non magistratus, metu legis quæ vobis & dicendi & faciendi libertatem eripit, & pœnam mortis minatur, liberam vocem emittentibus, quódnam aliud nomen huic potestati decebat imponi ab iis qui sanam mentem habent quàm illud tyrannidis, quod verum est vel omnium vestrum confessione? quid enim refert vtrum vnius viri, an totius plebis tyrannidem feramus? Effectus enim vtriusque idem est. Optimum igitur fuisset si ne semina quidem huius potestatis iaci permisissetis: sed quidnis potius pertulissetis, quemadmodum præstantissimus Appius hæc mala multò antè prospiciens, faciendum censebat. Quod quia antè non est factum, nunc saltem oporteret nos omnes vno consensu hanc radicitus euulsam è Republica eiicere, donec adhuc est infirma & expugnatu facilis: neque verò patres conscripti, hoc nobis primis aut solis contigit: sed & multis aliis, idque iam sæpius, qui per inconsideratiam ad necessitates adacti, quòd in rebus maximi momenti ab optima sententia aberrassent, nec mali principiis obstitissent, postea eius incrementa impedire atque ipsum malum penitus tollere sunt conati. Quamuis autem pœnitentia eorumqui serò sapere incipiunt, non sit conferenda cum prouidentia, tamen constat eam alio modo illa non esse inferiorem, quia delet id quod initio ignorabatur, dum impedit ne res ad finem perducatur. Quòd si qui vestrum mol-

stè

molestè ferunt grauem plebis insolentiam, & compescẽdam putant, ne peccandi licentia vlterius progrediatur, sed tamen metu, ac religione quadam tenentur, ne priores à conuentis discedere, & fœdus violare videantur sciant isti se dum hoc facient, non illaturos iniuriã, sed illatã repulsuros, nec violaturos pacta sed eorũ violatores vlturos. Seque apud deos in nulla culpa ideò futuros, & piè ac iustè suis commodis cõsulturos. Hoc aũt magnum sit vobis argumentũ non à vobis prioribus cõpositionis & fœderis conditionis violatas, sed à plebe, q̃ nolit stare cõditionibus quibus reditum impetrauit. Nõ enim vt maleficio senatũ afficeret, sed ne ab illo afficere tur, tribunitiam potestatem petyt. Iam verò ea vtitur non ad quæ vti debet neque ad quæ inuenta est: sed ad corruptelam & confusionem patrij reipublicæ status. Nam certè meministis concionis nuper habitæ, & eorum quæ à tribunis ibi dicta fuerunt, quantam arrogãtiam, quantam petulantiam ostenderint: & nunc videtis quam efferantur insani homines vbi cognouerũt totã reip. potentiã in suffragiis positã esse, quã facilè obtinebunt, quòd numero nos vincant. Quid igitur nobis faciẽ dũ restat, quando ipsi priores & fœdera & iura violarunt, nisi vt iniuriã illatam propulsemus, & quæ ad hãc vsque diem iniustè habent, ea illis iure adimamus, & in posterum hanc rerum maiorum cupiditatem compescamus? diis gratiam habentes, quod non passi fuerint eos maiorẽ autoritatẽ ac potẽtiam in rep. adeptos, in cæteris rebus modestè se gerere, sed illis iniecerint hanc impudentiã & effrænatã rerũ cupiditatẽ, vt ea vos coacti, & res amissas recuperare, & reliquas diligenter, vt decet, custodire conemini. Nec alia melior occasio, quàm ista,

vobis sese offeret (si modò nūc tādē sapere incipitis) quādo maxima eorum pars fame est confecta, & reliqua ob inopiā huic malo diutius resistere non poterit, si paucos & caros habuerit commeatus. Qui n. improbissimi sunt, & qui nunquam optimatū dominatu lætantur, illi vrbē deserent, qui verò sunt æquiores ac modestiores, illi se modestē gerent, & nullam molestiam vobis amplius exhibere cogentur. Annonam igitur dil. genter seruate, & nihil de rerum venalium pretio remittite, sed quanto maximo pretio vnquam antè venditæ fuerunt: tanti nūc quoque eas vendi vestro decreto iubete. iustas habentes causas, & rationes probabiles ingratæ plebis accusationem quasi hæc annonæ caritas, & inopia à vobis in vrbem fuerit inducta, quæ ob illorum secessionem accidit, & ob agri vastationem, quem tanquam hostilem sunt populati, & ob pecunias ex ærario depromptas, datásq; iis qui ad frumentum coëmendum missi sunt, & multas alias iniurias ab illis accepistis, ob quas hoc facere iure potestis, vt nunc tandem intelligamus quodnam sit malū illud quo nos sunt affecturi, nisi omnia ab plebis voluntatem & libidinem fecerimus, quem admodum isti concionatores qui eorum aurem captant, nos territantes dixerunt. quòd si passi fueritis hanc quoque occasionem ex vestris manibus elabi, sæpe aliam similem nanciscī optabitis. Et si plebs hoc resciuerit, vos in animo habuisse suam potestatem euertere, sed incæpto destitisse, multò grauius vobis instabit: quia voluntatem vestram pro hostili habebit, vestrámque timiditatem virili imbecillitatē iudicabit. ¶ Hac concione à Marcio habita, inter patres sententijs variatum est, & ingens tumultus inter eos est exortus. Nam qui ab initio plebi aduersabantur, & pa-

pacem inuiti fecerant, in quo numero iuuentus penè tota erat, & è senioribus ditissimi & ambitiosissimi quiq; rē eā grauiter ferentes, laudabant hominem vt generosum, & patriæ amantem, & optima reip. consilia dantē. At qui propensiores erant in plebem, & qui ea ingenia & diuitias haud vltra quàm par est æstimabāt, quique nihil magis necessariū q. ā ipsam pacē ducebant, illius oratione molestè ferebant, neq. eius sententiā probabant. Et censebant non vi sed mansuetudine humilioris fortunæ homines vincendos, neq. indecoram, sed necessariā existimandam esse moderationem, præsertim verò si animo beneuolo ea vtamur erga ciues qui nobiscū viuūt, eiusq. consilium insaniam non aūt dicendi licentiam aut libertatē esse dicebant. Hæc tamen pars quòd parua & debilis esset, cedere cogebatur vi numeróque potentioribus. Hæc videntes tribuni (aderant enim in senatu à cons. vocati) vociferabantur & fremebant & Marciū reip. pestē perniciémq. appellabant, qui plebi malediceret: & nisi eum qui ciuile bellū in remp. inducebat, patricij cōhiberent, eū vel morte vel exilio mulctantes ipsi se id facturos minabantur. Quū autē ob hæc tribunorum verba longè maior tumultus exortus esset, præcipuè verò ex inimicis minas illas indignè ferentibus, Marcius his fretus & elatus, arrogātius iā & audacius in ipsos tribunos inuehebatur. {Nisi, inquiebat, desieritis rēp. perturbare, & vestris concionibus inopem turbam concitare, non amplius verbis sed factis vobiscum contēdam}. Exacerbato autem senatu, quum tribuni cognouissent maiorem esse numerum eorum qui datam populo potestatem admere vellent, quàm eorum qui pacis conditionibus standum censerent, sese ex curia vociferantes, & deos fœde-

rum testes implorantes proripuerunt: postea plebe ad concionem conuocata, indicarũt ei quid in senatu Marcius dixisset, eiq. vt ad causam dicendã veniret diẽ dixerunt: quos quũ ille contẽneret, atque adeò eorum ministros, à quibus citabatur, contumelijs verbis repelleret, ob eã rem multò magis indignati tribuni, assumptis tum ipsis ædilibus, tum multis aliis ciuibus, impetum in eum fecerunt. at ille adhuc pro curia stabat, multis patriciis stipatus, & reliquam sodalitatem circa se habẽs. Quem quum conspexissent tribuni, ædilibus imperarunt vt manibus iniectis eum comprehenderent, & nisi sponte sequi vellet, eũ vi adducerent. Tunc aũt ædiles erant L. Iunius Brutus, & Sp. Icilius Ruga, qui accesserunt vt eũ cõprehenderent. At patricij hoc facinus nimiũ audax ac intolerandũ rati, aliquẽ sui ordinis à tribunis ante causæ dictionẽ vi abripi, pro Marcio se illis opposuerũt, vt eũ tutarẽtur, & obuios quosq; qui accessissent cædentes repulerunt. Cuius facinoris rumore iã per totã vrbẽ vulgato, oẽs ex ædibus prosiliebant, ac ij quidẽ qui in aliqua dignitate, & bene numati erãt, vt Marcium adiuuãtibus patriciis protegerẽt, & pristinum reip. statum recuperarent. Qui verò humili fortuna erant, & victus inopia laborabant, vt tribunos defenderẽt, parati facere quicquid illis imperasset. omneq; verecundiã, qua hactenus retẽti à mutuis iniurijs abstinuerãt, tũc sustulerunt. Veruntamẽ eo die nihil atrocius commiserunt, sed rẽ in sequẽtem diẽ distulerũt, sententia & precib. cõsulũ victi. Postero die tribuni in forũ primi descenderunt, & plebẽ ad cõcionẽ cõuocarũt, & per vices progressi grauiter patricios accusarũt, quòd fidẽ pactorũ fefellissent, & iusiurandũ fœderis violassent, quod cũ plebe fecerãt, ea cõditione

tione vt omnis præteritarũ iniuriarũ memoria deponeretur: & argumenta attulerũt quibus eos cũ plebe nõ sincerè reconciliatos esse probarũt, tũ ipsam frumenti inopiã, cuius ipsi autores erant, tũ vtranq. coloniam deductã, tũ quicquid præterea ad minuendam plebis multitudinem moliti fuerant. Et in ipsum Marcium longa oratione inuecti sunt, eiusq. verba in senatu facta narrarunt: & addiderũt eũ à plebe ad causam dicendam citatum, nõ solùm noluisse venire, sed etiam ædiles ad ipsum missos pulsasse & abegisse. Et citarunt testes eorum quidẽ quæ in senatu fuerant dicta, honoratissimos quosque illius ordinis: iniuriæ verò ædilibus factæ, omnes plebeios qui tũc in foro aderant. His dictis fecerũt patriciis (si vellent) dicendæ causæ, suique purgandi copiam, plebem in comitio detinentes, donec senatus dimitteretur. Nã de his ipsis rebus in curia patres consultabant, dubitãtes vtrũ apud plebẽ ad crimina sibi obiecta respõdendũ an quiescendũ esset. Deinde, quũ maior eorũ pars in ea esset sententia, vt humanitatẽ superbiæ anteponendã cẽseret, cõsules dimisso senatu in comitiũ processerũt vt & publica crimina diluerẽt, & plebem rogarẽt ne quid grauius in Marcium statueret. Et Minucius consul natu maior, progressus talem habuit concionem.

¶ QVOD AD frumẽti inopiã attinet, Quirites, paucissimis verbis nos purgabimus, neq. alios nostræ orationis testes, quàm vos ipsos producemus. Nã & frugũ sterilitatẽ ob intermissã sationẽ accidisse vos ipsi scitis, nec oportet vos ex aliis cognoscere quænã fuerit agri vastatio, & quæ eius causa, quóve modo acciderit vt postremò maxima, eáq. optima agri pars laboraret inopia omniũ frugum & mancipiorũ, & pecoris, partim quòd hostes agrum populati fuerint partim quòd ipse ager tan-

tæ vestræ multitudini, quæ nulla alia alimenta aliũde habeb t, victum suppeditare non possit. Quapropter famis causas non eas, quas isti tribuni per calumniam afferunt, sed quas vos ipsi scitis, existimantes fuisse, desinite hanc calamitatem nostris infidiis ascribere, & nobis innocentibus irasci. Cæterùm, colonias necessitas coegit deduci, idque de communi omnium vestrum sententia, vt essent præsidio locus ad bellum opportunus. Hæ verò duriſsimis reipublicæ temporibus deductæ, tum ipsis qui in colonias emissi sunt, tum vobis, qui remansistis, vtilde profuerunt. nam illi rerum ad victum necessariarum vberiorem ibi copiam habent: & qui hic remanserunt, minore amonæ penuria laborant: & exæquatio fortunæ, cuius nos patricij cũ plebeijs participes sumus, quòd sorte delectos in colonias emiserimus, vituperanda non est. Cur igitur concionatores isti nobis dant crimini ea quorum æquè vobiscum eandem sententiam & fortunam habemus siue ea sint mala, vt isti aiunt, siue bona, vt nos existimamus? Nam & crimina quæ nobis in senatu nuper habito obiecerunt, nolle nos moderata statuere rerum venalium pretia, & conari per insidias tribunitiam potestatem tollere, & iniuriam secessionis vestræ in memoriam reuocare, & quauis ratione plebem afflictam cupere, & omnia istius modi crimina breui re ipsa diluemus, nullo maleficio vos afficientes, & tribunitiam potestatem ijsdem conditionibus, quas tunc vobis concessimus, nunc quoque confirmantes, & frumentum prout vobis omnibus visum fuerit, vendentes. Expectate igitur, & si quid horum non præstetur, tunc demum nos accusate. Quòd si velletis accuratius hanc cõtrouersiam examinare, certè nos patricij iustius plebem ac-

accusaremus quàm vos senatum criminari possitis. Vos enim Quirites, iniuriam nobis factis, neque molestè seratis dum hæc auditis. Siquidem non expectato nostrorũ consiliorum exitu, vt quæ nã sint cognitu scatis, tã ea accusare vultis. Atqui quis nescit facillimũ fore cuilibet concordiam turbare, & e ciuitate tollere, hæc criminando fidẽ quæ adhuc pẽdet, & quæ incerta est, non prohibere à nobis maleficiũ: sed esse speciosam causam, qua in officio contineamur, & à mutuis iniuriis nobis tẽperemus? Neque verò soli vestri duces & patroni ob crimina & calumnias quibus senatũ impetunt, obiurgatione sunt digni sed etiam vos ipsi nõ minus, quia fidem illis temere habetis, & nondũ quidquã experti indignamini. Oportebat enim vos si quas in posterũ timebatis iniurias, ita quoq; in illa tẽpora reseruare. At certè nunc constat vos celerius quàm prudentius rebus vestris cõsuluisse, & vestræ salutis spẽ in maleficiis collocare. Atq. quòd attinet ad publicas iniurias, ob quas tribuni totum senatũ falsò accusarunt, hæc quæ à me sunt dicta sufficere arbitror. Sed quia vnũ quemq. nostrũ calumniatur ob sententias in senatu à nobis dictas, & nos vt reip. dissidiorum autores accusant, & nunc C. Marcium virũ patriæ amãtem, & libere de rep. loquutũ necare, aut patria expulsum exilio mulctare cupiũt, volo hac quoq de re id quod æquum est apud vos dicere. Vos verò considerate animo destè & verè sim loquuturus. Vos, Quirites, quando rediistis in gratiam cum senatu satis vobis fore putabatis, si vestro ære alieno liberarentini, & in auxiliũ pauperum, qui vim paterentur, vt magistratus de vestro ordine creare vobis liceret petiistis, & hoc vtrumque impetrastis: ita vt nobis magnã gratiam haberetis. Sed nõ

petiistis vt vobis consulatū tollere, aut senatui reipub. administrationē adimere, aut ipsū ordinē patriū reip. status peruertere liceret, neq. etiā hoc petituri estis. Quid igitur vobis accidit vt nūc hæc omnia cōfund. re conemini? aut quo iure freti honoribus nostris nos priuare cupitis? Si enim vestris minus senatores a sententiis liberē, prout sentiūt, dicēdis deterrueritis, quid æqui à vestris magistratibus expectandū est? aut qua lege vel capitali supplicio, aut exilio aliquos patricij ordinis illis mulctare poterunt? Nā nec veteres leges dāt vobis hāc potestatē, nec nouæ conditiones fœderis cū senatu facti. Legū verò præscriptā trāsgredi & vim iure potiorē facere, certè hoc nō est amplius populare, sed (si veritatē audire vultis) tyrānicū. Ego igitur vobis autor esse vt beneficia, quæ senatus benignitate impetratis, retineatis. Quæ verò tibi minimè postulastis quando in gratiam cū senatu rediistis, ne nunc quidem vobis vendicetis. Sed vt melius intelligatis vestros tribunos nihil moderati, nihil æqui postulare, sed iniqua. & quæ fieri nequeunt, cupere, rem ad vosipsos transfatam perinde ac si vestrum negotiū esset considerate, & fingite à senat. orib. magistratus vestros accusari, quòd senatui maledicant, & patriū statū, quo resp. ab optimatibus regebatur, euertant, & seditiones in ciuitate concitent (quæ omnia sanè vera sunt: hæc enim faciunt) &, quod omnium est grauissimum, potestatem maiorē quàm sit ipsis concessa, sibi vsurpent, dum quemlibet nostri ordinis indicta causa interpcere conantur: fingite etiam senatum dicere eos qui hæc faciunt impune occidendos. Quōnam modo hāc senatus arrogantiam ferretis? Quidnā diceretis? Nōnne indignaremini, & atrocem iniuriam vos pati dice-

retis,

retis, siquis & liberè loquendi licentiam, & ipsam libertatem vobis adimeret, proposito capitis periculo liberam vocem pro plebe emittere audentibus? Hæc negare non potestis. Et quæ vos ipsi ferre nolletis, æquum esse putatis alios ea ferre? Hæccine sunt, Quiritos, illa ciuilia & moderata vestra consilia? Nónne hoc pacto crimina quæ verbis obiiciuntur vera esse confirmatis? Nónne vos ipsi declaratis eos, qui suadent ne hanc vestram iniquam potentiam crescere sinamus, bene ac iustè reipu. consulere? Hoc certè facere mihi videmini. Quod si contra quàm insimulamini facere vultis, me autore modesti sitis: & si qua in re vobis nostris offendimini, hoc ciuiliter nō aūt iracūdè feratis. Hoc enim modo & vos ipsi opinionē virorū bonorū lucrifacietis, & inimicos vestros ad pœnitentiā adducetis. Quum igitur reddita sit vobis ratio (nostro saltē iudicio) iustissima, suademus ne quid præter officiū faciatis. Licet aūt beneficia humaniter in vos collata, præter vetera, hæc quoq. in vestro reditu nuper data (quorū nos quidē obliuisci volumus, sed tamē æquū est vos esse memores) vobis exprobrare nolimus. Sed tantum vos æquiores erga nos reddere velimus, eorū tamē nūc mentionē facere cogimur, illud petentes, vt pro multis & magnis beneficiis, quæ vobis rogantibus largiti sumus, hanc vnā gratiam nobis rependatis, vt neque interficiatis, neque vrbe expellatis virum patriæ amantem, & rebus bellicis longè omniū præstantissimum. Nam non paruā iacturā facietis, persuasum illud habeatis, Quirites, si rēp. tali virtute fraudauerimus. Æquissimū igitur est vt illius potissimū cā, memores quot de vobis in bellis seruati salutem ei debeant, hanc iram remittatis, neq. prauæ eius verba

sed egregia facinora in memoriam reuocatis. Illius enim verba nihil vobis obfuerũt, at eius egregia facinora multùm vobis profuerunt. Quòd si huiusmodi infensi estis, vt cũ eo in gratiã redire nolitis, saltẽ nostris & senatus precibus eũ condonate, & tandẽ aliquando in firmã & stabilem gratiam vobiscũ redite, ac ciuitati pristinã vnitatẽ reddite. Quòd si nobis suadẽtibus non cesseritis scitote nos quoque violentiæ vestræ minimè cessuros: sed vbi plebis voluntatẽ experti fuerimus, hanc vel sinceræ amicitiæ, & multò maioris gratiæ causam omnibus fore, vel denuò belli ciuilis, & grauissimorum malorum initiũ. Quum igitur Minucius in hunc modum disseruisset, tribuni videntes hac illius modesta oratione, & humanis pollicitationibus plebem flecti, id ægrè moleste ferebant, sed præcipuè C. Sicinnius Bellutus, qui pauperib. autor fuerat vt à patriciis secessionem facerent, & qui dux ab ipsis creatus, quandiu in armis fuerunt, vir infensissimus optimatibus fuerat, & propterea à ciuibus suis ad claritatem promotus, tribunitium hanc potestatẽ iam iterum adeptus fuerat, minimè omnium collegarum ciuitatis concordiã & pristini reip. status recuperationẽ sibi expedire ducebat. Tantum enim aberat vt honores & potestatem eandem se adhuc habiturum speraret, si resp. ab optimatibus gubernaretur, quòd ipse esset homo improbus & obscuris natalibus, & qui nullum egregium facinus aut militiæ aut domi pacis tempore edidisset, vt etiam se in summum periculum capitis venturum putaret, quòd seditionem in ciuitate concitasset, & multarum eius calamitatum autor fuisset. Hic igitur meditatus, & quid dicendum, & quid agendum esset, & consilio cum collegis communicato, vbi eos secum consentire cognouit,

uit, surrexit, & pauca quædam de plebis miseriis cum lamentatione præfatus, consules laudauit, quòd dignati essent plebi eius humilitatem non aspernati, rationem reddere: patriciis quoque magnam se habere gratiam dixit, quòd tandem aliquando de inopum salute solicitis esse inciperent: adiecit præterea se multò facilius cum cæteris tectum futurum, si dictis facta responderent. His dictis quum iam videretur mitior, & ad reconciliationem propensior, conuersus ad Marcium consulibus astanti, Tu verò inquit, ô generose vir, cur hic apud ciues tuos non purgas te de iis quæ in senatu dixisti? Imò verò cur non supplicite eos oras, iramque deprecaris, vt mulctam leuiorem tibi irrogent? Neque enim autor tibi fuerim vt in iudicium ea quorum tot viri testes sunt, neque vt ad impudentem dissimulationem confugias, quum sis Marcius, & maiores geras spiritus quàm priuatum hominem deceat, nisi forte consulibus quidem & patriciis decorum est pro tenui cum plebe agere & eam exorare, te verò idem tua ipsius causa facere dedecet. Hæc autem dicebat quia persuasum habebat, virum illum magnanimum nunquam adductum iri vt se ipse accusaret, &, quasi deliquisset, peteret vt pœna liberaretur, sibique mulcta remitteretur, neque ad lamentationes, aut preces præter morem suum sese conuersurum, sed certè aut omnino causam dicere recusaturum, aut pro innata arrogantia quam retinebat sine omni modestia, blanditiisque ad plebem verba facturum. Id quod accidit. Facto enim silentio, & fere omnibus plebeis ad absoluendum hominem propensis, si tempori præsenti inseruire voluisset, sua oratione tantam arrogantiam demonstrauit, & eos adeò contempsit, vt in medium progressus, nihil eorum inficiaretur quæ contra plebem in

senatu dixerat, nec vllam horum præ se ferens pœnitentiam, ad misericordiam & veniam petendam se conuerteret. Quinetiam initio ne iudicio quidem eorum se vlla in re submittere volebat, quasi illi legitimam iudicandi potestatem non haberent. Quòd si quis apud consules (apud quos id legitime fieri poterat) se reum agere & vel factorum vel dictorum rationes à se exigere vellet, paratum se aiebat ad causam dicendam. Quòd verò à plebeiis vocatus fuisset ipse ad ipsos prodiisse dicebat, partim vt reprehenderet ipsorum scelera, & iniquas plurus habendi cupiditates, in quas eruperant, & secessionis tempore, & post ipsum reditum: partim vt suaderet illis vt tandem aliquando cohiberent ac refrænarent suas iniquas cupiditates. Post hæc acriter admodum & audacter in omnes inuectus est, & præcipuè in ipsos tribunos. Inerat autem in eius verbis non vt alicuius ciuis plebem admonentis reuerens a, probabili ratione nixa, nec vt priuati hominis plebi odiosi & verba facientis ad potentiores sibi infensos, modesta cautio: sed tanquam hostis insultantis intrepidè suæ potestati obnoxiis, impotens quædam ira & grauis contemptio hominum iniuria affectorum. Quapropter eo adhuc loquente, inter illos ingens tumultus est exortus aliis in hanc, aliis in illam partem crebrò inclinantibus, quemadmodum in diuersarum gentium multitudine solet accidere: nec eadem erat omnium voluntas, quoniam illius oratio aliis quidem iucunda erat, aliis verò iniucunda. Quum autem finem dicendi fecisset clamor & tumultus longè maior est exortus. Nam patricij præstantissimum virum appellantes, eum laudabant quòd tam liberè loqueretur, & solum omnium liberum esse affirmabant, qui nec inimicorum impetum in

se

se facientium turbam formidasset, nec ciuium iniquos ac superbos conatus blanditiis delinire voluisset. Plebeij verò ægrè ferentes eius conuicia cum exprobratione coniũcta grauem & acerbum hostiumque omnium sibi infensissimũ eum appellabant. & multi iam parati erant (quibus id factu perfacile erat) facto impetu ex tempore eũ, vt iure belli, interficere. Illisque patrocinabantur, eósque iuuabant tribuni, præcipuè verò Sicinnius eos ad id maximè instigabat. Tandem autem quum multis in hominem inuectus fuisset, & iram plebeiorum accendisset, grauem iram spirans, accusationem suam hac sententia clausit, capitali supplicio à tribunorũ collegio eum damnari, ob factam ædilibus iniuriam, quos pridie iussos à se eum ducere, pulsatos abegisset. Nam contumeliosam illã iniuriam suis ministris factam in nullos alios, quàm in eos qui id iusserant, recidere. His dictis, iussit eum ad imminentem fori collem duci: hic autẽ locus est vasta rupe horrendus, vnde capite damnatos deiicere solebant: ædiles igitur accesserunt, vt eum comprehenderent. At patricij ingenti clamore sublato conglobati in petũ in eos fecerũt, & postea plebs in patricios & nulla amplius modestia in factis seruabatur, & vtrique contumeliosissimis verbis se mutuò petebant, seque inuicem pellebant, nec à manibus sibi temperabant. Illi tamen qui motus istos excitabant, cœpto destiterunt, & sapere coacti sunt à consulibus qui in medios irruperunt, & lictoribus imperarunt vt turbam summouerent. Tanta erat huius magistratus apud illius ætatis homines reuerentia, & tãtum honoris regiæ potestatis dignitati tribuebatur. Quibus rebus Sicinnius anxius & perturbatus, quòd valde metueret ne cogeret aduersarios vim vi repellere, quũ cœptis nollet desistere,

quando semel rem aggressus erat, nec tamen in sua sententia permanere posset, multum secũ ipse cogitabat quid faciendum esset. Quem quum consilij inopem animaduertisset L. Iunius Brutus, popularis illi concionator ac tribunus plebis, qui pacis conditiones excogitarat, vir acer cùm alijs in rebus tum in expediendis difficultatibus solus cum solo egit, monuitque ne pertinacius contenderet, vtque desisteret ab eo feruenti ac iniquo conatu, quum videret omnes patricios irritatos, & omnes paratos si à cõsulibus vocarentur arma capere: plebis verò firmissimam partem animo dubio esse, nec libenter pati nobilissimum ciuẽ ad supplicium rapi, idque indemnatum, eique suasit vt tunc quidẽ cederet, néve cũ consulibus pugnaret, ne quod grauius malum patraret: sed homini diem diceret, tempore quantumcunque voluisset statuto, quo ad causam dicendam veniret, & de eo ciues tributim mitteret in suffragia, & quòd plurium suffragijs statutum fuisset, id faceret. Tyrannicum enim & violentum id esse dicebat, quod tunc facere conabatur, quòd scilicet idem & accusator & iudex & pœnæ moderator arbitérque summus esset: ciuile verò esse vt reus ex legibus facta ei dicendæ causæ potestate, quod pluribus iudicibus visum esset id pateretur. His paruit Sicinnius quòd nullum melius consilium videret, & progressus, {Videtis (inquit) Quirites, studium quo patricij ad cædes & violentiam feruntur, siquidem vnum hominem superbum, & qui toti reip fecit iniuriam, vobis omnibus anteponunt. Sed tamen non decet nos esse eorũ similes, nec oportet nos aut bellum inferentes, aut illatum propulsantes, in nostram perniciem vuere præcipites. Sed quoniam nonnulli speciosam prætendunt causam, legem, cuius propugnatores ionte supplicio

plicio eripiunt, quòd ea nullum ciuẽ Rom. indemnatũ occidi sinat hoc ius illis concedamus, quanuis ipsi nobiscũ neq; legibus, neque iure agant. Et ostẽdamus nos malle, cines à quibus iniuria afficimur, clementia quàm violentia superare. Vos igitur abite, & tempus quod breui aderit, expectate. Nos verò interim res vrgẽtes curabimus, & præstituto tẽpore huic homini, vt ad dicẽdã causam veniat, diẽ dicemus, causaq; cognitionẽ vestro iudicio permittemus, vt vos ipsi hac de re sentẽtiã feratis. Vbi verò ex lege in suffragia missi penes vos ea habueritis, tunc illi mulctam, qua cum digni esse comperietis irrogate. Atque hac quidem de re hæc sint satis. Quod autem attinet ad frumenti venditionem & dispensationem, vt hoc quàm iustissimè fiat, nisi hoc consulibus senatuique curæ fuerit, nos ipsi huius rei curam suscipiemus vt ei prospiciamus. ¶ Hæc loquutus concionem dimisit.

5 ¶ Post hæc consules coacto senatu, per otium consultabant quánam ratione præsens tumultus sedari posset. Et placuit ipsis primùm quidem magna annonæ pretiique vtilitate plebem delinire, deinde verò eius magistratibus persuadere vt in senatus gratiam cœpto desisterent, neue Marcium in populi iudicium adducerent. Quòd si hoc illis persuadere non possent, saltem in quàm longissimum tempus rem differrent, donec ira plebis langueſcens in dies concideret. His decretis senatusconsultum de annona promulgarunt, & omnibus approbantibus ratum id fecerunt. Erat autẽ in hanc sententiã factum, pretia rerum venalium ad quotidianum victũ pertinentium non maiora esse quàm quæ minima ante ciuilem seditionem fuissent. A tribunis verò multis precibus quum remissionem integram impetrare non potuis-

sent, dilationem iudicij impetrarunt quantam petierunt, eámque mox ipsi etiam prorogarunt, his artibus & hac occasione usi. Legatos ex Sicilia à tyranno missos, & qui frumentum populo Rom dono datum aduexerant, domum redeuntes, Antiates missa piratarum manu interceperunt, ipsorúmque naues in suos portus deduxerunt, à quibus illæ non longè aberant anchoris iactis in salo stantes: & eorum pecunias vt hostium diripuerunt. & ipsos in carcerem coniectos custodiebant. Consules his rebus cognitis expeditionem in Antiates decreuerunt. quòd missa ad eos legatione, nihil quòd æquum esset facere vellent habitóque iuniorum delectu ex vtroque ordine, militem eduxerunt. facto senatusconsulto vt omnia tam priuata quàm publica iudicia suspenderentur quandiu in armis forent. Hoc autem tempus non quantum ipsi sperarant, sed multò breuius fuit. Nam vbi Antiates cognouerunt Romanos totis viribus ex finibus suis egressos, ne vel minimum quidem temporis spatium ipsis restiterunt: sed eos precari & supplicíter orare cœperunt, & ipsa Siculorum corpora & pecunias restituerunt: quare, Romani vrbem repetere coacti sunt. Dimisso autem exercitu, Sicinius tribunus, plebe ad concionem coacta Marcio diem dixit, qua die eius causæ iudicium faciendum erat. Rogabátque non solum eos qui in vrbe erant, vt frequentes ad illius causæ cognitionem ac iudicij venirent sed etiam illos qui in agris degebant, vt intermisso opere ad eandem diem præsto essent: quòd pro libertate & salute totius reipublicæ suffragia ipsis essent ferenda. Denuntiauit etiã Marcio vt ad causam dicendã veniret, pollicitus fore vt nullius rei legitimæ ac iustæ in iudicijs repulsam pateretur. Consulibus verò post consultationem cum patribus habitam,

bitam plebis arbitrio tantam potestatem minimè permittere placuit. Iustam autem & legitimam eius inhibendæ rationem inuenerunt, qua omnia aduersariorum consilia à se dissipatum iri putabant. Postea tribunos plebis vnà cum eorum necessariis ad colloquium vocarunt, & Minucius in hunc modum est loquutus. {Nobis, tribum seditio ex vrbe totis viribus tollenda nec cum plebe pertinacius vlla de re contendendum videtur: præsertim verò quum videamus vos omissa vi, iure ac verbis agere. Quam vestrã voluntatem licet laudemus, tamen senatusconsulta reip præire more patrio æquũ esse censemus. Potestis autẽ & vos ipsi esse testes, ex quo hæc vrbs à maioribus nostris est condita, semper hunc honorem senatui habitum, & nunquam plebẽ de vlla re absque præeunte senatusconsulto iudicasse, neque quidquã suis suffragijs decreuisse, non solùm nunc sed ne sub regibus quidẽ. Quæcunque enim senatui placuissent, hæc ipsa reges ad populũ referebant atque ita rata faciebant. Hoc igitur ius nolita nobis auferre, néue hunc priscum & præclarum morem tollite, sed si qua re iusta ac moderata vobis est opus, de ea senatum monete, & quod illi visum fuerit, id plebis arbitrio ac potestati permittite. } Consulibus hæc dicentibus Sicinnius eorum verba ferre non poterat, nec vllam rem in senatus arbitrio ac potestate esse volebat. At eius collegæ qui eandem, quam ille potestatem habebant, ex Lucy sententia senatusconsultum fieri permiserunt, quum & ipsi iustum quiddam antè postulassent, quod consules ipsis negare non poterant. Petierunt enim vt patres, facta dicendi copia, & ipsis tribunis causam plebis agentibus, & aliis qui vel eadem vel contraria suadere vellent, vbi quæ esset omnium consultorum

voluntas audissent, tum demum id quod iustum & è rep. illis visum fuisset pronuntiarent: vtque omnes post legitimum iusiurandum iuratum, quemadmodum in iudiciis fieri solet, sententiam suam dicerent, & quod pluribus sententiis comprobatum fuisset, id ratum esset. Quum autem consules senatusconsultum fieri permisissent, quemadmodum tribuni postulabant, tum colloquium est solutum. Postero die coactus est senatus. Quum autem consules ei indicassent quid inter se ac tribunos conuenisset, eos in senatum vocarunt, & sui aduentus causam aperire iusserunt. Tunc progressus Lucius, qui S. C fieri permiserat in hunc modum verba fecit, {NON latet vos P. C. quid euenturum sit nos, ob causas quas suspicamur, quòd huc ad vos venerimus, senatusque consultum fieri passi fuerimus, ab vno collega nostro apud plebem accusatum iri. Nam putat à vobis minimè petenda ea esse quæ nobis ipse leges dant, neque hoc ius in beneficiorum accepto rum numero ponendum, nósque non minimum subituros periculum si in iudicium adducti fuerimus, sed tanquam transfugas & proditores damnatos, ignominiosissimo supplicio affectum iri. Sed quanuis hæc probè sciremus nō dubitauimus tamen ad vos accedere iure freti, & iurisiuran do fidentes, quo iurati sententias feretis. Quanuis autem nos vles simus, nec nobis adsit ea grauitas, quæ requiritur in hominibus qui de rebus tantis verba faciunt, res tamen de quibus sumus acturi, non sunt parui momenti. Quare, attentè hæc audiatis, & si nostra postulata vobis iusta, & è republica esse videbuntur (addam etiam necessaria) vltrò nobis ea concedatis. Ac primùm de iure dicam. Vos, P. C. quo tempore nostræ societatis ope reges expulistis, eámque reip. formam, qua nunc vtimur, constituistis,

stis, quam non reprehendimus, quum videretis plebeios deteriore conditione esse in iudicijs quoties aliquid controuersiarum inter eos & patricios ortum fuisset (id quod non raro fiebat (legem sanxistis, autore altero conss. P. Valerio licere plebeijs qui vim à patricijs paterentur, ad populum prouocare: & nulla alia re adeo vt hac lege ciuitatis concordiam conseruastis, & reges reditum vi tentantes repulistis. Hac igitur lege freti, quam vobis proponimus, ob iniuriam & vim, quam nobis omnibus ab hoc C. Marcio factam aimus, eum ad populum citamus, ibique causam dicere iubemus, nec s. c. hic est opus. De quibus enim rebus nullæ extant leges latæ in illis locus est vestris s. c. & populi suffragijs. Quibus verò in rebus præsto est lex inuiolabilis, etiamsi vos nullum sic feceritis, hac lege est vtendum. Neque verò dixerit hoc quispiam, priuatos quidem homines, quibus contigerit, vt sint deteriore conditione in iudicijs & iniquo iudicio premantur, prouocationem ad populum habere, nobis verò tribunis idem iuris non esse. Huius igitur legis concessione freti, & propter ea non sine nostro periculo vestrum iudicium subituri veni us. Quod autem attinet ad illud ius naturæ non scriptum, nullisque legibus sanctum æquum esse censemus p. c. vt (in iure saltem) plebeiorum conditio neque melior neque etiam deterior sit quàm vestra, quia multa magnáque bella vobiscum gesserunt, & maxima animi alacritate in illis conficiendis operam vobis nauarunt, & præcipui autores fuerunt ne pop. Rõ. aliorum imperio pareret. sed ipse aliis id quod æquum esset imperaret. Sic autem non deteriore iuris conditione erimus p. c. si illis qui corporibus nostris & libertati iniuriam facere conantur, iudicij terrorem intentetis metú-

que pœnarum eos cohibeatis. *Magistratus sanè & principē locū in sedendo, & honores iis qui & virtute & fortuna inter vos excellunt, tribuendos putamus, verùm iniurias non pati, & si quis intulerit de eo pœnas pro meritis sumere. hæc omnibus ciuibus æquè communia esse debere censemus. Quemadmodū igitur splendore & magnificentia vobis cedimus, sic ista cōmuni iuris æquabilitate non cedimus. Atque de iure hæc sufficiant, licet & alia multa afferri possint. Quòd autem hæc quoque reip. profutura sint si fiant, quemadmodum plebs postulat, me paucis disserentem, æquis auribus audite. Eia igitur, si quis ex vobis quæreret quænā maxima calamitas, quæ ciuitatibus contingere possit, & quænam celerrimi exitij causa vobis videtur esse, nónne responderetis, discordia? Ego certè ita sentio. Quis igitur vestrum adeò est fatuus, aut ineptus, aut vltra modum iuris æquabilitatis inimicus, qui non videat data populo potestate iudicandi legitimè eas causas quarum cognitio ad eum pertinet, rempore concordem? quòd si aliter statueritis, & nobis libertatem eripueritis (libertatem enim eripietis si ius & legem tollatis) vos iterum dissidendi, & bellum vobis inferendi necessitatem nobis imposituros? Nam ex qua ciuitate, iura & leges expelluntur, in eam seditio bellúmque ingredi solet. Et qui nunquam experti sunt calamitates bellorum ciuilium, mirum non est, si nec præteritis malis offendantur, nec futura multò ante prohibeant. Qui verò, vt nos, leuissimis periculis tentati, libenter (pro vt temporis ratio postulabat) se malis liberarunt, quamnam honestam aut æquam causam hi poterunt afferre, si in easdem calamitates iterum inciderint, & ipsdem iterum conflictentur? Quis verò non damnauerit vos ma-

gnæ

gnæ amentiæ & insaniæ, cogitans vos paulò antè ne dissiderent à vobis plebeij multa præter animi vestri sententiam tulisse, quorum nonnulla fortasse neque pulcherrima neque vtilissima erant? nunc verò, quum neque in vestris facultatibus, neque in bona existimatione, neque in vlla alia re communi damnum situs accepturi, in gratiam eorum qui plebeios oderunt plebem iterum à vobis vos alienare velle? Nequaquam si sapitis hoc facietis. Lubenter autem ex vobis quærerem quidnam tunc cogitaretis quum reditum nobis, quibus voluimus conditionibus concessistis: vtrum ratione prouidentes id quod optimum erat, an necessitati cedentes? Si enim hæc maximè è republica esse credebatis, quin in eadem sententia nunc quoque manetis? sin necessaria & quæ aliter fieri non possent, cur ea iniquo fertis animo? Principiò enim fortasse (si poteratis) non oportuerat vos hæc nobis concedere: at quum concesseritis ea vobis minimè sint reprehendenda ac vituperanda, sed æqui bonique sunt consulenda. Mihi certè videmini P. C. pacis publicæ optima ratione consilióque prospexisse, cuius conditionibus necessariò vobis cedendum, vt ea, quæ inter nos pacti sumus firma ratáque seruetis. Deos enim fœderum sponsores nobis dedistis, multa & atrocia mala imprecati iis qui fœdera violassent tum ipsis, tum in sempiternum eorum posteris. Quod igitur nostra postulata sint iusta & vtilia, (quæ etiam omnino necesse est vos facere iurisurandi memores) his demonstratum est: quare, non video cur oporteat me vobis omnibus rei gnaris aures pluribus obtundere. Quod verò nostra quoque non parum interfit hoc certamen non deserere, aut vi depulsos, aut fraude deceptos: quod etiam magna necessitate coacti in hoc

venerimus grauibus imò verò grauissimis iniuriis ab hoc homine affecti audite P. C. vel potius in memoriam reuocate. Nihil enim iam dicturus quod non sit vobis omnibus notum. Simul etiam fingite nunc vestram rem agi, hoc cogitantes, siquis de nostro plebeio ordine ausus fuisset apud plebem contra vos talia dicere aut facere, qualia Marcius hic ausus est dicere, quónam animo in eum essetis? Nam pacis conditiones senatui non violandas, & propemodum adamantinis vinculis astrictas, quas neque vobis iuratis neque vestris posteris violare fas est quandiu hæc vrbs habitabitur, primus ex vobis hic Marcius violare est conatus, quadriennio nondum exacto, ex quo pax facta idque non tacitè, neque in aliquo obscuro angulo se occultans: sed palam in hoc loco vobis omnib. præsentibus pronuntiata sententia, tribunitiam potestatem haud ampliùs nobis concedendam sed tollendam: quo primo & solo libertatis præsidio freti pacem fecimus. Neque verò intra hos arrogantiæ terminos stetit, sed pauperum libertatem insolentiæ contumelioſæ, & iuris æquabilis atè tyrannidis nomine appellans, hæc nobis adimenda censuit. Et quod maximè omnium eorum quæ iste tunc facienda censuit, impium est in memoriam reuocate P. C. quum apertè dixit opportunum venisse tempus promendi omnes iras superioribus plebis crimnibus dilatas: túmque vobis suasit quando plebs incommodis esset attenuata & ità diuturna rerum ad victum necessariarum inopia laboraret, vt rem totam sibi permitteretis, annonam & res ad victum necessarias in eadem penuria & in iisdem difficultatibus retinentes. Neque enim nos diutius duraturos si magno pretio nos homines pauperes exiguũ cibum emeremus: sed alios abituros relicta vrbe, & quicunque remansissent,

remansissent, infelicissimo mortis genere perituros. Adeò autem insanus & mente captus erat, quum hæc vobis suaderet, vt ne illud quidem incommodum præter alia quæ sequuntura erant hoc ipsius consilium, quo suadebat vt senatus fœdus frangeretur, animaduertere potuerit, futurum fuisse vt pauperes quorum tantus est numerus, necessario victu priuati cogerentur cum illius calamitatis autoribus congredi, eósque omnes pro hostibus habere. Quòd si vos pari insania eius consilia rata fecissetis, nihil impedimento fuisset, quo minus aut totaplebs funditus deleretur aut omnis gens patricia extingueretur. neque enim ita mancipiorum instar præbuissemus nos partim patria pellendos, partim necandos, sed inuocatis diis genitisque nostrarum iniuriarum testibus, multis (mihi credite) cadaueribus fora & computa repleuissemus, & magnam ciuilis sanguinis craterem statuissemus, atque ita demum fatalem mortem alacriter subiissemus. Adeò impiorum facinorum, patres conscripti, hic autor nobis erat, atque de talibus rebus concionem habendam arbitrabatur. Neque verò Marcius dictis quidem seditionem in ciuitate conatus est excitare, ab iis verò faciendis, quæ dicebat, abstinuit: sed stipatus hominum globo ad quamuis operam parato vocatus, ad magistratum non venit. & nostris ministris, quum iussu nostro eum ducere vellent, plagas inflixit, & postremò ne à nostris quidem corporibus manus abstinuit. Quapropter, quòd ad hunc attinet speciosum sacrosancti magistratus nomen, ad irrisionem impositum habebimus, & tamen ne vel minimam quidem earum rerum quæ huic magistratui attribuuntur, facere poterimus. Quomodo igitur alii de iniuria sibi illata conquerentibus opitulabi-

mur, si ne ipsi quidem tuti simus? Quum igitur his iniuriis fuerimus affecti nos pauperes, ab uno solo homine nondum tyranno sed ad tyrannidem aspirante: quumque, P. C. partim res atroces iam simus perpessi, partim moxmox essemus perpessuri, ni maior vestri senatus pars Marcij conatibus impedimento fuisset, nonne P. C. meritò indignamur, & aliquod auxilium sine vestra indignatione nobis habendum putamus, hunc ad æquum & legitimum iudicium vocantibus, in quo totus populus per tribus diuisus facta rogantibus dicendi potestate, iuratus suffragia ferret? Marci eo, & quæ hic es dicturus, ea apud omnes tuos ciues congregatos tùm purgandi causa dic, siue optimo animo optimum consilium hus dedisti, siue indicasti hæc si fierent, è Rep. futura fuisse, siue putasti minimè æquum esse, vt qui hoc sententiam dicunt earum rationes alibi reddant, siue non consultò nec per insidias, sed iræ indulgens eò prouectus es, vt hæc impia consilia dares, siue quancunque aliam defensionem habes: & demitte elatos illos ac tyrannicos spiritus quos geris, modestiamque ciuilem indue, & te, ô miser, tandem aliquando aliis hominibus similem redde, sume rei deprecantis habitum humilem, miserabilem, qualem calamitates postulant, haud vim afferens iniuria affectis, sed elatos animos demittens pete salutem. Sint autem tibi exemplo modestiæ (quasi vsus fueris apud omnes tuos ciues minimè reprehenderis) horum virorum bonorum facta, qui licet tot sint numero, quot nunc vides, & tot virtutibus tam militaribus quàm ciuilibus spectati, quibus recensendis ne longum quidem tempus sufficeret, tamen nihil sæui, nihil superbi in nos vllis, neque abiectos homines, ipsi venerandi, ac

magis

magni viri statuerunt: sed etiam ipsi priores de pace no biscum egerunt, & priores ad pacem nos inuitarunt, quo tempore fortuna nos ab illis separarat, pacisque conditiones non quas sibi putabant commodissimas, sed quas nos poscebamus, concesserunt. Et postremas istas offensiones ob frumenti distributionem nuper ortas, ob quas ipsos incusabamus, maxima diligentia diluerunt. Omitto cætera. Sed pro te ipso & pro tuo diuinitus immisso furore, quas preces non adhibuerunt, & publicè apud uniuersos plebeios, & priuatim apud singulos, pœnam tuam deprecantes? & cons. & senatum tantæ urbis gubernatores decebat, Marci, ob crimina obiecta populi iudicium subire, te verò idem facere non decebit? nec turpe sibi putant hi omnes, plebem precibus solicitare pro te vt absoluaris, tu verò hoc ipsum tibi dedecori fore putas? neque his contentus es, vir generose sed quasi præclarum aliquod facinus ediderit, elatis ceruicibus, & cum magna iactatione obambulas, nec quidquam de pristina superbia remittere conaris. Omitto enim te etiam plebi conuicia dicere, quinetiam eam criminari, eique minari. Et tamen, P. C. eius superbiæ non succensetis, qui solus se rebus tantis dignum iudicat, quantis ne vos quidem omnes vos ipsos dignos iudicaretis, quem oporteret (etiãsi vos omnes pro eo bellum decernere velletis) beneuolentia vestra ac prompta voluntate contentum esse, nec accipere priuatum beneficium, quod reip. detrimentum afferat: sed potius æquo animo causam dicere, & mulctam subire, si opus fuerit, & quæuis perpeti. Hæc enim essent fa inora boni ciuis, & virtutem factis non dictis exercentis. At vis qua iste nunc vtitur, cuiusnam vitæ instituti est signum? cuius animi sunt indi-

cia, fœderis iusiurandum violare, fidem datam fallere, pacis conditiones tollere, bellum plebi inferre, magistratus ipsos insolenti iniuria afficere, & nullius facti velle rationem reddere. sed contemptis iudicijs, indicta causa, nullis vsum deprecationibus & quasi nulli ciuium, quorum tantus est numerus, sit æqualis, impauidè obambulare? nónne hæc sunt ingenij tyrannici? Mihi sanè sic videtur. Et tamen sunt quidam vestri ordinis qui ei fauent & applaudunt, in quorum animis odium in plebeios implacabile est insitum, neque intelligere possunt hoc malum in ciuitate succrescere non magis in humilioris ciuium partis, quàm in honoratioris perniciem, sed putant se in tuto fore si aduersarij, quos naturæ impulsu oderunt, supplantentur. At reuera non ita se res habet, ô imperiti homines, qui ab optima sententia aberratis, sed Marcij istius experimento docti, & temporis progressu, & externis, simul & domesticis exemplis sapientiores facti, cognoscetis, tyrannidem quæ contra plebem alitur, contra totam Rempublicam ali, atque hæc nunc quidem à nobis incipit, sed vbi inualuerit, ne vobis quidem parcet. } Quum autem Lucius talem habuisset orationem, & cæteri tribuni, quæ illum prætermisisse existimabant, addidissent, quumque iam sententiæ à patribus essent dicendæ, primi quidem consulares viri, maximi quique natu, de more à consulibus vocati surrexerunt: deinde verò illi qui his vtraque hac in re inferiores erant: at postremi fuerunt iuniores, qui nulla illi quidem verba faciebant, (adhuc enim tunc apud Romanos indecorum hoc habebatur, & nullus iuuenis se sapientiorem homine seniore existimabat) sed sententias à

tias à consularibus iam dictas confirmabant. Omnibus verò, qui aderant, imperatum fuerat vt non secus ac in iudicio iurati sententiam ferrent.

6 ¶ APPIVS igitur Claudius, quem & antè dixi ex omnibus patriciis plebi infensissimum esse, nec vnquam pacis conditiones plebi concessas approbasse, senatusconsultum fieri non sinebat, hac oratione vtens, {Vellem equidem (id quod sæpe præcibus à diis petij) vt me mea fefellisset opinio, quam de pace cum plebe facta habebam, censens neque honestum, neque iustum, neque nobis vtilem fore hunc profugorum reditum, & quotiescunque hæc res nobis fuit proposita vt de ea consultaretur, ego & primus omnium aliorum, & postremus fui, qui solus huic paci semper & constanter sum aduersatus, quod reliqui me deseruissent: & vos, P.C. qui spem meliorum rerum concipiebatis, & omnia iusta & iniusta in plebis gratiam alacri animo concedebatis, me prudentiores esse videremini: verùm, quando non vt optabam, neque vt precibus à diis contenderam: sed vt suspicabar, res vobis successerunt, & vestra beneficia in inuidiam & odium sunt conuersa, vos ob vestra peccata non obiurgabo, neque molestiis inanibus afficiam, quod cuilibet est facillimum, & quod plerumque fieri solet, sed hæc omittam, quod ea in præsentia non opportuna fore iudicem. Ea verò quorum ope & præterita corrigemus, quorum curatio nondum penitus est desperata, & præsentibus rebus melius consulemus, dicere conabimur. Quanquam non me latet, fore vt nonnullis vestrum insanire & mortem appetere videar, qui de his rebus liberè sententiam dicere non dubitem, licet ani-

maduertam quàm periculosa sit dicendi libertas, licet etiam mecum ipse reputem miserum casum Marcy, qui nũc ob aliam causam in capitis discrimine versatur. S. d minimè arbitror maiorem priuatæ salutis, quàm publicæ vtilitatis rationem habendam. Nam, P. C. periculo vestra causa subeundis meum corpus iam destinatum est, & pro Reip. certaminibus deuotum. Itaq; quicquid deo visum fuerit, & cum omnibus, & cum paucis, & si necesse fuerit, solus generosè perferam. Cæterùm, quandiu vixero, me nullus metus à sententia liberè dicenda deterrebit. Ac primùm quidem tãdem aliquando hoc vos certò scire volo, vos infestam inimicámque præsenti Reipu. statui plebeiam turbam habere, & quæcunque nimis indulgenter ei concessistis, frustra à vobis absumpta fuisse, vósque eo nomine contemni, qũ si vi necessitatis adducti, non autem animi beneuolentia, & cum iudicio ea cõcesseritis. Considerate enim quomodo plebs, quo tempore captis armis secessionem à vobis fecit, & se palàm vestrũ hostem profiteri ausa est, quum de nulla iniuria conqueretur. sed se soluendo non esse simularet, vósque nouas tabulas, & peccatorum per secessionem admissorum impunitatem vestro decreto ipsi concessistis, se nihil præterea postulaturã dixerit, licet plerique vestrũ (neq. enim omnes à consiliariis istis decepti sunt) leges de contractuũ fi de latas abrogare, & omnium tunc factarum iniuriarum memoriam deponere, nunquam è Rep. fore indicarent: non fuit tamen hoc beneficio impetrato contenta, cuius solius desiderio à se secessionẽ factam dicebat. sed statim aliud donum isto longè maius & iniquius petit, vt sibi per patricios liceret tribunos de suo ordine quotannis creare prætex-ns nostram potentiam: vt pauperes

iniuriam

iniuriam & vim patientes aliquod auxilium & refugium haberent: sed revera Reipublicæ formæ insidians, & hoc Reipublicæ administrandæ genus in popularem dominatum convertere volens. Hoc quoque nobis consiliary isti persuaserunt vt tribunorum collegium in senatum admitteremus quod in reipublicæ perniciem & maximam patrum iniuriam, receptum est (si modò meministis) multum reclamante, & deos hominésque obtestante à vobis perpetuum ciuile bellum in vrbem introductum iri, & omnia quæ vobis euenerunt. prædicente. Quid igitur fecit bona ista plebs postquam hunc quoque magistratum ipsi concessistis? Tanto beneficio non est moderatæ vsa, nec id cum reuerentia & modestia, sed à nobis tanquam ab hominibus potentiam ipsius formidantibus, & metu consternatis extortum accepit. Postea sacrosanctum & inuiolabilem hunc magistratum creandum iussit iureiurando confirmatum, maiorem honorem postulans quàm ipsis concesseritis. Hoc quoque tulistis, & stantes ad victimas cæsas in vestram & vestræ progeniei perniciem iurastis. quid autem fecit hac quoque re imperata? Quum gratiam vobis habere, & conseruare patrium Reipub. statum deberet, ducto initio ab istis fraudibus, atque horum iniquorum facinorum administratu vsa, vt sibi viam ad maiora sterneret, leges sine vllo vestro S. C. fert, eásque suis suffragiis, vobis iniurijs confirmat, & vestra S. C. contemnit & consul. vt Remp. male administrantes accusat, & quicquid contra vestrorum pactorum conditiones accidit, (multa autem sunt quæ humana ratiocinatio assequi nequit) no fortunæ (vt dixi) sed animi nostri malitiæ ascribit, & simulans se à nobis appeti insidiis, & vereri ne libertatem sibi eripiatis, aut se

patria expellatis, ipsa contra vos hæc perpetuò molitur, & constat eam existimare se nulla alia ratione ab iniuriis, quas se timere dicit, sibi cauere posse, nisi vos antenertat, & prior eas nobis inferat. Hoc autẽ & antè sæpius declarauit in multis rebus quas perpetrauit, quarum in præsentia memores estis: sed præcipuè quòd Marciũ istũ bellicosum virum, & claris natum maioribus, neque vllo nostri ordinis viro tute secundum accusarit, quòd insidias ipsi struat, & malignas hic dicat sententias, & indemnatũ occidere conata sit. Et nisi consules, & vos de vobis quorum melior est sententia, rei indignitatẽ non ferentes conglobati eorũ scelus cohibuissetis, vno illo die omnibus spoliati fuissetis, quæ maiores vestri magnis laboribus parta vobis reliquerunt, & quæ vos quoque non minoribus cipericulis tuemini dignitatẽ, imperio, & libertatẽ. Vos verò, qui generosiores estis, & qui vitã ipsam vobis peracerbam duxissetis si sine his bonis ea vobis tradicẽda fuisset, an mas potius quàm hæc vobis eripi passi fuissetis, aliy subitò aliy non multò post. Quid enim obstitisset Marcio isto adeò turpiter adeò ignauiter, tanquam in solitudine aliqua ab ipsis abrepto, quominus ego quoq; post cũ ab inimicis discerptus interirem, & cæteri quotquot vnquam aduersati sunt, aut qui in posterum iniquis plebis cupiditatibus aduersaturi videbantur: neque enim ei satisfuisset nos duos tantum de medio sustulisse, neque tam eò prouecta ab aliis sceleftis facinoribus abstinuisset, si licet ex præteritis coniecturã de futuris facere: sed à nobis ducto initio omnes aduersarios, & qui ipsi cedere noluissent, instar torrentis, qui magno impetu fertur, non nobilitati, nõ virtuti, nõ ætati parcẽs, rapuisset & absportasset. Plebs igitur, P. C. pro multis ac magnis beneficiis acceptis, hãc

præclarum

præclaram gratiã nobis iam retulit. & aliã relatura erat, nisi vos eam cohibuissetis. Eia igitur, illud quoq; nũc considerate, quod fecit post vestrũ hoc generosum & modestum facinus, vt sciatis quonãmodo cum ea agendũ sit. Illa igitur vbi animaduertit suam insolentiam à nobis amplius ferri non posse, vósq; secum congredi paratos, territa est, & aliquantulũ se ipsam, velut è crapula aut insania colligens, à vi abstinuit, & ad ius se conuertit, diémq; certã homini dixit, ad quam eũ adesse iubebat, vt causam diceret in iudicio in quo idẽ & accusator, & testis, & iudex, ac pœnæ magnitudinis arbiter futurus erat. Sed quum huic quoque conatui obstitissetis, rati non ad iudicũ, sed ad supplicium hominem vocari, illa animaduertens nullam rẽ in sua absoluta potestate esse: sed se tantùm potestatem habere suis suffragiis rata faciẽdi, quæ vestro S. C. decreta fuerint, nunc remittit de superbia illa quã tunc multam spirabat, & ad vos venit, vt ipsi hoc quoque beneficium largiamini. Hæc igitur cogitantes, tandẽ aliquãdo sentite & cognoscite, quidquid hactenus ei simplicius quàm prudentius gratificati estis, id calamitates & detrimenta vobis attulisse. Quoties verò fortiter iniquis & violentis eius conatibus restitistis, toties rem vobis feliciter & vt decebat, successisse. Quid igitur hæc vobis scientibus faciendum suadeo? quámnam de re præsenti sententiam dicam? Autor sum vobis, vt quæcunq; pacis causa gratificati estis, & concessistis plebi, ea quomodocunque rata seruetis, & nihil (quod fuerit concessum) irritum faciatis, non quasi illa sint honesta, & ex Reip dignitate (quomodo enim esse possunt?) sed vt necessaria, & quæ corrigi amplius nequeunt. Quæcunq; verò præterea per vim & nefas inuitis vobis extorque-

re conabitur ea neq. ipsi concedatis neq. permittatis: sed dictis facti sq. & omnes simul & singuli priuatim ei resistatis. Neq. n. eum qui semel vel precibus adductus, vel vi coactus peccauit, in cæteris quoque eodē modo se gerere oportet: sed memorē prioris peccati, cauere ne in posterū in aliud simile incidat. Hæc igitur ea sunt quæ vobis omnibus cōmuniter nota esse arbitror, autorq. vobis sum vt iniquis plebis cupiditatibus resistere parati sitis. Quòd autē hoc quoque, de quo nūc agitur & cōsultatur, simile sit, cæteris eius iniustis ac iniquis conatibus, nō autē iustū, aut æquum, quemadmodū tribunus vobis imponens conatus est demōstrare, iā discite vos qui nondū certò rē scitis. Lex enim de populi iudiciis, quā Lucius potissimum stabilimit, non est scripta cōtra vos patricios, sed in gratiā plebeiorū, vt illis vim patientibus aliquo auxilio caueretur. quēadmodū ex ipsius legis verbis nihil ambigui habentibus patet, & vos omnes, qui probe hoc tenetis, perpetuò hoc dicitis. Hoc autē magnum est argumentum, q. etiā præbātissima ratio videtur, qua quoduis iuis cōtrouersum diiudicari possit, ipsum tēpus decem & nouē annorū iam præteritorū, ex quo lex ista lata est. Hoc enim toto tēporis spatio nullā actionem aut publicam cōtra quenquā ordinis patricij, aut priuatā ex hac lege tentatam Lucius demonstrare possit, quòd si dixerit demonstret: nec verbis amplius nobis est opus. Nā ipsæ cōditiones, quibus nuper plebs vobiscum pacem fecit, (nā de his quoq. apud vos agendū est, quādo tribunus eas malè interpretatur) hæc duo cōcessa cōplectuntur, vt plebi alienum remittatur, & magistratū hunc quotannis ci creare liceat, vt opem ferat iis qui vim patiuntur & iniuriā ab illis prohibeat, nihil verò præterea. Maximo autem argumen-

argumento vobis sit, nec ex lege, nec ex pactis ius esse plebi de quoquã patricij ordinis iudicãdi id ipsum, quod nũc plebs facit. Petit enim à vobis quod ante non habebat: nullus verò ab alijs id petẽdũ censet, quod per ipsas leges ei permittitur. Quomodo igitur P. C. hoc erit ius naturæ non scriptum, (Lucius n. hoc quoq; nobis spectãdũ esse bat) vt, siue plebeij à patricijs rei agantur, siue illos ipsi rei agant, iudiciũ sit populi? patriciorum verò lites, neq; quiũ ipsi aliquẽ de plebe reum agũt, neq; quiũ ipsi periclitantur, à patricijs dirimantur? sed istorum quidẽ conditio vtroque modo sit melior, nos verò neutrius huius iuris participes simus? Quòd si Marcius, aut alius quius patricius plebi iniuriã aliquã facit, & dignus est qui morte mulctetur, aut in exiliũ pellatur, non apud ipsos, sed hic iudicatus ex legib. pœnas ipsis det. Nisi forte, Luci, dicas ipsam plebem iudicem æquũ fore, & nihil sibi ipsi gratificaturam contra inimicum suum quum suffragium feret. Istos verò si eorum arbitrio suffragia cõmittantur, reum pluris facturos, quàm læsam ab eo rẽp. periurio execrationes & hominum odia & iræ deorũ ex hoc iudicio relaturos, & mala spe victuros. Haud æquum censeo, Quirites, vos de senatu ita sentire, cui honoribus & magistratibus & cæteris rebus quæ in vrbe sunt præstantissimæ, vos cessisse propter virtutẽ eius fatemini, & vos ei magnam habere gratiam dicitis, ob operam animo prompto in vestro reditu nauatam. Hæc tamen inter se pugnant, nec vlla ratione hoc stare potest, vt quos laudatis, hos timeatis, & simul, quibus maiora commisistis in cæteris diffidatis. Quin potiùs ipsis vno consensu aut in omnibus fidem habetis, aut in omnibus diffidetis? Cur idoneos eos ad prospiciendum ea quæ

sunt iusta, at ad iudicandum de his ipsis, qui præuiderint, & de quibus consultarint, minimè idoneos putatis? Poteram, P. C. & multa alia de iure dicere, sed hæc ipsa sufficiunt. Verùm, quoniam Lucius de vtilitate conatus est dicere, bonam esse concordiam, malam seditionem, & si plebi obsequamur, concordem fore ciuitatem, sin prohibeamus ne patricios, quos volunt, aut vrbe pellant, aut occidant, nos belli ciuilis autores fore, quum multa possim dicere, paucis tamen rem expediam. Ac primùm quidem demiror Lucij dissimulationem, (non dicam fatuitatem si putat reipublicæ vtilitatem melius à se intelligi, qui nuper ad reipublicæ administrationem accessit, quàm à nobis qui in eius administratione consenuimus, & qui ciuitatem ex parua magnam fecimus. Deinde, si existimauit se vobis persuasurum vt aliquem ad supplicium inimicis dedatis, præsertim verò ciuem vestrum, nec obscuro, aut vili natum genere, sed quem vos ipsi & bellica virtute clarissimum, & hominem maximè frugi, & in reipublicæ administrationem nulli secundum ducitis. Atque hæc ausus est dicere, quum tamen sciat, vos maximè reuereri supplices & ne hostibus quidem huc confugientibus hanc humanitatē intercludere. Quid si, Luci, contrariis studiis nos operam dare cognouisses, & nos esse impios in deos, & iniustos in homines, quidnam hoc ipso atrocius nobis perferendum censuisses, quo vnditus omnes omnino & dijs & hominibus inuisi perderemur? Non opus est nobis te consultore, Luci, neque in ciuium deditione, neque in vlla alia re quæ nobis sit facienda, nec putamus externa inuenis hominis prudentia nobis de nostris vtilitatibus iudicandum, qui

qui ad hanc vsque ætatem longa aduersorum & secundorum bellorum experientia docti peruenimus: & minas quibus nos territatis, vt non nunc primùm à vobis solis, sed sæpius iam & à multis aliis intentatas, consueta lenitate intrepidè feremus. Et si dicta facta similia addideritis, diis adiuuantibus, qui belli iniusti autoribus sunt infensi, ab hominibus etiam non paruam auxiliorum manum habituri nos defendemus. Nam & omnes Latini, quos nuper ciuitatis iure donauimus, à nobis stabunt, & pro hac iuitate iam vt pro patria pugnabunt, & multæ ac bonæ coloniæ hinc deductæ salutem suæ antiquæ patriæ totis viribus tueri conabuntur, eique opem ferent. Quòd si ad eam necessitatem nos redegeritis vt vndique auxilia contrahere nobis non liceat, iustissimebimus, Luci & serui ad libertatem, & hostibus ad amicitiam vocatis, & omnibus hominibus spe præmiorum ad victoriam communem inuitatis, vobiscũ congredi. Quibus præsidiis ne hæc vrbs indigeat, faxis Iupiter, & cæteri dij, qui huius estis custodes: sed hæres formidandæ ad verba vsque processerint, néve quid quam inde quod sit molestum sequatur. Atque hæc Appius dixit.

7 ¶ At Manius ille Valerius, qui omnium senatorum maximè popularis erat, & qui in compositione facienda maximum studium demonstrarat, tunc quoque aperte plebi patrocinabatur & orationem magna cura compositam habuit: obiurgans eos qui vnã esse ciuitatem non sinerent: sed plebeios à patricijs diuiderent, & leuibus de causis belli ciuilis materiam rursus accenderent, laudansque eos qui publicæ vtilitati studebãt, & concordiam rebus omnibus anteponebant, illas hac longè

inferiores esse ducentes, docebat si plebis arbitrio (quemadmodum ipsa postulabat) iudicium permitteretur, & hoc quoque beneficium à senatu volente acciperet, fortasse eam ad finem vsque non processuram: sed contentam hominis deditione, æquius quàm duriùs eum tractaturam. Quòd si forte tribunis illud iudicium ad finem vsque legitimum quauis ratione persequendum putantibus, penes eam suffragia essent, hominem crimine absoluturam esse, partim ipsius periclitantis reuerentia motam, cuius multa & præclara facinora memoria teneret, partim etiam senatui, qui ipsi hanc potentiam dedisset, & ipsius æquis postulatis nullomodo aduersatus fuisset, gratiam referret. Suadebat tamen, vt & consules & omnes senatores, & reliqui patricij, sequentes ei iudicio interessent, & reum causam dicentem defenderent, & plebem rogarent ne quid durius in eum statueret: (nam dicebat horum etiam præsentiam nō paruū allaturā monumentū ad rei salutē) neq. verò ipsi soli hoc animo essent: sed etiā singuli clientes suos aduocarent, & omnes amicos in vnū cogerent, & si quos plebeios beneficiis sibi deuinctos haberent, eos officiis maioribus sibi conciliatos eò secum ducerent, & ab ipsis gratiam antè debitā repeterent, quū ad suffragia ferēda ventū esset. Dicebat ēt nō paruā plebis partē patriæ amantē, & improbis ciuibus infensam, magno vsui hîc futurā: sed lōgè maiorē fore numerū eorū, qui humanis casibus, commoueruntur, & qui viros dignitate præditos, aduersa fortuna ad humilē statū redactos, miserari noßent: sed maxima eius orationis pars ad Marcium versa est, quæ adhortationē cum admonitione, & preces cū necessitate mixtas habebat. Rogabat.n. eū, quando dissidij inter plebē & senatum

natũ autor esse insimulabatur, & tyrãnici ingenij crimine propter morũ arrogãtiã premebatur, & oẽs metuebãt ne propter eũ seditio oriretur, & mala insanabilia inde sequerẽtur, quæ bella ciuilia secum afferũt, ne criminibus sibi obiectis fidem astrueret, eáque confirmaret in suidioso vitæ genere perseuerans: sed humilem rei habitum priore mutato sumeret, & sui corporis potestatẽ faceret de iniuria quærentibus, nẽue refugeret iniustum crimen sibi obiectum, quòd verbis iuste diluere posset. Hoc enim & ad eius salutem tutissimum, & ad gloriam cuius desiderio tenebatur, splendidissimũ, & rebus antè gestis consentaneum fore dicebat, quòd si arrogantior quàm modestior esset, & senatum omne periculum pro se sustinere vellet, dicebat fore vt afferret grauẽ cladem victis, & turpẽ victoriam victoribus, quibus hoc ab ipso persuasum fuisset. Hic verò ad affectus mouendos longa lamentatione est vsus. & maximas ac manifestissimas calamitates, quæ ob seditiones vrbibus contingunt, recensuit. Quòd autem de his fusius ageret cum multis lacrymis non fictis, aut simulatis, sed veris, vir & ætate ac dignitate in primis venerandus, vbi cognouit senatum suæ orationi commotum, tunc maiore cum confidentia loqui cœpit. ¶Quòd siquis vestrùm, P. C. (inquit) perturbantur, existimantes prauam consuetudinem in reip. incohi, si plebi permiserit vt suffragia contra patricios ferat, & tribunitiam potestatem, si vis eius sit magna, nihil boni reipu. allaturam arbitrantur, sciant illi se opinione falli, seque cõtra quàm conuenit suspicari. Nam si quidquam aliud valere poterit ad huius reipub. salutem & libertatem, ac potentiam eius semper tuendam, & ad communem omnium concordium, & animo

rum coniunctionem in hisce rebus perpetuò conseruandã certe ipsa plebs hoc potissimùm præstabit, si ad rip. administrationem assumpta fuerit: & reipub. administrandæ formã ita temperauerimus, vt nec penes solos optimates, nec penes plebeios sit: sed si ex omnibus status sit mixtus, hoc nobis maxime proderit. Facillime enim vnaquæque harum reip. formarum, si per se sola sit, ad insolentiam, & iniurias prolabitur. Sed si omnia mediocriter misceantur, ea pars quæ semper aliquid innouat, & quæ à consueto disciplinæ ciuilis genere recedit, ab altera, quæ sapit, & quæ constanter pristinas consuetudines seruat, coërcetur. Nam vnius virdominatus si fuerit crudelis & insolens, & tyrannica studia sectari cœperit, à paucis iisque bonis viris euertitur: at paucorum dominatus, qui ex optimis quibusque viris constat, (qua reip forma vos quoque nunc vtimini) quum diuitijs & sodalitijs elatus, iustitiam cæteráque virtutes contemnit, à prudenti populo tollitur: populus verò qui modestè & legitimè in rep. se gerit, quum à modestia recedere, & ad iniuriam transire incipit, ab optimo viro ad suum officium vi retrahitur. Vos autẽ, P. C. ne regius dominatus in tyrannidem verteretur, pro viribus remedia satis bona inuenistis. Quamuis enim pro vno duos crearitis, penes quos summa rerũ sit, eorúmque magistratum non perpetuum, sed annuum esse volueritis, nihilominus tamen ipsis addidistis trecentos custodes, quos elegistis, viros ordinis patricij optimos, & natu maximos, ex quibus iam ipse senatus constat: vobis verò ipsis vt conuenientem ac honestam disciplinã seruaretis, hactenus nullã adhibuistis custodiã, quod manifestum est. Atque quod ad vos attinet, nondũ timui

timui ne præ nimia felicitate animis peruerteremini, qui nuper rempub. ex diuturna tyrannide in libertatem vindicastis, & quibus nondum per otium licuit insolenter & petulanter viuere, ob continua & diuturna bella. Sed dum vestram posteritatem, quæ vobis succedet, cogitatione præcipio, & mecum ipse considero quantas longum ævum mutationes affert, vereor ne tandem potentiores senatores rebus innouatis reipubl. formam per ciuium imprudentiam in vnius viri tyrannicum dominatum artibus clandestinis conuertant. Si igitur & plebem ad rempublicam vobiscum administrandam admiseritis, nihil hinc nascetur mali: sed qui maiorem potentiam quàm alij habere voluerit, quique factionem aliquam in senatu sibi parârit, vt habeat qui suorum consiliorum fautores & scelerum administri esse velint (iis enim qui de repub. consultant omnia quæ verisimiliter accidere possunt, prospicienda sunt) magnus ille & venerandus vir die à tribunis dicta, vili ac humili plebi factorum & consiliorum suorum rationem reddet. Et si constiterit illum aliquod facinus iniustum fecisse meritas quoque pœnas dabit. Ne autem ipsa plebs tantam adepta potestatem petulanter lasciuiat, nève à pessimis hominibus ducta, eorúmque assentationibus impulsa viros optimos infestet, (nam in vulgo tyrannis nasci solet) cauebit hoc, & illam iniuriæ faciendæ licentiam comprimet vir aliquis prudentia insignis, dictator à vobis dictus, qui pro sua potestate libera, & nullis rationibus reddendis obnoxia, & vitiosam partem ex ciuitate tollet, & eam quæ nondum fuerit corrupta, non patietur vitiari, eius prauis vitæ morib. correctis, idque legitimorum ac optimorũ institutorum ope,

& creatis magistratibus à quibus prudentissimè rem-
publicam administrari posse duxerit. Et his rebus intra
semestre tempus administratis ad vitam priuatam re-
dibit, ex his nihil aliud quàm solũ honorẽ lucratꝰ. Hæc
igitur cogitantes & hanc reipublicæ formã optimã exi-
stimantes, à re nulla arceatis plebẽ: sed quemadmodũ hãc
potestatẽ impertiẽdam sit, vt magistratus annuos creet,
qui reip. præsint, & leges partim ratas faciat, partim ab-
roget, & pacẽ bellúmq. decernat (quæ maxima & præ-
cipua sunt omnium rerum quæ in rep. geruntur) & nihil
horum penes senatum solum esse voluistis, sic etiam ad
iudicia eam admittatis, præcipuè verò in causis quæ ad
remp. pertinent, quum quis eius violatæ accusatur, quòd
seditionis autor sit, aut tyrannidem affectet, aut de pro-
ditione cum hostibus agat, aut huiusmodi aliquod scelus
patrare conetur. Quanto enim maiorem terrorem propo-
fueritis legum violatoribus, & morum corruptoribus,
superbis & auaris hominibus multos oculos & custodes
adhibentes tantò melius resp. vestra se habebit. ¶ Hæc
& his similia loquutus finem dicendi fecit. Senatores ve-
rò reliqui, qui post eum surrexerunt, omnes, paucis qui-
busdam exceptis in hanc sententiam iuerunt. Et quia id
S. C. esset scribendum, Marcius petita dicendi copia in
hunc modũ est loquutus. ¶ Quomodo, P. C. me in hac rep.
gesserim, & quomodo propter meam erga vos benevolẽ-
tiam in hoc discrimen sim adductus, & quomodo prater
omnem spem meam vester fauor mihi defit, omnes scitis
& multò melius sobetis vbi meũ negotium ad exitũ per-
ductum fuerit. Sed quando sententia Valerij vincit, vi-
tinam hæc vobis conducat, & malus ego sim futurorũ cõ
sulũ error. Sed vt & vos qui S. C. scribitis, sciatis quibus de

causis

causis plebisitis me dedituri, & ego minimè ignorem, quæ de re in iudicio sim certaturus, iubete tribunos coram vobis dicere quódnam sit illud crimen, cuius me sunt accusaturi, & quónam nomine dicam mihi sint scripturi. ¶ Atque ille quidem hæc dixit, quia existimabat se verborum in senatu factorum causam dicturum, & quia volebat tribunos profiteri Marcium hac de causa à se accusatum iri. At tribuni, communicato inter se consilio crimen affectatæ tyrannidis ei obiecerunt, instruntq; eum ad causam de hac re dicendam venire, quia nolebant crimē illud in vna causa, eáque non valida, nec senatui grata concludere. Sed sibi reseruabāt potestatem arbitratu suo illum accusandi, & se omne auxilium ac patrocinium senatus Marcio ita erepturos putabant. Tunc Marcius, ¶ Sē (inquit) mihi ad istud crimen est respondendum, per vtro me populi iudicio, & nihil sit impedimento quominus S.C. sciatur. ¶ Maximæ autem senatorum parti gratum fuit quòd is huius criminis nomine reus esset agendus, idque duabus de causis: vt quòd si quis in senatu posthac suam sententiam libere diceret, hoc nullis accusationibus ac reprehensionibus obnoxium esset futurum, integræ studiosum, facilè crimen obiectum diluere posse sperabant. Post hæc igitur factum est S.C. de hoc iudicio, & homini ad parandam defensionem tempus in trinundinum præstitutum est: nundinæ autem apud Romanos tunc nono quoque die fiebant, vt & ad hanc vsq; nostrā ætatē fiūt. Hoc die plebeij ex agris in vrbē cōuenibāt, & rerū venaliū permutationes faciebant, & iure inter se disceptabant & res publicas, quarūcūq; ius ex legibus penes eos erat, & quas ipsis senatus ipsis permitte-

bat, suis suffragiis ratas faciebant. Septē verò dies, qui inter superiores & sequentes nundinas intercedebāt, quum plerique eorum suis manibus opus facerent, & pauperes essent in agris transigebant.

8 ¶ VBI verò tribuni s. c. acceperunt, progressi in comitium, populum ad concionem cōuocarunt. Et valde laudato senatu, lectóque eius decreto, diem Marcio dixerunt, qua die finē huic iudicio imposituri erant, omnesque cives rogarunt vt ad eam diē adessent, quòd de rebus maximis cognituri essent. Quæ vbi diuulgata sunt, ingenti studio & cōtentione plebeij & patricij ad hoc certamē ferebatur: illi quia ē vt hominē arrogantissimū vlciscerētur, isti verò ne status optimatū propugnator in inimicorū potestatē veniret. V triq. autē ob ne salutis & libertatis ius in illius iudicij euentu positū existimabant. Quū autē dies trinundini instaret, turba ex agris quanta nunquā antè, in vrbē confluxit & summo manè forū occupauit. Tribuni verò plebē ad tributa comitia vocarunt, & comitij locā funibus vndique clauserunt, in quibus singulæ tribus distinctæ, & aliæ ab aliis separatæ erant futuræ: & tūc primùm pop. Rom. tributis comitiis de hoc viro suffragia tulit, multū reclamantib. patricijs, & impedire volentib. ne hoc fieret atque cēturiata comitia more patrio habēda cēsentibus. Ante enim quoties populus suffragia erat laturus de quauis re ex s. c. ipsi permissa, per conss. ad centuriata comitia vocabatur sollennibus quibusdam sacris antè patrio more peractis, quorū nonnulla etiā nostra ætate fiunt. Conuenieb at autem tota multitudo in campum Martium, qui est ante vrbem sub centurionibus, & signis non secus ac in bello instructa. Suffragia verò ferebant non omnes simul sed singuli

sed singuli in suis centuriis, quando à consulibus vocabantur. Quum autem universæ centuriæ essent centum & nonaginta tres, & hæ in sex classes essent diuisæ, prima ad suffragia ante cæteras vocabatur: atque hæc constabat ex iis quorum census erat maximus, & qui primum in bello locum obtinebant, in qua censebantur equitum decem & octo centuriæ, peditum octoginta. Secunda classis quæ suffragia ferebat constabat ex hominibus quorum census erat minor & qui in acie secundum locum obtinebant, nec eandem armaturam, quam prima classis habebant sed leuiorem. Hæc autem multitudo in viginti centurias distributa erat. His additæ duæ fabrorum lignariorum, & æratiorum centuriæ, & alij quotquot bellicarum machinarum erant opifices. Tertia verò classis, quæ tertio loco vocabatur, constabat ex viginti centuriis, sed census erat minor quàm secunda, & proximum ab ea locum in acie tenebat, nec eadem arma ferebat, quæ præcedens classis. Qui verò quarti deinceps vocabantur, vt censum minorem habebant, ita in bello tutiorem locum obtinebant, & armaturam expeditiorem habebant. Hi quoque in viginti centurias diuisi erant, & his quoque duæ cornicinum tubicinumque centuriæ addebantur. Quinta classis erat eorum qui censum minimum habebant, & eorum arma erant tela, quæ iaculabantur & fundæ. Hi locum certum in acie non habebant, sed leuiter armati, & expediti vnà cum militibus grauis armaturæ militabant in triginta centurias diuisi. Pauperrimi verò ciues, qui non erant cæteris omnibus numero inferiores, vltimum habebant suffragium, in vnam omnes reiecti centuriam. Hi immunes erant militiæ & delectuum militarium & tribu

torum quæ ex censu pendebantur, & ob vtramque istam causam in suffragiis ferendis minima erat eorum autoritas. Si igitur primæ classis centuriæ nonaginta & octo, quæ constabant ex equitibus & peditibus, primum locum in acie obtinentibus, concensissent finis imponebatur suffragiis, nec reliquæ nonaginta & quinque centuriæ ad suffragia vocabatur, quòd nisi fieret, secunda classis, quæ constabat ex duabus & viginti centuriis vocabatur, & tertia deinceps, donec consentirent nonaginta & septem centuriæ & sæpe iudicia primæ classis suffragiis absoluebantur, ita vt vltimis non esset amplius opus. Rarò autem res tantæ ambiguitatis occurrebat, vt vsque ad vltimæ inopum centuriæ suffragia veniretur. atque hoc erat tanquam finis diuisis bifariam primis centum & nonaginta duabus centuriis: hæc enim postremo loco latis suffragiis ad vtram partem accessisset, suo momento efficiebat vt altera earum præponderaret. Marcij igitur propugnatores poscebant hæc centuriata comitia, quæ ex censu fiebant, sperantes fore vt fortasse à primæ classis nonaginta & octo centuriis sin minus à secunda saltem, aut tertia absolueretur. At tribuni hoc suspicati, & ipsi tributa comitia habenda esse putarunt, & id iudicium illis committendum, vt neque pauperes deteriore essent conditione quàm diuites, neque tribules minus honoratum locum quàm milites grauiter armati haberent: neque plebs, in vltimas reiecta classes à suffragiorum æqualitate excluderetur: sed æquo & suffragiorum & honorum iure omnes inter se fruerentur, & pariter vocati suffragia tributim ferrent. Et ipsorum postula videbantur æquiora esse quàm aliorum, quòd censerent populi iudicium potius penes plebem quàm penes paucorum dominatum esse de-

se debere, atque læsæ reip. crimen æquè ad omnium cognitionẽ pertinere. Quũ aũt hæc quoque res illis ægrè à patricijs fuisset cõcessa. quũ iã causa esset dicẽda, Minucius alter consul suggestũ primus ascendit, & senatus mãdata exposuit exorsus à cõmemoratione beneficiorum quæcunque plebs à patriciis acceperat. Deinde pro tot & adeò præclaris facinoribus, hanc unam gratiam sibi roganti-bus necessariam à plebe in tutius reip. commodum rependa postulauit. Præterea concordiam & pacem laudauit, & quantam felicitatem hoc utrunque ciuitatibus afferat, pluribus demonstrauit. & inuectius est in discordiam & bella ciuilia, quibus multas ciuitates unà cum suis populis excisas, & gentes integras internecione deletas dicebat: & plebeios orauit ne iræ indulgentes deteriora melioribus anteponerent, sed maturo consilio sapienter res futuras prouiderent, neve consultantes de rebus maximis momenti, nequissimos quosque ciues in consilium adhiberent: sed eos quos iudicarent viros esse optimos, & quos scirent pacis belli que temporibus patriæ valde profuisse, de quorum fide dubitare non possent, quasi iam naturam, & animum mutassent. Summa autem orationis totius illa fuit, ne vlla suffragia contra Marcium ferrent, sed potissimum absoluerent hominem propter ipsius virtutem, memores quam bene esset meritus de republica & quot bella pro communi totius populi Romani libertate imperioque feliciter gessisset: & nec piè nec iustè nec ex officio suo facturos dicebat, si inania eius verba in memoriam renocarent, & ob præclara eius facinora nullam gratiam ei rependerent. Honestam autem hominis absoluendi occasionem sese offerre dicebat, quòd & ipse vltrò sui corporis potestatem inimicis faceret,

& quicquid illi de se statuissent, in eo acquieturu esset. Quòd si cum illo in gratia n redire non possent, sed ei grauiter infensi essent, eúmque odio implacabili prosequerentur, rogabat eos vt saltem id considerantes, senatum pro eo deprecantem adesse. trecentos viros totius ciuitatis optimos, aliqua miser cordia mouerentur, animísque flecterentur, nec propter vnius inimici pœnam, tot amicorum preces repellerent: sed multorum ac proborũ virorum gratiæ vnius hominis pœnam condonarẽt. Hæc & his similia loquutus, postremò sic clausit orationem suam, si suffragiis suis hominem absoluerent fore vt eũ absoluisse viderentur, quòd plebi nullam iniuriam fecisset, sed si hoc iudicium ad finem vsque perduci prohiberent, fore vt in gratiam eius deprecatorum pœnam eiremisisse viderentur. }Quum autem Minucius finem dicendi fecisset, Sicinnius tribunus progressus, dixit neque se plebis libertatem proditurum, neque sponte ab aliis prodi passurum: sed, si reuera patricij hominem plebis iudicio permitterent, se in suffragia plebem missurum & nihil aliud præterea facturum. Post hunc progressus Minucius, {Quandoquidem (inquit) tribuni, adeò cupitis de hoc homine omnino suffragia ferri, nihil præter obiectum crimen contra eum dicite, sed quando affectatæ tyrannidis nomine eum detulistis, hoc docete, & quibus potestis rationibus hoc probate. Verborum verò, quæ ab eo in senatu contra plebem dicta criminamini, neque mentionem facite, neque propterea illum accusate. Nam senatus suo decreto eum hoc crimine liberauit, eúmque ad plebis iudicium certis conditionibus, quæ disertissimis verbis expressæ fuerunt, venire æquum esse censuit, ac mox senatusconsultum recitauit. Ille igitur hæc loquu-

ms &

tus & obtestatus defendit. ¶Tum Sicinnius tribunorum primus, accusationem à se accuratissimè præmeditatã est aggressus, & quicquid vnquam reus aut fecisset, aut dixisset, ad tyrannidis affectationem retulit. Post illum tribuni, qui gratia & opibus plurimùm valebãt, verba fecerunt. Quæ ũ orationem quum Marcius excepisset, exorsus à primis suæ adolescentiæ annis recensuit quoties pro rep. militasset & quot coronas pro victoriæ præmio ab imperatoribus accepisset, quot hostes vnos cepisset & quot ciues in prælis seruasset, & ad singula dicta ostendebat dona sibi fortitudinis ergò data, & imperatores testes citabat, & ciues à se seruatos nominatim appellabat. Illi verò aderant lamentantes & rogantes ciues ne suæ salutis autorem, tanquam hostem, perderent & interficerent vnámque pro multis animam reposcentes, & se ipsos pro eo dedentes, vt arbitratu suo de se statuerent. Horum autẽ plerique erant plebeij, eorúmque magnus erat in rep. vsus: quorum aspectu & precationum reuerentia plebs mota, ad commiserationem & lacrymas se conuertit. Vt verò Marcius discissa etiã veste pectus ostendit cicatricibus oppletum & cæteras totius corporis partes plagis repletas, quæsiuit ex illis, nũ eiusdẽ hominis hæc facinora esse putarent multos in bello seruare, & seruatos in pace perdere, & qui fieri posset, vt qui tyrannidem affectaret idem ex vrbe plebem expelleret, à qua potissimùm tyrannis augetur & alitur. Adhuc autem eo loquente quotquot de plebe erant æquiores ac mitiores, & proborũ hominum amantiores, absoluendum hominem voci ferabantur: eósque pudebat quod vel ab initio huiusmodi criminis reus actus fuisset, vir qui toties pro communi omnium salute vitam suam contempsisset, sed qui erant

ingenio inuido & maligno, quique bonos viros oderãt, & ad quamlibet seditionem facillimè mouebantur, ægrè illi quidem ferebant quòd hominem essent absoluturi: sed tamen quid aliud facerent non habebant, quia nullum affectatæ tyrannidis (cuius causa in suffragia fuerant missi) manifestum argumentum reperire poterant. Quod quũ animaduertisset Lucius ille qui & in senatu verba fecerat, & qui callidis artibus autor fuerat vt S. C. de hoc iudicio fieret, surrexit, & indicto silentio, in hunc modum est loquutus, {Quando Quirites, patricij crimine orationis in senatu habitæ, & factorum quæ inde violenta & superba sequuta sunt, Marcium absoluunt, & eum ne accusare quidem nobis permittunt audite quod facimus præter illa verba generosius iste vir patrarit, & videte quàm superbum, quàm tyrannicum, & qualem vestram legem ipse homo priuatus violarit discite. Omnes profectò scitis, prædam ex hostibus captam, nostráque virtute partã ad rempub. legis iussu pertinere, & non modò nullum priuatum hominem, sed ne ipsum quidem imperatorem in istam ius habere: sed quæstoris esse hanc acceptam vendere, & pecuniam hinc redactam in ærarium ferre. Hãc legem ab vrbe condita nullus non solùm non violauit, sed ne reprehendit quidem vt malè latã: at vnus iste Marcius, eius iã latæ ac sancitæ autoritate contempta, solus, Quirites, prædã nostram rẽp. proximo superiore anno, nec ita pridem ausus est fraudare. Quum enim vos irruptionem in agrum Antiatem fecissetis, & multa mãcipia multum pecus, magnam frumenti vim, & magnam rerum aliarum copiam acquisissetis, hæc tamen nec quæstori dedit, nec ipse ex horum venditione pecuniam redactam in ærarium retulit: sed totam prædam amicis suis

dimisit

diuisit & elargitus est. Hoc igitur factum tyrannidis argumentum esse dico quidni enim? siquidem suos assentatores & satellites, & futuræ tyrannidis assertores de publica pecunia beneficijs affecit: atque hoc legis manifestam abrogationem esse dico. Marcius igitur prodeat, & è duobus alterum demonstret, aut se minime prædam ex hostibus captam amicis suis diuisisse, aut factum quidem sed salutis legib. quorum neutrum dicere vobis præsentibus poterit. Vos enim ipsi vtrunque nostis & legem & factum: quare, non est quod putetis hunc à vobis absolui posse, nisi contra leges & iurisiurandi sanctitatem. Omissis igitur coronis & fortitudinis tuæ præmiis & cicatricibus, cæterisque præstigijs, ad hæc respondeto, Marci. Iam enim tibi hanc dicendi potestatem facio huius criminis obiectio fecit magnam mutationem & inclinationem in alteram partem. Nam qui prius æquiores erant, & qui studebant eius absolutioni, his auditis ei fauebant remissius. At omnes maligni quorum maxima pars erat ex plebeis, qui quauis ratione hominē perdere cupiebant magna & manifesta criminis eius occasione, quam arripuerunt, confirmati, multò magis in hanc partem inclinarunt. Verum enim erat prædam ab eo fuisse diuisam, non tamen malo animo: nec ad struendam tyrannidem, vt Lucius criminabatur: sed optimo cōsilio & publicæ calamitatis leuandæ causa. Nam quum adhuc plebs seditione laboraret, & à patricijs dissideret, tunc hostes ideo audaciores facti agrum incursionibus & continuis populationibus infestabant: & quoties senatus volebat aliquas copias ad hæc hostium maleficia arcenda mittere, nullus plebeius exibat, sed alienis malis vehementer gaudebant: eáque negligebant: patriciorum

verò manus per se ab hostibus resistendum non erat satis valida. Hac re animaduersa, Marcius promisit consulibus, si summa imperij bellique sibi permisissent, se voluntarios ex exercitum in hostes eductu, & breui pœnas de illis sumpturu. Qua potestate impetrata, Marcius conuocauit & clientes & amicos & alios ciues, quotquot cum duce eiusdem felicitatis & virtutis in bello participes esse cupiebant: vbi verò existimauit iam satis validam manum conuenisse, eã in hostes adhuc rei ignaros duxit. Facta autem irruptione in agrum multis bonis refertũ & ingenti præda potitus, suis militibus permisit, vt omnia quæ ceperat inter se diuiderent, vt qui sibi in ea expeditione fuerant socij, percepto suorum laborum fructu prompto, alacrique animo ad alias expeditiones venirent & qui per pigritiam domi remanserãt cogitantes quantis commodis (quorum participes esse potuissent, si voluissent) seipsos propter seditionem fraudassent in reliquis expeditionibus prudentiores essent. Hoc igitur fuit illius viri ea in re consilium. Sed turba subdola & inuita hoc factum per se, & nudum animo inimico perpendẽs, plebis assentationem quandã & largitionẽ tyrannicam interpretabatur. Quapropter clamoribus & tumultu totum forum perstrepebat, nec Marcius quid ad hæc responderet, habebat: neque consul neque alius quispiam, quòd præter omnem expectationem, & spem hoc crimen ipsis obiectum fuisset. Quare, quum nullus amplius ad crimen illud responderet, tribuni litem exilij perpetuo æstimarunt, & tribus in suffragia miserunt, quia (vt existimo verebantur ne is absolueretur, si pœnam capitalem in eum statuissent, Deinde quum omnes suffragia tulissent, dinumeratis suffragijs nõ magnũ discrimen apparuit,

partuit, nam quum eo tempore una & viginti tribus essent, quæ in suffragia fuerant missæ, Marcius à nouem absolueba.ur Itaque si duæ tribus præterea se ipsis adiunxissent, ob suffragiorũ inæqualitatẽ & numerum maiorem legitime absolutus fuisset Hæc prima fuit de viro patricio ad populi iudicium vocatio postea ab illo tempore hoc in consuetudinem venit, vt tribuni plebis, quibuscunque ciuibus libuisset, diem dicerent qua ad causam dicẽdã ad populum venirent: atque inde primum plebis potestas magnum habuit incrementum: at status optimatum multum pristinæ dignitatis amisit, quòd homines plebeios in senatum admisisset, & magistratus ambire illis permisisset, nec à sacerdotiis eos repulisset, & alios maximos quosque honores, ac solis patricijs peculiares, partim necessitate coactus, & inuitus: partim prouidè ac sapienter cum omnibus communicasset: de quibus suo tempore dicetur. Cæterum, mos iste vocandi principes ciuitatis ad causam dicendam in iudicio, cuius arbitrium sit penes populum, multam materiam præbere potest, eum laudare aut vituperare volentibus. Iam enim multi boni & honesti viri haudquaquam pro dignitate tractati, turpiter ac iniquè à tribunis vita spoliati fuerunt, multi etiam superbi, atque tyrannici ingenij homines coacti vitæ & studiorum suorum rationem reddere meritas pœnas dederunt. Quoties igitur optimo ac integerrimo animo de causis cognoscebatur, & magnatum elati spiritus iure deprimebantur hæc res valde magna & admiranda videbatur, & ab omnibus laudabatur, quoties verò vir aliquis virtute præditus, & rempublicam administrans per inuidiam iniustè tollebatur, hoc acerbum atrox & indignum videbatur, & huius moris anta-

res dãnabantur. Et quũ sæpe pop. Rom. consultasset vtrũ iste mos tollendus, an ita vt à maioribus acceptus fuerat conseruandus esset ad nullum finem id suum consilium perduxit. Quòd si mihi quoque de rebus tantis meam sententiam interponere licet, mihi videtur mos iste, si per se consideretur, vtilis esse & reipublicæ Romanæ maximè necessarius, sed magis & minus commodus esse pro tribunorum ingeniis. Quoties enim homines iusti & moderati, & publicæ vtilitatis, quàm sui priuati commodi amantiores hanc potestatem habebant, is qui rempub. læsisset meritis pœnis persolutis aliis, qui idem facere fuissent parati metum ingentem incutiebat. At bonus vir, & qui optimo animo ad remp. accesserat, neque indicium turpe subibat, neque in criminationes, à suis studiis alienas incidebat: sed quoties improbi & intemperantes & auari homines tantam potestatem adipiscebantur, tunc his contraria fiebant. Quare, hic mos non erat corrigendus, vt vitiosus: sed in creandis tribunis plebis danda erat opera, vt viri honesti & boni ad id deligerentur, neue temere quibusuis res tanti momenti committerentur. Prima igitur seditio, qua post reges exactos Roma laborauit, ob has causas est exorta, & hunc habuit exitum. Prolixior autem in hac rerum narratione fui, nequis fortè miretur quomodo patricij tantam potestatem plebi permittere voluerint, neque cæsis neque pulsis optimatibus, quem admodum in multis aliis ciuitatibus accidit. Vnus enim quisque dum audit res nouas & inauditas cupidam scire cupit, & in hac sola fidem suam collocat. Cogitabam igitur paruam, aut certè nullam prorsus meæ orationi fidem habitum iri, si hoc tantum dixissem, patricios plebeiis suam potestatem ac principatum tradidisse, &

se, & quum possent per optimates remp. administrare, rerum summam plebis arbitrio commisisse, &, si quibus de causis hæc concessa fuissent, omisissem: ideo igitur omnes recensui. Et quoniam hanc mutationem non armis, non mutua vi, nec mutua necessitate coacti, sed oratione adducti fecerunt, maxime necessarium esse duxi, ipsas orationes, quas tunc utriusque factionis principes habuerunt, fusius explicare. Demiror autem illos qui res bello gestas accurate scribendas putant, & nonnunquam in unico prælio plurimum verborum consumunt, dum locorum naturam & armaturæ proprietates, & modum quo acies instructæ fuerint, & imperatorum adhortationes, & res alias, quæ alterutris victoriam peperierint, oratione persequuntur: dum verò civiles motus & seditiones describunt eas orationes quibus res incredibiles atque admirandæ peractæ sunt, memoriæ prodendas non arbitrantur. Siquid enim aliud in Romana rep. valde laudabile ac dignum, quod omnes homines imitentur, hoc quoque (meo iudicio) fuit: imò verò hoc cæteras omnes res, eásque admirandas, longè suo splendore superauit, quod neque plebeij contemptis patriciis eos aggressi fuerint, aut magna cæde optimatum facta, res omnes illorum occuparint, neque viri dignitate prædidi aut domestico opibus, aut auxiliis externis totam plebem oppresserint, vt in posterum sine metu in urbe viuerent: sed inter se non aliter se gesserint quàm fratres cum fratribus aut liberi cum parentibus in bene instituta familia de iuris æquabilitate disceptantes & mutua oratione adducti controuersias diremerint, & nullū insanabile aut impiū facinus alij in alios patrare ausi fuerint: quēmadmodū Corcyræi & Argiui & Milesij & tota

Sicilia, & multæ aliæ ciuitates in seditione fecerunt. Ob has igitur causas ego accuratiùs ac fusiùs quam compendiosius hæc narrare malui. Iudicium tamen vnicuique sit liberum. Ergo quum illius iudicij hic fuisset exitus, plebs dimissa stolidos spiritus assumpsit, & optimatum potentiã à se euersam existimauit. At patricij præmœrore vultu dimisso animisque deiectis discedentes ineunsabant Valerium, quo suasore ac tutore plebi iudicium permiserant. Marcius autem cum gemitibus & lacrymis hominum qui eius fortunam miserabantur, domum est deductus. At ipse, nec suos casus deflens, nec vllos propterea gemitus edens, nec quidquam sua magnanimitate indignum aut dicens aut faciens à quoquam conspectus est: sed multò maiorem animi generositatem & constantiam demonstrauit, quando domum reuersus, conspexit vxorem & matrem peplis dilaceratis, pectò a plangentes & (quemadmodum verisimile est in huiusmodi calamitatibus eas facere quæ ab hominibus sibi necessitudine coniunctissimis, vel morte vel exilio separantur) voce ferantes: nec tamen lacrymis aut lamentis mulierum commotus est, sed ipsas tantummodo salutauit, hortatusque est vt forti animo calamitates ferrent: & filios illis commendauit (nam eorum natu maior annos decẽ natus erat, minor verò vnus adhuc gestabatur) nec vllis aliis sermonibus additis usus, nec vllis rebus secum allatis quibus in exilio vti posset, domo egressus properauit ad portas, & nullì quónam profecturus esset declarauit.

9 ¶ PAVCIS post diebus venit comitiorum tempus, & consules à populo creati Q. Sulpicius Camerinus, & Sp. Largius Flauus iterùm. Eo anno multis cœlestibus prodigijs resp. aliquantulum turbata est, nam & sue-

Etrorum

ctrorum nouæ facies multis apparuerunt, & exauditæ voces à nullo certo autore emissæ, & (vt aiunt) hominum pecudúmque partus admodum alieni à natura, & vix credendi ac monstrosi edebantur, & multis in locis oracula reddebantur, & mulieres furore diuino correptæ, miserandas & graues Reipu. calamitates prædicebant: quidam etiam pestilens morbus multitudinem tentauit, & magnam pecoris stragem fecit. Verumtamen, haud multi homines morte sublati sunt, sed grauibus morbis tantummodo conflictati sunt, nec longius fortasse hoc malum. Alij igitur hæc dei voluntate accidere, quòd indigna retur optimum ciuem ab illis patria pulsum, alij nihil horum diuina indignatione fieri, sed hos & omnes alios humanos casus fortuitos esse indicabant: Tandem venit in senatum quidam nomine T. Latinus ægrotus, lectica eò delatus vir senior, & satis amplarum facultatum dominus: cæterùm ruri plerunque vitam degere, & opus rusticum exercere solitus. Hic in senatum delatus, dicebat visum sibi in somnis Iouem Capitolinum astantem dicere, {I, Latine, die tuis ciuibus, eos mihi nuper in ludis nõ egregium præsultorem dedisse, & iube eos iterum dies festos & ludos instaurare: neque enim hi fuerunt mihi grati.} Se autẽ experrectum dicebat surrexisse, & id insomniũ cõcepisse, & id vnũ de vulgaribus & fallacibus in somnis esse existimasse. Deinde denuò sibi in somniis eandẽ dei speciẽ apparuisse, iratam & indignabundã, quòd senatui non renuntiasset quæ renuntiare iussus fuerat, & minitantem (nisi hoc ocius feciss.t) fore vt magno suo damno numina minimè negligere disceret. Quum autem & secundum somnum vidisset se eandem de illo opinionem habuisse dicebat, & simul se, qui opus rusticum

exerceret, & senex esset verecundia impeditum, ausum non fuisse senatui renuntiare somnia religionis & terriculamentorum plena, ne risui mei moueretur: sed paucis post diebus filium iuuenem & formosum, neque morbo corruptum, neq; vlla alia mortis manifesta causa repentè obiisse, & rursus dei speciem sibi in somnis apparuisse, & declarasse se ob neglecta & contempta sua verba iam istas pœnas amisso filio dedisse, & mox mox alias daturum: se autem his auditis dixisse ea verba sibi grata esse, si sibi mouendum esset, qui nullo ad plius vitæ desiderio tenerentur: at deum non hanc pœnam sibi inflixisse sed in omnia corporis mẽbra dolores intolerabiles & acerbos immisisse, tta vt nullos artus absque grauissimo cruciatu mouere posset: ac tunc demum, casu suo cum amicis communicato, suasu eorum veniisse ad senatum. Dum autem hæc narraret, videbatur paulatim doloribus liberari: & rebus omnibus enarratis, quum ex lectica surrexisset, & deum inuocasset suis pedibus per vrbẽ domum sanus est reuersus. Sed ingẽs timor patres corripuit & vnusquisq; attonitus tacebat, quoniã nõ poterat coniectare quidnã id sibi vellet quod à deo declarabatur, & quis esset ille præsultor qui ei dissuasisset: tandẽ quidã ex illis facili memor id dixit & cæteri suo testimonio id cõfirmarunt. Id autẽ erat huiusmodi. Quidã ciuis Romanus non ignobilis, seruũ suũ, damnatum morte, conseruis, vt eũ ad supplicium ducerẽt, tradiderat: & quo magis illius pœna esset cõspicua per mediũ forũ, & si quis alius cõspicuus vrbis locus esset, per eũ trahi & virgis cædi iusserat: qui pompã ludorum quos illo tempore pop. Ro. in dei honorẽ faciebat, præcesit. Qui verò seruum ad supplicium duxerant, ambas illius manus extenderant, eúmque ligno alliga-

alligarant, quod pectori & humeris impositum, ad extremas brachiorū partes, quæ cum manibus iunguntur, trāuersum exporrigebatur, eúmque medium virgis lacerantes sequebantur. Is verò ad tales angustias redactus vociferabatur, & voces infandas emittebat, quas dolor ei extorquebat, & ob verbera gestus indecoros edebat. Hunc igitur omnes existimarunt esse eum saltatorem nō egregium, qui à deo significabatur. Quoniam autem ad hanc historiæ partem veni, existimo silentio non præterenda, quæ in ludis à pop. Rom. fiunt, non vt iucundis & theatricis & speciosis digressionibus vtar, sed vt cuiusdam rei necessariæ fidem faciam, nimirum, gentes quæ primùm ad condendam Romam conuenerunt, Græcas fuisse, easque ex locis illustrissimis deductas, non autem, vt nonnulli putant, barbaras & extorres. Sum enim pollicitus in fine primi libri quem de earum origine compositum in lucem edidi, me sexcentis argumentis rem propositam confirmaturum in medium productis ipsis earum moribus institutis, & studiis quæ ad meam vsque tempora ita seruant, vt à maioribus acceperunt: quia existimo non satis esse iis qui antiquitates regionum describunt, si eas, prout ab ipsis indigenis acceperunt, oratione probabili enarrent: sed etiam arbitror illis esse opus multis testimoniis, quæ non facilè refelli possint si modò fidem iis haberi volunt. Inter quæ primum ac præcipuū tenere locum credo ipsos patricios cultus deorum & geniorum apud singulos populos. Nam hæc diutissime custodiunt tum Græci tum barbari, & nihil in his immutare audent iræ diuinæ metu retenti. Hoc verò præcipuè faciant barbari ob multas causas, quas in præsentia recenseri tempus non patitur, nec potuit longa seculorum se-

ries ad hanc vsque diem efficere vt patrios deorum cultus dediscerent, aut impiè & contra leges ac mores suos mutarent in his aliquid, vel Aegyptij vel Afri vel Galli vel Scythæ vel Indi, vel denique (vt paucis rem expediam) vlla alia gens barbara præter quosdam qui in aliorum potestatem quondam redacti, coacti sunt victorum ritus recipere. At pop. Rom. nunquam cõtigit vt talem fortunæ iniquitatẽ experiretur, sed ipse perpetuò aliis iura reddidit. Si igitur eorum genus barbarum fuisset non solùm ipsi prima sacra & patrios ritus non dediissent, ob quos ad tantã felicitatẽ prouecti sunt, sed ẽt aliis omnibus, quibus imperabãt, præclarũ fore existimassent deos suis ritib. ab ipsis coli, & nihil vetuissent quominus tota Græcia (si modò barbari fuissẽt) eorũ operæ barbara fieret, quũ ætatẽ iam septimã sub illorũ imperio degat. Alius igitur fortasse satis esse putaret vel ex iis ipsis, quæ nunc Romæ fiunt, veterũ institutorũ non leuia argumenta sumere: sed ego, nequis absurda illa opinione motus, hoc argumentũ inualidum putet. Romanos videlicet tota Græcia deuicta lubẽter patriis ritibus neglectis, alios meliores didicisse, ex illo tempore coniecturam ducã, quo tempore nondum Græciæ principatum, neq; vllam aliam transmarinam prouinciam habebant, & Q. Fabium autorem sequar, cuius vnius fides ac autoritas mihi sufficiet, nec vlla alia præterea opus est mihi. Hic enim est Romanorũ scriptorum antiquissimus, qui, vt suæ historiæ fidem faciat, non solùm affert res quas ex aliis audiuit, sed illas etiam quæ ipsemet vidit & cognouit. Hos igitur ludos senatus Romanus decreuit (vt & antè dixi) à dictatore A. Postumio votos, quum esset pugnaturus cum Latinis populis, qui à pop. Rom. defecerant,

fecerant, & Tarquinium in regnum reducere conabantur. In hæc autem sacrificia & ludos quingentas argenti minas quotannis impendi statuit, & ad bellum usque Punicum eam pecuniæ summam pop. Rom. in hos dies sustos ac ludos impendit. Per istos autem dies sacros, cum multa alia more Græco fiebant, & in celebritatibus, & in hospitibus excipiendis, & inducijs, quæ commemorare valde difficile esset, tū vero præcipuè ea quæ in solenni pompa & ludorum sacrificijs fiebant. quæ (nā & ex his de iis quæ dicta non sunt, facile iudicare poterimus) huiusmodi erant. Antequā ludi committerentur, viri quorum maxima erat potestas, pompam diis à Capitolio per forum in circum maximum ducebant: & in ea pompa primi erant eorum filij pubertati proximi, & qui per ætatem pompæ interesse poterant, equis inuecti, quorum patres erant ordinis equestris, cæteri pedibus, qui in pedestri militia erant militaturi, distincti in alas & centurias & classes & ordines, quasi ludum literarium pervirilem ætatem erat peruentura, vtq; illi viderent quàm numerosa & formosa esset. Hoc sequebantur quadrigarij, bigarij, & equorum singularium agitatores: post quos ibant leuiorum grauiorumque certaminum athletæ relicto corpore nudi, pudendis tantum tecti. Hic mos & ætate, sicut olim apud Græcos fuit, durabat. Sed in Græcia à Lacedæmoniis antiquatus & sublatus fuit. Primus autem qui corpus nudare cœpit, & qui in olympiaco stadio decima quinta olympiade nudus cucurrit, fuit Acanthus Lacedæmonius. Antea enim apud omnes Græcos turpe habebatur totum corpus in certaminibus nudum ostendere, quemadmodum Homerus omnia

testium grauissimus & antiquissimus fidem facit, dum succinctos inducit heroas. Nam Aiacis & Vlyssis luctam in ludis funebribus in Patrocli honorem factis describens, his verbis vtitur,

{ Illi autem succincti iuerunt in medium certamen.}

Et multò manifestiùs hoc in Odyssea declarat, vbi Iri & Vlyssis pugilatum describit, his verbis,

{Sic est loquutus, omnes autem laudarunt sed Vlysses
Succinxit vilioribus subligaculis pudenda, ostendebátque femora
Et pulchra & magna: & apparebant eius lati humeri,
Et pectus, & robusta brachia.}

Dum autem mendicum illum inducit certamen detrectantem & formidantem, hæc dicit,

{Sic loquuti sunt sed ito præ ignauia commotus est animus:
Verùm & sic Proci illum inuitum subligaculis cinctum adduxerunt.}

Constat igitur, Romanos, qui ad hunc vsque ætatem hunc priscum Græcorum morem seruant, eum non à nobis postea didicisse: sed ne progressu quidem temporis eũ mutasse, quemadmodum nos fecimus. Athletas autem sequebãtur saltatorum chori trifariam diuisi, primi erant viri, secundi imberbes: postremi pueri: quos sequebantur tibicines, qui priscas & paruas ac breues tibias insiabant, iisque ludebant, quemadmodum & hoc quoque tempore fit: & citharistæ, qui eburneas lyras septem fidium, & bárbita, quæ ita vocantur, pulsabant, quorum vsus

vsus mea ætate obsoleuit, licet esset patrius. At Romani ad omnes antiquas sacrorũ cæremonias hæc adhibẽt. Apparatus autem saltatorum erant tunicæ puniceæ baltei æneis astrictæ enses de latere pendentes, & lanceæ mediocribus breuiores. At reliqui viri galeas etiam æreas cristis insignes penniſq; ornatas gestabant & vnũquemque chorum vnus vir præcedebat, qui aliis saltationis formulas & modos præibat: vnus item qui militares ac concitatos motus plerunque rythmis proceleusmaticis præcinẽs imitabatur. Hoc quoq; exercitationis genus græcanicum & peructuſtum erat, armata inquam saltatio, quæ pyrrhiche vocatur, siue id Mineruæ est inuentum, quæ post deletos Titanas prima choreas duxisse, & armata saltasse, carmẽque victoriæ præ lætitia cecinisse ferturſ: siue etiam id multo ante à Curetibus institutum fuit, quo tempore Iouem infantem armorum sonitu & concinnis gesticulationibus mulcere volebant, quemadmodum fabulis proditur. Hunc autem morem & vetustum, & Græcis patrium ac vulgarẽ fuisse Homerus declarat, cùm multis aliis in locis tum præcipuè in structura clypei quem Achilli à Vulcano dono datum dicit nã fingens in eo duas ciuitates, alteram pace florentem, alteram bello vexatam: in qua fortunam felicem esse statuebat, in ea dies festos & nuptias & conuiuia (quemadmodum verisimile est) inducit: & hæc dicit,

{ Iuuenes autem saltatores saltabant: inter quos
Tibiæ & citharæ resonabant, & mulieres
Stantes admirabantur in ædium vestibulis vnaquæque. }

Et rursus, describens aliam in eo clypeo choream Creticam instructam, quæ ex adolescentibus & puellis in-

nuptis & egregiè ornatis constabat, hæc dixit,

{In eo etiam clypeo chorum insculpserat valde
inclytus Vulcanus
Ei similem, quem quondam in Gnosso am-
pla
Dædalus instruxit pulchricomæ Ariadnæ.
Hic & iuuenes, & virgines eleganti forma præ-
ditæ
Saltabant, manus sibi inuicem tenentes.}

Et ornatum eius enarrans, vt nobis declaret mares armatos saltasse, hæc dicit,

{Atque illæ quidem pulchras coronas habebant:
illi verò gladios
Gestabant aureos ex argenteis balteis [pen-
dente] }

Et præsultores eorum, qui modulos aliis præibant, & motus primi dabant, inducens, hæc scribit.

{ Ingens iucundum chorum circumstabat
turba,
Quę voluptatem ex eo spectaculo capiebat, duo
autem saltatores inter ipsos
Carmen præibant, & in gylum saltabant inter
medios. }

Nec solùm ex isto saltationis concertatorio genere, quod chori exercebant, & quo Romani in sacrificiis & pompis vtebantur, eorum cum Græcis cognationem cognoscere quis possit, verumetiam ex illo cauillatorio & mordaci saltandi genere. Nam post armatos saltatorum choros in pompa sequebantur satyristarum chori, qui Græcam sicinnin referebant. Apparatus autem erant illis quidem qui Silenos repræsentabant, tunicæ

villosæ

villosæ, quas nonnulli χαιραλους vocant, & amiculæ ex variis floribus contextæ: illis verò qui satyros repræsentabant, erant subligacula, & hircinæ pelles, & setæ in capite horrentes & erectæ, aliáque his similia. Hi serias saltationes ridiculè suis gestibus imitabantur, eas per ludibrium deprauantes, vt spectatoribus risum mouerent. Ex triumphis autem qui aguntur satis liquet hos lusus cauillatorios & satyricos apud Romanos iam inde à priscis seculis receptos fuisse. Licet enim iis, qui triumphum prosequuntur iambos & dicteria iacere in illustrissimos quosque viros, atque adeò in ipsos imperatores, quemadmodum Athenis olim iis qui plaustris vecti pompam prosequebantur, obuios quosq. scommatibus impetere licebat: nunc verò carmina ex tempore composita canunt. Quinetiam in illustrium virorum funeribus, præter alias pompas, vidi & satyricos choros, qui lectum præcedebant, & sicinnen saltationem saltabant, præcipuè verò in fortunatorũ virorum funeribus. Quòd autem satyricus ludus & saltatio, nec Ligurum nec Vmbrorum nec aliorum barbarorum Italiam incolentium, sed Græcorum fuerit inuentum, vereor ne cui molestus esse videar, si velim rei confessæ fidem prolixiore oratione facere. Post istos choros multi citharistæ & multi tibicines trãsibant: post eos incedebant alij qui thuribula & argentea & aurea, & sacra & publica ferebant. Postremum in pompa locum obtinebant deorũ simulachra, quæ hominum humeris portabantur, quæ tales habebant formas quales apud Græcos finguntur, & eandem habitum, eadem insignia & munera, quæ ab eorum vnoquoque inuenta & hominibus data traduntur, nec solùm Iouis, Iunonis, Mineruæ, Neptuni, & aliorum, quos Græci inter

duodecim deos recensent: sed etiam antiquorũ, ex quibus duodecim illos deos genitos fabulæ tradunt, Proserpinæ, Lucinæ, Nympharũ, Musarum, Horarũ, Gratiarũ, Liberi, & aliorum semideorum, quorum animæ huius corporis mortalis solutæ vinculis cœlos ascendisse, & pari cum diis honore frui feruntur, Herculis, Æsculapij, Castoris & Pollucis, Helenæ & Panis, & sexcentorum aliorum. Atqui si barbari fuissent Romæ conditores, & qui hunc diem festum instituerunt, quo modo ipsis decorũ fuisset omnes deos & genios Græcos colere & patrios negligere? Aut ostendat nobis aliquis præter Græcam nationem, aliam cui sacra hæc sint domestica, & tum demum hanc probationem vt minimè sanam reprehendat. Peracta autem pompa confestim & consules & sacerdotes, quibus fas erat, & aruspices victimas immolabant, idque eodem modo quo nos vtimur. Ipsi enim lotis manibus: & victimis aqua pura lustratis, molaq; aspersis earum capitibus, deinde precibus factis eas à ministris mactari iubebant, quorum alij tempora victimæ adhuc stantis secte percutiebant, alij verò ei cadẽti cultros suppone bant, ac detracta pelle membratim eam concidebant, & primitias ex singulis extis & omnibus aliis membris capiebant, quas farris farina aspersas ad eos qui sacrificiũ faciebant in canistris afferebant. Hi verò eas aris impositas succendebant, & in eas, dum sanctè & ritè cremarentur, vinum infundebant. Quòd autem hæc singula ex more in sacrificiis à Græcis constituto fierent, ex Homeri poesi quiuis facilè cognoscat. Nam inducit heroes manus lauantes, & molis vtentes, vbi sic loquitur,

{Postea manus lauerunt, & molas susceperunt.}

Pilos quoque de capite sectos, & ab illis in ignem conjectos,

iectos, docet his verbis,

{ At ille sacra auspicatus, capitis pilos in ignem iecit. }

Vectibus et victimarũ frontẽ ab illis percuti, & collapsas mactari dicit: quẽadmodũ in Eumaei sacrificio fecit,

{ Percussit autem [eum] sublato in altũ quernostipite, quẽ reliquerat quũ dormitũ iuerat: Illum verò reliquit anima: at illi eum iugularunt, & assarunt. }

Inducit etiã eos primitias extorum & aliorum membrorum capientes, eásque farina aspergentes, & adolentes supra aras, quemadmodum in eodem sacrificio facit,

{ Carnes autẽ crudas [aris] imponebat subulcus; Ex omnibus carpens membris primitias inuolutas pingui adipe.

{ Atq; hęc qdẽ in ignẽ iecit aspersa farinę flore. }

Hæc autem à Romanis etiam ætate mea in sacrificiis obseruari quum ipse viderim, scio: & hoc uno argumẽto contentus, adducor vt credã Romæ conditores minimè barbaros fuisse, sed Græcos, qui ex variis locis in vnum conuenerint. Fieri enim potest vt etiam barbari aliqui in paucis sacrorum & festorum ritibus cum Græcis cõsentiant: sed vt hæc omnia faciant, vix est credendum. Reliquum est mihi, vt paucis etiam agam de ludis quos peracta pompa faciebant. Primus erat quadrigarũ & bigarum & singularium equorum cursus, sicut olim apud Græcos, & ad hanc vsque ætatem in ludis olympiacis fit. In equestribus autem certaminibus duo peruetusta instituta quẽadmodũ olim fuerãt instituta, à Romanis ad meam vsque ætatem obseruãtur, vnum est trigarum, quod in Græcia quidem obsoleuit, vetustum & heroicũ

institutum, quo Græcos in prælijs vsos Homerus testatur. Nam duobus equis iunctis, quo modo bigæ iunguntur addebatur tertius equus funalis, quiloru adiunctus erat, quem prisci vocabant παράωρον, quòd alijs esset adiunctus & adnexus. Alterũ verò est, quod adhuc apud quosdã Græciæ populos obseruatur, in vetustis quibusdã sacrificijs, eorum videlicet cursus, qui curru vehũtur. Finito enim equestri certamine ij qui prius iuxta aurigas eodem curru vehebantur, quos poetæ παραβάτας, Athenienses ἀποβάτας vocant, de curru desilientes in stadio ipsi inter se cursu certant. Post peractos cursus equestres, tunc athletæ, cursores, pugiles, & luctatores stadium ingrediuntur. Hæc.n.tria certaminum genera apud priscos Græcos erant, vt Homerus in Patrocli funere declarat. Cæterùm, medio temporis spatio quod inter certamina intercedebat ex more qui Græcis maximè erat peculiaris, & longè omnium optimus, homines bene de se meritos coronis coronabant & honorabant, & voce præconis laudabant (quemadmodum Athenis in Bacchanalibus fiebat) & omnia spolia hostibus erepta, illis qui ad spectacula conuenerant ostendebant. Sedenim nec res præclarè se habuisset si de his nullam prorsus fecissem mentionẽ, ipsa argumenti ratione hoc postulante, nec, si prolixiore oratione quàm par erat vsus fuissem commodum hoc fuisset. Tempus verò est vt ad intermissam narrationem redeamus. Vbi igitur senatus cognouit quod acciderat illi seruo ad supplicium iussu domini abducto, & pompæ præsultori, ob huius facinoris nouitatem est commotus, & existimans hunc esse præsultorem illum qui deo displicuerat, & qui ab eo (vt dixi) indicabatur, diligenter quæsiuit dominum, qui

seruum

seruum suum adeò crudeliter ac fœdè tractarat, mulctáque illi pro meritis irrogata, deo pompam ludósque duplo maiore sumptu quàm antè, instaurari suo decreto iussit. Atque hæc quidem his consulibus sunt gesta.

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI, ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER OCTAVVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Marcius Coriolanus exul, ad Volscos deficiens, in eorum Comitiis de belli Romanis inferēdi causa iusta quærenda habet orationem.

2 Volscorum Legatio, deinde irruptio in agrum Romanum, Marcio duce, qui de ratione belli cum collega consultat ac Circeios recepit: Romæ simultas inter Patricios & plebeios exoritur.

3 Altera Volscorum, Marcio duce, in agrum Romanum irruptio: Tolerinorum vrbs capitur, Bola vi expugnatur, Labicani in seruitutem trahuntur, Corbione & Coriolis deditis Lauinium oppugnatur.

4 Senatus antea Marcij studiosus plebi eum reducere volenti aduersatur: Romam cum exercitu contendit Marcius, ad quem missi legati, & Minucij oratio.

5 Marcij ad legatos Romanorū ad se missos responsio.

6 Inducijs populo Rom. concessis Marcius Latinorum vrbes septem expugnat: legatio altera & tertia ad

Marcium, eiusdémque responsa.

7 Veleriæ consiliũ in obsidionis metu: eiusdé exhortatio ad Veturiã Marcij matrẽ, & Veturiæ respõsio.

8 De mulierum ad Marcium profectione senatusconsultum: earũ legatio, & quàm honorificè sint exceptæ: Veturiæ prima ad Marcium oratio, eiúsque responsum.

9 Veturiæ altera ad Marcium filium oratio, qua eum tandem permouit.

10 Marcius matris precibus victus exercitum reducit: Matronis ob legationem feliciter peractam qui honores habiti: Tullus Marcij inter Volscos collega, illi molitur eodem, indicta causa Marcius à Tulli factione interficitur, triumphali funere decoratur, eiusdem virtutes & vitia: qua obseruantia Volsci & Romani defunctum coluerint: felicitatisque Volscorum inclinatio.

11 Bellum cum Hernicis & Volscis, de quibus Aquilius & Siccius consules triumphum agunt.

12 Æqui, Volsci, & Hernici debellati Virginio & Sp. Cassio Coss. Cassius ingentem tumultum Romæ excitat propter leges Agrarias: variæ consultationes de tumultu illo extinguendo: & senatusconsultum de agrorum diuisione.

13 Q. Fabio & Ser. Cornelio Coss. Sp. Cassius in iudicium vocatus ob affectatam tyrannidem capite damnatur: & quæ post eius supplicium Romanæ Reipu. fuerit facies.

14 L. Æmilio & Cæsone Fabio Coss. bellum aduersus Volscos geritur, vario euentu: tumultus Romæ oritur: bellum cum Volscis continuatur: Opimia Vestalis, virginitate amissa, viua sepelitur: contentio inter plebem & patricios de futuris consulibus: variis irruptionibus Æqui & Veientes agrum Rom. infestant.

SEQVENTI anno Olympiade septuagesima tertia, qua vicit in stadio Astylus Crotoniates, archonte Athenis Anchise, creati cõsules C. Iulius Iulus & P. Pina-

rius

rius Rufus, viri minimè bellicosi, ob hoc ipsum potissimum à populo creati, multa & magna pericula coacti sunt subire, belloipsis consulatum gerentibus repentè exorto, quo parum abfuit quin vrbs funditus everteretur. Nam Marcius ille Coriolanus, qui ob suspicionẽ affectatæ tyrannidis accusatus & in perpetuũ exiliũ pulsus fuerat, suum casum indignè ferens & pœnas de inimicis sumere cupiens, sed quónam modo quibúsne viribus id posset facere considerans, vnam Volscorum potentiam Romanis tunc parẽ comperierat, si de communi sentẽtia, & nacti prudentem ducem bellum ipsis inferrent. Cogitabat igitur, si Volscis persuadere potuisset vt se recuperent, sibique imperij bellique summam permitterent facilè se rem consecturum. Sedenim conscientia terrebat, quod toties in prælijs graues clades illis attulisset, vrbesque sociας ademisset. Non tamen ab hoc conatu periculi magnitudine territus destitit, sed in ipsa pericula ruere, & quidnis ab illis perpeti statuit. Itaque obseruata nocte eáque obscura, venit Antium, nobilissimam Volscorum vrbem, eo tempore quo vrbis incolæ cœnam sumebant, ingressúsque in ædes viri & nobilitate & opibus potentis, & ob res bellicas magnificè de se sentientis, & summæ in ea gente autoritatis, cui Accio Tullo nomẽ erat, ad genua ipsius sedentis ad focum supplex accidit. Quum autem ei necessitates narrasset, ad quas redactus erat, & quibus impulsus ad hostes confugere non dubitarat, orabat vt moderatè & humaniter de ho ine supplice sentiret, néve hostem duceret eum quem in sua potestate haberet, néve in calamitosos & afflictos suas vires exereret considerans humanæ fortunæ vicissitudines & inconstantiã {Poteris autẽ, inquit, hoc

potissimùm vel mei ipsius exemplo discere, quis quũ non ita pridẽ in maxima urbe omniũ præstantissimus viderer, nunc ab omnibus destitutus & exul & humilis atq. abiectus id patiar, quod tibi hostili libuerit. Polliceor verò tibi me tãũ boni Volscis allaturũ, si in huius gẽtis amicitiam fuero receptus, quantũ mali illis attuli dũ hostis essem. Quòd si aliter de me sentis, ex tẽpore irã tuam in me effunde, & mortẽ quàm citissimam mihi largire, tua manu, tui sq. in ædibus me supplicẽ macta. ¶ Dũ aũt hæc diceret, Tullus porrecta dextra eum à foco subleuauit, bonóque animo esse iussit, quòd nihil sua virtute indignum esset passurus séque ipsi, quòd ad se venisset, magnam gratiam habere dixit, hunc quoque honorem non parum esse interpretans, & promisit se omniũ Volscorum amicitiam ei conciliaturum, facto à suis ciuibus initio. & quidquid promisit, id etiã præstitit. Nec ita multo post, quum Marcius & Tullus remotis arbitris inter se consult. essent, bellũ populo Romano inferendũ censuerunt. Ac Tullus quidem cũ omnibus Volscorum viribus Romam confestim petendam censebat, dum populus seditione laboraret, & duces imbelles haberet: sed Marcius arbitrabatur prius causam piam & iustã belli inferendi quærendam: docens deos omnibus rebus adesse, præcipue verò bellicis, idq; tanto magis quanto hæ rebus alijs sunt maiores, & quanto harum alea incertior & periculosior esse solet. Tunc autem Romani Volsci-que arma suspenderant, & inducias fœdúsque in biennium paulò ante fecerãt. ¶ Si igitur, inquit, incõsideratè & præpropere bellum ipsis intuleris, tu fœdus prior violasse videberis, nec numen diuinum propitium habebis, quòd si expectaris donec ipsi hoc faciant, bellum illatũ pro-

propulsare, fœderibusque violatis opem ferre videberis. Quomodo autem hoc fieri possit, & quomodo illi priores fœdera violare, nos verò pium, iustumque bellum inferre videamur, ego post longam cogitationem tandem inueni. Oportet autẽ illos à nobis deceptos iura priores violare. Modus autem eos decipiendi (quem ego habeo) nullus continui & occultari, opportunam eius occasionem expectans, iam verò quum te animo admodũ propẽso ad rem aggrediendam videam, ocius in medium prosilire cogor) hic est, pop. Rõ. sacrificia ludósque sumptuosissimos, magnificentissimósque est facturus: ad horũ autem spectaculum multi peregrini confluent. Hoc tempore expectato, & tu quoque, & da operam pro viribus, vt quàm plurimi Volsci ad id spectaculum veniant. Vbi verò in vrbe fueris, tuum aliquem amicum, necessitudinis vinculo tibi coniunctissimum consules adire iube, & secretò dicere, Volscos noctu vrbem aggressuros & ideo tantum eorum numerum in vrbem cõuenire. Certò enim scias, si hoc audierint illi procul dubio fore vt sine vlla cunctatione vos ex vrbe pellant, atque ita iræ iustæ materiam præbeant. His Tullus auditis, mirum in modum lætatus est, atque hac expeditione in illud tempus dilata, in belli apparatum incumbebat. Deinde quum tempus ludorum committẽdorum veniisset, & Iulius ac Pinarius consulatum iam iniissent, lectissima Volscorum iuuentus ex omnibus ciuitatibus, autore Tullo, ad ludorum spectaculum venit, eorúmque maior pars diuersit in loca sacra & publica, quòd hospitia priuata non sufficerent ad omnes recipiendum, & quoties per vias ibat, cæteruatim & magnis sodalium globis ambulabant, ita vt ideo in tota vrbe iã ingens esset murmur, nec

graues abessent suspiciones. Interea index à Tullo subornatus adit consules, vt Marcius monuerat, & quasi rē aliquā secretam contra suos amicos hostibus esset declaraturus, consules iureiurando obstringit, tū vt suæ saluti consuleret, tum etiam ne quis Volscorum resciscceret quisnam fuisset qui indicia contra ipsos detulisset. Atque ita demū fictas illas insidias declarat eiusque verbis ab illis viris facile fides habita, quòd ea res vera videretur, ac mox viritim à cōsulibus coactus est senatus, & index in medium productus, accepta & ab illis fide dixit idem. Illis verò & iampridem res suspicionis plena videbatur, quòd tanta multitudo iuuentutis ex vna gente sibi inimica ad spectaculum venisset, sed accedente hac indicio, cuius fraudem ignorabant opinio illa valde confirmata est. Placuitque omnibus, vt ex vrbe excederent Volsci ante solis occasum, & iis qui parere nollent pœna capitalis per præconem denuntiaretur. Vt autem sine vlla contumelia, & tutò illi discederent, consules hoc curarent. Hoc senatusconsulto facto, præcones per omnia compita dimissi, qui edicerent vt Volsci è vestigio ex vrbe discederent, atque omnes per vnam portam Capenam egrederentur, alij verò cum consulibus eos abeuntes deducebant. Tunc maximè apparuit quantus esset eorum numerus, & quantum esset omnium robur vno eodémque tempore, & per vnā portam illis exeuntibus. Primusque Tullus exiuit propere, & occupato non procul ab vrbe loco opportuno & commodo, ibi eos qui serius veniebant, excipiebat. Quum autem omnes conuenissent, concione habita grauiter in pop. Rom. est inuectus graui & infanda cōtumelia Volsces affectos ab eo dicens, quòd ipsi soli omnium hospi-

tum

tum vrbe pulsi fuissent, & vnumquenque rogabat vt hæc suæ patriæ renuntiaret, daretque operam vt hæc Romanorum superbia pœnis ob hoc iuris violati scelus datis comprimeretur. His dictis, & accensis hominum animis, qui ob eam iniuriam indignabantur concionem dimisit. Vbi verò singuli in suas patrias reuersi, aliis acceptam contumeliam, rem exaggerantes, declararunt, vnaquæque ciuitas indignabatur, nec iram continere poterat, missisque vltro citróque ad populos legationibus, totius Volsci nominis concilium indictum est, vt de communi omnium sententia de bello consultaretur. Hæc autem facta sunt Tullo potissimùm instigante, & ex singulis populis tam ipsi magistratus quàm alia ingens turba in vrbem Ecetram conuenerunt. Hæc enim in maximè opportuno loco ad concilium reliquorum populorum sita videbatur. Ibi post multa verba à primoribus cuiusque ciuitatis dicta, vt qui aderant missi sunt in suffragia, & sententia obtinuit bellum mouendum, quòd Romani priores fœderis iura violassent. Quum autem magistratus de modo belli gerendi consultandum dixissent, Tullus in medium progressus ita suasit vt Marcium accerserent, & ex eo quærerent quonammodo Romanorum potentia euerti posset. Hunc enim omnium hominum optimè scire & quâ laborarent res Romanæ, & quâ maximè valerent. Placuit hoc consilium, & statim omnes acclamarunt vocandum hominem. Tunc Marcius, nactus quam cupiebat occasionem, surrexit mœstus & lacrymabundus: & post modicum silentium hâc habuit oratione, {Si existimarẽ

vos omnes idem de mea calamitate sentire, de ea me apud vos purgare minimè necessarium esse arbitrarer: sed cogitans in tanta ingeniorum varietate verisimile esse non defore aliquos qui falsò atque immeritò opinabuntur me nõ sine vera & iusta causa à populo Rom. patria pulsum, primùm & ante omnia mei exilij rationem in hoc publico vestro concilio mihi reddendã arbitror. Verùm, illud à vobis per deos peto, vt vos qui optimè scitis iniurias quas ab inimicis accepi, & qui non ignoratis me immeritò ac præter ius in hoc infortunium, quod nunc experior, incidisse, me loquentem æquis auribus audiatis, nec priùs meum consilium desideretis, quàm me eius autorem, qualis sim examinaritis. Quamuis autem rem altiùs sim repetiturus, tamen in his prolixiore oratione non vtar. pop. Rom. principio formam reipub. habuit mixtam ex potestate regia & optimatum dominatu, postea vltimus rex Tarquinius regnum in tyrannidem vertere voluit. Quare, optimatum principes facto in eum conspiratione, illum ex vrbe expulerunt, & ipsi rempub administrarunt, optima & moderatissima, vel omnium confessione, reipub. administrandæ forma constituta, nec multis antè seculis: sed tertius tantùm, aut quartus hic est annus, ex quo pauperrimi & inertissimi quique ciues, malos duces sequuti, cùm alia multa insolenter fecerunt, tum postremò dominatum optimatum euertere sunt conati. Quamobrem omnes senatus principes id iniquo animo ferebant, & quomodo reip. perturbatorum insolentia compesci posset consultandum censebant. Atque inter seniores optimates Appius Claudius multis nominibus laudem meruit, inter iuniores ego, & verba in senatu perpetuò liberè faciebamus,

non

non plebem impugnantes: sed malorum nimiam potentiã
suspectam habentes, nec quempiam ciuem Rom. in seruitutem rediger e: sed communem omnium libertatem tueri
volentes, & reipublicæ gubernacula præstantissimis viris reddenda censentes. Hæc animaduertentes nequissimi illi tribuni plebis, nos primos, qui ipsis apertissimè aduersabamur, de medio tollere statuerunt, non ambos simul
aggressi, ad facinoris inuidiam & atrocitatem vitandam: sed à me iumore, & qui facilè opprimi poteram initio facto. Ac primùm quidem me indicta causa perdere sunt conati, deinde me à senatu sibi ad supplicium dedi petierunt: sed quum neutrum consequi potuissent, dierem mihi dixerunt ipsi futuri iudices, mihi affectatæ tyrannidis crimen obiicientes, nec illud viderunt à nullo tyranno plebem oppugnari cum optimatibus in eam conspiratione facta, quin potiùs contrà plebis ope auxilioque præstantissimos quosque ciues ab eo tolli, nec mihi iudicium centuriatis comitiis more patrio dederunt: sed id iudicium quod omnes pessimum fatentur, & quod in me primum & solum constitutum est, in quo plus valitura erant suffragia mercenariorum & vagorum & alienis fortunis insidiantium, quàm virorum bonorum, & iustorum & reipub salutis studiosorum. Tanta autem innocentia in me apparuit, vt à plebe iudicatus, cuius maior pars viros bonos odio prosequebatur, & ideò mihi infensa erat duobus tantum suffragiis fuerim damnatus, tribunis potestatem se deposituros minantibus nisi condemnarer, & se grauissima quæque à me perpessuros dicentibus, & omni studio & animi contentione in eo certamine me oppugnantibus. Hæc igitur passus à meis ciuibus, reliquam vitam mihi non viuendam duxi, nisi pœnas de

illis sumerem. Quapropter, quum liceret mihi tranquillam vitam degere, vel apud aliquos Latinos populos, ob cognationis iura, vel in colonijs recèns conditis, quas maiores nostri deduxerunt, hoc tamen nolui: sed ad vos confugi, quos scio plurimis iniurijs à pop. Rom. affectos, eique infestissimos, vt vobiscum pro viribus communes iniurias vlciscar, & verbis & factis prout res postularit. Et vobis magnam habeo gratiam, quòd me receperitis, & multò maiorem pro honore, quo me honoratis omnium malorum & iniuriarum in bellis à me acceptarum memoria deposita. Eia igitur, qualis vir essem, si gloria & honoribus mihi à meis ciuibus meritò debitis, ab illis priuatus, de quibus optimè eram meritus, præterea simul patria, domo, amicis, diis patrijs, maiorum sepulcris, & omnibus aliis bonis spoliatus, atque his omnibus apud vos inuentis cum quibus bellum in illorum gratiam gessi, eos non infestarem. quos pro ciuibus hostes sum expertus? nec benefacerem iis quos pro hostibus amicos habui? Equidem pro viro eum non habuerim, qui nec hostibus est infensus, nec suæ salutis autores benevolentia prosequitur. Patriam verò existimo, non eam ciuitatem quæ me in ciuem abnegauit, sed eam à qua ciuis sum factus, licet sim peregrinus, & regionem amicam puto non eam in qua affectus sum iniuria sed in qua tutò manere possum. Et si deus nos iuuerit, & vos (vt par est) alacriter operam nauaueritis, spero breui magnam fore mutationem. Illud enim probè scitis pop. Rom. iam multis bellis exercito nullum hostem magis formidandum esse quàm vos, nec eum in vllam aliam rem maiore studio semper incumbere quàm in hanc, vt vestræ gentis vires debilitet: & propterea vestras vrbes partim bello captas, partim

tim amicitiæ spe acceptas tenere. ne omnes coniunctis copiis commune bellum ipsi inferatis. Si igitur vos quoque vicissim perpetuo illi obnitamini, & in bellum omnes consentiatis, quod iam facitis, facilè eius potentiam euertetis. Quoniam autem de modo & ratione belli gerendi vultis me meam sententiam aperire, siue hoc meæ peritiæ, siue beneuolentiæ siue etiam vtriusque est testimonium, dicam, & nihil vos celabo. Primùm igitur, sum vobis autor vt detis operam, vt piam & iustam belli causam quæratis. Quænam autem & pia & iusta, & simul ære vestra causa sit futura, ex me audite. Ager quem populus Romanus principiò habebat, est exiguus & sterilis: sed quem armis sibi quæsiit & finitimis ademit, est & amplus & fertilis. Et si vnusquisque populus partem suam sibi per vim contra ius & fas ereptam velit repetere ac recipere, nihil erit tam parvum, tam debile, tam egenum quàm respublica Romana. Hinc igitur nobis initium ducendum arbitror. Mittite igitur legatos ad populum Romanum qui repetant vestras vrbes quas occupat, & qui postulent vt ex munitionibus omnibus, quas in nostro agro muniuit, excedat, & suadeant, vt si quid aliud de vestro per vim vsurparit, id vobis reddat. Nec priùs ipsi bellum inferatis quàm responsum ab eo acceperitis. Si enim hæc feceritis alterutrum eorum quæ vultis, consequemini, aut res vestras sine periculo & sumptu recipietis, aut præclaram & iustam belli causam habebitis. Nam quum quis res alienas non appetit: sed suas tantùm reposcit, & passus repulsam armis ius suum persequitur, hoc omnium consessione honestum est. Eia igitur, quid putatis Romanos facturos si vos hæc petere volueritis? vtrum vestrum

agrum reddituros? & quid vetabit quominus mox omnibus rebus alienis cedant? Venient enim Aequi, Albani, Etrusci, & multi alij vt agrum suum recuperent. An retenturos loca occupata, & nihil quod sit iustum, facturos? Ego certè ita opinor. Ergo vos iniuria ab illis lacessitos testati, arma ipsa necessitate coacti capietis, & socios habebitis omnes, quotquot rebus suis spoliati se eas aliter quàm armis recuperare posse desperarunt. Hæc autem occasio est peropportuna, & qualis nulla alia se vobis posthac offeret ad Romanos inuadendum quam ne speratam quidem ipsa fortuna vobis iniuriam passis obtulit, dum illi seditione laborant, & sibi inuicem sunt suspecti, ducesque rerum bellicarum imperitos habent. Hæc igitur sunt de quibus amicos summa beneuolentia ac fide monendos, & quæ illis suadenda verbis putaui. Quæ verò & consilio prouidenda & arte excogitanda erunt, quoties res postulabit ea vestrarum copiarum imperatoribus cogitanda permittetis. Ego enim quemcunque locum mihi assignaueritis, in eo me nullo vel milite vel centurione vel duce deteriorem præstare omni studio conabor. Quare mea opera abutamini in quibuscunque rebus vobis prodesse possum, atque persuasum habeatis, me qui hostis magna detrimenta vobis afferre potui nunc quoque vestrum socium magna commoda vobis afferre posse. } Hæc dixit Marcius. Dum autem adhuc ille loqueretur, Volsci eius verba libenter audire constabat: & quum ille finem dicendi fecisset, ingenti clamore eum optime monere significarunt: & nulli amplius facta dicendi copia, eius sententiam ratam fecerunt. Quare scripto decreto, cõfestim ex singulis ciuitatibus nobilissimos quosque viros delegerunt, Romámque legarunt. Cæterum, Marcio in o-

mn

mni ciuitate ius senatoriæ dignitatis, & gerendorum vbique magistratuum, & cæterorum honorum, quotquot apud ipsos maximi erant, decreuerũt. Nec expectatis pop. Rom. responsis rem aggressi bellũ parabant: & quotquot ex illis ad eam vsque diem prælijs superioribus fracti de missione erant animo, tunc omnes velut Romani imperij potentiam euersuri vires collegerunt.

2 ¶ LEGATI autẽ ab ipsis Romã missi, postquã in curiã introducti sunt, {Volsci (inquiebant) magnopere cupiunt omnes cõtroversias tollere & in posterũ pop. Rõ. amici & socij sine dolo & fraude esse: firmam autem amicitiæ fidem inter vtrosque fore demonstrabant, si agrum suum, & oppida sibi à Romanis erepta reciperent: aliter verò nec pacem, nec amicitiam cum ipsis firmam fore. Natura enim ita comparatum dicebant, vt qui iniuriam patitur, iniuriam facienti sit semper hostis: rogabantque eos ne sibi belli necessitatem imponerent, rerum iustarũ repulsam ferentibus. {Quum legati hæc dixissent patres, illis curia submotis, inter se consultarunt. Postea quũ quid respondendũ esset decreuissent, illis in senatũ re vocatis hoc dederunt responsum, {Nõ latet nos, Volsci, amicitiam quidem à vobis non peti sed speciosam belli occasionem quæri. Nam quæ à nobis petituri huc venistis, probè scitis vos nunquam impetraturos. Postulatis enim iniqua & quæ fieri non possunt. Si enim nobis oppida dedissetis, postea pœnitentia ducti nunc ea repetieretis, certè iniuria vobis fiet nisi ea reciperetis. Si verò iure belli iis spoliati fuistis, quum nullum amplius in ea dominium habeatis, iniuriam facitis, qui res alienas appetatis. Nos enim iustissimas possessiones ducimus, quas armis victores quæsimus, nec legem istam nos primi constituimus, nec

eam hominum potiùs quàm deorum existimamus: sed quia omnes tam Græcos quàm barbaros hac uti sciamus, nihil molliter vobis remittemus, nec rebus bello quæsitis cedemus. Magnum enim esset vitium, si quis res virtute & fortitudine partas, per ignauiam & stultitiam amitteret. Nullam autem belli suscipiendi vobis inuitis necessitatem imponimus, nec si in id propensi estis, quominus id moueatis deprecamur. Sed si priores bellum intuleritis, illatum propulsabimus. Hæc Volscis renuntiate & dicite illos priores arma sumpturos, nos posteà sequuturos. § Legati hæc responsa accepta ad Volscorum remp retulerunt. Rursus igitur conuocato concilio posteà de communi omnium sententia decretum est deos populo Rom. bellum indicere. Deinde Tullum & Marcium duces elegerunt, ad quos totius belli summam detulerunt. Et decreuerunt vt copiæ conscriberentur, & pecuniæ conferrentur, & res cæteræ pararentur, quæcunque ad vsus bellicos necessarias fore existimabant. Quum autem iam dimittendus esset conuentus, Marcius surrexit, atque hæc addidit. § Quæ inquit in isto concilio à vestra repub decreta sunt, bene se habent, & suo quæque fiant tempore: sed interim dum exercitus conscribentur, & alia parabuntur, quæ (vt verisimile est) sine aliquo negotio & mora parari non poterunt, ego & Tullus abibimus. Qui igitur agrum hostilem depopulari, prædámque ingentem inde reportare cupiunt, nobiscum veniant. Polliceor enim vobis (deo fauente) me magnam & opimam prædam vobis daturum, adhuc enim Romani sunt imparati, quòd nullas dum nostras copias in vnum contractas videant. Itaque eorum agri quantum voluerimus sine vllo metu & periculo percurrere nobis licebit. Hac quoque sententia

sententia à Volscis probata duces, antequam singula ipsorum consilia Romanis innotescerent, cum ingenti voluntariorum militum manu ocius ex suis finibus sunt egressi: cum quorum parte Tullus in Latinorum agrum irrupit, vt impediret ne qua inde auxilia hostium Romanis subsidio venirent: reliquas copias Marcius in agrum Romanum duxit. Quum autem id malum vtpote inopinatum agreste inuasisset, multi ciues Romani ingenui, multi serui, boum & iumentorum, & alius pecoris magna vis capta, & frumentum quod in agris relictum erat, & ferramenta aliáque instrumenta rustica, partim direpta, partim corrupta sunt. Quinetiam postremò Volsci in villas ignem intulerunt ac iniecerunt. Vt nunnisi longo post tempore à dominis, qui eas amissent, reparari possent. Praecipuè verò in plebeiorum prædia saeuitum est: sed ab omni villarum quæ patriciorum erant, maleficio temperatum. Quòd si qui eorum damnum acceperunt id in mancipiis, & pecore accepisse visi sunt. Hoc enim Volscis mandarat Marcius, vt patricij plebeiis magis essent suspecti, néue seditio ex vrbe tolleretur: quod etiá accidit. Vt enim Romanorum ciuitata est agrorum vastatio & ciues cognouerunt eá calamitatem non æquè omnibus accidisse, pauperes accusabant diuites, quòd Marcius cõtra se duxisset. Sed patricij se purgabant, atque hanc esse malitiosam quandam ducis versutiam demonstrabant. Nullus tamen aut rebus peregrinis succurrere, aut reliquas seruare ob suspicionem mutuas & proditionis metum volebat. Itaque Marcius liberrimè atque impunè copias abduxit omnisque domum nulla clade affectas, & rebus quascunque volebat confectis & valde ditatus reduxit. Tullus etiam paulo post ex agro Latino cum ingenti præda rediit. Nam

ne illi quidem copias habebant, quibus cum hoste congrederentur. quia erant imparati, & repentino malo præterspem oppressi fuerant. Hinc factum est vt omnes Volscorum populi ingentes spes concipierent, & opinione citius exercitus conscriberetur, & res aliæ ad bellum necessariæ imperatoribus suppeditarentur. Coactis autem omnibus copiis, Marcius cum collega de modo ac ratione belli in posterum gerendi consultare cœpit. ¶ Mihi, inquit, Tulle, videtur optimum esse vt copiis inter nos bifariam diuisis, alter nostrum cum robustissimis quibusque militibus obuiam hostibus eat, eósque aggrediatur, & cum iis pugnet, & si nobiscum congredi ausi fuerint, vno prælio de summa rerum decernat. Sin (quod ego euenturum credo) exercitui tyronum, & ducibus rei militaris imperitis summam rerum alcámque committere non audeant, agros eorum incursionibus populetur, & sociorum auxilia distrahat, & colonias euertat: denique, sibi à nullo male ficij genere temperet, quo eos vexare possit: alter verò hic remaneat ad regionis & oppidorum præsidium custodiámque, ne fortè hostes clàm nostros incautos inuadant, & maximam accipiamus ignominiam, & dum res absentes appetimus præsentibus interea spoliemur. Sed oportet eum qui hic est remansurus, mœnia si ubi collapsa sunt, iam erigere & fossas purgare, & castella munire, vt agricolæ habeant refugia, & nouas præterea copias conscribere, & commeatus iis qui ad militiam fuerint profecti, suppeditare, & arma fabricare, & si quid aliud est necessarium, ocius ministrare. Tibi autem optionem do vtrum copiis quæ extra Volscorum fines bellum sunt gesturæ, an iis quæ hic sunt mansuræ præesse malis. ¶ Hæc eo dicente, Tullus eam sententiam vehementer est admiratus,

ratus, & quum perspectam haberet nominis industriam & felicitatem, ipsi exercitus qui ad externam militiam erat profecturus, imperium permisit. Marcius, non amplius cunctatus, cum exercitu Circeios petiit, vrbem in qua coloni Romani vnâ cum ipsis ciuibus promiscuè habitabãt, eámque obiter recepit. Nam oppidani vbi cognouerunt agrum suum esse in hostium potestate, & copias ad muros adduci, apertis portis obuiam hostibus inermes venerunt, rogantes vt vrbem in deditionem acciperent. Quo etiam factum est vt nihil grauius paterentur. Imperator enim nullum eorum interfecit, neque ex vrbe quenquam expulit: sed vestes ad vsus militum, & frumenti quantum in vnum mensem sufficeret, pecuniæque modicam summam accepit, exercitúmque abduxit parua manu in vrbe relicta, tum ad ipsorum ciuium præsidium, nequid mali à Romanis acciperent, tum etiam nequid in posterum innouarent. His Romã nuntiatis multò maior perturbatio & tumultus est exortus: quia patricij plebem incusabant quòd virum bellicosum & industrium & valde magnanimũ falsi criminis accusatum expulissent, & vt Volsci dux esset effecissent. Tribuni verò plebis patres accusabãt, & dedita opera insidiosè rem totam ab illis cõposità dicebãt, & bellũ non æquè vniuersis sed sibi solis inferri simulatè criminabantur & maligniſsimi quique de plebe ab illis stabant. Cæterum ob multuas simultates & accusationes quibus in concionibus vtebantur, ne in mentem quidem illis venit vt exercitum conscriberent, aut sociorum auxilia accerserent, aut res vrgentes & necessarias pararent. Quod quum animaduertissent Romanorum natu maximi in vnum conuenerunt, & communicato inter se consilio suadebant & pri-

uatim & publicè seditiosissimis quibusque de plebe vt de sinerent patricios suspectos habere & accusare, docentes. si ob vnius viri nobilis exilium in tanto periculo resp. versaretur, quid expectandum esset si maior patriciorũ pars à plebe contumeliis affecta idem sentire cogeretur. Atque isti plebis tumultum & confusionem sedarunt. Quum autem ingens ille tumultus sedatus fuisset, senatus coactus Legatis à Latinorum rep. ad belli societatem petendam missis, respondit se non facilè illis auxilium in præsentia mittere posse. Sed se illis ipsis permittere, vt de suis militibus exercitum conscriberent, eique duces suos præficerẽt & tantas copias ad bellum mitterent, quantas ipse pop. Rom. esset missurus. Nam in amicitiæ fœderibus, quæ cum illis fecerant, hoc vtrunque vetabatur. Consulibus verò mandauit vt delectus haberent, exercitúmque conscriberent, & vrbem præsidiis custodirent, & sociorum auxilia accerserent, copias tamen ex vrbe non educerent antequàm res omnes paratæ essent, & populus hæc rata fecit. Consulibus autem exiguum annui magistratus tempus supererat, quapropter nihil eorũ quæ fuerãt decreta ipsi conficere potuerunt: sed rem omnem semiperfectam suis successoribus reliquerunt.

3 ¶ QVI verò illis successerunt, fuerũt S. P. Nautius, & Sex. Furius, qui copias quantas maximas potuerunt ex vrbana multitudine conscripserunt, & ignes & speculatores in opportunissimis quibusque castellis collocarunt, vt nihil eorum quæ in agris fierent ignorarent: & magnam vim pecuniarum, frumenti, armorúmque breui comparauerunt. Domi igitur quàm optimè fieri potuit res omnes ab illis sunt paratæ, ita vt nihil amplius desiderari posse videretur. Sed non omnes socij æ-

lacriter

lacriter parebant: & si qui vltrò ad huius belli societatem suam operam offerebant, hoc etiam re ipsa præstare non poterant: quare, ne illos quidem cogere volebant, quòd proditionem metuerent. Et iam eorum nonnulli ab ipsis apertè defecerant, & Volscos iuuabant. Aequi verò primi simul atque bellum exortum est, ad Volscos profecti & interposito iureiurando societate facta, à pop. Rom desciuerunt. & hi copias maximas & animis paratissimas ad Marcium miserunt. Horum autem exemplum sequuti & multi alij socij clàm Volscis fauebant, non tamen ex decreto aut de communi omnium sententia illis auxilia mittebant: sed si qui de suis eam militiam sequi volebant, non solùm eos ab ea deterrebant, verùm etiam ad eam eos adhortabantur, breuique temporis spatio tantum virium Volscis accessit, quantum nunquam antè, ne rebus quidem in sua gente maximè florentibus habuerant. Cum quibus Marcius iterum in agrum Romanum irruptionem fecit: moratúsque ibi per multos dies agrum vastauit quem superiore irruptione intactum reliquerat: paucis tamen hominum ingenuorum corporibus in hac expeditione ei potitus. Iam enim illi multò antè carissimis quibusque rebus collectis confugerant, alij in vrbem, alij in proxima castella, quæ munitissima erant. sed eorum pecus quod maturè abigere non potuerant. seruósque id pascentes cepit, frumentumque quod adhuc in areis iacebat, aliásque fruges, quæ vel adhuc in manibus messorum erant, vel iam collectas & in villas comportatæ fuerant. absportauit. Quibus igitur omnia vastasset, diripuissetque, nullo secum congredi ausos, copias ingenti præda onustas atque ideò lente iter facientes domum reduxit. Volsci autem quum

tantam prædam afferri viderent & Romanorum timi-
ditatem audirent, quòd quum antè aliorum agros ipsi po-
pularentur, iam suos in conspectu suo impunè vastari pa-
terentur, magnos sumpserunt spiritus, & imperij spem cò-
ceperunt, quasi iam facilè & minimo negotio aduersario
rum potentiam possent euertere, supplicationésque diis de-
creuerunt, dicatisque spoliis templa & fora ornarunt.
Et omnes in epulationibus & lætitia versabantur, Mar-
ciúmque cum admiratione assiduè celebrabant, tum quòd
rei militaris peritia cæteros mortales superaret, tum quòd
esset imperator Romanus, qualis nullus alius imperator
aut Græcorum aut barbarorum fuisset: sed præcipuè eius
felicitatem prædicabant, quòd omnia quæ aggressus fuis-
set ex animi sententia sine vllo labore ipsi succedere vi-
derent. Quapropter nullus erat militaris ætatis, qui eius
ducis auspicia sequi recusaret. Sed omnes rerum quæ ab
eo gerebantur, participes esse cupiebant: quare ex omni-
bus populis ad eum confluebant. At imperator, post-
quam Volscorum alacritatem confirmauit, & hostium
fortitudinem ad humilem & ignauam consilij inopiam re-
degit, contra socias eorum ciuitates, quæ in fide mane-
bant exercitum duxit, rebúsque ad oppugnationem ne-
cessariis confestim paratis, in Tolerinos Latini nominis
populum fecit impetum. At illi iam multò antè para-
rebus ad bellum necessarijs, & reliquis quæ in agris erant
in vrbem comportatis, eius impetum excipiebant. Et ali-
quandiu ex muris ipsi restiterunt, multósque de hostibus
vulnerarunt, deinde à funditoribus repulsi atque ad ve-
spertinum vsque crepusculum fatigati, multis locis mœ-
nia nudarunt. Quare cognita Marcius cæteros milites
ad murorum partes nudatas scalas admouere iussit: ipse

verò cum lectissimis quibusque totius exercitus militibus ad portas contendit, li. et telis de turribus peteretur, fratisque repagulis primus vrbem ingreditur. Ad illas autem portas ingens & valida hostium manus substiterat, qui eius impetum fortiter exceperunt & diu strenuè pugnantes ipsi restiterunt: sed multis eorum cæsis, reliqui terga verterunt, & dispersi per vias fugere cœperũt. Ille verò à tergo instabat cædens hostes quoscunque assequebatur, & quotquot abiectis armis ad preces minimè se conuertebant. Interea verò & qui scalis ascendebant mœnia ceperunt. Hoc igitur modo capta vrbe, Marcius selectis è præda spoliis, quæ diis dicaturus, & quibus Volscorum oppida ornaturus erat reliqua militibus in prædam concessit. Ibi autem multa erant hominum capita, magna pecuniæ copia & magna vis frumenti. Quare, victores non facilè vno die omnia exportare potuerunt. Sed alia ipsi alia iumẽtis imposita per vices agentes & ferentes, multum temporis consumere coacti sunt. Imperator autem quum mancipia abduxisset, & res omnes ab portasset, vrbemque desolatam reliquisset, exercitum inde ab Bolam duxit. Sed & ipsi Bolani eius aduentũ iam præsenserant, & res omnes ad bellum necessarias præparârant. Marcius igitur quum se primo impetu vrbem capturum speraret, multis murorum partibus oppugnationem instituit. Sed Bolani obseruata opportuna occasione portas aperiunt, & valida militum manu egrediẽtes instructa erumpunt, & in hostes sibi à fronte oppositos impetũ faciunt, multisq; eorum cæsis, & longè pluribus vulneratis, & reliquis tum piter terga fugæ dare coactis, in vrbem redierunt. At Marcius, cognita Volsco rũ fuga (nã fortè tunc nõ aderat quum clades ea acccpt

est) cū paucis properè aduolauit & eos collegit, qui fuga fuerant dispersi, eósq; in ordinem restituit, animósq; eorum confirmauit, & iis in ordinem restitutis, monitísq; quid faciendum esset, iussit ab iisdem portis vrbem oppugnare. Quum autē Bolani idem iterum tētassent, & magno numero eruptionem fecissent, Volsci eorū impetum non excepere sed cedentes per loca deuia fugere cœperunt quemadmodum imperator illos monuerat. Et Bolani fraudis ignari longiùs eos persequebantur: sed eos tam longiùs à mœnibus distractos, Marcius cum lecta iuuenum manu inuasit: tūc magna eorum partim restitentiū, partim fugientium cædes est facta: ipse verò à tergo hostibus in vrbem irrumpentibus instans antequam portæ clauderentur, intra mœnia vi est ingressus. Vbi autem porta semel vi imperatoris potestatem redacta est, reliqua etiā Volscorum multitudo sequuta est, at Bolani desertis mœnibus in domos confugerunt. Hac quoq; vrbe potitus militibus oppidanos in seruitutem abducere, & pecunias diripere permisit & eodem modo quo & antè omni præda per otium & sine vllo impedimento exportata, postea oppidum incendit. Inde cum exercitu in Latinæ gētis & ipsa, vt altera Albanorum erat colonia. Quum autem oppidanos terrere vellet, vbi primùm in eorū agros est ingressus, villas incendit, qua parte oppidanis flammam maximè conspicuā fore putauit. At Labicam quū mœnia bene firma & munita haberent, nec eius aduentu sunt consternati nec vllo modo ei ignauiter cesserunt, sed strenuè pugnantes restiterunt, & sæpius hostes mœnia conscendentes repulerunt. Non ita tamen etiā ad finem vsque restiterunt, quòd pauci cum multis sine vll-

vel

vel minima temporis intermissione pugnarent. Nã Vol
sci crebrò ab omni parte vrbem oppugnabãt per vices,
& quid sessi erant semper se recipiebant, & alij recen
tes in ipsorum locum succedebant, cum quibus oppidani
totum diem dimicantes, & ne noctis quidem ad capien-
dam quietem vlla intermissione data ob continuatum la
borem, tandem muros deserere sunt coacti. Marcius hac
quoque vrbe capta oppidanos in seruitutem abstraxit,
militibusque prædam inter se diuidere permisit. Et mo-
tis inde castris, Pedum vrbem (erat autem & ipsa nomi
nis Latini) instructa acie petiit eamque simulatque ad
muros appropinquauit, vi cepit. Et quum eam eodem
modo quo & alias antè captas tractasset, postero die,
manè statim inde motis castris copias Corbionem duxit.
Sed ei ad muros appropinquãti oppidani apertis portis
effusi supplices obuiam venerunt, vrbémq. sine vllo præ
lio ei dediderunt. Quum autem eos laudasset quòd rebus
suis optimè consuluissent, ipsis imperauit vt res exercitui
necessarias pecuniam & frumentum afferrent. Atque
vbi quæcunque imperarat accepit, inde copias Coriolos
duxit. Quum autẽ oppidani illam quoq. vrbẽ sine pugna
dedidissent & ingẽti alacritate cõmeatus exercitui præ-
buissent, & pecunias quicquid aliud fuerat ipsis impera
tum exercitum abduxit tanquam per amicorum agrum.
Hoc enim ei magnæ curæ erat, vt nullum eorum ma-
lorum quæ bellum afferre solet, populi qui vrbes sibi
dedebant paterentur, sed & agrum intactum & pecus
& mancipia quæ in agris reliquerant, reciperent: nec si-
nebat copias suas in eorum oppidis stationem habere, ne
quid mali vel ob earũ rapinas, vel furta accideret, sed ad
muros castra ponebant. Inde autẽ motis castris exercitũ

duxit ad Bolas, vrbem tũc nobilem, & rei militaris peritia nulli Latinæ gentis populo secundã. Quum autẽ oppidani eũ non recepissent sed firmis munitionibus & propugnatorum numero freti essent, is suos milites ad alacriter dimicandum cohortatus, & iis qui primi muros conscẽdissent, eósq; occupassent ampla præmia pollicitus, rẽ est aggressus. atque ad hanc vrbẽ acriter pugnatum est. Bolanis enim non satis fuit hostes accedentes à muris repellere: sed etiam apertis portis confecto agmine eruptionem fecerunt hostémq; qui resistere audebat per decliuia loca vi depulerunt, ibiq; maxima Volscorum cædes facta, & oppugnatio diuturna fuit, vrbisq; expugnandæ tenuem spem omnes habebant. Sed imperator in cadentiũ locum alios substituens, efficiebat ne militum cæsorũ absentia numeriq; diminutio cognosceretur. Alacritatem autem eorum qui ab hoste premebantur ipsemet partem exercitus laborantem adeundo, animósq; addendo confirmabat: nec verbis tantùm, sed etiam factis, exemplóque suo ad fortitudinem eos impellebat. Nam quouis periculum subibat, & nihil intentatum reliquit, donec vrbs expugnata est. Hoc quoque oppido tandem in potestatem redacto, postquã oppidanos expugnatos partim iure belli interfecit, partim viuos cepit, victoria maximè insigni relata, exercitum pulcherrimis plurimisque spoliis onustum, permultisque pecuniis, quibus potitus fuerat (ibi enim quanta in nulla alia captarum vrbium copia inuenta est) ditatum abduxit. Postea quacunque iter fecisset, ager erat in eius potestate, nec oppidum vllum ei resistebat præter Lauinium, quam vrbem primam Troiani Æneæ socij, quum ad Italiam appulissent condiderunt, vnde Romani originem ducebant, vt antè declarauimus.

rauit. Eius igitur incolæ quidnis potius sibi perferendum, quàm fidem ega suos nepotes deferendam putabant. Ibi igitur aliquoties in oppugnationibus acriter pugnatũ est. præliáque atrocia pro munitionibus facta. Verumtamẽ, haud primo impetu vrbs expugnata est: sed obsidio & mora indigere, ac diuturna fore videbatur. Marcius igitur obsidione omissa vrbẽ fossa vallóq; circundedit vias obseruans tum ne quis cõmeatus illis afferretur, tum etiã ne qua auxilia externa ad illos venirent. Romani verò quum tot vrbium iã captarum excidium audirent, aliarumq; necessitatem qua cõpulsi Marcio se adiunxerant, fatigati quotidianis legationibus ad se missis à ciuitatibus in amicitia permanentibus, & auxilia imploranti-bus, ad hæc præsenti Lauinij circumuallatione territi &, si hoc oppidum caperetur, arma statim in se conuersum iri existimantes, vnum omnium malorum remedium fore credebant, si Marcio reditus in patriam decerneretur: & tota plebs vociferabatur, tribuniq; legem de abroganda eius damnatione ferri cupiebant.

4 ¶Sed patricij illis aduersabãtur, quia nihil, quod semel fuisset iudicatum, irritum fieri volebant. Quum autem nullum senatusconsultum factum fuisset, ne tribuni quidem rem amplius ad populum referendam existimarunt: quòd sanè mirandum est, curnam senatus, qui antea Marcij adeò studiosus erat, tunc tamen plebi eum reducere volenti aduersatus fuerit. Vtrum autem id fecerit vt animos eius exploraret, an vt magis eius desiderium accenderet, si se facilem quibuslibet eius postulatis non præberet, an quòd vellet crimina sibi falsò obiecta diluere, vt ita se nullius facinoris ab illo patrati aut autorẽ aut socium fuisse fidẽ facere, incertum est. Diffici-

le enim erat secretum eius consilium assequi coniectura. Marcius autem his per quosdam transfugas cognitis, vt erat iratus statim motis inde castris, Romam cum copijs cõtendit, exercitus parte quãta opus erat ad Lauinij custodiam relicta, & mox ad fossas Cluilias circiter quadraginta stadia ab vrbe distãtes castra posuit. Cuius aduentu in vrbe cognito, maximus exortus est tumultus, qua si iam iam mœnia essent oppugnanda. Quidam alij ad muros correptis armis nullius iussu currebant, alij ad portas conglobati sine duce ferebãtur, alij seruis armatis ad portas domesticos stabant, alij arcẽ capitolinam & cetera loca vrbis munita occupabant, & mulieres solutis crinibus ad delubra templaq; currebant, lugentes, & suppliciter à diis petentes vt imminens periculũ ab vrbe auerterent. Sed quum nox illa præteriisset, & diei sequentis maxima pars, & nihil eorum quæ timuerant accidisset sed Marcius quiesceret, nec quidquam moueret, omnes plebeij in forum concurrerunt, & patricios in curiam vocarunt, & nisi reditum homini senatusconsulto decreuissent se sibi ipsis, vt pote proditis consulturos dixerunt. Tunc igitur patricij quum in curiam conuenissent, decreuerunt legatos ad Marcium mittere, quinq; viros ex maximis natu, illi charissimos, vt de pace & amicitia agerẽt. Legatorũ uẽ ab illis lectorũ hæc fuêre nomina, M. Minuci⁹, Postumius Cominius, Sp. Largius, P. Pinari⁹, & Q. Sulpicius omnes consulares. Qui vbi ad castra venerunt & Marcius eorum aduẽtum cognouit, sedens cũ nobilissimis Volscorum & sociorum in eo loco, vnde maxime exaudiri possent ea quæ dicerentur, eos ad rem vocari iussit. Qui quum ingressi fuissent, Minucius qui primum in suo consulatu eius causa laborarat, & plebi vehe-

ve ementissimè aduersatus fuerat exorsus talem habuit orationem. {OMNES scimus, Marci, te iniuria à plebe affectum, qui turpis crimnis reus peractus patria pulsus fueris, nec putamus mirandum esse quòd indigneris, & hãc aduersam fortunam iniquo animo feras. Hoc enim cõmuni naturæ lege apud omnes gentes est receptũ, vt qui iniuriam est passus, ei sit infensus à quo eam accepit. Verùm illud miramur quòd non recta ratione, nec prudenter inquiras quos vlcisci & quos vindicare tibi conueniat, nec modum vllum in exigendis pœnis serues: sed eodẽ modo insontes quo sontes, & amicos quo inimicos tractes, immobilesq; naturæ leges violes & iura diuina confundas, & contra omnẽ pietatẽ facias, atq; adeò ne recorderis quidẽ à quibus tui ipsius, quibusnam ortus parentibus, & quos ipse sis? & nos è patriciis natu mãximi, tuiq. studiosissimi legati à Rep venimus, vt defensionem cum deprecatione mixtam afferamus, & nuntiemus quibus conditionibus postulemus vt cũ plebe in gratiam redeas, præterea vt iis de rebus te admoneamus, quas & pulcherrimas esse tibi q. maximè conducere putamus. Ac primùm quidẽ de iure verba faciamus. Cõspiranit in te plebs à tribunis cõcitata, & quibus eras formidabilis, te indemnatum occidere sunt conati: sed hoc ne fieret nos senatores prohibuimus, effecimusq. ne quid cõtra ius tunc patereris. Postea qui te interficere prohibiti sunt, criminantes te in senatu sibi maledixisse, diem tibi dixerunt qua ad causam dicendã apud populum venires. Hic quoque, vt scis, restitimus, nec te vel sententiæ dictæ, vel orationis habitæ pœnas luere passi sumus. Quũ autẽ hoc quoque conatu frustrati fuissent, tandem nos adierunt, tibi tyrannidis affectatæ crimen obiicientes: &

tu ipse ad hoc crimen refellendum venire non dubitasti, quòd ab eius culpa plurimũ aberas, & te plebis iudicio permisisti. At tũc quoq; senatus adfuit, & tua causa multas preces adhibuit: cuiusnã igitur mali, quod tibi acciderit, nos patricij autores fuimus? & cur nos bello petis, qui tantã erga te beneuolentiam in tua causa, periculoq; tunc demonstrauimus? imo ne plebẽ quidem totã te expulsum voluisse satis constat, duobus enim tantùm suffragijs damnatus fuisti. Quare, ne his quidem iure hostis esse potes, qui te vt insontẽ absoluerunt. Sed faciamus, si libet, de totius plebis, & totius senatus cõmuni sententia in hoc infortunium incidisse, & tuum in nos omnes odium iustum esse: quid tamen damni mulieres, Marci, tibi dederunt, vt bellum illis inferres? quod suffragium tulerunt contra te vt in exilium pelleretis? quam malam concionem aduersus te habuerunt? Quod verò facinus iniustum nostri liberi aut fecerunt aut cogitarunt contra te, vt nũc illis immineat periculum seruitutis, & aliorum malorũ, quæ, si per vim vrbs capiatur, eos passuros verisimile? Nõ recte sentis nec iuste facis, Marci, qui putas ita sontes & inimicos odio persequendos, vt ne insontibus quidem & amicis parcatur. Proculdubio igitur non cogitas quod virum bonum decet. Sed vt hæc omnia omittam, quid per Iouem, respondere posses, si quis te interrogaret? quãnam iniuria à maioribus lacessitus eorum monumenta euertis, & honores illis ab hominibus delatos eripis? deorum verò aras, delubra & templa, ob quam iniuriam ab illis acceptam ira percitus diripis, incendis, subuertis deósque cultu solenni & legitimo priuas? quid ad hæc respondere posses? Equidem nihil video. Atque quod attinet ad ius, hæc & pro nobis, Marci, & pro senatu, &

pro

pro cæteris ciuibus, quos perdere cupis, nulla iniuria ab illis affectus, & prosepulchris, & templis, & vrbe, quæ te genuit, & educauit, dicta sint. An igitur decebat omnes homines, & eos qui nullam tibi iniuriã fecerunt, vnà cum ipsis coniugibus & liberis tibi pœnas dare, ita vt funditus euerterentur, omnĕsq. deos & heroes genioſq, ipſamq; Remp. & agros tribunorum dementiam luere, ita vt nihil excipereturquod horum malorũ esset immune, & nihil inultum à te relinqueretur? Amon satis pœnarum ab omnibus iam exegisti tanta cæde facta, tot agris igne ferroq; vastatis, tot vrbibus funditus euersis, tot festorum solennitatibus & sacrificiis, & deorum geniorum que cultibus sublatis, quibus multa loca fraudasti, ita vt in iis nulli dies festi celebrentur, nulla sacrificia fiant, nec diis honores legitimi ac debiti tribuantur? Equidem existimo indignum viro, cui virtus quantulæcunque curæ est, si sine vllo discrimine inimicos & amicos occidat & grauem atque implacabilem iram gerat in eos à quibus aliqua iniuria fuerit affectus, præsertim verò si sæpius pœnas de illis, eásque acerbas sumpserit. Hæc igitur sunt quæ attulimus, tum vt nos ipsos purgemus, tũ vt pro plebe te deprecemur. De quibus verò honoratissimi quique te benevolentiæ causa summo cũ studio monent, & quæ tibi in gratiam cum patria redeunti pol licentur, hæc sunt. Quã in re maximè potes, & in quã numen diuinum tibi fauet, in ea moderatè te geras, & fortunæ beneficia prudenter dispenses, hisque sapiĕter vtaris, cogitans res omnes esse mutabiles, & nihil vnquã in eodĕ statu permanere solere: quidquid enim excellit, quando ad summum claritatis fastigium euasit, indignationem deorum effugere nequit, & rursus ad nihilum re-

digitur. Hoc autẽ potissimùm accidit sæuis ac superbis ingeniis, quæ humanæ naturæ terminos trãsgrediuntur. Nunc autẽ tibi honestissimis conditionibus bellum deponere licet. Nã & totus senatus ad decernendũ tibi reditum, & populus ad perpetui exilij mulctã lege sancta abrogandã est paratus. Quid igitur vetat te suauissimo charissi noq; necessariorũ tuorum cõspectu iterum frui, & patriam exportandã recuperare, & imperare, vt te decet, imperantibus, & duces ducere, & liberis nepotibusq; maximam gloriã relinquere? Atq; horum omnium promissorum moxmox præstandorum nos tibi sponsores sumus. Nunc enim non deceret ex senatusconsulto aut plebiscito tibi quid quam æqui aut moderati decerni, dum castra cõtra nos posita habes, & te hostiliter geris, quòd ab armis discesseris, decretum de reditu tibi à nobis breui afferetur. Atque hæc sunt bona quæ habiturus es si cũ patria in gratiam rediueris. Quòd si irasci pergas, nec odium contra nos conceptum deponas, in multa & grauia incides mala quorum duo, quæ maxima & certissima sunt, nunc dicam. Primùm, quia rem factu difficilem, imò verò quæ nullo modo fieri potest improbè cõcupisti, pop. Rom. potentiam, idq; Volscorũ armis, euertere. deinde, quia si res tibi feliciter successerit, & voti cõpos factus fueris id consequutus eris vt omniũ hominum miserrimus existimeris. Cur autem hæc mihi in mentem veniant vt ita de te sentiam audi me, Marci nec mea dicendi libertate exasperare. Ac primùm quidem consilera te rem, quæ nullo modo fieri potest aggredi. Nam pop. Rom. vt tu ipse scis, multa inuẽtute domestica abundat, quam (si seditio sublata fuerit, quod fiet ob grauem huius belli necessitatem: omnes enim qui inter se dissident

commu-

communis periculi metus conciliare solet) non solùm Volscinon vicent, sed ne ulla quidem alia gens, quæ Italiam incolit. Magna quoque est Latinorum & aliorum sociorum nostræ urbis colonorum potentia, quam totam propemodum, nobis auxilio venturam expecta. Duces verò tui similes, tam senores quàm iuniores tot nobis sunt, quot vix in universis aliis populis: sed longè omnium maximum auxilium, quod nunquam in aduersæ fortunæ periculis spem nostram fefellit, &, quod omnibus humanis viribus est præstantius, est deorum benevolentia, quorum beneficio ad hoc usque tempus hanc urbem octauam iam ætatem, non solùm liberam, sed etiam fortunatam, & multis gentibus imperantem incolimus. Nec nos cum Pedanis, aut Tolerinis, aliisque paruis populis, quorum oppidula occupasti, conferas: nam & alius imperator te minor, & minoribus quàm tantis instructus copiis munitiones à paucis defensas, & infirmas expugnare potuisset: sed considera urbis amplitudinem, & rerum bellogestarum splendorem, & numinis diuini fauorem, quo ex parua ad tan am magnitudinem excreuit, tuasque copias quibus fretus rem tãtam aggrederis, ne putes nunc alias esse factas: sed bene memento te Volscorum & Æquorum copias ducere, quos nos ipsi, qui nunc viuimus, toties prælio vicimus, quoties in bello nobiscum congredi sunt ausi. Quapropter cum deterioribus aduersus præstantiores, & cum iis qui perpetuò vincuntur, aduersus eos qui semper vincere sunt soliti, te certaturum scito: quòd si contra se res haberet, illud tamen mirandum esset, quomodo tu rei militaris peritus, ignores in periculis nõ parem audaciam solere esse in iis qui pro

suis fortunis dimicant, & iis qui alienas inuadunt. Nisi enim istis res feliciter succedat, leuem cladem accipiunt: illis verò si rem malè gerant, nihil sit reliqui. Atque hinc potissimùm fit vt sæpe maiores copiæ à minoribus, & præstantiores à deterioribus clade afficiantur. Vehemens enim est necessitas, & extremum periculum potest audaciam inferere vel in eo in quo antea innata nõ erat. Plura afferre potuissem, quibus demonstrarẽ te aggredirem quæ fieri nullo modo potest, sed tamen & hæc sufficiunt. Vnum adhuc mihi dicendum restat, quod si non cum ira, sed ratione iudicaris, rectè dictum putabis, & ad pœnitentiam factorum adduceris, quidnam autem illud est? Nulli mortalium dij certam futurorum scientiam dederunt, nec post homines natos inuenias quemquam cui omnia ex animi sententia successerint, ita vt nulla in re fortuna ei sit aduersata. Propterea homines, qui alijs antecellunt prudentia, quam longa ætas & longa experientia adfert, antequam rem aggrediantur, euentum eius spectandum putant, non alterum tantùm, quem sibi ipsi optant, sed eum etiam qui præter omnem expectationem accidere potest. Præcipuè verò duces bellorum, in quos quò res maiores eorum potestati permittuntur, eò magis felicium, aut infelicium euentuum causæ ob omnibus conferuntur, deinde si nulla, aut leuia, aut pauca damna bellum parum feliciter gestum sequutura videant, tunc demum rem aggrediuntur. Sin multa & magna, ab incepto desistunt. Hoc tu quoque fac, & antequàm rem aggrediaris, considera si in bello res tibi malè successerit, nec omnia quæ speras consequutus fueris, quid tibi sit euenturum. Accusaberis à tuis hospitibus, quòd res aggressus fueris multò

multò maiores, quàm quæ à te fieri possent, & quum noster exercitus, rursus eo veniet, illorúmque agrum vastabit (neque enim illos inultos manere patiemur, qui nos iniuria priores affecerunt) horum alterutrum vitare non poteris, quominus vel ab illis ipsis quibus calamitatum magnarum autor fueris turpiter interficiaris, vel à nobis, quos interfecturus & in seruitutem redacturus huc venisti. Sed fortasse etiam illi ante quàm aliquid mali à nobis patiantur, pacis nobiscum faciendæ desiderio, te ad supplicium dedere non dubitabunt, id quod multi tam barbari quàm Græci in talem fortunæ statum compulsi, facere coacti fuerunt. Hæcine igitur parua & nullius momenti tibi videntur? hæcne contemnenda ita vt quæuis extrema mala perpeti malis? Age si res tibi ex voto successerit, quódnam admirandum & adeò exoptandum bonum consequeris? quam gloriam inde referes? Nam & hoc considera. Primùm quidem charissimis & necessitudinis vinculo tibi coniunctissimis priuaberis, matre misera, cui pro partu & educatione aliisque laboribus quos tua causa pertulit, haud præclaram refert gratiam: deinde pudicæ coniuge, quæ tui desiderio in solitudine & viduitate totum diem noctémque tuum exilium deplorans contabescit, præterea duobus filijs, quos ex bonis natos maioribus, illorum etiam honoribus gloriosè in fortunata patria frui oportebat. Quarum omnium miserum & infelicem vitæ exitum spectare cogeris, si copias ad mouere: nulli enim tuorum parcent ij ros ausus fueris admo qui suis timent, & qui eodem sæuitiæ genere à te trahentur. Sed à nullis tormentis, à nullis crudelibus facinoribus, à nullo denique contumeliæ genere in eos

exercendo sibi temperabunt, vi suarum calamitatum ad id adactis, horumque malorum non ipsi qui hæc faciunt, sed tu qui illis hanc necessitatem impones, auctor eris. Atque si res tibi ex voto successerit, has voluptates percipies: laudem verò & æmulationem & honores, qui viris bonis sunt expetendi, quos & quales sis consequuturus, vide, matricida dicere, filiorum interfector, uxoris furius percussor, & patriæ malus genius, nec ad sacra, nec ad epulas, nec ad domesticos lares, quocunque veneris, te quisquam pius ac iustus volet admittere ita vt tecum horum sit particeps, ac sub eodem tecto tecum degat, & ne ipsis quidem dijs charus, in quorum gratiam hæc facis, vt tuam in eos benevolentiam demonstres: sed singuli percepta aliqua vtilitate ex tuis impijs facinoribus, ingenij tui arrogantiam odio prosequentur. Omitto enim dicere, te præter odium æquissimi cuiusque viri, quod tibi conciliabis, magnæ etiam æqualium inuidiæ, & inferiorum metui, & ob hanc vtrumque causam insidijs, & multis alijs iisque grauibus molestijs, in quas omnes verisimile est hominem amicorum præsidio destitutum, & peregri degentem incurrere, obnoxium futurum. Taceo etiam furias, quæ à dijs geniisque immittuntur impijs & sceleratis hominibus, & quibus, & animo & corpore excruciati, vitam miseram perpetuò tolerant, & tristem vitæ finem expectant. Hæc igitur cogitans considerans, Marci, respicias, & iniuriarum à patria tua acceptarum memoriã deponas, omniumque malorum quibus à nobis affectus fuisti, aut quibus à te affecti fuimus, culpam in ipsam fortunam reijciens lætus domum reuertaris ad gratissimos matris amplexus, ad uxoris suauissima comitatis officia, ad liberorum dulcissi-

rissimos amplexus & salutationes, & te ipsum pulcherrimum ornamentum patriæ debitum, quæ te genuit, & tantum virum educauit, restituas.}

5 ¶ QVVM Minucius in hunc modum loquutus fuisset, Marcius post paruam moram sic respondit. {TIBI quidem, Minuci, cæterisque vobis vnà cum isto à se natu legatis ego amicus sum, paratus siquid in re possum vobis benefacere quia & antè quàm cum vester essem, & respub. administrarem, sæpius atque opportune mihi fuistis, & post meum exilium non estis me auersati, fortunæ statum in quo tunc versabar, desicientes, quasi nec amicis amplius prodesse, nec inimicis obesse possem: sed boni & cõstantes amici perpetuò fuistis. matris meæ, uxoris, & liberorum curam gerentes, eorúmque calamitates vestra diligentia & cura leniores reddentes. Verùm, reliquis Romanis sum inimicus, & cum illis bellum totis viribus gero. nec vnquam eos odio prosequi desinã, qui me pro multis & præclaris facinoribus, ob quæ meritis honoribus afficiendus erã, quasi grauissimè rempublicam violassem turpiter patria expulerunt, nec matris meæ reuerentia, nec liberorum misericordia moti, nec vllo alio humano affectu in aduersa mea fortuna tacti. Quum igitur hoc sciatis, si quid vos ipsi à me impetrare vultis, libere mihi dicite, quia nullius rei quæ fieri possit repulsam feretis. Cæterum, de amicitia & pace, ad quã sperare reditus mihi proposita cum pop. Rom. faciendam me hortamini, agere desinatis. Scilicet enim vehementer mihi optandus est reditus in eam vrbem vbi virtutis præmia fert præmia virtutis, & sontium pœnæ insontibus infliguntur. Si quidem, eia per deos, dic mihi cuius iniuriæ causa ego hanc fortunam experior? aut ob cuius

reiſtudium meis maioribus indignum? Prima enim militia, ad quam iuuenis admodum ſum profectus, ea fuit quum contra reges vi reditum in patriam tentantes dimicauimus. Ex eo prælio ob ciuem ſeruatum, & hoſtem interfectum ciuicam coronam mihi pro meæ fortitudinis præmio ab imperatore donatam retuli, deinde in aliis tam equeſtribus quàm pedeſtribus prælis, in quibus pugnaui, inſignem nauaui operam, & ex omnibus fortitudinis præmia retuli: nec vrbs vlla expugnata eſt quin eius mœnia ego primus, aut certè cum paucis aſcenderim, nec hoſtes in acie fugati ſunt, quin mihi potiſſimùm omnes, qui in prælijs interfuerunt, propria confeſſione victoriam acceptam retulerint, nec vllum aliud inſigne, aut forte facinus in bello ſine meæ ſuæ audacia ſiue felicitate editum eſt. Verùm, fortaſſe & alius vir fortis hæc quoque, licet non tam multa, de ſe iactare poſſet. Sed quis imperator, aut quis centurio vrbem à ſe captam gloriari poſſet ſicut ego Cortiolos cepi? aut quis idem à ſe eodem die hoſtium etiam copias fuſas ac fugatas, quemadmodum ego fugaui Antiatum exercitum, qui obſeſſis auxilio veniebat? Nō dicam enim me talibus & adeò egregijs facinoribus editis ex præda multum auri, multum argenti, mancipia, iumenta, & pecus, & amplum ac fertilem agrum accipere noluiſſe, quamuis hoc mihi liceret, ſed ad inuidiam maximè vitandam me vnum tantùm bellatorem equum ex præda, & meum hoſpitem ex captiuorum numero cepiſſe, reliquas verò diuitias in commune delatas depoſuiſſe. Ob hæc igitur facta vtrum pœna an honoribus dignus eram? & vtrum dignus eram qui nequiſſimorum ciuium poteſtati ac iudicio ſubiicerer, an verò

verò qui inferioribus iura reddercm? Verùm, non propterea me plebs expulit, sed quòd in reliqua vita intemperans luxuriosus, & flagitiosus fuissem. At quis ostendere posset aliquem ob meas flagitiosas voluptates aut patria exulare, aut libertatem amisisse, aut bonis spoliatum esse, aut in aliam aliquam calamitatem incidisse? Imò ne inimicorum quidem vllus me vnquam accusauit, nec me ob quampiam harum rerum est criminatus: sed quotidianæ meæ frugalitatis, & vitæ inculpatæ omnes mihi testimonium dixerunt. At certè dixerit quis, tua illa ratio exosa, quam in repub. administranda sequi voluisti, te in hanc calamitatem coniecit: quum enim liceret tibi meliorem partem eligere, eique adhærere, tamen deteriorem elegisti ac sequutus es & quidquid perpetuò aut dicebas aut faciebas, eò spectabat, vt patria resp. per optimates administrandæ forma euerteretur, reique publicæ gubernacula penes imperitum atque improbum vulgus essent. Imò verò, Minuci, contraria studia sum sequutus, & semper prouidè operam dedi vt resp. cura penes senatum perpetuò esset, eiusque pristinus ac patrius status & disciplina semper conseruaretur. atque pro his meis præclaris studiis, quæ maioribus nostris æmulatione digna videbantur, felicem hanc & beatam gratiam patria mihi retulit. Non enim à plebe sola, Minuci sed multò antè à senatu expulsus fui, qui principiò me imani spe ereuersabat mihique promisit se omnem iniuriam ac vim à me prohibiturum, & effecturum vt tutò degerem: sed vbi nescio quid periculi à plebe sibi imminere est suspicatus, me deseruit, inimicisque prodidit. Tu, Minuci,

consul tunc eras, quum senatus consultū de meo iudicio est factū, & quum Valerius ille, qui suadebat vt plebi dederer, vehementer ob suam orationem est laudatus, & quū ego, veritus ne senatus suffragys damnarer, assensi, & dicta mihi die vadimonium, me obiturum spopondi? Eia igitur, Minuci, respōde, vtrum etiam senatu dignus pœna sum visus ob optimas res à me in reip. administratione gestas, an plebi soli? Si enim omnes tūc de cōmuni sententia me expulistis, patet vobis omnibus quorum voluntate hæc facta sunt, virtutem esse inuisam, nec vllum esse in vrbe locum qui honestatem ac probitatem capiat. Quod si senatus coactus id plebi concessit, eiusque factum necessitatis non voluntatis fuit, certe eum ab improbis vinci ac regi, nullāque eius decreta autoritatem habere fatemini, & tamen vultis vt in talem ciuitatem reuertar, vbi meliores parent deteroribus? profectō me magnæ insaniæ damnatis. Age, finge hoc mihi persuasum, neque facta pace, vt petitis, reuersum, quis postea erit meus animus? quam vitam vobiscum? Vtrum tuta consilia & omni periculo carentia sequutus, & magistratus & honores & alia bona quibus me dignum iudico ambiens, fauorem vulgi, penes quod est horum dandorum potestas, assentationibus captare sustinebo? Malus igitur ex bono fiam, & pristina virtus nihil vtilitatis mihi afferet, an eosdem mores retinens, idēque institutum in reipub. seruans aduersabor ijs quorum studia erunt contraria? At nōnne illud manifestum est, fore vt iterum plebs mihi bellum inferat, & alias pœnas de me sumere velit? hoc ipsum cremen primum obijciens me suo beneficio in patriam restitutū suis voluptatibus non inseruire: non potest hoc me

gari.

gari. Exoriretur deinde aliquis alius, Icilio vel Lucio similis, tribunus audax, qui accusabit me, quòd dissidia inter cives seram, aut plebi insidias struã, aut remp. hostibus prodam, aut tyrãnidem affectem, vt fecit Lucius, qui me eius criminis insimulauit, aut aliam iniuriam facturum, quæcũque ipsi visa fuerit. Inimico enim crimina nõ deerũt & præter alia crimina hæc quoq; breui obyciẽtur, quæcunq; diutãte hoc bello à me facta sunt, agros vestros à me cæsos, prædã abactã, vrbes ereptas, & harũ propugnatores partim interfectos, partim in hostiũ potestatẽ redactos. Hæc accusatoribus obij icentibus, quidnam vt me purgem ipsis respondebo? aut quo vtar auxilio? Nónne igitur manifestum est, Minuci, vos specioſa & simulata oratione vti, honesto nomine nefarium facinus velantes? neque enim reditum mihi datis: sed hostiã me plebi reducitis, fortasse etiã inito hoc cõsilio, nã nihil boni amplius de vobis sentire possum, aut, si mauultis (fatemur enim hoc ita se habere) ignari eorũ quæ sum passurus. Sed quid vestra ignorantia aut stultitia mihi proderit? qa hoc, ne si velitis quidẽ, impedire poteritis: sed hoc quoq; præter cætera in plebis gratiã concedere cogemini. Sed enim prolixiore oratione minimè vtendũ arbitror vt demonstrẽ, hunc quẽ vos reditũ vocatis, & quẽ ego eximium celerẽ viã ad exitiũ, ad meã salutem tutandã mihi futurũ. Quòd autẽ nec ad bonã existimationem mihi profuturũ. Quòd autẽ nec ad bonã existimationem aut honorem aut pietatem mihi sit profuturus, quãdo tu quoq; horum, Minuci, mihi rationem habendam recẽsẽs faciens monuisti: sed turpissimè, & maximè impiè sim facturus, si vestram autoritatẽ, consiliumq; sequar, audi vicissim. Ego Volscorũ hostis fui, & illos patriæ imperiũ, potentiã, & gloriã parans, multis iniuriis in bellũ affeci.

Nónne igitur æquum erat me coli ab hominibus, de quibus bene eram meritus, & ijs qui iniuria affecti fuerãt, odi sum esse? Imò certè si quid eorum quod fieri debuit, factum fuisset. Sed fortuna hoc vtrunque inuertit, & voluntates in contrarium mutauit: vos enim, in quorum gratiam illis eram inimicus, me meis bonis omnibus exuistis, & maxima cum contemptione in nihilum redegistis, atque abiecistis. Hi verò tot cladibus à me affecti, me inopem, extorrẽ & abiectum, atq. exulẽ in suis ciuitatibus exceperunt, nec contenti fuerunt hoc adeò insigni & magnanimo facinore: sed etiam mihi apud omnes suos populos, ius ciuitatis, & magistratus, & honores qui apud illos sunt maximi dederunt. Cætera omitto, sed nunc me cũ summa ac libera potestate crearunt imperatorem copiarum, quas extra fines patriæ emiserunt, totiusque reip. gubernaculo meæ solius potestati commiserunt. Age igitur, quónam animo hos possem prodere, qui me tantis honoribus ornarunt, nullâque vel grauiore, vel leuiore iniuria me affecerunt? Nisi forte eorum beneficijs lædor, vt vos meis. Egregiam verò laudẽ mihi apud omnes mortales iterata proditio cognita afferret. Quis verò me non laudarit, si audierit me quum amicos, quos in me beneficia conferre conueniebat, hostes cõperisse, inimicos verò, à quibus me perdi oportebat, amicos, quum deberem odio prosequi eos qui me oderant, & amare eos qui me amant, cõtrario fuisse animo? Eia igitur, Minuci, considera quales nunc erga me sint dij, & quales reliquo vitæ spatio futuri sint, si vestrum consilijs sequutus fidem his datã prodidero. Siquidẽ nunc quid contra vos aggredior, illi in eo me iuuãt, & omnes conatus mihi feliciter succedunt, atque hoc quantum

putã

putatis esse meæ pietatis argumentum? Si enim ego bellū nefarium patriæ intulissem, omnes deos mihi omnibus in rebus aduersarios esse oportuisset. Sed quoniam secunda fortuna in bellis mihi aspirat, & quicquid aggredior, hoc feliciter mihi succedit, patet me esse virū pium, & me honesta consilia sequutum. Quid igitur si sententiam mutem, & res vestras augere, horum vero affligere coner, mihi continget? Nónne omnia his contraria mihi contingent? Nónne numinis diuini indignationem in gratiam eorum qui iniuria sunt affecti, vindicem experiar? & quemadmodum ex humili, deorum beneficio magnus sum factus sic contra ex magno paruus fiam? & meis calamitatibus alij docebuntur? Atque hæc quidem mihi in mentem veniunt quæ de diis sentiam, & persuasum habeo formidabiles illas & inexorabiles Furias, quæ persequuntur eos qui facinus aliquod impium patrarunt, quarum tu quoque, Minuci, mentionem fecisti, tuo meam animam corpúsque sequuturas, & cruciaturas, quum ego deseram prodámque eos qui me à votis perditum seruarunt, & qui post datam salutem multis præclarísque beneficiis cohonestarunt, quibus deos sponsores dedi me non venisse vt vllo malo ijs sos afficerem, meámque fidem, quam hactenus puram & impolutam seruaui. Dum autem, Minuci, eos adhuc amicos appellas, qui me expulerunt, & patriam quæ me abnegauit & leges naturæ imploras, & de pietate disseris, id quod tristissimum est, & quod à nullo alio ignoratur, tu solus ignorare mihi videris, amicum ab hoste, neque ipsis faciei notis, neque nominis impositione discerni: sed vsu & factis hoc vtrumque cognosci. Omnes enim amamus eos qui nobis prosunt, cósque odio prosequimur qui

nobis obsunt: quam legem non ab aliquibus hominibus data, nec ab illis unquam abrogandam, si contrarium illis visum fuerit, sed à sempiterno communis naturæ iure omnibus sensum habentibus datam, & in perpetuum duraturam accepimus, & id o amicis amicitiam ob acceptam iniuriam renuntiamus, & eos qui nobis antè erant inimici, amicos facimus, si quod beneficium ab illis in nos collatum fuerit, & patriam nostram quum nobis prodesse colimus, quum obesse deserimus, quia non ob ipsum locum sed propter utilitatem eam amamus: neque verò soli privati homines, sed etiam integri populi & gentes hac in re consentiunt. Quare, qui talem opinionem habet nihil à iure diuino alienum sentit, nec quicquam facit contra commune omnium gentium ius. Ego igitur dum meas ipsius res ago, me & res iustas & utiles & honestas, simulque à maxima in deos pietate minimè alienas agere arbitror. Nec opus est mihi hisce de rebus homines sumere iudices, qui veritatem coniecturis & opinione coniectant siquidem res diuinas facio. Nam non existimo me, res quæ fieri nequeant aggredi, quum in illis deos duces sequar, si modo ex præteritis argumentum de futuris sumere liceat. Quod autem attinet ad moderationem, ad quam me adhortamini, rogantes me ne gentem Romanam radicitus euellam, néve funditus vrbem totam euertam, possem minuci dicere non esse hoc in potestate mea neque hanc orationem ad me esse dirigendam, sed me quidem esse copiarum imperatorem, istos verò belli & pacis arbitros. Quare ab istis petite, siue inducias siue pacem vultis, non autem à me. Haud tamen hoc responsum vobis do: sed quia deos patrios veneror, & maiorum sepulcra reuereor, & patriæ meæ & coniu-

gum

gum liberorúmque vestrorum commiseratione moueor, in quos immeritos parentum ac maritorum peccata recident: quinetiam, Minuci, potissimùm in vestram gratiam qui à populo Romano legati fuistis creati hæc respondeo, si populus Romanus Volscos omnem agrum quem illis ademit & vrbes quas occupat, reuocatis colonis reddat & amicitiam perpetuam cum illis faciat, & in parem iuris libertatisque conditionem, sicut Latinos iureiurando interposito & diris execrationibus in fœderum violatores adhibitis recipiat, pacem illis dabo. Sed primùm hæc illi renunciate, & eodem modo quo apud me apud illum etiam de iure accuratissimè disserite præclarum esse vt vnusquisque sua bona possideat, & in pace viuat & multi faciendum esse, nullum inimicũ, vel tempus metuere: turpe verò esse homini ob rerum alienarum cupiditatem bellum non necessarium sustinere, in quo & omnes suas fortunas in periculum sit adducturus: eique præmia ostendite, quæ rebus tam feliciter quàm infeliciter gestis eos manent, qui agros alienos appetunt. Hoc etiam si vultis addite, fore vt dum vrbes eorum qui iniuria sunt affecti capere vult nisi vincat, suo etiam agro & vrbe spolietur, & præterea vxores suas fœdissimè tractari, liberósque ad contumeliam rapi, & parentes extrema senectute ex liberis seruos fieri videat. Simul etiam senatum docete, eum horum malorum caussam culpámque, non in Marcium, sed in suam ipsius dementiam conferre debere qui quum ipse liceat iustitiã exercere, & in nullam calamitatem incidere, malit tamen de summa rerum aleã iacere, dum perpetuò alienæ ditioni nimium inhiat. Habetis responsa à me, nihil aliud præterea expectate: sed abite, & quid vobis agendũ sit, considerate.

Vobis autem ad deliberandum triginta dies concedo. In terea verò in tuam aliorúmque gratiam, Minuci, ex hoc agro copias abducam. Si enim hic maneant, magnum dã num accipietis. Cæterùm, ad trigesimum diem, me ad accipienda responsa venturum expectate. ¶ *Hæc loquutus surrexit, conuentúmque dimisit.*

6 ¶ SEQVENTI verò nocte circiter quartam vigiliam motis castris in reliquas Latinorum vrbes exercitum duxit siue quòd reuera audisset aliqua inde auxilia Romanis uentura, vt tunc Minucius in sua concione dixerat, siue quòd eum rumorem ipse finxisset ac sparsisset, siue etiam ne in hostium gratiam à bello cessare videretur. Aggressus autem Longulam, eam sine negotio in suam potestatem redegit, & eodem modo quo ceteras vrbes tráctauit, ciuibus in seruitutem abstractis, reliísque omnibus direptis, atque ita demum copias in Satricanos duxit. Et quum huius vrbis incolæ non diu ipsi restitissent, hanc quoque oppugnauit, prædámque vtrinque vrbis à parte exercitus. Ecetram abs portari iussit, & ipse cum reliquis copiis ad aliam vrbem nomine Setiam contendit. Hac quoque in suam potestatem redacta, & direpta, in agrum Polusçanorum irruptionem fecit. Quum autem Polusçani ipsi resistere non potuissent, eorum quoque oppido vi expugnato ad alias vrbes iuit. Albietas igitur & Magillanos expugnauit, at Coriolanis facta deditione in fidem recepit. Quum autem intra triginta dies septem Latinorum oppida in suam potestatem redegisset, Romam cum multò maiore, quàm antè exercitu petijt, & paulò longiùs quàm trigesimo ab vrbe stadio in via quæ Tusculum ducit, castra posuit. Interea autem dum ille Latinorum vrbes expugnabat, sibique adiun-

adiungebat: Romani post longã de Marcij imperiosis postulatis consultationẽ habitam, tandẽ decreuerũt nihil indignũ pop. Rom. maiestate facere & statuerũt vt si Volsci ex suo sociorúmque & subditorũ agro copias deducerẽt, & bello depositio legatos mitterẽt, qui de amicitia agerẽt. senatus de amicitiæ fœderisque conditionibus consultaret, ac suũ decretũ ad populum referret: sed quã diu in suo, & sociorũ agro permanerẽt, & hostiliter se gererẽt, nihil mite aut humanũ de illis statueretur. Sẽper enim pop. Rom. diligẽter cauit ne vnquã vlla imperata faceret, né ve hosti præ metu cederet: sed aduersariis fœdere cũ ipsis facto, & seſe suo imperio submittentibus, quicquid æqui peterẽt, cõcederet & largiretur. Atq; hãc magnanimitatẽ in multis & magnis periculis tã in externis quàm in ciuilibus bellis ad nostrã vsq. ætatẽ pop. Ro. constanter seruauit. Quam igitur senatus hæc decreuisset, & decem alios legatos viros consulares elegisset, eos misit vt Marcium rogarent, nequid graue, aut indignum pop. Rom. maiestate imperaret, sed depositis inimicitiis, & copiis ex agro Romano abductis, oratione & verbis amicis hæc impetrare conaretur. si firma & perpetua inter hos duos populos fœdera facere vellet quia quæ vel necessitate aliqua, vel occasione, siue à priuatis hominibus, siue à respublica extorquentur, simulatque occasio, aut necessitas sublata est, statim dissoluuntur. Legati verò à senatu designati, simulatque Marcij aduentum audierunt, ad eum profecti longa ac blanda oratione eum in suam sententiam trahere conabantur, ita tamen vt vel in ipsis verbis pop. Rom. dignitatem seruarent. At Marcius nullum aliud responsum ipsis dedit, sed ipsis suasit vt rebus suis melius consulerent & intra triduum ad se

redirent. has enim solas belli inducias eos habituros. Quum autem illi ad hæc nescio quid respondere vellent, non est passus eos quidquam addere: sed ocius eos ex castris excedere iussit, minatus, ni ita fecissent, eos à se vt exploratores tractatum iri. Illi verò cum silentio confestim se dederunt in viam. Vbi autem senatus superba Marcij responsa, & minas ex legatis audisset, ne tunc quidem copias extra fines agri Romani mittere decreuit siue quòd militum suorum rei militaris imperitiam timeret, (eorum enim plerique erant tirones) siue quòd consulum ignauiam (nulla enim industria, aut fortitudo ad res celeriter peragendas in illis erat) periculosam arbitraretur ad tantum certamen subeundum, siue etiam quòd ipsi aduersaretur numen diuinum & ab educendis copiis ipsum deterreret siue etiam quòd auspiciis, aut sibyllinis oraculis, aut aliqua patria religione deterreretur, quorum ætas ea erat longè obseruantior quàm nostri seculi homines, sed vrbē præsidijs diligentius firmare, & ex ipsis munitionibus impetum hostium propulsare statuit. Interim dum hæc geruntur, & parantur, nondum abiecta omni spe Marcij flectendi si per maiorē & honoratiorem legationem eum orasset, decreuit vt pontifices, & augures & cæteri sacerdotes omnes quotquot publicorum sacrorum ac rerum diuinarum curam sibi à populo commissam gerebant (permulti autem apud illos sunt sacerdotes, & deorum ministri, atque hi ipsi sunt omnium nobilissimi, qui tum ob claros natales, tum ob suas virtutes dignitatem eam obtinent) vnà cum ipsis insignibus deorum quorum sacra celebrabantur, & qui à populo Romano colebantur & sacris velati vestibus, vno agmine hostiū castra peterent cū ijsdē mandatis

quæ

quæ priores legati ante tulerant. Qui vbi eò peruenerunt, & omnia senatus mandata exposuerunt, Marcius ne ipsis quidem quæ petebant concessit, sed suasit vt, aut reuersi imperata facerent, si pacem habere vellent, aut bellum ad ipsa vrbis mœnia venturum expectarent. edixi que nequi in posterum legati ad se colloquendi gratia mitterentur. At Romani, hoc quoque conatu frustrati, & omni spe pacis deposita se ad obsidionem tolerandam parabant, ac validissimos quosque iuuenes ad fossas & ad portas, veteranos verò iam emeritos, qui adhuc ad labores ferendos idonei erant, ad mœnia disposuerunt. Eorum verò coniuges, vt imminente iam vrbi periculo ex priuatarum ædium penetralibus, neglecto decoro, egressæ ad deorum templa currebant cum lamentis, & se ante simulacra volutabant, omnisque sacer locus eiulatus & mulierum supplicantium plenus erat, præcipuè verò Iouis Capitolini templum.

7 ¶ Tvnc quædam earum & genere & dignitate cæteris antecellens, & tunc ætate iam matura, summæque prudentiæ fœmina, nomine Valeria, soror illius Publicolæ qui cum sociis suis rempub. à regum tyrannide liberarat, diuino quodam instinctu impulsa, in summa templi crepidine constitit, & cæteras matronas aduocatas primum est consolata, animósque earũ confirmauit, orans eas ne periculi magnitudine consternarentur: deinde declarauit, vnam esse reliquam salutis publicæ spem, hanc verò, in ipsis solis esse positam, si quæ essent facienda facere vellent. Tunc vna ex earum numero respondit. ¶ Et quomodo nos mulieres, quum ipsi viri hoc præstare nequeant, patriam seruare poterimus? quas tãtas vires nos imbecillas & miseræ habemus? Non opus est (inquit

Valeria, armis non manibus (naturæ enim priuilegio horum immunes sumus) sed beneuolentia & verbis postea sublato clamore, & omnibus rogantibus vt declararet quódnam esset illud auxilium, tunc illa, Cum hac, inquit, sordida & inculta veste, assumptis quoque cæteris matronis Romanis, & allatis nostris filiolis, eamus ad ædes Veturiæ matris Marcij: & depositis ante ipsius genua pueris, eam rogemus cum lacrymis, vt nos nullius mali autores, patriámque in extremis periculis versantem miserata ad hostium castra prodeat, nepotésque suos, & eorum matrem, & nos omnes ducat. Sequamur enim eam cum filiolis nostris: deinde filium suum suppliciter oret, precibúsque ab eo contendat nequam grauiorem calamitatem patriæ inferat. Nam ob eius lamenta & preces aliqua misericordia hominem subibit, atque humanitas tanget, nam non adeò durum & crudelem animum habet, vt matrem ad sua genua prostratam volutari patiatur. Hoc consilio ab omnibus quæ aderant probato, deos precata vt vim persuadendi & gratiam suis precibus adderent, ex templo processit, cæteræ verò eam sequebantur, ac mox cum aliis matronis omnes magna frequentia domum Veturiæ, matris Marcij adierunt. Quibus conspectis Volumnia Marcij vxor, prope socrum sedens, admirata est, dixítque, Quid vultis mulieres? & cur tanta frequentia domum miseram & afflictam venistis? Valeria respondit, in extremis versantes periculis, tum ipsæ tum filioli ipsarum supplices ad te Veturia confugerunt, solum & vnicum auxilium quod est reliquum à te implorare: primùm, vt communis patriæ misericordia mouearis, nec ei, quæ in nullius vnquã potestate fuerit, libertatẽ à Volscis eripi patiaris si modò

modò victores ei parcerẽt nec funditus eã euertere conabiũtur: deinde pro nobis ipsis & pro infelicibus his pueris te rogaturæ, ne in hostiũ cõtumelias incidamus, nos, quæ nullius infortunij causa sumus. Si qua igitur mansuetudinis si qua humanitatis particula in animo tuo est reliqua, miserere Veturia, mulier mulieres quæ quondam eorumdẽ sacrorũ ac eiusdem religionis tecũ participes fuerũt, assumptáque tecum Volumnia bona muliere, eiúsque liberis, nobísque supplicibus, quæ hos infantes, progeniémque istam portamus, ito ad filium: & ei persuade eúmq; ora, nec desine precibus ab eo contendere vt tibi hãc vnam gratiam pro tot beneficiis reposcenti referat, vt nimirum pacem cum suis ciuibus faciat, vtque in patriã à qua desideratur, redeat. Rẽ enim ei (certò scias) persuadebis, nec te ad suos pedes manere prostratã vir pius patietur. Quòd si filium in patriã reduxeris, & ipsa immortalẽ gloriã consequeris (vt verisimile est) quippe quæ tãto periculo & formidine patriam liberaueris, & nos honoratiores apud maritos facies: quòd quã belli nubẽ ipsi discutere non potuerint nos dispulerimus & progenies illarũ mulierũ videbimur. quæ quũ bellũ inter Romulũ & Sabinos coortum ipsæ sua legatione sedassent, & duces ac populos conciliassent, vrbẽ ex paruã magnã fecerunt. Præclarum est periculũ, Veturia, filium recipere, patriam liberare suos ciues seruare, & immortalẽ gloriã posteritati relinquere. Largire nobis lubẽs & alacriter hoc beneficiũ, & propera, Veturia. Istud. n. periculũ iã imminens nec cõsultationẽ nec moras patitur. ¶ Illa igitur his dictis & multis lacrymis effusis cõticuit. Lamẽtantibus autem & aliis mulieribus & multas preces adhibentibus. Veturia post paruã morã & lacrymas emissas respondit, ¶ Ad

infirmam & exilem spem confugistis. Valeria, ad nostra n opem, nam sumus miseræ mulieres, quibus cha ritas quidē erga patriam adest. & voluntas se undi cives, qualescunque illi sunt: sed vires & rei peragēdæ facultas deest. Marcius enim, Valeria, nos auersatur, ex quo plebs eum acerbo illo iudicio damnauit. & vnà cū patria totā familiam odio prosequitur, hoc autē non ab alio quopiam, sed ab ipso Marcio acceptū dicere vobis possumus. Quū enim dānatus iudicio, domum ab amicis deductus rediisset, & nactus fuisset nos lugentes & sordidatas & miseros filios suos in gremio tenentes, & gementes & (vt consentaneum erat) deplorantes fortunam in qua vitam transactura essemus, illo orbatæ, quumque aliquantulum à nobis semotus sine lacrymis, instar lapidis, & immotis oculis stetisset, Periit, inquit, vobis Marcius, ô mater, & tu quoque Volumnia, mulierum optima, à ciuibus expulsus, quòd esset vir generosus & patriæ amans, quódq. pro ea multa certamina subiisset: quare, vt decet bonas mulieres, ita calamitates ferte, nihil indecorum, nihil illiberale facientes, atque hos pueros meæ absentiæ solatium habētes educate, prout vestra vestræque familiæ dignitas postulat, quibus vbi iam ad ætatem virilem peruenerint, dij dent fortunam meliorem quàm patri, virtutem non deteriorem, & valete. Iam enim discedo relicta vrbe, quæ bonos viros amplius nō capit, nec ferre potest. Vos quoque dij penates, & lares patrij, geniiq. huius loci præsides, valete. Quæ quum ille dixisset, nos infelices voces, quas dolor extorquebat, edentes, & pectora plangentes in eius amplexus ruebamus, vt postremam salutationem ab illo acciperemus: atque horum puerorum ego maiorē natu ducebam, mater verò minorem in vlnis gestabat.

At ille

At ille auersus, & nobis repulsis inquit: Nec tibi, mater posthac Marcius erit filius: sed patria abstulit tibi senectutis nutritorem, nec tibi ab hoc die in posterum, Volumnia maritus erit. sed felix esto alium maritum meliorem nacta, neque vobis, ô charissimi filij, pater ero. sed orbi & ab omnibus destituti apud hos vsque ad virilem ætatem educabimini. Hæc loquutus, quum nec vllo modo suis rebus domesticis prospexisset, nec vlla mãdata dedisset, nec, quò iret, dixisset, solus matronæ, sine seruo egenus, & ne vnius quidem diei viatico de suis pecuniis assumpto miser ille domo discessit. & iã hic est quartus annus ex quo agens in exilio, nos omnes à se alienas sibique inimicas ducit, nihil scribens, nihil per nuncios nobis mittens aut significans, nequid agamus scire curans. Apud talem igitur animum tam durum, & inhumanũ, quam vim Veleria habebunt preces nostræ quum nobis nec salutem dixerit, nec amplexus nec oscula dederit, nec vllum aliud comitatis genus exhibuerit ex ædibus extremũ digrediens? Veruntamen si hoc quoque petitis vos matronæ, & omnino vultis nos rẽ indecorã facientes videre fingite me & Volumnium vnà cum his pueris apud eum esse, quid primum ego mater illi dicam? quibus precibus filium precabor: dicite & docete me. An hortabor eum vt suis ciuibus parcat? à quibus patria expulsus fuit, idque ob nullam illis factam iniuriam? an vt misericordia & commiseratione plebeiorũ commoueatur, à quibus nullam misericordiam, nullam commiserationem impetrare potuit? An vt deserat & prodat eos à quibus exul humaniter est exceptus, qui multis & grauibus cladibus antè ab illo affecti, haud tamen hostile odium, sed amicorum & cognatorum beneuolẽtiam erga eum ostenderint?

quo animo filium rogabo vt eos à quibus perditus est a-
met illis verò à quibus salutem accepit iniuriam faciat?
Non sunt hæc verba matris sana mente præditæ ad fi-
lium, nec vxoris ea quæ oportet considerantis, ad maritũ,
nec vos matronæ cogatis nos hæc ab eo petere, quæ sunt
contra humanum ac diuinum ius, & contra pietatẽ. Sed
nos miseras in ea fortuna in quam incidimus, afflictas
nihil aliud præter decorum facientes iacere sinatis. § Quũ
autem illa finem dicendi fecisset, tantus eiulatus mulierũ
est coortus, tantúsque gemitibus ædes personuerunt, vt lon
gè per vrbem clamor manaret ac exaudiretur, & turbæ
concursu vici ædibus proximi complerentur. Postea &
Valeria denuò maiore contentione prolixis & affectuum
plenis precibus est vsa: & aliæ matronæ, quæ vtrique ha
rum mulierum vel amicitiæ vel cognationis vinculo con-
iunctæ erant, earum genua tangentes eas suppliciter ora
re non desinebant. Itaque Veturia quum illarum luctus
ferre non posset, & multis precibus victa esset, dedit ma
nus, & tandem pro patria legationem obiuit vt ipsis pro
miserat, ducta secum vxore Marcij eiusque filiis, & alijs
ciuibus, quot quot sequi voluerant. Illæ igitur mirum in
modum lætæ, diisque inuocatis vt suæ spei fauerent, ex
eius ædibus discesserunt, & quid egissent consulibus nun
tiarunt.

8 ¶ ILLI, laudata harum rerum egregia volun
tate senatum conuocarunt, & ad eum retulerunt de mu
lierum profectione: & an illis hoc concedendum esset sen
tentias virilim rogarunt. Multa igitur verba & à multi
tis ea de re dicta sunt, & ad vesperum vsque quidnam
esset faciendum consultatum est. Alij enim vrbi pericu-
lum non parum imminere demonstrabant, si mulieribus

permit-

permitter tur vt vnà cũ liberis ad hostium castra irent. Nam si illis, com ẽpto legationis & supplicũ iure ac neglecta pietate, mulieres nõ amplius dimittere placuisset, suam vrbem sine vllo certamine captum iri dicebant: sen sebántque ipsis solis Marcij cognatis permittendum vt vnà cũ eius liberis eò proficiscerentur. Alij verò ne istis quidẽ exeundi potestatem permittẽdam censebant, quinimò suadebant vt diligenter hæ quoq; pro obsidibus asseruarentur, & existimandũ dicebant, has tanquam spõsores sibi ab hostibus datas, ne quã grauiorem calamitatem Respub. ab illis acciperet. Alij verò suadebant vt omnibus mulieribus quæ exire vellent, exeundi potestas daretur, vt maiore cum autoritate Marcij cognatæ pro patria deprecarentur. Quominus autem quidquam mali ipsis accideret sponsores futuros dicebant, primùm quidem ipsos deos, quibus consecratæ supplicaturæ erant, deinde verò ipsum virum, ad quem ituræ erant, cuius vita omnis iniusti & impij facineris pura & ab omni labe aliena perpetuo fuisset. Hæc tamen sententia, qua mulieribus exeundi potestas fiebat, cum maxima virtusq; laude vicit. Senatus, propter prudentiam, quòd optimè res futuras & feliciter succedituras, nihil periculi magnitudine deterritus, præuidisset: Marcij propter pietatem, de quo quanuis hostis esset, certa tamen erat opinio eum in infirmam ciuitatis partẽ, si in ipsius potestatẽ venisset, nihil impie patraturum. Facto autem senatusconsulto, consules in forum progressi, & conuocata concione, quum iam essent tenebræ, senatusconsultum exposuerunt, & edixerunt vt omnes manè præstò essent ad portas, vt mulieres exeuntes prosequerentur, se verò interim res necessarias curaturas. Quum autem iam instaret crepuscu-

lùm matutinum, mulieres filiolos secum ducentes ad Veturiæ ædes cum fletibus venerunt, & cum ea ad portas processerunt. At consules quum mulas iugales & plaustra, & alia vehiculorum quàm plurima genera parassent, eas illis impositas, illisque vectas longè sunt prosequuti. Eas autem comitabantur cùm senatores, tum multi alij cives, qui & laudibus & precibus earum profectionem illustriorem reddebant. Quum autem mulieres eò processissent, unde vel eminus ex castris facilè conspici poterant, Marcius quosdam equites misit quibus imperauit vt cognoscerent quænam esset illa tuba ex vrbe egressa & quæ esset eius aduentus causa. Quum autem ex illis cognouisset, mulieres esse Romanas, quæ cum suis filiolis veniebant, & matrem suam & vxorem, liberosque illis præire primum quidem mulierum audaciam est admiratus, quæ hostium castra sine virorum præsidio ausæ fuissent petere, filios adducentes, nec vllam pudoris, qui ingenuas & pudicas mulieres decet, rationem amplius habentes quominus in hominum insuetorum conspectum se darent, nec metus periculorum territæ, in quæ forsitan rem perderant si sibi vtilitatem iustitiæ anteponentibus, eas lucri facere, & in suum commodum conuertere placuisset. Quum autem iam propè essent, ex castris prodire & cum paucis matri obuiam venire decreuit, iussis licitoribus, secures quæ imperatoribus præferri de more solebant deponere, & fasces, vbi ad matrem accessisset, demittere. Hoc autem Romani facere solent, quoties minores magistratus maioribus obuiam eunt, quemadmodum fit ad nostram vsque ætatem. Quam consuetudinem Marcius tunc seruans, quasi maiorem potestatem conuenturus esset, omnia sui imperij insignia deposuit:

tanta

tanta in eo viro reuerentia, & pietatis erga parentem cura fuit. Quum autem iam propius atq; ad alios accessissent, mater prior ad eum salutandum processit, more lugentium sordidata, oculos præ lacrymis tabefactos habens, miserabilis admodum. Qua conspecta, Marcius, qui hactenus fuerat rigidus, & adeò durus vt omnibus molestiis resisteret, non potuit amplius vllo modo in proposito manere: sed humanis affectibus abreptus est, & eam amplexus salutauit, & iucundissimis vocibus eam sepius appellauit, & diu flens, eamque exanimatam labantémque in terram, fouens sustinuit. Postquam verò matris amplexibus satis indulsit, vxore liberisque salutatis: Bonæ, inquit, mulieris officium fecisti Volumnia, quòd apud matrem meam manseris, & quòd eius solitudinem non deseueris, mihi certè donum longè omnium iucundissimum ex largita, rémq. omnium longè gratissimam mihi fecisti, quam vtrumque filium exosculatus fuisset, salutémq. conuenientē illis reddidisset, rursus se ad matrē vertit, iussitq; dicere quid postularet, & quænā esset aduentus causa. Illa verò omnibus audientibus se id dicturam, & nihil impij petituram respondit, eúmq. hortabatur vt in quo loco sedēs turbæ ius dicere solebat in eo sederet. Id responsum Marcio pergratum fuit, quod hoc modo iustas rationes, quibus eius precibus occurreret, sibi non defuturas putabat, & coram multitudine se opportunè, & præclarè responsum matri daturū ducebat. Ergo ad imperatoriū tribunal progressus, primū iussit lictores sellā inde auferre, & humi ponere, existimās non oportere se in sublimiori loco, quā mater esset sedere, nec cū ea pro potestate vllo modo agere, deinde nobilissimis quibusque

ducibus & centurionibus sibi assidere iussis, & admissis quotquot adesse voluissent, matri copiam dicendi fecit. Tum Veturia, quum Marcy uxorem & liberos & nobilissimæ quasq; Romanas matronas ante tribunal stitusset, primum oculis in terram diu defixis flevit, & illis qui aderant magnam misericordiam commouit. deinde quum se collegisset sic est loquuta, {MVLIERES, fili Marci, cogitantes contumelias, & alias calamitates, in quas incident si vrbs nostra in hostium potestatem veniat, omni alio auxilio desperato, quandoquidem erum maritis pacem petentibus superba & dura dedisti responsa, adductis secum liberis, & hisce lugubribus adsordidis amictæ vestibus, ad me matrem tuam, & Volumniam uxorem tuam confugerunt, rogaturæ ne paterer segrauissimis calamitatibus à te affici, quæ nullam aut grauiorē aut leuiorem iniuriam nobis fecissent, nec vllo modo in nos deliquissent: sed magnam etiam, quum secunda fortuna uteremur, benevolentiam nobis præstitissent, & quum in hæc infortunia incidissemus, cōmiseratione nostrorum malorum manifestè commotæ fuissent. Possumus enim illis hoc testimoniū dicere, eas ex quo tu ex patria discessisti, & nos desolatæ, & ad nihilum redactæ relictæ fuimus, continenter ad nos venisse nostrásque calamitates consolatas, & earum commiseratione non sine graui dolore commotas fuisse. Horum igitur memores & ego, & tua uxor, quæ mecum habitat, earum supplices preces auersatæ non sumus, sed ausæ sumus, vt nos rogabant, ad te venire, & pro patria deprecari. Dum autem adhuc ea loqueretur, Marcius eius verba excipiens, REM (inquit) quæ fieri non potest, huc petitura venisti, mater. Petis enim vt hostites meos

iis pro-

iis prodam qui me expulerunt, & iis qui me omnibus meis bonis spoliarunt, eos qui bona, quæ maxima inter homines habentur, benigne mihi sunt largiti: quibus ego dum hoc imperium ab illis acciperem, & deos & genios sponsores dedi fore vt neque eorum Rempu. prodarem, nec bellum deponerem nisi de cõmuni omnium Volscorum sententia. Quapropter, tum metu deorum, & quos colo, & per quos iuraui, tum hominum reuerentia quibus fidem dedi, bellum cum Romanis ad finem vsque geram. Quòd si restituerint Volsci agrum eorum quem inuitis illis occupant, eósque in amicitiam & parem iuris libertatisq; conditionem, vt Latinos, receperint pacẽ illis dabo: aliter verò non. Vos igitur matronæ abite, atque hæc maritis vestris dicite, & illis suadete ne res alienas & nimia earum cupiditate capti per iniuriam retineant, sed satis ipsis sit si detur frui propriis, néve expectent donec Volsci res armis sibi ereptas, eodem belli iure illis extorqueant, & recipiant. Victoribus enim non erit satis res suas tantùm recepisse: sed fortunas etiam eorum qui victi fuerint habere volent. quòd si solita arrogantiæ pertinacia, res quæ nihil ad se pertinent retinentes, quidquis perpeti malint, illis venturas calamitates ascribite, eosq; accusate, nõ Marcium, non Volscos, non alium quempiã mortalium. Te verò ô mater, vicissim ego tuus filius oro, ne sis mihi autor facinorũ impiorũ & iniustorũ, néve ab hominibus & mihi & tibi ipsi infensissimis stans, mihi suadeas vt pro hostibus habeam eos qui necessitudinis vinculo mihi sunt coniunctissimi: sed apud me remanens, vt æquum est, eandem quã ego patriã incolas, & domũ quam mihi paraui, meisq; honoribus fruaris, meæq; gloriæ sis particeps, eosdẽ tu quoque quos ego pro amicis &

cognatis & hostibus habens: iámque istum luctum depo nas, quẽ propter meum exilium, misera, pertulisti, & te squalore isto vexare desinas. Mihi enim, mater, cætera quidẽ bona multò præstantiora quàm sperare, & maiora quàm optare potuissem, tum deorum fauore, tum hominum beneuolentia contigerunt. Tui verò cura, cui in senectute nutricandi gratiã non retuli, in ipsis meis visceribus inhærens facit vt mihi vita peracerba sit, nec vllis præsentibus bonis me frui sinit. Quòd si à meis partibus steteris, & rerũ mearum omnium particeps esse volueris, nihil mihi amplius ad sũmã humanã felicitatẽ deerit.

9 ¶ QVVM autem finẽ dicendi fecisset, Veturia, parua mora interposita, dum circumstantium ingens & multa laudatio cessaret, sic eum est alloquuta. {AT ego, fili Marci, nec vt Volscos prodas postulo, qui te exulẽ humaniter exceperunt, & cum aliis honoribus affecerunt, tum etiam suum imperium tibi cõmiserunt. Nec volo vt contra conditiones, & iusiurandum, quo te illis obstrinxisti, quando imperium copiarum accepisti sine communi consensu priuatim inimicitias deponas: neque existimes matri tuæ deos sic omnem mentem ademisse, tantæq; dementiæ eam plenam esse, vt dilectum & vnicum filium ad turpia & impia facinora adhortari velit. Sed à te peto vt de communi sententia ab armis recedas, autoritate tua inductis Volscis vt ad æquas compositionis conditiones descendant, & pacem vtriq. generi honestam & conuenientem faciant. Hoc autem fieri poterit, si nunc motis castris copias abduxeris, inducijs in animum factis. Interea verò per legatos vltrò citróque commeantes, de vera amicitia ineunda, & firma pace facienda agere poteris. Et certò illud scias, populum Romanum quæcunq;

salua

salua sua maiestate ac honore facere poterit, omnia verbis & precibus adductum non grauate facturum: sed si cogatur quemadmodum nunc tu vis, nihil vnquam vobis aut maius aut minus largiturum, quod cum ex multis aliis potes cognoscere, tum ex iis quæ nouissime Latinis cõcessit, quum ab armis recessissent. Volsci verò (vt iis solet accidere, qui nimia felicitate vtuntur) valde sunt insolentes. Quòd si eos doceas qualemcumque pacem quo uis bello potiorem esse, & amicorum reconciliationem si sponte fiat, ea firmiorem esse, quæ ipsa necessitate extorquetur: & virorum esse prudentia præditorum, quum res ipsis prosperè succedere videntur fortuna moderatè vti, in rebus verò aduersis & afflictis, ad nullum inhonestũ facinus se dimittere. Denique si addideris cætera documenta quæ sunt munimenta vt istis homines ad mansuetudinem & æquitatem alliciantur: quæ vobis res ciuiles tractantibus optimè sunt notæ, sponte de sua illa superbia remittent, qua nunc efferuntur, & tibi potest tẽ dabunt faciendi arbitratu tuo quicquid ere ipsorum fore iudicaris. Quòd si tibi aduersentur, nec tuam orationem admittant, elati rebus tuo ductu auspiciisque feliciter gestis, quasi perpetuo fortunam propitiam sint habituri, eorum imperium palam deponas, nec sis proditor eorum qui fide tua nituntur, nec hostis eorum qui necessitudine tibi sunt coniunctissimi: vtrumque enim est impium. Hæc igitur ea sunt fili Marci quorum causa veni, & quæ peto vt mihi concedas: quæ non habent illas difficultates quas tu memoras, & quæ ab omni iniusto ac impio facinore sunt aliena, ita vt ea facere possis conscientiam tuã nullo modo lædens. Age verò infamiámne times, si ea quæ tibi suadeo feceris, ne ingrati animi in bene de te

meritos redargueris, qui te suum hostem hospitio exceptũ in partem omnium bonorum quorum ciues nati sunt participes receperunt? hæc enim sunt quæ semper verbis tantopere exaggeras. Nõne igitur illis magnam & præclaram gratiam retulisti, & infinita quadam beneficiorum magnitudine illorum beneficia superasti? Quibus, quum hactenus secum præclarè actum iri sèque summum bonum adempturos existimarent, si sibi in patria liberè viuere licuisset, non solùm hanc ipsorum libertatem constabilisti, sed etiam effecisti vt iam consultent vtrum pop. Rom. imperium euertere sit satius, an constituta Republica in iuris eius æquabilitatem recipi. Omitto enim dicere quot spolijs ex bello relatis milites tuos ornaris, & quantas diuitias illis fis largitus. Eos igitur qui tua opera adeò creuerunt, & ad tantam felicitatem euecti sunt, non putas contentos fore præsentibus bonis, sed tibi fore infensos, & iniquo animo laturos nisi etiam patriæ sanguinẽ ipsorum manibus libaris ac effuderis? Ego certe non puto. Vnũ adhuc supereſt dicendũ, quod si ratione ad iudicij adhibita consideres, multũ apud te valebit, si iram, partũ de iniusto odio quo patriã prosequeris. neque enim sana erat nec patrijs institutis regebatur, quando te iniustè damnauit: sed morbo laborabat, magnáque tẽp statc iactabatur, neque totius tunc eadem fuit sententia, sed malæ partis quæ prauos duces sequuta fuerat. Si verò non solùm pessimis quibúsque, sed cæteris etiam ita visum fuisset, & ab illis vt ciuis qui Rempublẽ administraret, expulsus fuisses, tamen ne sic quidem te iniuriarũ à patriã tua acceptarũ memorẽ esse & vindictã quærere debebat. Nam & multis aliis optimè Reip. administrantibus idem accidit, ruríque sunt illi quorum

apparen-

apparenti virtuti cuiuim æmulorum inuidia iniustè aduersata non fuerit. Sed omnes viri fortes. Marci calamitates humanitus & æquo animo ferunt suásque sedes in alias vrbes transferunt vbi degentes patriæ nullas molestias afferant. Quemadmodum etiam fecit Tarquinius cognomine Collatinus (quod exemplum idque domesticum sufficit) ille qui ciues suos ex tyrannide in libertatem suorum sociorum opera vsus vindicauit, & qui deinde falsò apud eos accusatus fuit, quasi mutato animo tyrannis fauens. eos in patriam reducere conaretur, quóq; propterea in exilium pulsus fuit, & tamen omnem memoriam iniuriarũ acceptarum ab iis à quibus fuerat expulsus deposuit, nec cum tyrannis arma Reip. intulit. nec factis suis aduersariorum calumnias confirmauit, sed quũ in veterem nostram patriam, Lauinium, se contulisset. ibi totum reliquum vitæ spatium beneuolus & amicus patriæ exegit. Faciamus tamen & concedamus eos qui iniuriam acceperunt, non diiudicare vtrum is qui fecit iniuriam sit amicus, an inimicus. sed æquè omnibus esse iratos, an non satis pœnarum exegisti ab iis qui te contumelia affecerunt, qui fertilissimum eorum agrum vastaris, & pecori pascuum feceris ac desertum reddideris, & socias vrbes diripueris. quas multis laboribus quæsitas in suam ditionem redegerant, & tertium iam annum in magnam inopiam rerum ad victum necessariarum eos compuleris? sed etiam immani & insano furore impulsus ad illos in seruitutem abducendos, vrbémque euertendam venis? & ne legatos quidem à senatu missos tibi criminum absolutionem, reditúmque in patriam afferentes, amicos, bonósque viros es reueritus, neque sacerdotes postremò ab vniuerso populo

missos, viros senes qui sacras deorum coronas ornamenta ac insignia habebant, & prætendebant: sed istos etiam repulisti superbo & impetioso responso non aliter ac victis dato. Equidem nullo modo laudare possum hæc dura, & supra modum superba, & mortalis naturæ terminos transeuntia postulata, quòd videam omnibus hominibus refugia inuenta esse, & deprecationes mutuarum offensarum, preces supplices, & precationes, & vt iis qui fecit iniuriam ad eos qui eam sunt passi humiliter confugiat; qui mos nobis à diis est constitutus, quo omnis ira mollitur, & odium quod est exercendum in inimicum, in misericordiam conuertitur. Contra verò, omnes qui superbi sunt. & qui supplicum preces cum contumelia repellunt, in deorum indignationem incurrere, & tandem in miseras calamitates incidere animaduertam. Nam ipsi dij, qui primi hunc morem constituerunt, nobisque tradiderunt, facilè humana peccata condonant facilèque hominibus reconciliantur? & iam multi quum grauiter in eos deliquissent, precibus tamen & sacrificiis iram eorum placarunt. Nisi fortè, tu Marci, æquum esse censes, vt deorum ira sit mortalis, hominum verò, immortalis. Recte igitur & ex dignitate tua feceris, si tu quoque ipsi patriæ saltem pœnitenti, & tecum in gratiam redeunti, & omnia, quæ antè tibi abstulerant, nunc restituenti, crimina remiseris, & condonaris. Quòd si in illam es implacabilis, at mihi fili, hunc honorem & gratiam concede, à qua beneficia non parum pendenda accepisti, & quæ nec alius quispiam sibi vindicabit: sed maxima & pretiosissima, & quorum ope cæteras res omnes parasti, corpus & animam. Hæc enim à me es mutuatus, nec vllus locus nec vllum tempus hæc

mihi

mihi auferet, nec ipsorum Volscorum, nec cæterorum omnium hominum beneficia & merita tantum valebũt, licet sua magnitudine cœlum attingerent, vt iura naturæ à te obliterentur & negligantur: Sed metus eris omni tempore mihique omniũ primæ gratiam acceptæ vitæ debebis, & quæ petam, mihi sine vlla causatione concedes. Lex enim naturæ omnibus qui sunt sensus & rationis participes, hoc ius statuit, quo freta, fili Marci, te oro ne bellum patriæ inferas, & tuæ violentiæ obsisto. Aut certè vbi priùs me matrem tuã tibi aduersantem furiis propria manu mactatã obtuleris, tunc bellũ contra patriam incipe mouere, aut parricidij piaculum reformidans matri tuæ cede, eique, ô fili, hoc beneficium da vltrò ac libenter. Quum igitur hanc legem, quam nullũ vnquam tempus sustulit, auxiliatricem sociámque habeam, indignum esse censeo, Marci, me solam honoribus mihi ab hac concessis per te fraudari. Sed, vt hanc legem omittam, considera etiam quot & quanta sint mea in te beneficia, quæ commemorare possum: siquidem quum te pupillum à patre relictum accepissem infantem, tuæ causa in viduitate permansi, & educationis labores pertuli, nec matris tantùm, sed etiam patris, fratris, nutricis, sororis, & charissimarum necessitudinum loco tibi fui. Deinde verò, postquam ad ætatem virilem euasisti, quum mihi tunc liceret his curis liberatæ alteri nubere, aliósque liberos educare, & multa præsidia mihi parare, quibus senectutem meam nutritum iri sperare potuissem, hoc tamen facere nolui: sed in eadem domo mansi, & eodem vitæ genere contenta fui, in te vno collocatis meis voluptatibus & commodis, quibus me partim minuitus, partim spẽte frustratus es, &

omniũ matrum miserrimã fecisti: quando enim vnquam, ex quo ad virilẽ ætatẽ mea opera peruenisti, sine dolore aut metu vixi? aut quando animum hilarem propter te habui, quẽ te viderem semper bella post bella parare, & prælia post prælia suscipere, & vulnera post vulnera accipere? at fortasse ego mater tua, ex quo ad rempublicã eiusque administrationem accessisti, voluptatem aliquã propter te percepi: imò verò tunc potissimum infelix fui, quum te seditione ciuili iactari viderem. nam in quibus actis florere videbaris, & plebi pro optimatum factione vehemens odium spirans aduersabaris, hæc me terrebant plurimum, quia cogitabam paruo momento vitæ humanæ vicem mutari, multisque rebus variisque casibus auditis, sciebam diuinam quandam indignationem viris illustribus aduersari, aut quandam hominum inuidiam illis bellum facere. Rerum igitur quæ tibi euẽturæ erant vera vates eram, atque vtinam nunquam fuissem. Ingens igitur ciuium inuidia ingruens te oppressit, & ex patria expulit. Vita autem mea post hæc (si modò vita est appellanda) ex quo me desolatam cum hisce pueris relinquens abiisti, in his sordibus, & lacteris, ac lugubribus vestibus est traducta. Pro quibus omnibus beneficiis hanc vnam ingratiam repono, ego quæ tibi nunquam fui molesta, nec in posterum, donec viuã, sum futura, vt cum tuis ciuibus in gratiam redeas, & tãdem aliquando tuam implacabilem iram contra patriã seruare desinas, postulans vt rex vtrique nostrum, non autem mihi soli commodam concedas: nam si me audieris, & nihil grauius admiseris, tibi continget vt conscientiã puram ac impolluta habeas, & ab omni ira ac terrore diuino liberam habeas. Et mihi viuenti ab omnibus

mei

meis ciuibus tũ maribus tum fœminis habitus honor vi-
tam beatam faciet, & mihi defunctæ delatus (vt est ve
risimile) gloriã immortalẽ afferet. Et siquis est locus, qui
humanas animas corpore solutas recipiat, non infernus
ille & luce carens ocus animam meam excipiet, vbi
sceleratorum sedes esse ferunt, nec căpi quos Lethæos vo-
cãt, sed sublimis & purus æther, in quo diis genitos feli-
cem & beatam vitam degere fama est. Quibus annun-
tiata tua pietate, tuisque beneficiis, quibus à te ornata
fuerit, semper tibi præclaram aliquã remunerationem à
diis petet. Sed si matrem tuam contempseris, & cum i-
gnominia dimiseris, equidem quid tibi propterea sit euẽ
turũ dicere non possũ, veruntamen tibi nihil fausti præ-
dico. Illud sat scio, etiam si cæteris in rebus felix fueris
(fingamus enim hoc quoq.) fore tamen vt dolor, quẽ mei
mearúmque calamitatum causa sentis, te persequutu-
rus, animámque tuam nunquam dimissurus, nullis bonis
vitã tuam frui patiatur: neque enim Veturia ceaui &
atroci contumelia præsentibus tot testibus affecta, vel
minimũ tẽporis spatium viuere poterit. Sed in cõspectu
omnium vestrum tum amicorũ, tum inimicorũ, mihi ipsi
manus violentas afferã graues imprecationes, diráque
Furias, quæ meas iniurias vlciscantur, tibi relinquens.
Quim necessitatẽ, dij imperij Romani custodes, auerti-
te, & piã bonamq; mentem Marcio date, & sicut modò
me aduentante secures deposuit, fascésque demisit, sellãq;
de tribunali in terrã transtulit, cæteráque insignia, qui-
bus sũmi magistratus & imperatores ornari solẽt, par
tim minuit, partim penitus amouit, quòd omnibus notũ
facere vellet, decere quidẽ se in alios imperium habere,
sed se materno imperio subiectũ esse oportere: ita etiam

nũc honoratam & cõspicuã me faciat, & cõmuni patriæ mihi donata, me ex infelicissima felicissimã omniũ mulierum reddat. Et si decet, & si fas est, matrem ad filij genua procumbere, neciſtiũ nec aliũ quemuis humilẽ habitũ ministeriúmue pro patriæ salute subire grauabor. ¶ 10 ¶ Qvvm hæc dixisset, se humi proiecit, & manibus ambabus Marcij pedes amplexa deosculata est. Quũ aũt illa se prostrauisset, oẽs mulieres simul sublato clamore, gemitũ & longũ eiulatũ ediderunt. Volsci verò qui in cõsessu aderãt eius spectaculi nouitatẽ ferre nõ potuerunt, sed oculos auerterunt. Ipse verò Marcius, qui ex sella prosiluisset, matríque incubuisset, eã exanimatã erexit amplexúsque eã & multis lacrymis effusis, ita est loquutus, ¶ Vicisti mater, sed victoriã nec tibi, nec mihi felicem reportasti: patriam enim seruasti, sed me filiũ piũ, tibiq; nimiũ indulgentẽ perdidisti. ¶ Hæc effatus tẽtorium petijt, uxore, matre, filiísque se sequi iussit: ibi reliquũ diei spatiũ cum illis consultando quid faciendũ esset, absumpsit. Quæ aũt illis visa sunt, hæc fuerunt. Vt de reditu nec senatus quidquã ad populũ referret, nec ille quidquã statueret priusquã fœdus & pax, quæ cũ Volscis fieret, parata esset: ipse verò motis inde castris exercitum ut per amicũ agrũ abduceret, redditáque ratione rerũ in imperio à se gestarũ, suísque beneficiis cõmemoratis rogaret eos qui exercitũ sibi commiserãt, ut hostes in amicitiam potissimùm reciperent, & fœdera æquis cõditionibus facerent, cõmissa suæ fidei cura prospiciendi ut pax æquis conditionibus & sine vlla fraude fieret. Sed si ob res feliciter à se gestas superbia inflati pacem recusarẽt, ipse imperium deponeret. Aut enim ob inopiã boni ducis eos alium imperatorem creare nũ auſuros putabant,

tabant,

tabant, aut, si temerè aliq; cuipiã copias cõmittere auſi fuiſſẽt, magno ſuo malo cognituros quidnã eſſet è re ſua, & quidnã eligere debuiſſent. Hæc igitur ſunt de quibus illi inter ſe cõſultarũt, & quæ decreuerũt quæ & iuſta & pia eſſe iudicarũt & de quibus omnes bene ſenſuros (cuius rei vir ille maximè erat ſtudioſus) exiſtimarunt. Sed turbabat eos quæ ſuſpicio cũ metu coniunctã, ne fortè inconſultũ vulgus ſpe aduerſariorũ debellandorũ iã cõcepta ea re fruſtratũ iræ impotẽs iniquo animo ferret, deinde ipſũ vt proditorẽ vel ante cauſam dictã manu ſua perderẽt. Hoc tamẽ & ſi quod aliud grauius periculũ eſſet, illis fidẽ cũ virtute ſeruãtib. ſubeundũ vide batur. Et iã ſole ad occaſũ vergente, poſt mutuos amplexus, & ſalutationes mutuas, ex tẽtorio egreſſi ſunt, ac mox mulieres in vrbem redierunt. At Marcius pro concione cauſa reddita cur ab armis eſſet diſceſſurus, militibuſque multum rogatis vt ſibi veniam darent, & domum reuerſi, beneficiorum memores ſibi adeſſent, ne quid grauius ab aliis perpeteretũr, & multis aliis verbis, quæ eorum animos allicere poterant, dictis, imperauit vt proxima nocte caſtra moturi ſe ad profectionem pararent. Romani verò vbi cognouerunt ſe periculo liberatos (rumor enim huius rei aduentum mulierum præuerterat) cum ingenti lætitia, relicta vrbe extra currebant, & mulieribus obuiam ibãt, eas ſalutantes & canentes pæana, & quæcunq; præ gaudio aut faciunt aut dicunt homines, qui magnis periculis liberati inſperatam felicitatem ſunt conſequuti: horum partim omnes ſimul, partim ſinguli ſeparatim ſignificationẽ dabant. Illam igitur noctem in conuiuiis & oblectationibus totã tranſegerunt: ſequẽti verò die coactus à

consulibus senatus, vt de honoribus Marcio decernẽdis ageret, rem eam in aliud tempus magis opportunum differendam esse censuit. Sed matronis, ob egregiam operã reipub. alacri animo nauatã, quamprimum debitas laudes reddendas, & meritis honoribus ornãdas, & ad perpetuam posteritatis memoriam, hæc in publicas tabulas referendas, & quoduis aliud præmium quod ipsis foret gratissimum & charissimum dandum censuit. quod senatusconsultum plebiscito confirmatum est. Illis autẽ postquam inter se consultassent, visum est nullum donum inuidiosum petere sed à senatu postulare, vt sibi eius permissu liceret templum Fortunæ muliebri extruere, in quo pro reip salute ipsæ seorsum preces facerent, & quotannis eo ipso die quo bellum disputassent, eò conuenientes sacrificia peragerent. Ipse autem S. P. Q. R. suo decreto curauit aream publica pecunia emptam deæ consecrandam, & in ea templum & aram ex præscripto pontificiũ extruendam, sumptúque publico sacrificia facienda, sacra auspicante matrona, quam ipsæ ad id sorte rum ministerium delegissent. Itaque, ex hoc senatusconsulto Valeria, quæ ipsis legationis autor fuerat, & quæ Marcij matri persuaserat vt se in illa profectione adiuuare vellet, tunc prima sacerdos creata fuit. Primum autem sacrificium mulieres pro populo fecerunt. Valeria auspicante sacra supra aram in illo loco consecrato factam, antequam templum conditum, & simulacrum erectum esset, mensis decembris sequentis anni noua luna, quam Græci νουμηνίαν, Romani verò Calendas vocant: hoc enim die bellum finitum fuerat. Anno deinde altero post primum sacrificium, id templum publica pecunia ædificatum, absolutum, cõsecratúmque fuit, quintilis mensis cer-

circiter sextum diē, ex ipso lunæ cursu: hic autē dies apud Romanos est prid. non. quint. Qui verò ipsum cōsecrauit, fuit alter consul Proculus Virginius. Non alienū autem fuerit à legibus historiæ, sed maximè necessarium ad eorrigendam eorum opinionem, qui putāt deos nec honoribus sibi ab hominibus delatis gaudere, nec impiis & iniustis facinoribus indignari, declarare manifestam illius deæ præsentiam, quæ eo tempore apparuit non semel: sed iterum, quemadmodum in pontificiis libris est scriptum, vt illos quidem qui sunt cautiores, in retinēdis opinionibus, quas ab hominibus de numine diuino acceperunt, istiusmodi propositi non pœniteat, sed in eo constanter permaneant. Illi verò qui patrios mores negligunt, & quires humanas diuina prouidentia regi negant, hanc opinionem potissimùm mutent: at si morbo insanabili laborant, multò magis sint ipsis dijs odiosi, & multò magis infelices. Ferunt igitur, quum senatus suo decreto iussisset ommes impensas in templum & simulacrum, ex ærario suppeditari, & mulieres fecissent alterū simulacrū de pecuniis quas ipsæ contulerant, & vtrumque simul primo dedicationis die consecratum fuisset, alterum simulacrū, quod mulieres faciendum curarant, multis præsentibus, Latino sermone, voce quæ facilè intelligi poterat & clara loquutū esse. Cuius vocis iste est sensus, si Græco sermone rem interpreteris, Ὅσιαν πόλεως νόμῳ γυναῖκες χαμετιὰ δεδράκατέ με, i. sancta reip. lege matronæ me dedicastis. Quemadmodū autem accidere solet in nouis & inopinatis vel vocibus vel visionibus, mulieres quæ aderant, valde dubitarunt, ne fortè non simulacrum esset, quod voce humanā ediderit. Præcipuè verò illæ quæ tunc in aliquam aliam rem animis intentæ erant, quòd

non vidisset quidnã esset id quod vocẽ emiserat, iis quæ viderant fidem non habebant. Postea iterum quũ templum magna frequentia mulierũ refertum esset, quúmq. fortè maximũ esset silẽtiũ, maiore voce idẽ simulacrũ eadẽ verba protulisse ferũt, ita vt nullo modo amplius ea de re dubitaretur. Senatus, his rebus cognitis, alia annua sacra, & cultus ex pontificum præscripto decreuit. Mulieres verò ex suæ sacerdotis sententia morem constituerunt, vt neque coronæ huic simulacro imponerẽtur, neque manus ad id à mulieribus quæ secundas nuptias expertæ fuissent, admouerentur: sed recens nuptis honor iste deferretur, & huius cultus cura omnis iis cõmitteretur. Verũ, de his rebus, nec ea silentio præteriri quæ accius gẽtis domesticis scriptorib. prodũtur, nec de iis prolixiore oratione agi præclarũ fuisset. Sed redeo vnde ad hãc narrationẽ sum digressus. Post discessum mulierũ ex castris, Marcius sub diluculum motis castris exercitũ vt per amicum agrũ abduxit. Et quũ in Volscorũ finesmgressus fuisset, totámque prædam quam ceperat, militibo dono dedisset, & ne vel minimã quidem rẽ sibi ipsi reseruasset, copias domum dimisit. Exercitus igitur qui ad eãdem militiam cum eo profectus fuerat, diuitijs grauis domum reuersus, lubẽter datam sibi belli quietem accepit, animóque in eum benevolo erat: eúmque venia dignum esse censebat, quòd materni luctus, precúmque reuerentia motus finem bello non imposuisset: at iuuentus quæ domi remanserat, militibus ob ingentem prædam inuidens, & sua spe frustrata, quam conceperat si vrbe capta spiritus Romanorum contusi fuissent, contra ducem exasperabatur, & valde acerbo in eum erat animo, & tandem assumptis in odij societatem iis quorum maxima erat auto-

autoritas in ea gẽte, efferata est, facinúsque impium patrauit. Sed præcipuè Accius Tullus non paruam ex singulis populis suæ factionis manum circa se habens trã in eum concitauit. Is iam multo ante quum inuidiam continere non posset, si Marcius re feliciter gesta, & Roma expugnata, Volscorúmq. imperio subiecta reuersus fuisset, clam & per insidias eum interficere decreuerat: si verò conatu suo frustratus, re infecta rediisset, eũ vt proditorem suæ factioni interficiendum tradere statuerat: quod tunc fecit: & contracta non exigua manu hominẽ veris coniecturis nixus, non autẽ futura ex futuris conijciens accusauit, iussitque deposito imperio belli à se administrati rationes reddere. Copijs autẽ quæ ab vrbiũ præsidium remanserant (vt ante dixi) præerat & conuocandæ concionis, & diem, si libuisset, dicendi & in iudicium vocandi, ius habebat. Marcius verò contra neutrũ horum dicendum esse censebat, sed de horum ordine cõtendebat, quia priùs rerum in bello à se gestarum rationẽ reddere, deinde, si omnibus Volscis ita visum fuisset, imperium deponere volebat. Horum autem iudicium & arbitrium nulli ciuitati (cuius maior pars à Tullo corrupta esset) committendum censebat, sed vniuersæ gentis legitimis comitiis, ad quæ illi, quoties de rebus maximi momenti consultandum esset, è singulis populis consueuerant mittere solebant. At Tullus his repugnabat, quia probe sciebat virum desertum, multarũ & præclararũ rerum à se gestarum rationẽ reddentẽ, si in imperatoriæ dignitate mãsisset, multitudini rem facilè persuasurũ: & nõ solùm nullas proditionis pœnas daturũ, sed etiã multo illustriorem & honoratiorem apud eos futurum, & pacis arbitrio suo faciendæ potestatẽ omniũ cõsensu ha-

biturũ. Et quotidianis rixis & mutuis altercationibus in cõcionibus & in comitijs ingenti contẽtione multũ tẽporis consumpserunt. Nam ipsis factis neuter alterivim afferre poterat, quòd vterq. pari imperij dignitate esset munitus. Sed quũ nullus cõtentionis fieret finis, Tullus, die dicta Marcio, ad quã eũ venire iubebat vt imperiũ deponeret, & proditionis causam sustineret, & audacissimis quibusdam viris spe præmiorũ impulsis, vt facinoris impy duces essent, ad indicta comitia venit, & in medium progressus in concionem ascendit, & longa oratione Marcium accusauit, &, nisi imperium vellet vltrò deponere, populũ est hortatus vt totis viribus id ei eriperet. Quũ aũt Marcius ad causam dicendã suggestum cõscendisset, ingẽs clamor à Tulli factione sublatus est, qui eum loqui prohibebat, & postea audacissimi quiq cædere, ferì, vociferantes, eum circumsistunt, & lapidibus tundentes ac obruentes interficiunt. Quum autem is in foro prostratus iaceret, tã ij qui illum casum viderant, quàm ij qui eo iam mortuo postea venerant, eius infortunium lugebant, vtpote cui haud egregia gratia à se fuisset relata, recensentes omnia eius beneficia quæ in remp. contulerat. Eos qui cædem patrarant comprehendere cupiebãt, quòd ciuitatibus impij & pernicioſi facinoris hominem, præsertim verò ducẽ indita causa per vim interficiendi, autores suo exemplo fuissent. Sed illi potissimum qui eius ductu auspiciisque militarant, id iniquo animo ferebant, & quoniam ei viuo succurrere, eámque calamitatem ab eo propulsare non potuerant, defuncto debitam gratiam referre statuerunt collatis in forum rebus quibuscunque opus erat ad honorẽ viris bonis necessarium. Iámque rebus omnibus paratis, quũ eum in lecto

splen-

splendidissimè ornato cũ imperatoria veste collocassent, lectóque eius præferri iussissent manubias & spolia & coronas & imagines vrbium ab eo captarũ, iuuenes fortitudinis in bello spectatissimæ lectũ humeris extulerunt. Et quũ eum detulissent ad suburbium quod maximè erat insigne, rogo iam constructo imposuerunt, toto populo cum gemitu & lacrymis funus prosequente. deinde mactatis ei victimis, oblatisque omnium aliarũ rerum primitiis, quas homines in regum vel imperatorum exequiis supra rogũ offerre solent, ij quibus erat charissimus ibi remanserunt donec flamma languescens subsideret. deinde collectas reliquias in eodem loco humarunt, tumulo excelso supra eas multorum manu congesto. monumentóque insigni extructo. Marcius igitur hunc habuit vitæ exitũ, vir qui omnes ætatis suæ homines virtute bellica superauit, & qui omnibus voluptatibus quæ iuuentuti imperãt superior fuit, & qui iustitiam coluit non legũ potius necessitate ob pœnæ formidinẽ, quàm sponte sua, quia ad hanc aptus natus erat. & ne inter ipsas quidem virtutis partes innocentiam ponendã esse censebat, nec solùm ipse ab omni improbitate vehementer alienus erat: verùm etiã alios ad idem faciendum cogi æquum esse iudicabat, eratque magnanimus, ac munificus, & ad singulorum amicorum inopiam (quoties eam cognouisset) subleuandam promptissimus, rebúsque bellicis nulli optimatum secundus. Et nisi ciuilis seditionis studijs actisque impedimentu fuisset, respublica Romana ex eius administratione maxima incrementa cepisset, eiúsque auspicijs imperium Romanum maxime creuisset. Sed fieri non potest vt omnes virtutes in humana natura essent, nec vllus vnquã emortali & caduco semine vir absolutè bonus nascetur. Quũ

igitur deus has virtutes illi largitus fuisset, alias infelices pestes, & morbos pernicioſos adiunxit. Non inerat enim eius moribus mansuetudo & hilaritas, nec in salutationibus & colloquiis aliorum comitas, nec ingenium facilè placabile, nec in affectibus moderatio, quoties alicui iratus esset, nec gratia, quæ omnes humanas actiones ornat: sed acerbus semper & asper erat: atque hæc ei sæpe in bellis obfuerunt, præcique verò illa immodica & nimium rigida iuris legúmque obseruantia, & nulla lenitate temperata seueritas: videtúrque id verum esse quod ab antiquis philosophis est dictũ, morales virtutes esse mediocritates, non autem extremitates, præcipuè verò iustitiam. Nam non solùm si infra modum sit, verumetiam si modum excedat, ipsis hominibus conducere non solet: & interdum magnas illis calamitates affert, & eos in mortes miserabiles & luctus insanabiles coniicit. Marcio sanè nihil aliud exilium attulit, cæterorúmque bonorum fructum abstulit, quàm nimis accurata & seuera iuris obseruantia. Quum enim plebeiis mediocriter cedere debuisset, eorúmque cupiditatibus aliquid remittere, & inter eos principem obtinere locum id facere noluit: sed quòd contra res omnes iniustas diceret, odium sibi cõtraxit, & ab iis est expulsus. Quum etiam Volscorum imperium statim simulatque bellũ finitũ est, deponere ei licuisset, & alio migrare, donec ei reditus à patria concederetur, neque se inimicorum insidiis & importunitati multitudini obijcere, quãuis hæc videret facere tamen noluit: sed quum existimaret oportere se suum corporis copiã facere, séque reddendis rationibus obnoxiũ reddere iis qui sibi imperiũ cõmiserãt, rerúmque in imperio à se gestarum rationibus redditis si maleficij cõuictus esset, pœnas legibus statutas subire suæ

illius

illius nimis accuratæ iuris obseruantiæ haud præclaram mercedem cepit. Si igitur vnà cum corporibus quæ dissoluuntur, & ipsa quoque anima (quæcunque tãdem illa sit) dissoluitur, & penitus interit, nescio quomodo beatos ducere debeam eos qui nullo virtutis fructu percepto, ob eam ipsam tamen perierunt. Sed si animæ nostræ sunt immortales (quemadmodũ nonnulli opinãtur) aut si postquã corporibus sunt liberatæ, ad aliquod tempus durant, virorũ quidẽ bonorum ad longissimũ, malorum verò ad breuissimũ satis magnus honor virtutis studiosos (quanuis fortuna his fuerit aduersata) sequi videtur, nimirum quòd à viuentibus laudẽtur, eorúmque memoria diutissimè permaneat: quod & illi viro contigit. Non solùm n. Volsci mortẽ eius luxerunt, & virum optimũ colũt: sed etiã Romani, vbi eius casum cognouerũt, magnam calamitatẽ à rep. acceptã putãtes, eũ priuatim & publicè luxerũt. Et eorũ matronæ vt mos est illis in luctu domestico, & necessariorũ funeribus, deposito auro & purpura, cæteróque ornatu atratæ ipsum per annũ integrũ luxerũt. Quinetiã quũ ab illius casu ad hoc vsque tẽpus iã quinqẽti fermè anni intercesserint, eius tamẽ memoria nõ euanuit: sed ab omnibus vt vir pius & iustus canitur & celebratur. Periculũ igitur in quo Romani versati fuerãt ob arma ipsis à Volscis & Aequis, Marcij ductu auspiciisque illata, quũ fuisset omniũ superiorũ maximũ, quúmque parũ abfuisset quin eo vel tota vrbs funditus euerteretur, hũc habuit exitum. Paucis autẽ post diebus Romani cũ ingentibus copiis amborum consulum ductu vrbe egressi, & vsque ad fines suæ ditionis progressi, castra in duobus collibus posuerunt, & vterque consul in munitissimis locis seorsum consedit: nihil tamẽ memorabile gesserunt: sed re

infecta redierunt, licet hostes rei bene ac fortiter gerendæ occasionẽ egregiam illis præbuissent. Nã & antè Volsci & Aequi cum exercitu Romanum agrũ inuaserant, in animo habentes hanc occasiõnem non prætermittere, sed aduersarios aggredi, donec eos adhuc perterritos esse existimabant, quasi præ metu deditionem essent facturi. Sed orta inter illos seditione de imperio, arma corripuerunt & alij in alios facto impetu conflixerunt, nullis seruatis ordinibus, nec expectato signo: sed cõfuse & promiscuè ita vt magna hinc inde strages edita fuerit. Et nisi solis occasus eos anteuertisset, tunc vno illo certamine omnes eorũ copiæ internecione delẽtæ fuissent: sed quum nocti prælium dirimenti inuiti cessissent, diuẽpti sunt alij ab aliis & in sua quique castra se receperunt. Manè verò mutis castris vtrique domũ redierunt. Cæterùm, consules quũ ex transfugis & captiuis, qui ex ipso prælio aufugerant audissent quanta rabies & furor diuinitus immissus hostes inuasisset, nec vsi sunt oblata optatissima occasione, quũ triginta stadia nõ amplius ab illis abessent, nec discedentes sunt persequuti, quo tempore illos iã defessos & saucios & paucos è multis reliquos incõposito agmine abeuntes ipsi recentes & instructa acie sequentes facilè occidione omnes delere potuissent. Sed ipsi quoque mutis castris in vrbẽ redierunt, siue quòd præsenti fortunæ beneficio contenti essent, siue quòd suo tironum exercitui non confiderent, siue etiã quòd ne vel minimã quidẽ suorum militũ iacturam faciendam censerent quòd eos plurimi facerẽt, & charissimos haberent. Reuersi autem in vrbem valde ignominiosè sunt decepti, & ob suum illud facinus ignauiæ nota notati, nec vlla amplius expeditione facta sequẽtibus consulibus magistratum tradiderunt.

II ¶ ANNO

II ¶ANNO insequenti C. Aquilius, & T. Siccius viri rei militaris periti consules fuerunt creati. Senatus autē consulibus ad eum de bello referentibus, primùm decreuit vt ad Hernicos mitterentur legati, qui vt ab amicis & fœderatis pœnas legitimas repeterent. Nam populus Romanus Volscorum & Aequorum bello quod illi suis latrociniis & excursionibus agros finitimos infestassent iniuriam acceperat. Interim verò dum ab illis acciperent responsum, consules quantum maximum possent exercitum conscriberent, & sociorum auxilia missis legationibus accerserent frumentum, arma, pecuniásque, & res alias ad vsus bellicos necessarias magna hominum manu & celeriter pararent. Quum autem legati reuersi, responsa ab Hernicis accepta ipsis renuntiassent, eos negare fœdus vnquam publico consensu factum sibi cum populo Romano intercessisse & fœdus cum rege Tarquinio ictum solutum esse criminari, tum quod ille regno fuisset spoliatus, tū etiam quòd in peregrino solo in exilio obiisset: quòd si quæ rapinæ & excursiones in agris à prædonibus fuissent factæ de communi omnium sententia negare facturos: sed hæc iniusta facinora esse priuatorum hominū suis quæstibus inseruientium. Et ne illos quidem qui hæc patrassent, à se ad supplicium posse dedi, & sibi quoq; alias eiusmodi iniurias illatas dicere & de iis vicissim conqueri & se paratos esse ad bellum lubenter excipiendum. Senatus his rebus cognitis copias ex iunioribus conscriptas trifariam diuidi iussit & C. Aquilium cum vna harū parte Hernicorum exercitui obuiam ire. Nā illi quoque in armis iā erant: secundam ab altero consule T. Siccio contra Volscos duci. cum tertia verò parte quæ erat reliqua, Sp. Largiū, qui à cōsulib. præfectus vrbis fuerat

creatus, agros vrbi proximos custodire. Veteranos verò milites, qui ob ætatẽ militiæ erant immunes, quotquot ad huc arma ferre possent, sub signis dispositos, vrbis arces & mœnia custodire, nequa vis hostium repentina ingrueret, tota iuuentute ad militiam profecta. His autem copiis A. Sempronium Atratinum, virũ consularem præesse. Hæc autem omnia breui tẽporis spatio peracta sunt. Aquilius igitur alter consul in agro Prænestino copias Hernicorum se expectantes nactus, castra sua posuit ex aduerso quãproximè illos potuit, ita vt paulo plura quàm ducenta stadia ab vrbe abesset. Tertio verò die ex quo castra posuerat, quum Hernici ex castris copias acie instructa in planitiem produxissent, & pugnæ signum dedissent, ipse quoque suas copias ordine & acie instructa contra eos eduxit. Quum autem alij ad alios propius accessissent, sublato clamore concurrerunt: ac primùm leues armaturæ milites, missilium iactu & sagittis & lapidibus funda emissis pugnantes, & multa vulnera alteri alteris intulerunt. & acceperunt: deinde verò equites in equites facto turmatim impetu conflixerunt, & peditatus cum peditatu cateruatim pugnans. Tunc acriter pugnatum est, vtrisque fortiter dimicantibus, diuque ita manserunt, quòd neutri alteris loco in quo collocati fuerant cederent. Deinde Romana acies laborare cœpit, quòd post longum temporis interuallum tunc primùm ad bellũ proficisci ac præliari coacta fuisset. Aquilius hac re animaduersa, iussit eos qui adhuc erant recentes, & qui ad hoc ipsum reseruabantur, partibus aciei laborantibus succedere: eos verò, qui saucij & defessi erant, in vltimam aciem se recipere. At Hernici, vbi cognouerunt eorum cohortes, moueri existimarunt Romanos fugæ initium facere:

facere: & cohortati se inuicē denso agmine in hostiū fluctuantē aciem impressionē fecerunt. Romani verò, qui recētes erant, eorū impetū exceperunt, utrisque autem strenuè pugnantibus prælium atrox redintegratū est. Nā & ipsorum Hernicorū cohortes explebantur recētibus quos duces in defessorum locum submittebant. Quum autem iā vespertinum crepusculū instaret, consul cohortatus equites vt tunc viri fortes essent, ipse cum equitum ala, cui præerat, in dextrum hostiū cornu impetum fecit. Illi verò quum aliquantulum eorum impetum sustinuissent, inclinarunt atque ibi magna cædes facta. Itaque dextrum Hernicorum cornu iam laborabat & loco cedebat, in quo fuerat collocatum: sed læuum adhuc resistebat, & dextrum Romanorum premebat, veruntamen hoc quoque non multo post loco cessit. Nam Aquilius cum fortissimorum iuuenum manu eò quoque celeriter subsidio venit, & animos eorum confirmabat, nominatim appellans eos quorum virtus in superioribus prælijs spectata erat, & signa cohortium quæ segniùs pugnare videbantur, ipsis signiferis abrepta in mediam hostium aciem coniiciebat, vt metus pœnæ militaribus legibus statutæ, nisi signa recepissent, eos rem fortiter gerere cogeret: & ipse semper, si qua pars ab hoste premeretur, opem ei ferebat, donec & alteram partem loco pepulit. Denudatis autem lateribus, ne ipsa quidem media acies locū tenuit sed post hæc Hernici perturbatis ordinibus, effusa fuga vallum petere cæperunt, & Romani illos cædentes insequebantur. Tantique animi alacritas exercitum Romanorū in illo prælio tunc inuasit, vt nonnulli vel ipsum vallum hostium ascendere conarentur, id à se primo impetu captum iri sperantes. Quorum alacritatem nec turam nec vi-

lem cernens consul, suos receptui canere iussit, & eos inuitos à munitionum oppugnatione reuocauit, veritus ne de superiore loco telis petiti cum ignominia & magna clade pedem referre cogerentur, & gloriam ex superiore victoria partam delerent. Tunc igitur (iam enim sol ad occasum vergebat) Romani læti & canentes pæana in castra sunt reuersi. Sequenti verò nocte ingens strepitus & clamor ex castris Hernicorum exaudiebantur, & fasces multæ cernebantur quæ collucebant: desperantes enim se ad iterandum prælium posse sufficere, castra sponte sua deserere iniussu ducum decreuerant: atque hæc fuerat confusionis & clamoris eorum causa. Nam omnes pro viribus & celeriter fugiebant, & alteri alterorum auxilium implorabant, & negligebant gemitus ac preces eorum qui vel ob vulnera, vel ob morbos relinquebantur. Quum Romani id ignorarent & ex captiuis antè audissent nouas Hernicorum copias suis subsidio venturas, & clamorem & tumultum ob illorum aduentum excitatum existimarent, arma corripuerunt, vallóque corona militum cincto, ne qua vis repentina noctu sibi afferretur, modò collisis armis omnes strepitũ edebãt, modò quasi in prælium ruerent, crebros clamores tollebant. At hæc quoque Hernicis ingentem terrorem incusserunt, & quasi iam insequente hoste premerentur, dispersi alij alias in partes fuga ferebantur. Quum autem dies illuxisset, & equites, qui exploratum missi fuerant ipsis renuntiassent, nec vllas nouas copias hostibus auxilio venisse, & eos qui pridie acie instructa pugnarant fugisse, æquius educto exercitu hostium castra iumentis, commeatibus & armis referta in suã redegit potestatem. & milites eorum vulneratos cepit non pauciores iis, qui fugerant &

rant & emisso equitatu in eos qui per vias & syluas dispersi erant multos vinos cepit atque postea Hernicorũ agros factis in eos excursionibus populatus est impunè, quòd nullus amplius cum eo manus conserre auderet. At que hæc quidem ab Aquilio gesta sunt. Alter verò cõsul, T. Siccius qui in Volscos cum totius exercitus robore fuerat missus in Veliternum agrum irruptionem fecit. Nam ibi erat Accius Tullus Volscorum dux, qui florentissimum exercitum comparauerat, in animo habens Romanorum socios primùm vexare, vt fecerat Marcius belli initio, ratus in eadem formidine Romanos adhuc versari nec vlla auxilia sociis posse Romam causa periclitãtibus missuros. Vbi verò copiæ apparuerunt, & in multũ conspectum venerunt, sine vlla mora conflixerunt: Locus autem qui inter vtraque castra intercedebat in quo pugnandum erat, tumultus erat saxosus & variis in partibus salebrosus, vbi equitatus neutris vsui erat futurus. Quũ autem Romanorũ equites id animaduertissent, sibi que turpe duxissent, si certamini interessent, & nihil suis prodessent, vno agmine consulem adierunt, eumque rogarunt, vt (si hoc illi optimum videretur) sibi ex equis descendere & pedestrem pugnã committere permitteret. Ille verò quum eos valde laudasset, ex equis descendere iussit, & instructos circa se habebat, vt inspicerent quid faciendum esset, & laboranti aciei parti succurrerẽt: istique illius valde insignis victoriæ à Romanis tunc partæ præcipui autores fuerunt. Nam tunc vtrorumque pedestres copiæ & hominum numero fermè pares & armaturæ genere similes & aciei instruẽdæ ratione & pugnandi peritia, & in inuadendo hoste, & pede referendo, & in instigendis vitandísque ictibus pariter exerci-

tatæ erant. Volsci enim omnem suam militādi ac belligerandi rationem mutarāt ex quo Marcium ducem habuerant & ad Romanorū mores se accommodarant. Itaque ad multum diem acies æquo marte pugnarunt, & loci inæqualis natura utrosque multum iuuabat, vt nunc horum nunc illorum melior esset conditio. At equites Romani bifariam diuisi pars in hostium latus à dextro cornu impressionem fecerunt, pars verò superato collis ambitu in eorum terga cum impetu irruerunt. ac mox alij lanceas eiaculati sunt. alij verò equestribus gladiis longioribus eorum qui cum ipsis congrediebantur, brachia ferientes, & ictus ad ipsos vsque cubitos infligentes, multorū manus repugnantes aut corpora protegentes, vnà cū ipsis armis quibus se protegebant ac defendebāt. amputarūt multorū etiā genua & talos profundis vulneribus cō sauciātes de firmissimo gradu semineces deiecerūt. Iamis Volsci malis vndique premebāturnā à fronte pedites à latere & à tergo equites illis instabant. Quamobrē quum supra vires fortiter se gessissent, & multa audaciæ & peritiæ facinora edidissent, omnes fere qui in dextro cornu erāt concisi fuerūt. Qui verò in media acie. & altero cornu collocati fuerant, vbi dextrū viderūt perruptū & eodē modo Romanorū equites cōtra se tēdētes, explicatis ordinibus pedetētim vallū repetebant, & equites Romani eos instructa acie sequebantur. Vbi autē ad munitiones ventum est equitibus vallū variis in partibus castrorū ascendentibus, acriter, ancipitique prælio iterū pugnatum est: laborantibus verò Romanis consul iussis peditibus allata materia fossas replere, primus iuit cum fortissimis equitibus ad firmissimam castrorum portam, qua parte aditus dabatur: reiectisque eius propugnatoribus, excisisque

sisque portæ cataractis vallũ est ingressus, peditésq. suos venientes recepit. At Accius Tullus cum robustissimis & audacissimis quibusque Volscis cũ eo congressus est, multísque fortibus facinoribus editis (erat enim ille quidẽ valde strenuus bellator sed ad imperium parũ idoneus) labore fessus multísque vulneribus fatigatus cecidit. Castris autẽ captis, cæterorũ Volscorũ alij pugnantes conciss sunt, alij abiectis armis se ad victorũ supplices preces verterunt paucissimi verò fuga seruati domum redierunt incolumes. His autem Romæ cognitis per nuntios à consulibus missos, maximo gaudio populus est affectus, & statim dies supplicationes & sacrificia ad grauias illis pro re feliciter gesta agendas, consulibus verò triumphi honorem, non tamen ambobus parem. sed Siccio quidem, quia maiore terrore remp. liberasse videbatur, insolenti Volscorum exercitu delecto, & eorum duce cæso maiorem triumphum decreuit. Ille itaque prælatis spoliis, ductísq. captiuis, militibúsque victoriæ socijs prosequentibus, vrbẽ est ingressus curru inuectus, quem equi aureis phaleris ornati trahebant, regia indutus veste: vt in maioribus triumphis fieri solet. Aquilio minorem triumphum quem ipsi ouationem vocant, concesserunt. Declaratum autem est ame & antè quod esset discrimen inter hunc & maiorem triumphum. Hic autem ingressus est vrbem pedibus cum reliqua sua pompa. Atque hic annus ita finitus est.

12 ¶ ANNO sequenti consules creati Proculus Virginius & Sp. Cassius tertium. Hi cũ vrb anis sociorúmq. copiis ad bellũ sunt profecti. Et sortiti inter se provincias, Virginio Æqui, Cassio Hernici & Volsci obtigerũt. Æqui autẽ munitis oppidis, & charissimis quibusque rebus ex agris in oppida cõportatis, agrũ vastare &

villas in suo conspectu incendi patiebantur, ita vt Virginius facillimè quantam maximam potuit eorum agri partem ceciderit & vastarit, quúmque nullus amplius exiret ad eum defendendum, copias domum reduxerit. At Volsci & Hernici contra quos Cassius erat profectus: agri vastationem pati statuerant, & in vrbes confugerant: haud tamen in ea sententia permanserunt, tum quia æquo animo ferre non poterant fertilem agrum vastari, quem non facilè amplius à se reparari posse sperabant tum etiam quia suis munitionibus parum firmis, in quas confugerant, minimè fidebant: sed legatos ad consulem miserunt pacem petituros, primùm Volsci, & facilius isti pacem impetrarunt pecunia consuli persoluta quã ta imperata fuerat: & suppeditatis cæteris rebus quæ exercitui erant necessariæ, atque hi promiserunt fore vt pop. Rom. imperio parerent, de nulla iuris æquabilitate cum eo amplius contendentes. deinde Hernici, vbi se à cæteris destitutos viderunt de pace & amicitia cum consule egerunt. At Cassius longa oratione apud legatos accusata eorum gente respondit prius illis faciẽda, quæ populos victos & subactos facere decet, ac ita demum de amicitia agendum. Quum autem legati dicerent se facturos quod fieri posset, & quod moderatũ esset, illis aliquot mensium pecuniam quæ militibus viritim pro stipendio numerari solet & commeatus in vnum mensem imperauit, ad quæ facilius paranda aliquot dierum præstituto tempore illis inducias concessit. Quum autem Hernici omnia celeriter & alacriter illis ministrassent, & legatos de amicitia acturos iterum misissent. Cassius eos à se laudatos ad senatum remisit. Patres post longam consultationẽ placuit eos in amicitiam recipi: verum de conditioni-

tionibus & legibus fœderũ Cassium consulem cognoscere, easq; constituere, & quicquid illi placuisset, id a se ratum haberi. Facto hoc senatusc. Cassius in vrbem reuersus triumphum maiorem agere volebat, quòd maximas gẽtes subegisset, gratia potius hunc honorẽ vsurpans quã iure capiens: siquidem quum nec vllas vrbes expugnasset nec vllas hostium copias acie foris fudisset, nullos captiuos aut spolia, quibus triumphus ornari solet, in pŏpa traducturus erat. Itaque hoc primum arrogantiæ opinionẽ ei conciliauit, & quòd præter alios ciues se ita extollere, inuidiã ei conflauit. Impetrato autẽ triumpho, pacis Hernicis datæ conditiones protulit. Hæ autẽ transcriptæ erant ex Latinorum fœdere quas iniquo animo ferebant maximi natu & honoratissimi quique. cumque subiugatis suis Hernicos alienigenas honore æquari & eos, quorum ne vel minima quidem merita erga populũ Ro. extarent, eiusdem humanitatis esse participes, cuius hominnes optimè de eo meriti, & spectatissimæ benevolentiæ. Et eius supe biam molestè ferebant, quòd quum senatus hunc honorem ei habuisset, vicissim patribus eundẽ honorem non detulisset, nec de communi patrum sententia sed arbitratu suo scriptas pacis conditiones protulisset. Ita nimia felicitas hominẽ est periculosa & detrimentosa. Hæc enim multis insanæ superbiæ clàm est causa & cupiditatum humanam naturam excedentium illis est autor: quod & illi viro accidit. Nam tribus consulatibus, & duobus triumphis ipse solus hominum ætatis suæ à pop. Rom. honoratus elatius se gerebat, & tyrannidem affectabat. Cogitans autem, regnum vel tyrannidem affectantibus, longè omnium facillimam

& tutissimam esse viam quæ multitudinis fauorem aliquibus beneficiis conciliaret, eámque ex manibus eius qui publica largitur, res ad victum necessarias accipere assuefaceret, ad hanc se conuertit, & mox re cum nullo communicata (erat enim amplus quidam ager publicus neglectus, & à ditissimis occupatus) hunc statuit plebi diuidere. Et nisi vlterius progressus fuisset, atque si his fuisset contentus, fortasse res ei ex animi sententia successisset. Ia n verò quum plura affectaret, seditionem non paruã excitauit ex qua infelix exitus ei contigit. Volebat enim & Latinos in agri designati partẽ recipere, & Hernicos recens ciuitate donatos, harúmque gentium famorẽ sibi hoc pacto conciliare. Hæc in animo habens, postridie eius diei quo triumphauit, plebem ad concionẽ conuocauit, & quum in suggestum processisset, vt mos est iis qui triumpharunt, primum rationẽ rerum à se gestarum reddidit cuius hæc erant capita: primo suo consulatu Sabinos de principatu cum pop. Rom. contendentes prælio à se victos, populúq; Romani imperio parere coactos: secundo, ciuilem seditionẽ sedatam plebémq; in patriam à se reductã, & Latinos pop. Rom. cognatos, sed semper eius imperij & gloriæ æmulos, æquo ciuitatis iure illi imperito, à se patriæ conciliatos, ita vt Romam nõ amplius aduersariã sed patriam vocarent: hoc autẽ tertio, Volscos ex hostibus amicos fieri à se coactos, & Hernicos gentẽ magnam & potentiam & pop. Rom. vicinam, ita vt ei plurimum & obesse & prodesse posset, se autore vltrò deditionẽ fecisse. Quũ igitur hæc atq. his similia recensuisset, rogauit plebẽ vt animũ ad se aduerteret, & sibi præ cæteris Respub. maximæ curæ esset, & in posterum futura esset. In fine autẽ orationis suæ pollicebatur

se tot

se tot tantáque beneficia in plebem collaturum, vt superaturus esset omnes qui ob suam amorem in plebẽ, & eius salutis studium laudabantur: idque breui se facturum dicebat. Dimissa concione, & ne minimo quidem temporis spatio intermisso, sequenti die senatum in curiã conuocauit, rerum expectatione erectum, & metu perculsum ob concionem ab illo habitam: & antequam aliud quidpiã diceret, suum consilium quod apud plebem celauerat in medium protulit, rogans patres, vt quando plebs tum in asserenda libertate, tum etiam ope sua in parando imperio Reipub. adeò vtilis fuisset, eius rationem haberent, diuiso agro qui bello partus verbis quidem publicus erat sed re ipsa patriciorum impudentissimorum, & qui eum nullo iure occuparant & frumenti à Gelone Siciliæ tyranno sibi dono missi (quod quum gratis debuisset omnibus ciuibus diuidi, pauperes emerant) pretia emptoribus ex ærario redderent. Adhuc autem eo loquente ingens tumultus est excitatus omnibus indignantibus, & eius orationem iniquo animo ferentibus. Quum autem ille finem dicendi fecisset, Virginius eius collega, longa oratione in eum est inuectus, quòd seditionem in Rempub. introduceret: & ex aliis senatoribus maximi natu & honoratissimi quiq. sed præcipuè Appius Claudius & alii multi horas inter eos exacerbatos, non sine amarulentissimis conuiciis, altercatio duranit. Diebus qui sequuti sunt, Cassius continuatis concionibus plebis fauorem sibi conciliabat, & de diuidendis agris agebat. & prolixiore oratione in aduersarios inuehebatur, At Virginius quotidie coacto senatu, de cõmuni patrum sententia vicissim contra eũ præsidia legitimáque impedimenta parabat, & vterque ingentẽ asseclarũ globum

ad corporis sui custodiam habebat. Ac inopes quidē sordidi, & ad quoduis facinus audendū prōpti Cassium sequebantur, eiusq; latera stipabant: nobilissimi verò quique & puri ac honesti viri Virginij partibus adhærebant. Itaque aliquandiu pars deterior in concionibus alteram superauit quòd altera numero longè maior esset. Sed æquatis partibus, quum tribuni meliori se adiunxissent fortasse quòd è Rep. pub. esse non videretur largitionibus & agrorum publicorum diuisionibus plebem corruptam, otiosam & improbā esse: fortasse etiam inuidia moti quòd huius beneficij ipsi, qui erant tribuni plebis, autores non fuissent sed alius. Nihil tamen vetat quominus id fecerint quod eius viri incrementum maius quàm Reipub. expediret formidarent. Isti igitur iam totis viribus in concionibus aduersabantur legibus quas Cassius ferebat, docentes plebem minimè æquum esse res multis bellis ab ipso partas non solum pop. Rom. diuidi, sed Latinos quoq; ex æquo partiripes earum fieri, qui bellis non interfuissent & Hernicos recens in amicitiam receptos, qui armis subacti præclarè secum agi putare deberent, quòd agro suo priuati non fuissent. At plebs hæc audiens, in dō tribunorum verbis assentiebatur: (quia videbat fore vt parua quædam & nullius pretij portio agri publici vnicuique obtingeret si Latini quoq; & Hernici in eius partem secum admissi fuissent) modo verò popularibus Cassij concionibus inducta, sententiam mutabat, quasi patricijs ipsam tribuni proderent, & causam intercedendi honestam prætexerent, hanc Hernicorum & Latinorum in agri diuisione portionis æquabilitatem, quam ille pauperum potentiæ causa se lege confirmaturum dicebat, & si quis vnquam res datas auferre volui-

ve voluisset, prohibiturum: satius ac tutius existimans si multi exiguam portionem acciperent & æquè possiderent, quàm si multa sperarent, & omnibus frustrarentur. Quum igitur his Cassij concionibus sæpe vulgus flecteretur, progressus unus tribunorum C. Rabuleius, vir minime stolidus, se consulum dissidium breui sedaturum, & plebi quid esset faciendum demonstraturum promisit. Quum autem ingenti voce ei acclamatum fuisset, factum que postea silentium, Nonne, inquit, Cassi, & tu Virgini, hæc legis sunt capita, num an ager publicus viritim sit diuidendus, alterum an Latini & Hernici in partem eius sint admittendi? Quum autem illi assensi fuissent, sint igitur hæc: ille porro, Tu, inquit, Cassi, vis hoc vtrumque populi suffragiis sanciri: tu verò Virgini, per deos obsecro, dic nobis vtrum alteram tantum Cassij sententiæ partem, quæ ad socios attinet, abrogas, existimans Hernicos & Latinos in partibus capiendis nobis nõ esse æquandos? an etiam alteram abrogas censens ne nobis quidem ipsis diuidenda ea quæ sunt publica? ad hoc enim mihi respondeto. Virginius respondisset se contra illam Latinorum Hernicorumq; æquabilitatem portionis dicere, eique aduersari: sed ciuibus (si ita omnibus videretur) agros diuidi permittere, tribunus ad turbam conuersus inquit, Quoniam igitur altera sententiæ pars ambobus consulibus placet, & contra alteram ab altero dicitur, quum vterque sit pari honore præditus, nec alter alterum possit per vim cogere, quod ab vtroque nobis conceditur, iam accipiamus, id vero de quo inter se ambigunt, in aliud tempus differamus. Plebe autem ei, vt optimè monenti, acclamante, & postulante vt tolleretur ex lege pars ea quæ pareret dissi-

dium, Cassius consilij inops, quum nec sententiam mutare vellet, nec in ea tribunis intercedentibus permanere posset, tunc quidem concionem dimisit: diebus verò insequentibus aduersam valetudinem simulans non amplius veniebat in forum. sed domi se continens id agebat & moliebatur, vt per vim legem perferret, & Latinos Hernicos quàm plurimos poterat, ad suffragia accersebat. Illi verò frequentes conuenerunt, & breui tota vrbs hospitibus est repleta. Virginius his cognitis, voce præconis per compita edici iussit, vt omnes quibus in vrbe non esset domicilium excederent, non magno temporis spatio præstituto. Cassius verò contrarium edi iussit, vt qui haberent ius ciuitatis permanerent donec lex esset perlata. Sed quum contentionis nullus finis fieret, veruì patres ne res ad arma & manus veniret, néve cæteri fierent quæ in seditiosis comitijs, dum lex per vim fertur, accidere solent, conuenerunt in curiam de omnibus his rebus semel decreturi. Appius primus rogatus sententiam, non patiebatur agrum plebi diuidi, docens molestum & inutile fore vulgus inquilinum otio & abliguriendo publico assuefactum, & nihil vnquam ex publicis vel prædiis vel pecuniis commune esse amplius passurum. & rem valdè videndam esse dicens: si Cassium vt mali & detrimentosi instituti autorem & plebis corruptorem accusarent & tamen ipsi hæc vt res iustas & vtiles communi consensu sancirent: rogánsque eos vt cogitarent, pauperes (si publica diuiderentur) gratiam habituros nõ ijs qui id cõcesserint sussq; suffragijs cõfirmarint. sed Cassium qui eius sententiæ autor fuerit, & qui senatum inuitũ ad id decernendũ coegisse videbitur. Hæc igitur & alia his similia præfatus, postremò hæc suasit, vt ex senatoribus ho-

bus honoratissimi quiq; eligerentur, qui agrũ publicũ vi serent & terminarent, & si quam eius partẽ furtim aut per vim aliqui homines priuati depascerent aut colerẽt, ea de re cognoscerent ac res suas Reip. redderent. Suasit etiã vt agrũ ab illis terminatiũ diuiderẽt in fundos quot cunq. illi essent futuri, & columnis ac terminis decentibus distinguerent, atq. huius partem venderent, præcipue verò eã de qua cum priuatis aliqua erat cõtrouersia, ita vt emptores actionẽ ipsorum fundorũ haberent, contra eos qui sibi illos vendicare vellent: partem verò reliquã in quinquennium locarent. quo quid autẽ pecuniæ ex istis locationibus redactũ fuisset, id impenderetur in militum stipendia & sumptus qui ad bellicos vsus sunt necessarij. Nunc enim, inquiebat, pauperes iure optimo diuitibus inuidẽt, qui sibi vsurparunt dimidium eã quæ sunt publica: nec mirũ est si res publicas diuidi, quàm ab impudentissimis hominibus, tisq; paucis, detineri malint. Quòd si viderint ipso agro cedere eos qui nunc eius fructũ percipiũt, & quæ publica sunt, vere publica esse inuidere nobis desinent, & illa cupiditas agri viritim diuidendi refrigesceret, vbi cognouerint maiorẽ esse vtilitatẽ publicæ & communis possessionis, quàm agellorum viritim diuisorũ. Eos n. doceamus (inquiebat) quantum intersit, & demonstremus si singuli pauperes exiguum agellum acceperint, & in turbulentos vicinos inciderint, fore vt nec ipsi ob paupertatem eum colere possint, nec nisi vni, qui eum conducere velit, reperiant: sin verò latifundia, varias & non contenendas agri olis culturas habentia, publicè locentur, magni prouentus inde ad Remp. redeãt. Et satius ipsis esse, quoties ad militiã proficiscuntur, ex horreis publicis frumentũ, & ex ærario stipendia accipe-

re quàm in ærariũ de suis fortunis conferre. singulis interdum victus penuria laborantibus, eósq; multo magis in pecuniæ collatione grauatum iri dicebat. ¶ Quum Appius hanc sententiã dixisset, & optimè sentire visus fuisset, secundo loco rogatus A. Sẽpronius Atratinus, in hunc modum est loquutus. ¶ PRIMVM, laudandus est mihi Appius: vt vir prudentissimus in prouidendis rebus futuris multò antequam eueniant, & vt sententiarũ honestissimarum vtilissimarúmque autor, & vt vir qui constanter in proposito manet, nec vllo modo de eo dimouetur, nec metu cedit, nec gratia flectitur. Semper enim illum laudo & admiror, tum ob eius prudentiam, tam etiam ob fortitudinem in periculis: nec aliam sententiam dicã sed & ipse hanc sequar. paucis quibusdam ei additis, quæ Appius omisisse mihi videtur. Nam Hernicis & Latinis iure ciuitatis à nobis recèns donatis, ne ipse quidem agros nostros diuidendos censeo. Nec enim ex quo illi in amicitiam nostram recepti sunt, hunc agrum nobis parauimus: sed multò antè, nostróq; marte nullis externis auxiliis nos adiuuantibus hostibus ademptum possidemus. Ipsiq; respondeamus. possessiones eas quas antea vnusquisque nostrum habebat, quo tempore amicitiã inimus oportere suis dominis proprias ac perpetuas manere: ita vt illis nõ adimantur. Qui quid verò agri post fœdus ictum in communi militia armis parauerimus, ex hoc vnumquemque partem quæ sorte ei obtigerit habituũ. Hæc enim nec sociis velut iniuria affectis iustæ iræ materiam præbebant, nec efficient vt pop. Rom. metuat ne vtilitatem honestati anteposuisse videatur. Cæterùm, electionem virorum quos Appius agri publici finitores esse censebat, valde approbo. Hac enim re fiet vt multo liberius

liberiùs cũ plebe agere possimus, siquidem nunc utroq; nomine indignatur tum quia ipsa ex publicis possessionibus nullum fructum percipit, tum etiam quia nonnulli de nobis nullo iure iis fruuntur. Sed si has ad Rempub. pertinere, publicasque esse viderit, earumque prouentus in publicos & necessarios usus impendi, non putabit sua referre utrum agris an eorum prouentibus fruatur. Non dicam enim nonnullos inopes ex aliorum detrimentis maiorem voluptatem capere quàm ex suis commodis. Nũ tamen (ut opinor) satis est, si hoc utrumque in S. C. scribatur sed & alio officio plebem demerendam reficiendámque arbitror, de quo paulo post dicam, vbi prius causam vobis ostendero, imò potius necessitatem, cur hoc quoque nobis sit faciendum. Scitis sane verba in concione à tribuno facta, quum ex altero consule isto Virginio quæsiunt quidnam sentiret de illa agrorum diuisione, vtrum ciuibus quidem Romanis agrum publicum diuidi permitteret. Socijs verò non pateretur, an ne nobis quidem nostrorum communium agrorum partem sorte dari tam accipere permitteret, istúmque respondisse se non impedire quominus ager nobis diuideretur, si hoc optimè factum omnibus videretur: atque hac permissione & tribunos nobis adiunctos, & plebem mitiorem redditam. quámnam igitur ob causam ea quæ tunc concessimus, nũc denegabimus? aut quã maiorem vtilitatem generosa & præclara imperioq. digna instituta nostra nobis afferrent, nisi hominibus eorum vsum persuaserimus? non persuadebimus autem, & hoc nullus vestrum ignorat. Qui enim spe suæ fuerint frustrati, nec res sibi promissus accipiunt impetu multò infensiores nobis erunt, quam illi qui ni-

Iterum igitur veniet aliquis qui

Rempublicam ad eorum voluntatem administrans leges ipsis gratæ fieret, nec vllus tribunus plebis amplius à nobis staret: quid igitur vobis faciendum censeam, & quid Appij sententiæ addam, audite: sed ne surgatis, néve tumultum excitetis antequam omnia, quæ dicam, audieritis. Illis qui ad agrum inspiciendum & metandum eligentur siue decem viris siue quotcunque sint futuri, permittite vt re diligenter inspecta & cognita, statuant quenam eius pars, & quanta ad Rempub. pertinere debeat vt in quinquennium locata publicos reditus augeat, & quantum agri & quem plebi nostræ diuidere oporteat. Quem verò agrum illi diuidendum plebi assignarint, suadeo vobis vt vbi de eo cognoueritis siue omnibus siue iis tantum qui nullam agri portionem habent, siue iis quorum census est minimus, siue etiam quomodocunque vobis placuerit, eum diuidatis, & finitorum creationem, & vestrum S. C. quod de agris diuidendis estis facturi, & alia quæcunque sunt facienda (quoniam tempus quod horum consulum magistratui superest breue est) sequentibus coss. committenda censeo, vt isti quod maximè è Republica videbitur faciant: neque enim tanta negotia breui temporis spatio indigent, neque coss isti inter se dissidentes prudentius prospicient quid sit vtile, quàm qui post eos creabuntur, si modo illi (quæ admodum speramus) concordes fuerint. Multis autem in rebus dilatio est vtilis, & minimè periculosa, & tempus multa vnius diei spatio mutat, & magistratuũ Rempp. administrantium concordia omnium bonorum ciuitatibus causa esse solet. Atque hæc est mea sententia: sed si quis aliã meliorem sententiam habet, eam dicat. Si ad autem is finem dicendi fecisset, ab om-

rant

rant magnis laudibus est exceptus : omnésque qui post eum rogati fuerunt, in eandem sententiam iuerunt. Post-hæc igitur tale S.C. factum est, vt decemuiri ex consularibus natu maximi crearentur, qui agro publico terminato pronuntiarent quantum eius locandum esset, & quantum plebi diuidendum: cæterùm, & iis qui ius ciuitatis essent adepti, & socijs, siquis ager communi militia postea partus fuisset, singulis portio quæ sorte illis obtigisset, ex fœdere daretur. Decemuirorum verò creatio, & agrorum diuisio, & alia quæcunque essent agenda, & quentibus consulturæ essent, eáque illi peragerent. Hoc S.C. ad populum relatum, Cassij conciones cohibuit, & inopum gliscẽtem seditionem vlterius progredi non siuit.

13 ¶ Anno sequenti, septuagesimæ quartæ olympiadis initio, qua vicit in stadio Astyllus Syracusanus, archonte Athenis Leostrato, Q. Fabio, & Seruio Corn. conss. duo patricij iuuenes omnium nobilissimi, qui tum maiorum dignitate, tum sodalitiis & clientelis, ac opibus suis multum poterant, & qui vt iuuenes nemini iuniorum in publicis negotiis tractandis erant secundi, Cæso Fabius, frater eius qui tunc consulerat, & Q. Publicola, frater eius qui reges expulerat, eodem tempore quæstores, ac ideò conuocandæ concionis ius habẽtes, Sp. Cassij, qui superiore anno consulatum gesserat, & qui legis agrariæ autor esse ausus fuerat, nomẽ ad populũ detulerũt, tyrannidis affectatæ eũ accusantes, diémque ei dixerunt, qua apud populũ causam dicere iusserunt. Quũ autem ad diem dictã plurima turba confluxisset, conuocata ad cõcionẽ multitudine, hominis manifesta acta nihil boni in se habuisse prolixa oratione demõstrarũt. Ac

primùm quidem quòd Latinis, qui se iure ciuitatis donari satis habebant, & magnæ suæ felicitati tribuebant si modo hoc quoque impetrarent, non solum ius ciuitatis quod petebant in suo consulatu largitus fuisset: sed etiã tertiam prædæ partem, si communis esset militia, dari decreuisset: deinde quòd Hernicos (quibus bello subactis satis esse debebat, si & agri sui parte aliqua mulcta ti non fuissent) amicos pro subditis, & ciues pro stipendiariis fecisset & agri ac prædæ quæcunq parta in posterum esset, aliam tertiam partem accipere statuisset: ita vt præda trifariam diuisa, subditi & aduenæ duas partes acciperent, ipsi verò indigenæ & domini tertiã. Hinc aũt è duobus absurdissimis alterutrum ipsis euenturum demonstrabant, si quos alios ob multa & magna in se merita ijsdem donis honorare vellent, quibus Latinos honorarant & Hernicos, quorum ne vel minima quidem in pop. Rom. merita extarent. Quum enim ipsis vna tantùm tertia esset reliqua, aut non habituros quã illis partem darent aut si idẽ decreuissent, nihil sibi ipsis relicturos. Præterea dixerunt eũ, quum sibi proposuisset bona ciuitatis publicare, nec ex senatusconsulto, nec ex collegæ consensu, vi legem perferre conatũ fuisse: quæ nõ isto tantùm nomine perniciosa & iniusta erat, quòd, quũ debuisset senatusconsultũ præcedere, & si patribus placuisset, ita demum istud beneficium omnium magistratuum cõmune esse, ipsa tamen huius beneficij omnem honorem ad vnũ nominem transtulisset sed etiam eo quod omnium erat grauissimum, quia verbis quidem ager publicꝰ gratis diuidebatur ciuibus sed re ipsa Romanis qui eum quæsierant auferebatur: quòd vnam tantùm partẽ accepturi essẽt: Hernici verò & Latini, ad quos is ager

nihil

nihil pertinebat, duas: & quòd ne tribunis quidem intercedentibus, & alterum legis caput, in quo agebatur de æqualitate partium aduenis concedenda, tolli postulãtibus paruisset: sed & tribunis & collegæ & senatui omnibúsque optimè reip. consulentibus pertinaciter aduersatus esset. His autem enarratis, atque omnium ciuiũ testimonio confirmatis, postea arcana etiam tyrannidis argumenta protulerunt, Latinos & Hernicos ea pecunias facta collatione dedisse, & arma comparasse, & audacissimos quosq. illorum populorum iuuenes eum secutari, & consilia occulta inire, multarúmque aliarum rerum præterea illi ministros esse. Harum quoq. rerum testes produxerunt multos ciues, multósq. aliarum fœderatarũ ciuitatum viros non contemnẽdos, nec ignobiles. Quibus fidẽ habuit populus: nec amplius oratione motus quã ille cõposuerat & valde accuratè præmeditatus fuerat, nec misericordia flexus, quãuis triũ eius liberorũ magnũ esset momentum adiumentúmque ad misericordiã conciliandam. quamuis etiã multi alij tã cognati quàm amici lugentes ei adessent, nec rerum in bellis ab eo gestarum ob quas ad maximos honores fuerat prouectus vlla ratione habita vt ei veniã daret, eum damnauit. Adeò aũt infensus erat tyrãnidis nomini, vt ne in æstimanda quidẽ pœna modũ iræ seruarit in eum sed eũ capite dãnarit. Verebatur enim ne si ex patria in exiliũ pulsus fuisset, vir artibus imperatoriis omniũ ætatis suæ hominum præstantissimus, idem faceret quod Marcius, & amicos criminaretur, & hostes concitaret, atque ita patriæ bellum grauissimũ inferret. Quare, quum huius iudicij sic fuisset exitus, quæstores homicidem ductum ad rupem saxo imminentem omnibus in-

spe-

spectantibus, de saxo præcipitem dederunt. Hoc enim supplicium capite damnatorum tunc Romanis erat vulgare. Quæ igitur de hoc homine traduntur, & quæ ad fidem propius accedunt, hæc sunt. Verum tamen & id quod minus est probabile (quando hoc quoque à multis creditur, & scriptis fide dignis proditur) silentio minimè est prætereundum. Sunt igitur qui dicunt, quum adhuc consilia tyrannidis, quæ ab eo affectabatur, omnibus essent incognita, primum patrem Cassij suspicione motum fuisse, & rem accuratissimè perquisitam ac exploratam ad senatum detulisse: deinde, quum filium eò venire iussisset, eius consilia indicasse, eumque accusasse, & ab ipso quoque senatu damnatum domum duxisse, eumque interfecisse. Morum igitur asperitas & inclementia patrum in filios fontes, præcipuè verò in eius seculi Romanis, facit vt ne hæc quidem opinio vt falsa videatur reijcienda: quoniam & ante Brutus ille qui reges expulerat, ambos filios ex lege in maleficos lata capitali supplicio dignos iudicauit, eósque securi percussit, quòd viderentur regum reditui fauere. Et post illum Manlius, bello Gallico imperator, filium qui egregiam operam in pugna nauarat, fortitudinis quidem ergò coronis pro præmio fortitudini debitis ornauit: sed contumaciæ crimen illi obijciens, quòd in eo castello, vbi collocatus fuerat non mansisset, sed contra ducis imperium ad pugnam exijsset, vt stationis desertorem necauit. Et multi alij patres, partim maioribus partim minoribus de causis nec filijs pepercerunt, nec eos sunt miserati. Propterea igitur (vt dixi) hanc opinionem, quasi parum probabilem, reijciendam esse non censeo. Sed alia argumenta non minimi momenti

menti me retrahunt inde, & in alteram sententiam traducunt, quia post Cassij mortem & ædes solo æquatæ, & ad hanc usque diem earum area vacua, sub dio relicta est extra Telluris ædem, quam postea pop. Rom. in quadam eius parte extruxit, in via quæ ad Carinas fert, eiusque bona publicata sunt: unde cùm in aliis templis primitiæ diis dicatæ, tum etiam Ceneæ statuæ cum inscriptione quæ declarat quorum bonorum sint illæ primitiæ. Quòd si pater eius index simul & accusator & punitor fuisset, nec eius domus fuisset diruta, nec bona publicata. Apud Romanos enim filij patribus adhuc viuentibus nihil proprium possident, sed & ipsis pecuniis & corporibus filiorum patribus arbitratu suo uti permissum est. Quare, pop. Rom. ob filij delicta, patri qui tyrannidis ab eo affectatæ indicia detulisset, bona auferre, eáque publicare noluisset. Propterea igitur priorem opinionem sequi malo, utranque tamen afferre volui, ut lectoribus utri earum velint adhærere liceat. Quum autem nonnulli ipsos etiam Cassij liberos interfecere conarentur, hoc atrox & perniciosum exemplum patribus est visum. Itaque, quum in curiam conuenissent, factum est S.C. quo adolescentulis pœna est remissa, illisque nec exilio mulctatis, nec ignominia affectis, nec alia calamitate accepta, tutissime viuere concessum est. Et ab eo tempore usque ad hanc nostram ætatem hic mos Romæ perpetuò seruatus est, ut nulla parentum delicta liberis suo supplicio luant: siue illi sint tyrannorum filij, siue parricidarum, siue etiam proditorum, quod apud illos crimen est grauissimum. Et qui hunc morem antiquare aggressi sunt nostris temporibus circa finem

Marcici & ciuilis belli, quique liberis patrum Syllæ tempore proscriptorum ius paternos honores capiendi ademerunt, aditumque ad senatum intercluserunt, quo tempore ipsi rerum potiebantur, facinus & hominum inuidia, & deorũ indignatione dignum patrare visi sunt. Quapropter, temporis progressu pœnæ scelerum vindex non contemnenda eos est secuta, qua factum est vt ex altissimo gloriæ fastigio in infimam fortunæ abiectæ conditionem decíderint, & ne eorum quidem genus, nisi per fœminas amplius sit reliquum. Ille autem qui hos sustulit, hunc morem ad pristinum vsum reuocauit. Cæterùm apud nonnullos Græcos hoc haud ita moribus est receptum: sed alij quidem, vt liberi tyrannorum vna cum ipsis patribus necentur, æquum esse censent: alij vero eos perpetuo exilio mulctant: quasi natura non ferat vt boni filij ex malis patribus, aut mali ex bonis nascantur. Sed vtrum Græcorum mos sit melior, an Romanorum consuetudo sit præstantior, hæc cuiusuis relinquo disputanda. Redeo autẽ ad historiæ seriem. Post Cassij mortem dominatus optimatum fautores ac amplificatores, audaciores & superbiores euaserunt, & plebeios despicere cœperunt: obsiturí vero nominis & infimæ conditionis homines animos demiserunt, & vt optimo plebis propugnatore amisso suam magnam dementiam damnabant ob suum iudicium, quo talem virum damnarant. Cuius rei hæc erat causa, quia consules S. C. de agro diuidendo factum non exequebantur, quum tamen deberent decem viros agrorũ finiendorũ causa creare, & ad senatum referre, quantum agri, & quibus esset diuidendum: & iam multi cœtus fiebant hominum de fraude illa assiduè conquerentium, & superiores tribu-

ni,

ni, vt reipublicæ prodiſſores accuſabantur: & ab illis qui tunc erant tribuni, crebræ conciones habebantur, & promiſſa reposcebantur. Quibus rebus cognitis, conſules decreuerunt per ſpeciem belli ſeditioſam & tumultuariam populi partem ablegare. Forte enim eodem illo tempore ager Romanus finitimorum populorum latrociniis, & quibuſdã excurſionibus infeſtabatur. Vt igitur has iniurias vlciſcerentur, belli ſigna propoſuerunt, & copias vrbanas conſcribere cœperunt. Sed quum pauperes nomina non darent, nec ipſi legibus contumaces poſſent cogere (tribuni enim pro multitudine pugnabant, paratique ad intercedendum erant, ſiquis vel corporibus militiam detrectantium vim afferre, vel pignora auferre conatus fuiſſet) poſt multas minas, quibus ſignificarunt ſe non paſſuros plebem ab vllis concitari, tacitam ſuſpitionem reliquerunt, fore vt dictatorem crearent, qui, cæteris magiſtratibus abrogatis ſolus poteſtatem tyrannicam & nullis rationibus reddendis obnoxiam eſſet habiturus. Quæ opinio quum plebeiorum animos peruaſiſſet, veriti ne Appiũ crearent, virum aſperum & grauem, quidvis aliud perpeti maluerunt. Exercitibus igitur conſcriptis, conſules copias in hoſtes eduxerunt. Cornelius autem irruptione in Vientanum agrum facta, prædam in eo relictam abegit. Ac mox quum Vientes legationem miſiſſent, captiuos pecunia redẽptos illis reddidit, & inducias in annum conceſſit. Fabius verò cum altero exercitu in Aequorũ agrum irrupit inde in Volſcorum. Aliquandiu igitur, ſed non diu tamen Volſciagros ſuos diripi & vaſtari ſunt paſſi. tandem verò contempta Romanorum præſentium paucitate, correptis armis cõferti ex agro Antiate inito, præcipiti potius quam

tuto consilio hosti obuiã iuerunt. Si igitur palantes Romanos inopinato aduẽtu oppressissent, eos fædè in fugam vertissent. Iam verò quum consul aduentũ eorũ per exploratores à se missos præsensisset, reuocatis celeriter iis qui in pabulationibus erant dispersi, aciem prout rei militaris disciplina postulat, instruxit. Volscos verò, qui contemptim & audaciter veniebant, quũ præter expectationem omnes hostium copias vidissẽt instructas, ob rei inopinatæ aspectum timor inuasit, neglectáque incolumitate publica, suæ quisque saluti consuluit: conuerso igitur itinere vnusquisque fugiebat quanta maxima celeritate poterat, & alij per has, alij per illas vias ferebantur & maior pars eorum incolumis in vrbem rediit: sed paruus globus qui erat instructissimus quum in mõtis cuiusdam verticem confugisset, ibique castra posuisset, noctem sequentem permansit. Diebus verò sequentibus, quum consul præsidio militum collem cinxisset, omnésque exitus armis intercluisset, fame compulsus, traditis armis in eius potestatem venit. Consul verò omnem prædam & spolia & captiuos quibus potitus fuerat, per quæstores vendi iussit, pecuniámque in vrbem detulit. Nec multo post castris ex hostico motis, copias in ipso anni exitu domum reduxit. Instantibus verò comitiis, placuit patribus irritatam plebem videntibus, & damnationis Cassij pœnitentem, cauere diligenter ne quid noui iterum in republica moliretur, spe largitionum & legis agrariæ inductã, ab aliquo facundo & ad plebem concionibus suis ductandam idoneo, ad consularem dignitatem euecto. Existimabant autem, si quid horum contupisset facillimè cohiberi posse, si consul à plebe alienissimus creatus fuisset. Itaque inito hoc cõsilio, alteri ex

accusatoribus Cassij, Cæsoni Fabio, fratri Quinti, qui tunc consul erat, & ex alijs patricijs, L. Æmilio, dominatus optimatum fautori petendi cõsulatus autores fuerunt. Hos antè magistratum petentes plebs impedire nõ potuit: sed relictis comitijs è campo discessit: nam in centuriatis comitijs suffragiorum omnis vis & autoritas penes nobilissimas quosque, & penes primæ classis homines erat, raróque ad mediarum classium suffragia deueniebatur vt aliquid ratum ab illis fieret. Vltima verò centuria, in qua maxima & egentissima plebis pars suffragia ferebat, vnius postremi suffragij (vt ante dictum est à me) ius habebat.

14 ¶ ANNO igitur ab vrbe condita ducentesimo septuagesimo consules facti sunt L. Æmilius, Mamerci F. & Cæso Fabius, Cæsonis F. archonte Athenis Nicodemo. Quibus ex voto cõtigit vt nulla ciuili seditione turbarentur, bellis externis vrbem infestantibus. In omnibus certè tam Græcarũ quam barbararũ gentiũ locis vsu solet venire, vt cessantibus externis malis domi seditiones & bella ciuilia excitentur. Hoc aũt potissimum accidit iis, qui libertatis & principatus desiderio bellicũ &ærũnosum vitæ genus sequũtur. Ingenia enim pluris habendi cupiditati dedita si à consuetis exercitijs prohibeantur, difficile tolerari possunt. Et propterea prudentissimi duces semper aliquas inimicitias alunt, vt externorũ bellorũ materiã facilius accendãt, nouáq. bella semp suscipiãt, qa in alienis finib. quàm in suis bellũ gerere sati⁹ esse putãt. Tũc igitur (vt dixi) fortè accidit cõsulib⁹, vt populi subditi à pop. Rõ. defectionẽ facerẽt. Nã Volsci siue domestico Romanorũ motu freti, vt potè alienata à magistratib. plebe, siue ꝓpulsi ignominia superioris

cladis, quam nullo commisso prælio acceperant, siue copiarum suarum multitudine valde elati, siue etiam ob hasce omnes causas, bellum populo Romano inferre decreuerunt: contractaque ex omnibus oppidis iuuentute, cum parte copiarum contra Hernicos & Latinos sunt profecti: cum reliqua (quæ & maxima & validissima erat) hostium aduentum domi expectabant, inde eorum impetum excepturi. Romanis, his rebus cognitis placuit copias bifariam diuidere, & alteram partem Hernicis & Latinis præsidio mittere, cui altera verò agrum Volscorum populari. Quum autem cõsules inter se copias sortiti fuissent, vt mos est illis, Cæsoni Fabio obuenit exercitus qui sociis suppetias erat laturus, Lucius verò alterũ ad Antium duxit. Quum autem iã ad montes accessisset, & hostium copias conspexisset, tũc quidem in tumulo castra ex aduerso posuit: sequentibus verò diebus quum hostes suas copias subinde in campum producerent, & ad pugnam prouocarẽt, vbi se tempus opportunum nactum esse duxit, copias eduxit, & priusquam manus cõsererentur, longa monitione & adhortatione vsus, bellicum cani iussit. milites verò consueto clamore sublato, confertis ordinibus & cohortibus constiterunt: lanceis verò & iaculis reliquisque missilibus quæcunque habebant, consumptis, vtrique pari audacia, studioque pugnandi strictis gladiis alteri in alteros irruerunt. Simili etiam (vt ante dixi) pugnæ genere illi vtebantur, nec Romanorum prudentia nec rei militaris peritia qua plerunque vincere solebant, nec indefessa laborum tolerantia longa exercitatione parta superior erat. Nam iisdem virtutibus & hostes præditi erant, ex quo Marcij clarissimi Romanorum du-

cis

cis auspiciis ductúque militarant. Quare vtrique resistebant, nec de loco, in quo primùm steterant, dimouebantur. Deinde paulatim Volsci pedem referebant seruatis ordinibus, & acie instructa Romanorum impetum excipientes. Hoc autem erat stratagema, vt eorum ordines dimellerent, eósque de superiori loco telis peterent. Illi verò rati eos fugæ initium facere, pedetentim & ipsi seruatis ordinibus eos cedentes, sequebantur. Vbi verò eos cursu castra petere viderunt, ipsi quoque celeriter & incompositè eos persequebantur. Vltimæ verò centuriæ, & nouissimi agminis custodes cadauera spoliabant, vt iam parta de hostibus victoria, & se ad agrum populandum verterant. Volsci his animaduersis, & qui fugæ occasionem hostibus præbuerant, quum ad valli munitiones appropinquassent, aduersi steterunt, & qui in castris fuerant relicti, apertis portis conferto agmine variis ex partibus eruptionem fecerunt, prælique fortuna est mutata qui enim persequebantur fugiebant, & qui fugiebant persequebantur. Ibi multi & fortes Romani (vt verisimile est) per loca decliuia pulsi, & pauci à multis circumuenti cecidérunt. Eodem modo tractati fuerũt ij quibus ad spolia & rapinas conuersis facultas sese seruatis ordinibus, & acie instructa recipiendi, erepta est. Nam hi quoque ab hostibus oppressi partim cæsi, partim capti fuerunt. Quotquot verò horum vel illorum qui monte depulsi fuerant incolumes euaserunt, quum serò suppetias equitatus illis tulisset in castra redierunt. Ne autem internectione delerentur, ingens imber cum grandine cœlitus cum impetu delatus, & caligo qualis esse solet in densissimis nebulis eos adiuuisse videbatur: quæ res reddidit hostes segniores ad vlterius eos persequendum.

quia prospicere non poterant quæ remota erant. Insequenti nocte consul motis castris cum silentio, & acie instructa abiit, eo consilio ut hostem lateret, & sub vespertinum crepusculum castra ad oppidum Longulam posuit, tumulo idoneo ad vim hostium arcendam delecto. Ibi subsistens & laborantes ex vulneribus curandos reficiebat, & mœstos ob acceptam inopinatæ cladis ignominiam, consolando recreabat. Hic igitur erat rerum Romanarũ status. At Volsci, quum dies illuxisset, & castra ab hostibus deserta cognouissent, castra promouerunt. Spoliatis autem hostium cadaueribus, sublatisque seminecibus, de quorum salute spes erat, suisque sepulturæ mandatis, se in proximam vrbem Antium receperunt. Ibi canentes pæana ob partam victoriam, & in omnibus templis sacrificia facientes, per continuos aliquot dies epulationibus & voluptatibus se dederunt. Si igitur tunc ea victoria contenti fuissent, & nihil præterea tentassent, præclarum huic bello finem imposuissent. Romani enim haud amplius ausi fuissent ex castris ad prælium prodire: sed præclare secum agi putassent si sibi ex hostico decedere licuisset, ignominiosam fugam manifesta morte potiorem ducentibus. Iam verò dum plura appeterent, & gloriam ex superiore victoria partam amiserunt. nam quum audissent ex ipsis exploratoribus & transfugis, Romanos, qui euasissent, perpaucos esse, & horum plerósque vulneratos, valde eos contempserunt, & subitò correptis armis in eos procurrerunt. Multi etiam inermes ex vrbe ad certaminis spectaculum, & simul ad rapinas & prædam eos sunt sequuti. Quum autem ad tumulum accessissent, & ipsa castra corona cinxissent, & vallum diuellere cœpissent, primi Romani equites pedibus ob loci

naturam pugnantes in eos eruptionem fecerunt. deinde post hos qui vocantur triarij, densatis cohortibus. Isti autem sunt veterani spectatæ virtutis, quibus castrorum custodiam committunt, quoties ad prædium egrediuntur, & ad quos postremos, si ingens iumentorum strages fuerit edita, cæteris auxilijs destituti, ipsa necessitate coacti confugiunt. Volsci autem principio quidem eorum impetum sustinuerunt, & diu fortiter pugnarunt. Deinde verò quum ob loci naturam deteriore conditione rem gererent, pedem referebant: & tandem quum paucis iisque leuibus incommodis hostes affecissent, ipsi verò pluribus affecti fuissent, in planiciem se receperunt. Ibi positis castris diebus insequentibus aciem instruebant, & Romanos ad prælium prouocabant: at illi contra eos non prodibant. Quod quum animaduertissent Volsci, contemptis illis copias ex oppidis conuocabant, & se parabant vt militum multitudine eorum munitionem expugnarent, & præclarum facinus nullo negotio edidissent, consule Romanóque exercitu, aut vi, aut facta deditione in suam potestatem redacto (iam enim victus inopia locus ille laborabat) sed suppetiæ Romanis celeriter latæ eos anteuerterunt, quibus Volsci pulcherrimum bello finem imponere sunt prohibiti. Nam alter consul Cæso Fabius, quum cognouisset in qua fortuna essent copiæ, quæ cum Volscis acie dimicarant, voluit ipse quidem quanta maxima celeritate posset, cum toto exercitu confestim hostes, qui munitiones obsidebant, petere: sed quum ei victimas mactanti, auguriaq; captanti, sacra nihil fausti portenderent, deusq; eius profectioni aduersaretur, ipse quidem remansit. sed lectissimas cohortes collegæ misit. Illæ verò per occul-

tas vias noctúque bona itineris parte confecta in castra clam hostibus sunt ingressi. Aemilius igitur sociorum aduentu audacior est factus. At hostes suorum multitudine, quæ tunc ibi aderat, freti, & quòd Romani in aciem non prodirent elati, montem densatis ordinibus ascenderunt, & Romani passi eos per otium ascendere, passi etiam eos multum laboris circa vallum perferre, quum pugnæ signum fuisset datum, vallo variis in partibus dissectos in eos impressionem fecerunt, atque alij gladius cominus pugnabant, alij è munitionibus hostem lapidibus & missilibus & lanceis feriebant, nullúmque telum frustra cadebat multis in exiguo loco stipatis. Volsci igitur amisso magno suorum numero reiecti sunt à tumulo & in fugam versi ægrè in sua castra se receperunt. At Romani vt qui tunc tandem in tuto essent, in eorum agros descenderunt, vnde & cibaria & alia quorum penuria erat in castris ceperunt. Quum autem comitiorum tempus instaret, Aemilius in castris remansit, præpudore cladium ignominiosarum in vrbem redire non ausus, quòd lectissimam exercitus partem amisisset: at eius collega castrorum cura tribunis commissa, in vrbem est profectus: conuocatóque ad comitia populo, de consularibus viris quibus consulatum dari plebs cupiebat nullam suffragij ferendi fecit mentionem, quia ipsi haud sponte sua magistratum eum petebant: sed pro iis qui petebant centuriis vocauit, easque misit in suffragia. Isti autem quos senatus designarat, & quos magistratum petere iusserat, plebi non admodum erant grati. Designatique sunt consules in sequentem annum iunior frater eius consulis qui præerat comitijs M. Fabius Cæsonis F. & L. Valerius, M. F. qui Cassium tertium consulem, ob affectatam tyrannidem

rannidem damnauit, & capitali supplicio affecit. Hi, magistratu inito, petierunt vt in eorum militum locum qui in bello contra Antiates ceciderant, alij conscriberentur, vt quod cohortibus deerat, id supplereturFacilóque S.C. diem dixerunt, ad quam militaris ætatis homines præsto adesse oportebat. Postea ingens tumultus in vrbe est ortus, & pauperrimi quique seditiosè loquebantur, nec senatusconsulto parere, nec consulum potestati imperióque obtemperare volebant, quòd illi promissa de agris diuidendis fefellissent: confluêtésque cæteratim ad tribunos proditionem ipsis exprobrabant. & magnis clamoribus illorum auxilium implorabant. Alijs igitur non videbatur tempestiuum esse, externo bello iam conflato, domesticas inimicitias suscitare: quidã verò ex illis, C. Manius, dicebat se minimè prodisturum plebem nec exercitumconscribere cõsulibus permissurum, nisi ipsius agri publici finitores creassent & S.C. de agris diuidendis factum promulgassent. Consulibus verò contra hæc dicentibus, & præsens bellum causantibus, per quod staret quominus ea quæ petebat ei concederent, negabat se moraturum eorum verba, sed totis viribus delectum prohibiturum. atque hæc facere conabatur, nihil tamen efficere potuit. Consules enim extra vrbem in proximum campum progressi, ibi sellas imperatorias posuerunt, & milites conscribebant, & qui legibus non parebant, quia eos ducere non poterant, pecuniis mulctabant, eorum qui agros habebant, agros cædendo, villásque demoliendo: qui verò alienos fundos conductos colebant, horum agendo & serendo instrumenta rustica, & iuga boum, & pecus. & instrumenta sarcinaria & omnis generis instrumenta, quibus

vel terra colitur, vel fructus comportantur. Tribunus verò qui militum conscriptioni delectuique interc: debat nihil amplius contra hæc facere poterat. Tribuni enim in ea quæ sunt extra vrbem nullam habent potestatem: nam eorum potentia mœnibus est circumscripta. Imò ne pernoctare quidem extra vrbem ipsis fas est, nisi quodam statuto tempore, quo omnes pop. Rom. magistratus in Albano monte pro Latinorum gente Ioui commune sacrificium faciunt, hic mos ad nostram vsque ætatem permanet, vt tribuni plebis in ea quæ sunt extra vrbem, nullum ius ac potestatem habeant. Quinetiam causa quæ, præter multas alias, bellum ciuile Romanorum mea ætate gestum (quod fuit omnium superiorum bellorũ maximum) mouisse, & quæ sola ciuitatem diuidere potuisse visa est hæc fuit, quòd aliquot tribuni plebis, quæsti se ab eo imperatore qui tunc Italiam tenebat, vrbe pervim pulsos, ne quam amplius potestatem haberent ad imperatorem, qui in Gallia exercitus habebat, quasi non haberent quò se verterent, confugissent. Ille verò hac occasione vsus, vt magistratui plebis potentissimo sua potestate contra sacratum maiorum iusiurandum priuato: piè & iustè succurrens, & ipse cum exercitu in vrbem venit, & tribunos in suum magistratum armis reduxit. Tunc igitur plebeij homines quum tribunitia potestate nullo modo iuuarentur, de sua auda. ia remiserunt, & euntes ad eos qui delectibus habendis præerant, militari sacramento se obstrinxerunt, & sub signis nomina dederunt. Supplemento autem legionum conscripto, consules prouincias inter se sunt sortiti, ac Fabius quidem exercitum qui socius auxilio missus fuerat, accepit: Valerius verò eum qui in Volscis castra habebat, cui datum sup-

plementum

plementum recens conscriptum. Cuius aduentu cognito hostibus placuit, nouas copias accersere, & in loco munitiore castra metari, & cauere ne amplius ob suam hostium contemptionem in aliquod temerarium periculum (vt ante) incideret. Hæc celeriter facta sunt, & vtriusque ducis de belli gerendi ratione eadem fuit sententia, vt suas munitiones tuerentur, si quis eas inuaderet, at hostium munitiones, quasi eas per vim essent expugnaturi, minime aggrederentur. Quo factum est, vt dum alteri alteros aggredi metuunt interea non parum temporis in his cunctationibus tereretur. Veruntamen in ea sententia vsque ad belli finem permanere non potuerunt. Quoties enim aut frumentatum, aut ad aliquas alias res parandas quæ vtrisque necessariæ viderentur, aliqua exercitus pars mittebatur, conflictus & vulnera sequebantur, nec iidem semper victoriam ab aduersariis reportabant, & quum sæpius congrederentur non pauci cadebant, & plures sauciabantur. Sed Romani nullis nouis copiis aliunde missis suorum iacturam supplere poterant. At Volscorum exercitus aliis post alios venientibus valde augebatur. Hac re elati duces, copias ex castris in aciem produxerunt. Quum autẽ & ipsi Romani prodiissent, acieméq; instruxissent, cõmissum est acre prælium inter equites, pedites, & velites, omnibus pari studio & peritia pugnantibus, & vno quoque victoriæ spẽ in se ipso solo collocante. Quum autẽ multa vtrinq; in eo ipso loco, in quo collocati fuerãt, cadauera prostrata, & semineces multò plures quàm ipsa cadauera iacerent, & ij qui in certamine, & malis ad hunc perseuerabant pauci essent: & ne isti quidem vẽ belli cãgerere possent, scutis, quibus corpus protegebant ob te-

lorum infixorum multitudinem sinistras manus grauantibus, & impedientibus quominus hostium impetum sustinerent, & retusa gladiorum acie, nonnullis etiam totis fractis, ita vt nullus amplius esset eorum vsus, & ingenti labore, quem per totum diem pugnantes tulerant, neruos dissoluente, & vulnerum ictus debilitante, & sudore, siti, anhelitu (vt in summo æstatis feruore in longo certamine hominibus solet accidere) vtrosque vexantibus, nullum memorabilem exitum id prælium habuit: sed ambo exercitus à ducibus suis reuocati, lubenter in castra redierunt. Et neutri amplius in aciem prodierunt sed vbi castra castris opposuissent, obseruabant eos qui ad res necessarias comparandas exibant. Romæ tamen multi opinabantur & vulgò iactabant exercitum Romanorum, quum tunc posset vincere, dedita opera nullum egregium facinus edidisse, odio consulis, & ira in patres, quòd agri diuisione per dolum fuisset fraudatus. Sed ipsi milites consulem vt parum idoneum ad imperandum accusabant, literis priuatim ad necessarios suos missis: atque hic erat status quæ foris gerebantur. In ipsa verò vrbe multa prodigia iram diuinam significantia obseruata sunt, exauditæque voces ominosæ & nouæ spectrorum facies visæ, quæ tamen omnia eò spectabant (vt & vates & pontifices pro peritia qua erant præditi, re inter se communicata declarabant) deos aliquos iratos esse, quòd legitimis honoribus fraudarentur, nec purè nec piè sacra ipsis fierent. Postea igitur magna ab omnibus inquisitione facta, tandem indicium ad pontifices delatum est, vnam vestalium ignis sacri custodum, nomine Opimiam, amissa virginitate sacra polluere. Illi verò quum ex quæstionibus, aliisque mani-

manifestis argumentis cognouissent crimen delatum verum esse eius capitis coronas, quas gestabat, & insulas ac cætera sacerdotij ornamenta abstulerũt, eámque per medium fori ductã intra muros in fossa subterranea viuã defoderunt: duos verò, à quibus eam corruptã fuisse cõstabat, in omniũ cõspectu virgis cæsos cõfestim necarũt. Quo facto mox litatũ est & vates responderunt irã deorũ placatã esse. QVVM autem comitiorũ tẽpus venisset, & ipsi cõsules ad ea iuissent, ingẽti studio & contentione inter plebem & patricios certatum est de viris quibus rerum summa esset committenda. Illi enim è iuniioribus impigros aliquos & minimè populares ad consulatũ promouere cupiebant: & eorum iussu filius Appij Clodij, qui acerrimus plebis hostis existimabatur, vir qui arrogantiæ & audaciæ plenus erat, & sodalitiis clientelisque omnium suæ ætatis hominum plurimum poterat magistratum petebat: at plebs è senioribus, & probitatis iam spectatæ homines, qui reip. commodis studerent, nominans, consules illos facere volebat, & ipsi magistratus inter se dissidebant, & alij aliorum potestatem irritam faciebant. Quoties enim consules plebem conuocassent vt consules magistratum petentes curarent, tribuni pro sua potestate intercedebant, & comitia dissoluebant, ac dimittebant, & contrà, quoties illi plebem ad comitia conuocassent, consules conuocandæ multitudinis, eiúsque in suffragia mittendæ ius habentes, ipsis intercedebant, & se mutuò accusabant & stipati seditiosis ciuibus assiduè concertabant, ita vt nonnulli etiam præ ira à mutuis vulneribus non abstinerent, & seditio ab armis non multum abesset. Senatus, his cognitis diu consultauit quidnam esset agendum. Nam ne plebem vi coercere po

terat, nec ei cedere volebat. Sententia igitur asperior hæ
erat, vt comitiorum causa dictator crearetur, qui vir o-
ptimus iudicatus fuisset: ille verò acceptâ potestate sedi-
tiosos ex vrbe pelleret & si quid à superioribus magi-
stratibus esset peccatum, corrigeret, & arbitratu suo for-
ma reip. constituta, viris optimis magistratus mandaret:
mitior verò, vt interreges crearentur maximi natu, &
honoratissimi quique viri quibus curæ esset magistratuũ
creatio, & qui prouiderent vt optimè id fieret, eodem
modo quo regibus expulsis factum est. Quum autem ma-
ior eorum pars in hanc sententiam iuisset, ab illis creatus
est interrex A. Sempronius Atratinus. & cæteri ma-
gistratus abrogati. Iste ad certos dies sibi præstitutos rep.
sine seditione administrata, alium (prout eorum est mos)
Sp. Largium creauit interregem. Ille verò comitiis centu
riatis ex classium censu misso in suffragia populo, ex u-
triusque partis consensu consules creauit C. Iulium qui e-
rat ex numero eorum qui plebi fauebant, & Q. Fabium
Cæsonis F. iterum, optimatum fautorem. & plebs ob præ
rem eius consulatum nullis affecta malis passa est eum ite
rum hanc potestatem adipisci, odio Appium prosequẽs,
eiúsque ignominiosa repulsa valde gaudens, & ipsis pri-
moribus, qui virum impigrum & qui nihil molliter plebi
esset concessurus, consulem creari cupiebant, ex animi sen
tentia seditio exitum habuisse videbatur. His consulibus
Æqui in agrum Latinum facta irruptione, multa mag-
cipia & multum pecus, repentino latrocinio abegerunt.
Ex Etruscis verò ij qui vocantur Veientes magnã agri
Romani partem excursionibus infestarunt. Quum autem
senatus bellum contra Æquos in aliud tempus distuliss
set, & à Veientibus res repetere decreuisset, Æqui, quo
primus

primus conatus ipsis ex voto successisset, nec vllus in posterum eos prohibiturus videretur, temeraria audacia elati, non amplius latronum more bellum gerere decreuerunt, sed cum valido exercitu Ortonam adorti, vt ceperunt: direptisque vrbis simul cum vrbe, ingenti præda ditati abierunt. At Veientes quum legatis Roma missis respondissent, prædones illos non à se sed ab aliis Etruscis missos, si eos re infecta dimiserunt: & nihil æquè fecerũt, & legati in Veientes prædam ex agro suo agentes inciderunt. Senatus hac re ex illis cognita, bellum Veientibus inferre & ambos consules cum exercitu in eos mittere decreuit. Reclamatum tamen est huic s.c. & multi erant qui bellum illis inferri non patiebantur, reuocantes plebi in memoriam agri diuisionem, qua quinto ante anno à senatu decreta, publicæ fidei credentes, per dolum fraudati fuerant, & dicentes, bellum fore commune si tota Etruria communi consensu populis eiusdem gentis ostiorum verba vllum pondus habuerunt: sed s.c. plebiscito etiam confirmatum est. Sp. Largij suasu & hortatu. Post hæc consules copias eduxerunt, castris non longè à Veiis seorsum positis, & per multos dies ibi morati, quum hostes non prodirent, cũ suis copiis agri eorum partem quantam maximam potuerunt, depopulati, copias domum reduxerunt. Et nihil aliud memoratu dignum hisce consulibus est gestum.

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI, ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER NONVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Cæsone Fabio & Sp. Furio Coss. tumultus Romæ, & expeditio aduersus Aequos & Etruscos.

2 Sub Consulatu C. Manlij & M. Fabij bellum contra Veientes vario, memorabili & multiplici cum euentu.

3 Bellum instauratum cum Veientibus & Aequis: consultatio habita Romæ de modo belli gerendi aduersus Veientes: Fabiorum magnanimitas, & Romano rum conatus.

4 L. Aemilio, & C. Seruilio Coss. bellum in Volscos, Aequos & Veientes.

5 Sub C. Horatio & T. Menenio bellum Etruscum, in quo Fabia gens deleta, quod quomodo contigerit variè & prolixè narratur.

6 Sp. Seruilio A. Virginio Consulibus, domi turbæ ac frumenti penuria: foris bellum cum Etruscis.

7 Valerio & Nautio consulibus, ob rem malè contra Etruscos gestam Seruilius in ius vocatus absoluitur: à Valerio Sabinorum & Etruscorum castra capta: bellum item cum Aequis & Volscis feliciter confectum.

8 Veientes à Manlio consule debellati: seditionibus Roma laborat propter rem agrariam

9 Prodigia

9 Prodigia & pestis grauissima sub L. Pinarij & P. Furij Consulatu, propter Vestalis Virginis stuprum: Seditionis renouatio, & variæ rixæ inter tribunos ac Consules: item de horum discordiis sedandis P. Valerij Publicolæ sententia.

10 Quintij & Appij Claudij Consulum aduersus Æquos & Volscos expeditio: item de re agraria variæ inter Tribunos & Consules sententiæ: Appius in iudicium vocatus manus sibi adfert: variæ belli expeditiones aduersus Æquos, Volscos, Sabinos.

11 Varius belli euentus Quintij Seruilij & aliorum Consulum, aduersus Sabinos, Æquos & Volscos.

12 Bellum instauratum contra Æquos & Volscos, qui cladem à Romanis accipiunt.

13 Pestis ex agro in vrbem irruens atrocissimè sæuit: de victis Æquis & Volscis L. Lucretius & T. Vetusius Consules triumphant.

Historia huius libri est viginti annorum.

1 SEQVENTI *anno discordia inter plebem & senatum de consulibus creandis orta (patricij enim vtrumque consulem ex optimatibus fieri volebant: plebs vero ex popularibus & sui studiosis) post mutuas concertationes, tandē mutua suasione inter eos conuenit vt ex vtraq. parte consul crearetur: creatiq. sunt à senatu quidem Cæso Fabius iterùm, qui Cassium tyrannidis reum peregerat: à plebe verò Sp. Furius, septuagesima quinta olympiade, archonte Athenis Callide, quo tempore Xerxes expeditionem in Græciam fecit. Simulatque autem hi magistratū inierunt, legati Latini ad senatum venerunt, petentes vt alter consul cum exercitu ad se mitteretur, qui nimiam Æquorum insolentiam compesceret: & tota Etruria commota, & breui*

ad arma ventura nuntiabatur. Eius enim gentis commune concilium conuocatum fuerat, & quũ Veientes multis precibus petiissent, vt se ad belli societatẽ contra Romanos adderent, tandẽ decretum est licere Etruscis quibus vellent ire ad eam militiam. Itaque Veientes ad eam belli societatem manũ non contemnendam cõparauerunt. His rebus cognitis placuit magistratibus Romanorum vt exercitus conscriberentur, & ambo consules exirent, alter quidem bellum cum Aequis gesturus, & Latinis opem laturus: alter verò in Etruriam copias ducturus. His verò intercedebat Sp. Icilius, vnus è tribunorũ coll legio, & plebem ad concionem quotidie conuocans, promissam agrorũ diuisionẽ à senatu repetebat, & dicebat se non passurum fieri quidquam eorum quæ ipse vel contra hostes, vel in vrbe facere decreuisset, nisi priùs decem viros agri publici finitores creasset, agrúmque promissum plebi diuisisset. Hic hærentẽ senatum & consilij inopem, App. Claudius monuit daret operã vt dissidio inter tribunos excitato alios ab ipso alienaret, docens eũ qui S. C. intercedebat, esse sacrosanctum, & ex ipsis legibus hanc intercedendi potestatẽ habere, eúmq; pro suæ magistratus potestate res impedire posse quibuscunq; ipse intercesserit. Itaque suadebat consulibus qui in posterum magistratum eum essent accepturi, hoc agerent, daréntq; operam vt semper aliquos de tribunis sibi conciliarent, dimiſsq; haberent, dicebátq; hanc vnã esse rationẽ huius magistratus potestatis euertendæ, si tribuni inter se dissiderent. Ea sentẽtia ab Appio dicta, consules & alij primores rati eum rectè monere summa contentione effecerunt vt quatuor è tribunis senatus fauerent, qui aliquãdiu variis rationibus Icilij ab actionibus agrariis auerte-

re co-

re conati sunt, donec finis belli impositus esset. Sed quũ ille ipsis aduersaretur, & deieraret, & præsente populo superbissimã vocem edere ausus fuisset, malle se Etruscos cæterosq; hostes vrbe potitos videre quàm eos qui agrũ publicũ occupare dimittere, existimarunt se præclaram nactos occasionẽ tantæ arrogantiæ tum dictis, tum factis aduersandi: & quũ vel ipsa plebs eo dicto fuisset offensa se ei intercedere dixerũt: & apertè quidquid senatui, & consulibus visum fuerat, faciebant. Icilius verò abomnibus suis collegis destitutus, nullam amplius potestatem habebat. Posthæc, exercitus conscriptus, & quidquid ad bellicos vsus erat necessarium, partim ex publico, partim à priuatis omni alacritate animi suppeditabatur. Et consules celeriter inter se sortiti exercitus, ad bellum iuerũt. Sp. Furius in Æquos, Cæso Fabius in Etruscos. Sp. hostibus cũ eo congredi nõ ausis, eiq. contigit vt in hac expeditione multas pecunias mancipiáq. caperet. Namfere totũ hostium agrũ peruagatus est, res agens ferénsq. omném que prædam militibus concessit, & quum antè plebis studio, jus haberetur, multò magis in hac expeditione multitudinis fauorem sibi conciliauit: exactóque militiæ tempore, copias integras, & nulla clade affectas, & peeuniis ditatas in patriam reduxit. At Cæso Fabius alter consul, licet egregiè omnibus muneribus imperatoriis fuisset perfunctus, tamen rerum gestarum laude fraudatus fuit, ob nullum suum peccatũ sed quòd exercitui exosus esset, ex quo Cassium consulem, tyrannidis affectatæ damnatum supplicio extremo affecerat. Nam neque ad imperatoris imperia celeriter exequenda, quibus milites morigeros esse oportet, neque ad eas res per vim occu-

pandas, in quibus militum alacritas & officium honestum requiritur, neque ad loca quæ opportuna essent, & quæ ad belli commoda facerent, etiam hostibus in potestatem redigenda, neque ad aliud quidpiam agendum parati erant, vnde ille aliquem honorem & bonam existimationem ob res à se in sua prætura gestas relaturus esset: reliqua tamen eorum perpetua insolentia in imperatorem suum illi minùs molesta erat & Reipub. non admodum noxia. Sed postremum eorum facinus vtriusque ingentem ignominiam cum non mediocri periculo conuictam attulit. Quum enim vtrique totis viribus prælium acie instructa commisissent, in eo spatio quod erat mediũ inter duos colles, vbi vtrique castra habebant, quumq. isti multa & egregia facinora edidissent, & hostes in tium fugæ facere coegissent, nec eos abeuntes persequuti sunt quamuis imperator vehementer ipsis instaret, nec remanere & castra expugnare voluerũt. Sed relicto imperfecto opere præclaro in sua castra redierũt. Quum autem nonnulli eum summum imperatorem appellare cœpissent magnis clamoribus cæteri omnes conuicia in ducem iactabant, & contumeliosis verbis in eum inuehebantur, quasi ob imperatoriæ artis imperitiam multos & fortes viros de suis amisisset, & post alia multa maledicta, & verba indignationis plena, postulabant vt solutis castris se in vrbem reduceret, quod dicerent se ad prælium redintegrandum idoneos non fore, si hostis contra se venisset, neque ducis admonitionibus mouebantur, neque eius luctu supplicibusque precibus vllo modo tangebantur, neque grauibus minis quas ipsis intentabat, siquando & his vsus fuisset, terrebantur, sed his omnibus magis ac magis exacerbabantur, atque in sua pertinacia perseuera-

perseuerabant. Tanta autem fuit eorum omnium contumacia, & ducis contemptio, vt circa mediam noctem surgentes tentoria refigerent, & arma corriperent, & saucios nullo iubente absportarent. His cognitis, imperator coactus fuit omnibus profectionis signum dare, metuens eorum contumaciam & audaciam, illi verò quasi ex fugæ periculo se reciperent salutique suæ fugæ consulerent, ingenti celeritate sub diluculum ad vrbem proximè accesserunt. Custodes verò qui stabant ad mœnia, quum ignorarent amicum esse exercitum, arma induebant, & alij alios vocabant, & reliqua ciuitas quasi magna clade accepta, pauoris & tumultus plena erat, nec priùs ipsis portas aperuerunt custodes quàm lux clara iam esset, & domesticæ legiones agnoscerètur. Itaque, præter ignominiam desertorum castrorum, in periculum etiam non minimum se ipsi coniecerunt, qui nullo ordine seruato nocte per hosticum abiissent. Si enim hostes hac re cognita eos quauis ratione abeuntes insequuti fuissent, nihil fuisset impedimento quominus totus ille exercitus internecione deleretur. Huius autem temerarij discessus siue fugæ causa fuit (vt dixi) odium quo plebs prosequebatur ducem, & quòd ei honorem inuideret, ne triumpho decoratus, illustrissimus fieret. Postridie verò Etrusci, cognito Romanorum discessu, & eorum cadauera spoliarunt, & saucios sustulerunt ac absportarunt, & impedimenta in castris relicta (multa autem erant, vt in diuturni belli vsum parata) diripuerunt, & quasi victores finitimum ac proximum agrum hostium populati, copias abduxerunt.

2 ¶ ANNI sequentis consules, C. Manlius, & M. Fabius iterùm, facto S. C. vt copias quamas maximas

possent contra Veientes educerent, diem dixerunt, quæ exercitum essent conscripturi: sed quum Tib. Pontificius, vnus è tribunis, illi militum conscriptioni intercederet, & S. C. de agro diuidendo facti mentionem denuo faceret, consules nonnullis eius collegis benignè appellatis, & sibi conciliatis, vt à superioribus consulibus factum fuerat, dissidium in tribunorum collegio fecerunt: posteà liberrimè senatusconsultum exequebantur. Exercitu autem intra paucos dies conscripto, contra hostes sunt profecti, vterque cum duabus vrbanis legionibus, & cum non minore manu à colonis & populis subditis missa. Latini autem & Hernici populi, duplò maiora auxilia quàm petita fuerant, ipsis miserunt. Haud tamen omnibus illis copiis sunt vsi, sed gratias maximas illis egerunt & dimidiam copiarum missarum partem remiserunt. Tertium quoque exercitum, ex duobus iuniorum legionibus pro muris vrbis statuerunt, vt agri custos esset, si quæ nouæ hostium copiæ ex improuiso apparuissent. Eos verò qui militarem ætatem excedebant: quorum vires ad vsum armorum adhuc erant idoneæ, in vrbe ad arcium & murorum custodiam reliquerunt. Copiis autem ad Veios vrbem admotis, castra in duobus collibus non multùm inter se distantibus posuerunt. Hostium quoque exercitus magnus & validus castra ante vrbem habebat. Nam ex tota Etruria potentissimi quique cum suis seruis eò conuenerant, ita vt Etruscorum copiæ Romanas numero longè superarent. Consules conspecta hostium multitudine & armorum splendore, valde timere cœperunt, ne fortè suo discordi exercitu concordibus hostium copiis oppositò victoriam minimè reportare possent. Visum itaque est ipsis bellum munitis castris trahere, &

here,& expectare si quan rei bene gerendæ occasionem hostium audacia temeraria contemptione elata ac impulsa,sibi præberet. Postea velitationes crebræ fiebant, & prælia leuia inter ferentarios committebantur, sed nullum magnum aut illustre facinus edebatur. At Etrusci moras belli ægrè ferentes ignauiam Romanis exprobrabant,quòd non prodirent in aciem & quasi illi campis apertis sibi cessissent,magnificè de se sentiebant. Et multò magis hostiũ copias despicere.& consules contemnere cœperunt,elati opinione qua & ipsum diuinum numen sibi adesse credebant. Nam fulmen delatũ in alterius consulis Manlij prætorium & ipsum tentorium disserpsit,& focum euertit,& bellica arma partim fœdauit,partim ambusit partim omnimo consumpsit,interfecit etiam eius equum maximè insignẽ,quo in prœliis vtebatur,& nõnullos famulos. Quũ autem vates castrorum expugnationẽ,& clarissimorum virorũ interitum à diis portendi dicerent,Manlius motis castris circa mediã noctem in altera est profectus,& copias cũ collega coniunxit.Quum autẽ Etrusci discessum consulis cognouissent, eiusq; causas ex quibusdã captiuis audissent, animis multò magis sunt elati,& in sua opinione multò magis cõfirmati,quasi deus Romanis bellum faceret & magnam spem victoriæ ab ipsis reportandæ cõceperunt.Et vates Etrusci quires cœlestes longè accuratius quàm aliæ aliæ nationes scrutari videntur,& unde fulminũ iactus proficiscãtur,& à quibus locis ea post ictũ abeuntia excipiãtur,& quib.diis singula attribuãtur,& quid boni aut mali portẽdant suos ad cõfligendũ cũ hoste hortabantur.sic de illo prodigio Romanis oblato differẽtes. Fulmine delato in consulis tentorium,vbi erat prætorii

eoq; toto ad focum vsq; deleto, dicebant hoc à numine diuino exercitui portēdi, fore vt castra per vim capta deserērētur, & clarissimi viri perirēt. Si igitur, inquiebāt, in loco qui à fulmine fuerat tactus, vi qui in eo erant mā sissent, neque prodigia secū ad alios transtulissent, vnorū castrorum expugnatione, & vnius exercitus internecione, numen quod illis erat infensum iram suam satiasset. Nunc verò quoniam, dum volunt ipsis diis sapientiores esse, se in altera castra transtulerunt, loco deserto, quasi deus non hominibus, sed locis calamitates portenderet, tota diuina ira eos exæquo persequetur, tam eos qui discesserunt quàm eos qui ipsos exceperunt. Et quia diuina necessitate denuntiante fore vt altera eorum castra expugnarentur, fatum non expectarunt, sed ipsimet hostibus ea dediderunt, illa castra, quæ alterorum castrorum desertores exceperunt, pro desertis expugnatum iri dicebant. Etrusci, quum hæc ex vatibus audissent, parte quadam sui exercitus castra à Romanis deserta occupārūt, vt hoc vterentur munimento aduersus altera castra: locus enim ille natura sua valde munitus erat, & valde opportunus ad prohibendos eos qui Roma in castra venirent: aliisq; rebus accuratè cōparatis, quarū ope superiores hostib. esse possent, copias in planitiem eduxerunt. Romanis verò quiescentibus, audaciſsimi quique eorum adequitantes & propius ad castra accedentes, eos omnes mulieres appellabāt, ducésq; eorum, timidissimis brutis similes esse dicentes, conuicijs petebant: & è duobus alterum postulabant, vel vt si virtutē bellicam sibi vendicarent, descenderent in planitiē, & vno prælio de summa rerum decernerent, vel si fatererētur se esse ignauos, traderent arma præstantioribus, & pœnis maleficiorum suorū

persolu-

persolutis, nihil præclarè amplius sibi arrogarent. Hoc quotidie faciebant, & quum nihil proficerent, eos circumullare decreuerunt. Vt fame ad deditionem compellerent. Consules verò hæc quæ fiebant dissimulauerunt, non ob ignauiam mollitiémue aliquam, (ambo enim & animosi & bellicosi erant) sed suspectam habentes militum voluntarium ignauiam & segnitiem, quæ in plebeiorum animis ob seditiones agrarias inhærebat. Nam ante ipsorum aures & oculos adhuc obuersabantur, quæ anno superiore consuli honorem inuidentes, turpiter & præter pop. Rom. maiestatem fecerant, qui victoriam victis cõcessissent, & fugæ simulatæ falsam exprobrationẽ vltrò subiissent, ne vir ille parta de hostibus victoria triumpharet. Quum igitur vellent omnem seditionem penitus è castris tollere, & vniuersam multitudinem in pristinã concordiam reducere, & in hoc vnum omni consilio & prouidentia incumberent, quia neque animaduersione in aliquam partem cæteros sapientiores ac modestiores reddere poterant, ob magnam contumaciam & ferociam in ipsorum animis insitam, quia etiam illi arma in manibus habebant, nec verbis, nec rationibus ad officiũ adduci poterant ij qui obstinato erant animo, existimarũt his duobus modis seditiosos in gratiam redituros, ac ingenij quidem, mansuetioris hominem (erant enim & tales nonnulli multitudini admixti) opprobriorũ hostilium pudore: eos verò qui ad honestatẽ sequendam difficilè compelli poterant ipsa necessitate, quam vniuersum genus humanum metuit. Vt igitur hoc vtrunque fieret, permiserunt vt hostes contumeliosis verbis sibi insultarent, suã quietem ignauiæ ascribentes, eámque vituperantes, & factis, vt post multum contemptionem & despectum,

iis qui nollent sponte rem fortiter gerere fortitudinis necessitatem imponerent, si enim hæc fierent, magnam spem habebant fore vt omnes ad prætorium venirent præ indignatione vociferantes, & se contra hostes duci poscentes, id quod etiam accidit. Vbi enim hostes cæperunt castrorum exitus fossa vallóque cingere. Romani rem indignam ac minime ferendam rati pauci primùm, mox cæteruatim concurrentes ad consulum tentoria, clamorẽ sustulerunt, & proditionis eos insimulabant, &, nisi quis egressus ducẽ præbuisset, se eruptionẽ in hostem facturos dicebant, & quũ id ab omnibus fieret, prætores adesse tempus expectatũ existimantes lictoribus mandarunt vt multitudinem ad contionẽ conuocarent. Tũc Fabius progressus, in hunc modũ est locutus, {Tarda est hæc indignatio ob contumelias quibus affecti estis ab hostibus, cõmilitones & duces, & vestra cupiditas cum hoste pugnandi, quæ multò serius quam oportebat vos subiit, est intempestiua. iam pridem enim hoc vobis erat faciendum, quum primùm eos è munitionibus descendere, & ad prælium vos prouocare vidistis. tunc enim certamen de imperio præclarũ, ac pop. Rom. maiestate dignũ fuisset, iam verò ab ipsa necessitate ad id cogimur, & licet eius exitus futurus sit felicissimus, tamen par decus non erit: attamen rẽcte factis qui saltem nunc tarditatẽ pristinam corrigere, & quod est reliquum virium ac animorum recolligere velitis, & ob hunc ardorem honestissimum. siquidem ab amore virtutis manat, magna gratia vobis habetur: præstat enim serò incipere officium facere quàm nunquam. Atque vtinam omnes idem de communi vtilitate sentiretis, & eadem animi alacritas, idémque impetus ad certamen in

omnibus

ommibus vobis esset, iam verò veremur ne plebeij ob leges agrarias magistratibus infensi, magnã cladem reip. afferant, & suspicamur, istos qui magnis clamoribus se educi poscunt, & indignantur, non eodem consilio omnes ad hoc impelli, sed alios quidem, vt hostes vlciscantur, alios verò, vt effugiant, cupere ex castris exire. Causam aũt huius suspicionis non vates præbuerunt, nec coniecturæ, sed manifesta facta, eáque non vetusta, sed quæ superiore anno acciderunt, vt oẽs scitis, quando cõtra hos ipsos hostes ingẽti ac valido exercitu misso, & primo prælio à nobis felicissimè facto, quum consul & dux vester Cæso iste, frater meus, potuisset & castra hostium vi expugnare, & clarissimam victoriam in patriam referre, nonnulli gloriam ei inuidentes, quòd plebis studiosus non esset, nec remp. ad voluntatem pauperum administraret, nocte prælium secuta, reuulsis tentoriis, iniussi è castris aufugerunt, nec considerato periculo cui se obijcie bant, qui nullo ordine seruato, & sine duce, ex hostico, idque noctu, abirent, nec ignominia, quam subituri essent secum reputata, qui hostibus (quantum in se esset) imperio cederẽt, præsertim victores victis. Horũ igitur hominũ metu (tribuni, & vos centuriones ac milites) qui neque alijs imperare sciunt, nec ipsi parere volunt, quum multi sint & contumaces, armáque in manibus habeãt, nec antè cum hoste congredi voluimus, & ne tunc quidem audemus cũ talibus propugnatoribus de summa rerum decernere, ne alijs omni animi alacritate ac totis viribus operam reip. in prelio nauantibus impedimẽto sint, damnúmque afferant. Si tamẽ, inquiebat, illorũ quoq; mentem deus in meliorem conuertit, & iã omissis diſsidijs, ob quæ resp. multa & magna dãna accepit, &

in pacis tempus dilatis, nunc præteritam ignominiã præsenti virtute abolere volunt nihil amplius est quod nos bona spe fretos cum hoste congredi vetet. Multas autẽ & alias facultates victoriæ parandæ habemus, sed maximas ac potissimas eas quas hostiũ amentia nobis præbet, qui quum copiarum multitudine longe nos superent, & hac re sola nostræ audaciæ & peritiæ possint resistere, tamen hoc solo auxilio se ipsi priũ rint consumpta exercitus parte in munitionum præsidiis. Deinde, quum deberent cautè & prudenter omnia agere, reputantes cum talibus viris & se fortioribus rẽ sibi fore, tamẽ audacter & inconsideratè in prælium ruant quasi ipsi sint inuicti, nos verò eorũ audacia simus consternati. Illæ n. circumuallationes, & castrorũ nostrorum obequitationes. & multæ illorũ tum verbis tum factis contumeliæ hoc demonstrant. Hæc igitur cogitantes, & superiorum præliorum multorum ac præclarorum memores, in quibus eos vicistis, alacriter ad hoc quoque prælium ite, & in quo loco vnusquisque vestrum fuerit collocatus, eum sibi domum, agrum, patriámque ducat, & qui suum socium sibi in acie proximum seruarit, suæ saluti se consuluisse putet, & qui eum deseruerit, se hostibus proditum à se ipso arbitretur. Sed illud præcipuè meminerit is, virorum fortium ac pugnantium exiguum numerum cadere, inclinantium verò ac fugientium perexiguum euadere. } Hæc autem eo adhuc ad accendẽdam militum fortitudinem dicente, & multas lacrymas inter dicendũ effundente, & centurionum & tribunorum, aliorúmque militum vnumquemque, quem illustre aliquod facinus in prælijs edidisse sciebat nominatim appellãte, & multa ac magna præmia eximiæ operæ in pugna nauatæ pro

rerum

rerum gestarum magnitudine se daturum, & humana beneficia in viros fortes se collaturum pollicente, honores, diuitias, & alia commoda: conclamatum est ab omnibus eum bono esse animo iubentibus, & ad prælium se duci postulantibus. Quum autem finem dicendi fecisset, progreditur quidam ex multitudine, M. Flauoleius vir totus quidē plebeius, & opifex, non vilis tamen, sed laudatæ virtutis, & in rebus bellicis strenuus, qui vtroque hoc nomine splendidissimo honore decoratus fuerat, & præfectus vni legioni in qua sunt LX. centuriones, qui ducem suum sequuntur, eiusque imperata ex legis militaris præscripto faciunt. Hos duces, Romani patrio sermone Primipilos vocant. Iste igitur (erat autem præ cæteris magnus & egregia forma) stans in loco, vnde omnibus conspicuus esset futurus. {Propterea ne, inquit, cōsules, timetis ne facta nostra dictis non respondeant? Ego primus pro me ipse vobis promissum confirmabo, fidémque certissimam maximamque dabo, & vos ô ciues, eiusdémque fortunæ socij quotquot decreuistis facta verbis æquare, haud peccaueritis si idē quod ego feceritis.} Hæc loquutus stricto gladio, eóque sublato, iurauit iusiurandum quod apud Romanos est maximum, per bonam suam fidem, se nonnisi victis hostibus in vrbem reuersurum. Quum Flauoleius in hunc modum iurasset, multis laudibus exceptus est ab omnibus, & mox ambo cōsules idē fecerunt, & qui minores præturas habebant, & tribuni, & centuriones, & postremò reliqua militum multitudo. Hoc facto, ingens animi alacritas, & ingens ac mutua beneuolētia & audacia & robur omnes subijt. Digressiq; è conuentione, equites equos frænabāt, alij gladios lanceasque acuebant, alij scuta abstergebant, breuique

temporis ſpatio totus exercitus ad pugnã paratus fuit. Conſules autem votis, ſacrificiis, precibuſque deos precati, vt ſibi in educendis copiis duces eſſe vellent, ita decem copias egregiè inſtructas, & ordinem ſeruantes ex caſtris eduxerunt. Etruſci verò, quum eos ex munitionibus deſcendere vidiſſent, admirati ſunt, & ipſi quoque totis viribus contra eos prodierunt. Vbi verò vtrique in æquo loco conſtiterunt, & bellicum tubæ cecinerunt, pugnæq; ſignum dederunt, ſublato clamore concurrerunt, factóque impetu alij in alios, equites cum equitibus, pedites cum peditibus pugnabant, & magna vtrinque cædes facta: atque Romani qui in dextro cornu erant, cui alter conſul Manlius præerat, hoſtes ſibi oppoſitos repulerunt, & deſcendentes ex equis pedeſtrem pugnam dimittebant. Qui verò in ſiniſtro cornu collocati fuerant, à dextro hoſtium circundabantur: nam Etruſca acies ab ea parte longiùs protendebatur, alteráque non paulò maior erat. Ab hac igitur parte exercitus Romanus perrumpebatur, multáque vulnera accipiebat. Hoc autem cornu ducebat Q. Fabius cõſulis legatus & proprætor qui his conſulatum geſſerat, & diu malis reſtitit, varia vulnera accipiens: poſtremò, pectore lancea perfuſſo, & cuſpide ad viſcera vſque penetrante exanguis cecidit. M. Fabius alter conſul, hoc audito (erat autẽ in media acie collocatus) lectiſſimis cohortibus aſſũptis, & altero fratre Cæſone Fabio aceito ſuã aciem præterijt, & longiùs progreſſus, quum dextrum hoſtium cornu tranſiſſent, venit ad eos à quibus ſui circundabantur, factóque in eos impetu ingentem edidit ſtragem eorũ qui in manus incidiſſent, & eos qui remotiores erãt in fugam vertit, fratrémque nactus adhuc ſpirãtem ſuſtulit. Ille verò

quum

quum non diu superuixisset, obijt. At eius vltoribus animus multò magis creuit, & in aduersarios est incitatus, & nulla amplius ratione propriæ salutis habita, cū exigua manu in mediam confertissimamque hostium aciem facto impetu, altos cadaverum aceruos faciebant. Ab hac igitur parte acies Etrusca laborabat, & qui ante hostes reiecerant, à vicis fuerunt repulsi. At qui in sinistro cornu erant iam laborantes, & fugæ initiū facientes vbi erat Manlius, hostes sibi oppositos fugarunt. Quidā enim telum iaculatus Manlium per genu ad poplitē vsque lancea transfixit, & qui circumstabant, eum sublatum, ipsum in castra absportarunt. Hostes verò Romanorum ducem occubuisse rati correborati sunt, & quum alij ex ē ipsis tulissent Romanos duce orbatos premebāt. Itaq; rursus Fabij coacti sunt relicto sinistro cornu dextro suppetias ferre. Etrusci verò quum eos cum valido globo aduentantes vidissent, ab hoste longius insequendo desiterunt, sed densatis ordinibus acie instructa pugnarunt, & multos de suis amiserunt, multósque Romanos interfecerunt. Dum hæc geruntur, Etrusci qui castra à Manlio deserta occuparant, signo ab imperatore dato, magna celeritate magnáque animi alacritate ad altera Romanorum castra, vt præsidio non satis firmo custodita, contendebant. Nec eos fefellit opinio. Nā præter triarios & paucos alios homines iuniores, & militari robore præditos, reliqua multitudo erat mercatorum, famulorum, & artificum qui in illis erant. Ibi multis in angustum locum conclusis (nam ad ipsas portas dimicabatur) acre & atrox prælium cum magna vtrorumque cæde committitur. In hac pugna Manlius consul, qui cū equitatu opem suis tulerat, quum vnà cum equo

suo prolapsus præ vulnerum multitudine surgere non posset, moritur, & circa eum alij multi, fortèsque iuuenes. Confestim autem post cladem istam castra capta sunt, atque ita vaticinia Etruscorum irrita non fuerunt. Si igitur præsenti felicitate moderatè vti sciuissent, & capta castra custodiuissent, Romanorum impedimentis potiti fuissent, eósque turpiter abire coëgissent. Iam verò ad rerum relictarum direptionem, & plerique ad curam corporis versi, egregiam prædam quam in manibus habebant amiserunt. Vt enim alteri consuli castra expugnata nũtiatum est, eò cum lectissimis equitibus ac peditibus accurrit. Etrusci verò, cognito eius aduentu, castra militum corona cinxerunt: ibique inter eos acre prælium committitur, his res suas recuperare volentibus, illis verò ne captis castris occidione delerentur, timẽtibus. Quod prælium quum diutius protraheretur, & Etruscorum melior esset conditio, (nam de superiore loco pugnabant. idque contra homines prælij labore per totum diem continuato fessos) T. Siccius legatus cũ consule communicato suo consilio, iussit receptui cani. & ab omnibus in vnum coactis, vnã tantùm castrorũ latus oppugnari, qua parte potissimùm locus facilè oppugnari poterat. Partes verò quæ erant ad portas, verisimili quadã ratione omisit, quæ eũ minimè fefellit: eos enim ipse salutis castra deserturos existimabat. Quòd si de ea desperassent, & ab hostibus vndiq. circũdati fuissent, nullúmque exitũ habuissent, eos necessitate coactos extremam audaciam sciebat. Quũ igitur ab vna parte instituta esset oppugnatio, Etrusci haud amplius se ad resistendũ conuerterunt, sed apertis portis in sua castra se receperũt. Consul verò, hac clade depulsa, rursus subsidio ve-

nit

mit iis qui in planitie erant. Hæc Romanorum pugna fertur omnium superiorum fuisse maxima, tum hominũ multitudine, tum diuturnitate, tum fortunæ nũc his nũc illis fauentis vicissitudine. Ipsius enim validissimæ legionis milia, & cum his equites quatuor legionum. M. CC. & colonorum sociorumque par numerus. Pugnæ autẽ initium factũ est paulò ante meridiem, & prælium vsque ad solis occasum productũ est. Fortuna verò diu nũc huc nunc illuc inclinante victoria. Alterque cõsul & proprætor, quibus cõsulatũ gesserat, & alij multi duces, tribuni, & centuriones quot unquam antea, ceciderunt. Victoria tamen penes Romanos videbatur fuisse, non ob aliam causam, quàm quòd sequenti nocte Etrusci desertis castris abijssent. Postero die Romani ad direptionem rerum ab Etruscis in castris relictarũ versi, suorumque cadaueribus sepulturæ mandatis, se in sua castra receperunt. Ibi conuocata concione, iis qui egregiè operã in pugna nauarant honores fortitudinis ergò reddiderunt, primum Cæsoni Fabio consulis fratri, quod magna & admiranda facinora ediderat, deinde T. Sicinio, cuius consilio castra recepta fuerant, postremò M. Flauoleio primipilo, tum ob eius iusurandũ, tum ob eius fortitudinẽ in periculis. His peractis, & aliquot dies in castris moratis, quũ nulli amplius hostes ad pugnã prodirent domũ redierunt. Quum autẽ totus populus, vt bello felicissimè cõfecto, ob partam victoriã triumphi honorẽ consuli sustersliti de ferre vellet, ipse consul huius honoris beneficiũ recusauit, dicens nec piũ nec fas esse, in fratris & collegæ funeribus triumphare, & coronam gestare. Itaque, repositis, militibusque domũ dimissis, consu-

latu se abdicauit, quum duo menses de anno magistratu superessent: quia cõsularia munia obire nõ poterat, imma m. n. vulnere grauiter laborabat, ita vt in lecto iaceret.

3 ¶ QVVM autem senatus interreges comitiorum causa creasset, & secundus interrex populũ in campum Marcium cõuocasset, Cæso Fabius, ille qui ob fortitudinẽ suã præmia ex prælio reportarat, quiq. erat fratter eius qui consulatu se abdicarat, tertium cõsul est creatus, & cum eo T. Virginius. Isti sortiti inter se copias, ad militiam sunt profecti obtigitque Fabio bellum cõtra Æquos qui Latinorum agros populabantur: Virginio, contra Vientes. Æqui igitur quũ copias contra se venire cognouissent, propere castra ex hostico motis, se in sua oppida receperunt: deinde passi sunt agros diripi, ita vt consul multis pecuniis, multis captiuis prædaque ingenti suo repentino aduentu potitus fuerit. Quum autem Vientes principio se mœnibus continerent, vbi se opportunam occasionẽ nactos existimarunt, hostes per cãpos dispersos & in prædæ direptionem intentos aggressi sunt. Cum ingentibus autẽ & bene instructis copiis impetũ in eos fecerunt, prædámque eripuerunt, & eos qui secum congredi ausi fuerãt partim occiderunt, partim in fugam verterunt: & nisi T. Siccius, qui tunc legatus erat, cum instructa peditum equitumque manu suis celeriter succurrẽs eos repressisset, nihil vetare potuisset quin totus exercitus deleretur. Sed illius interuentu reliquis qui dispersi erant se in vnum celeriter colligendi facultas est data, atque omnes in vnum coacti tumulum quẽdam sub crepusculum vespertinum occuparunt, & in eo sequutam noctẽ manserunt. At Vientes victoria elati prope tumulũ castra posuerunt, aliósque ex vrbe accia-

uerunt,

uerunt, quasi Romanos in loco cõclusissent, in quo nullos commeatus essent habituri & quasi eos breui arma tradere coacturi essent. Itaque, quũ ingens turba eò confluxisset, bina castra fecerunt ad tumuli latera quæ expugnari poterant, & in locis parum opportunis multa alia minora præsidia collocarunt, omniaque armatis militib. replerunt. Sed alter consul Fabius acceptis à collega literis, vbi cognouit eos qui in tumulo obsidebantur, in extremo periculo versari & verendum esse (nisi quis ocius ipsis auxiliũ ferret) ne fame expugnarẽtur, motis castris, contra Veientes celeriter copias duxit, & si vna die tardiùs itinere confecto eò venisset, nihil suis profuisset sed illũ exercitũ deletum reperisset. Quum enim ij qui in tumulo erant inopia rerum ad victum necessariarum premerentur, prodierant ad pugnam vt honestissimo mortis genere morerentur, & maxima eorum pars cum hostibus congressa pugnabat: corporibus defatigatis fame, siti, vigiliis, aliisque incommodis. Sed quum non multò post Fabij exercitus ingens, & acie instructa aduentans conspectus fuisset, hoc Romanis audaciam, hostibus verò timorem attulit. Itaque, Etrusci haud ampliùs se pares esse rati, qui cum validis ac recentibus copiis confligerent, castris desertis abierunt. At Romani, postquã vterque exercitus in vnum conuenit, ampla castra propè vrbem Veientum in loco munito posuerunt, ibique multis diebus consumptis, & præstantissimam agri Veientani partem populati, copias domum reduxerunt. Veientes verò vbi cognouerunt Romanorum copias dimissas, cum expedita iuuentute, tum sua, quam instructam duobus ãtibus ea, quæ à finitimis populis missa aderat, in cãpos suo agro finitimos irruptionem fecerũt, eósq. refertos

frugibus pecore, & hominibus diripuerunt: coloni enim ex castellis ob pecoris pabulum & agriculturam descēderant: quod suis copiis castra in hostico habētibus frequentes essent, nec post earum discessum ocius se iterum cum suis rebus in tutum receperant, quòd nunquam putassent Veientes tot malis afflictos tā celeriter hostes adoriri ausuros, vt & ipsi suas iniurias vlciscerentur & parem gratiā illis referrent. Hæc irruptio quam Veientes in agrum Romanū fecerunt, tēporis spatio breuis illa quidē fuit, sed tamen maxima ob amplitudinē agri, quē vsque ad Tiberim flumen & montē Ianiculū, ne viginti quidē stadia ab vrbe distantē, percurrerūt: atque dolorē cum ignominia insueta pop. Rom. attulit. Illæ enim hostium excursiones, ne vlterius progrederentur, prohiberi non poterāt, quòd nullus exercitus sub signis esset: Veiē tum enim exercitus priùs irruptionem fecerat quàm Romani conuenirent & centuriarentur. Postea senatu à consule conuocato & habita consultatione de modo belli cum Veientibus gerendi, ea sententia vicit, vt præsidia in agri Romani finibus disponerētur, quæ foris manerent, & agrum tutarentur, sempérque in armis essent. Sed eos angebant sumptus maximi, qui in præsidiarios milites faciendi erant, tū q̄ ærariū continuis expeditionibus esset exhaustū, tū q̄ homines priuati de suis facultatibus tributa conferre amplius non posset, & multò magis hoc eos torquebat, quòd nō modo præsidiarij milites, qui mittenda erant, esset conscribendi, q̄ nulli esset, qui sponte pro omnibus ad eā militiam offerrent, in qua non pervices, sed continenter ærumnas essent perpessuri. Quum igitur ob hanc vtranque causam mœror senatum detineret, Fabij totā suā gentē conuocarunt, & postquā hoc de re

dere cum ea consultarunt, senatui polliciti sunt se vltrò hoc periculum pro salute publica subituros & se cũ clientibus amicisque suis toto belli tempore suis sumptibus militaturos. Quum autem omnes generosam eorum promptitudinem admirati fuissent, totámque victoriæ spẽ in hoc vno collocarent, illi tota vrbe clari & celebres sumptis armis & votis sacrificiisque factis, ex vrbe sunt egressi. Præerat autem ipsis M. Fabius qui superiore anno consul fuerat, & Etruscos prælio vicerat. Secum ad summum quatuor hominum millia adducens, quorũ maxima pars erant clientes & sodales: ex ipsa verò Fabia gente erãt trecenti & sex viri. Eos autem non multo post sequutus est & Romanorum exercitus, Cæsonis Fabij alterius cõsulis ductu. Quum autem ad fluuium Cremeram appropinquassent, qui non procul à Veis abest, in quodam tumulo præcipiti ac prærupto, castellum quod tantum exercitum tutari posset, communiuerunt, duplicique fossa id circundederunt, crebrásque turres in eo erexerant: cui ab ipso fluuio inditum nomen Cremerei quod opus, quum à multis operis & ipso consule adiuuante fieret, opinione citius est absolutum. Postea eductis copijs profecti est ad alteram agri Veientani partem, quæ ad reliquam Etruriam est conuersa, vbi erat Veientiũ pecus, quòd illi nunquam eò Romanum exercitum venturum putassent. Intentum abegit, lætus ob eam prædam duabus de causis, tum quòd citò hostes esset vltus, tum etiam quòd præsidiarijs castelli militibus magnam rerum copiam esset daturus: nihil enim in publicum retulit, nec priuatis militibus diuisit: sed pecus, iumenta, & boum iuga & ferramenta & reliqua instrumenta ad opus rusticum idonea, regionis

circuitoribus ac propugnatoribus est largitus. His peractis copias domum duxit. Cæterùm, cum Veientibus post eum locum communitum valde malè agebatur, quòd nec agros tutò colere, nec commeatus extrinsecus in agrum suum importatos recipere possent. Nam Fabij copiis quadrifariam diuisis, vna parte castellum custodiebant, reliquis tribus hostium agrum perpetuò populabantur. Et, quum sæpe Veientes eos apertè non parua manu adorti fuissent, eósque in loca insidiis obsessa attraxissent, vtroque modo superiores euaserunt, multisque cæsis se tutò in suum castellum receperunt. Itaque, hostes ne congredi quidem cum ipsis amplius audebant: sed plerunque se intra mœnia continebant, & nonnisi furtim prodibant, atque ita hyems illa exacta est.

4 ¶ ANNO sequenti L. Aemilio C. Seruilio consuntiatum est Romanis Volscos & Aequos fecisse fœdus & vno eodémque tempore copias contra eos educere decreuisse, & breui in agrum facturos irruptionem, & verus erat nuntius. Omnium igitur opinione citius vtrique cum suis copiis finitimos agros vastabant, existimantes fore vt Romani & bello Etrusco resistere, & suum impetum sustinere non possent. Rursus alij nuntiabant totam Etruriam in bellum contra ipsos conspirasse, & parat. esse commune auxilium Veientibus mittere. Veientes enim, quum domesticis viribus castellũ illud excindere non possent, ad eorum opem confugerunt, cognationẽ & amicitiam illis commemorantes, & quæcunque bella communibus auspicijs essent gesta, recensentes: & pro his omnibus hoc postulantes, vt se in bello contra populum Rom. adiuuarent, quòd ipsi toti Etruriæ oppositi essent, & bellum à populo Romano illatũ, ab omnibus eius gẽtis

populis

populis auerterent. Etrusci verò eorum oratione adducti copias quantas petebant ipsis subsidio se missuros promiserunt. His cognitis, senatus tres exercitus emittere decreuit, & copiis celeriter conscriptis, L. Aemilius in Etruscos est missus. & cum eo profectus est Cæso Fabius, quinquies se magistratu abdicarat, impetrata à senatu venia vt sibi liceret esse cum suis gentilibus, qui erant Cremeræ, quos frater suus ad illius castelli præsidiũ eduxisset, vtque eorundem certaminum aleam subire sibi permitteretur, & cum suis sociis proconsulari potestate ornatus exiuit. Alter consul, C. Seruilius in Volscos duxit exercitum: at Seru. Furius proconsul in Aequos. Vtrumquenque eorum duæ legiones vrbanæ, & Latinorum ac Hernicorum, aliorumque sociorum copiæ Romanis non minores sequebantur. Seruius autem proconsul bellum feliciter & ex animi sententia ac celeriter confecit. Vno enim prælio Aequos fudit, fugauitque, idque sine vllo negotio hostibus suo primo aduentu perterritis. Deinde, quum illi in munitiones suas confugissent, eorum agrum vastauit. At Seruilio alteri consuli præproperè ac temerè cũ hostibus congresso res valde præter expectationem succesit, quia Volsci valde strenuè ei restiterunt. Itaque, coactus est multis & fortibus viris amissis, cũ hostibus amplius non congredi, sed in castris se continere, & velitationibus, ac leuibus ferendarior um prælijs bellum trahere statuit. At L. Aemilius contra Etruscos missus, exercitum Veientium ante ipsam vrbem nactus, & cũ ipsis multas auxiliares copias ab eiusdẽ gentis populis missas, nihil amplius cũctatus, rẽ est aggressus: vnusq; dierum spatio, ex quo castra metatus fuerat intermisso, copias in prælium eduxit, Veientibus audacissimè manus con-

ſerentibus. Quum autem æquo marte certaretur, equitatum in dextrũ hoſtium cornu immiſit, quo perturbato in alterum cõtendit, & ex equo pugnabat vbi loci natura id patiebatur: vbi verò non ferebat deſiliens ex equo pugnã pedeſtrem committebat. Laborante autem vtróque cornu, ne media quidem acies amplius hoſti potuit reſiſtere: ſed à peditatu loco eſt pulſa: ac mox omnes in caſtra fugerunt. Æmilius verò fugientes inſequebatur inſtructa acie, multóſque interfecit. Quũ autem ad caſtra acceſſiſſet, inſtituta eorum per vices oppugnatione totam illum diem & noctẽ ſequentem ibi manſit. Poſtero die hoſtibus labore, vulneribus, vigiliiſque defatigatis, caſtris potitur. Etruſci enim vbi viderunt valum iã à Romanis tranſcendi, deſertis caſtris partim in vrbem, partim in proximos montes fugerunt. Eo igitur die conſul in hoſtium caſtris manſit. Poſtridie verò, eos qui egregiam fortémque operam in prælijs nauarant, coronis doniſque ſplendidiſſimis donauit, omniáque iumenta & mancipia in caſtris relicta, & tentoria multis bonis referta militibus in prædam conceſſit. Romanúſque exercitus tunc tantis diuitiis, quantis nunquam aliàs in vllo prælio eſt ditatus. Nãgens Etruſca vitæ genus delicatum ac ſumptuoſum, & domi & militiæ degere conſueuerat, quippe quæ præter res neceſſarias luxus etiam & artificij variam ſuppellectilem ad voluptates & delicias elaboratã circumferret. Sequentibus diebus Veientes, iam fracti malis, ciuiũ maximos quoſque natu ad conſulem more ſupplicum ornatos legarunt, vt cum eo de pace agerent. Hi lugentes & ſupplices orantes, & alia quæcunque vim conciliandæ miſericordiæ habent, cum multis lacrymis commemorantes, impetrarunt à conſule vt ſibi liceret legatos Romam ad

ad senatū de pace acturos mittere. Interim verò dū legati responsum referrēt, ab omni maleficio & agri sui vastatione milites abstinerēt. Quę vt sibi concederentur, fiumētū duorū mensiū & stipendiū sex mensiū, prout victor imperarat se Romano exercitui daturos sunt polliciti. Cōsul iis allatis & acceptis, & inter milites diuisis, inducias eū illis fecit. Senatus verò audita legatione & acceptis à cōsule literis multū rogante & suadente vt quàm celerrimè bellū quod gerebatur cum Etruscis deponeretur, hostibus pacē quā petebant dare decreuit: sed quibus conditionibus hæc fieret, L. Aemiliū consulē prout ei optimum esset visum, statuere iussit. Consul hoc responso accepto, fœdus cum Veientibus fecit data illis pace, in qua maiorem rationem lenitatis quàm vtilitatis populi victoris habuit. quòd nec partem agri illis ademisset, nec vllam aliam pecuniarum mulctam irrogasset nec acceptis obsidibus fidem pactorum confirmasset. Hoc ei magnam conciliauit inuidiam effecitque vt gratia, ac honore debito ob rem feliciter gestam à senatu fraudaretur. Ei enim triumphum petenti tines aduersati sunt, obiicientes arrogantiam quod leges fœderis non de communi sententia viri eis imposuisset. Sed ne eam rem iniquo animo ferret, nè quo id in suam contumeliam factum putaret, decreuerunt vt copias in Volscos duceret, vt collegæ auxilium ferret, si posset, illo bello feliciter confecto (erat enim vir admodum fortis) indignationem ob priora peccata meritam abolere. At ille hanc ignominiam iniquo animo ferens, apud populum vehementer in patres est inuectus, qui bello Etrusco finem impositum molestè ferrent. Hoc autem illos insidiosè & in contemptionem pauperum facere dicebat, ne bellis externis liberati agros pro

missos reposcerent, toties iam eorũ fallaciis decepti. Quũ autem ira impotenti actus, his & multis huiusmodi probris patricios aspersisset, ac insectatus fuisset, dimisit exercitum qui secum ad militiam venerat. & Furij proconsulis copias, quæ in Aequis erant, accersitas, domum suã dimisit, quo facto tribunis magnam senatus in concionibus accusandi, & dissidia inter pauperes & diuites libere serendi materiam præbuit.

5 ¶ ANNO sequenti consules creati C. Horatius & T. Menenius septuagesima sexta olympiade, qua vicit in stadio Scamander Mitylenæus, archonte Athenis Phædone. His principio ciuili tumultu impediti fuerunt quominus rempub. gererent, quia plebs irritata erat, nec quidquam aliud quod ad rempu. pertineret fieri sinebat, priusquam ager publicus diuideretur: sed tandem postea illi qui motus ciebant & tumultus excitabant, necessitati cesserunt, & spõte ad militiam sunt profecti. Nam Etruscorum undecim populi pacis expertes, habito communi totius gentis concilio, Veientes accusabant quòd non de communi sententia pacem cum pop. Rom. fecissent, & alterutrum eos facere postulabant, vel fœdus cum Romanis ictum frangere, vel cum illis contra se bellum gerere. At Veientes pacis necessitatem excusabant, remque in publicum proponebant, vt concilium dispiceret, & cõsultaret quónam modo pacem honestè possent frangere. Tunc quidam subijciens, monuit posse eos hoc facere, si de Cremera castello contra se communito, & de præsidio ex eo non abducto quererentur, suasit igitur vt verbis orarent illos vt castellum relinquerent, quod nisi ipsis persuasissent, castellum obsiderent, atque inde bellum auspicarentur. Quum autẽ omnes de communi sententia hoc de cre-

decreuissent, ex concilio discesserunt, nec multo post Veientes missa legatione ad Fabios castellum ab illis reposcebant, & tota Etruria in armis erat. Hæc vbi ex ipsorum Fabiorum literis Romani cognouerunt, decreuerunt vt ambo consules ad bellum proficiscerentur, tum ad hoc nouum Etruscum quod sibi inferebatur, tum ad illud, quod iam cum Volscis gerebatur. Horatius igitur cum duabus legionibus, & satis firmis aliorum sociorum auxiliis contra Volscos profectus est. At Menenius cum pari copiarum numero in Etruscos erat iturus: sed dum se parat: & tempus terit, interim præsidium quod Cremeræ erat ab hostibus celeriter est expugnatum, & Fabia gens deleta. De illorum autem clade duplex est opinio, vna minùs probabilis, altera quæ ad veritatẽ propius accedit Vtranque tamen, ita vt accepi afferam. Quidam dicunt instante patrio sacrificio, quòd à gente Fabia faciendum erat, eos cum paucis clientibus ad sacra exisse, & eò iussisse nec itineribus antè explo-ratis, nec sub signis acie instructa sed segniter & incautè, vt pacis tempore, & per amicum agrum iter facientes Etruscos verò, quum eorum profectionem præsensissent, cum parte copiarum in via ipsis insidias struxisse, cum reliqua verò parte instructa non multò post sequutos. Quum autem Fabij ad insidias accessissent, tunc Etruscos ex insidiis surrexisse, & in eos impetum fecisse, alios à fronte, alios à lateribus & paulò post reliquas Etruscorum copias à tergo adactas fuisse, eósque vndique circumuentos partim fundis, partim sagittis, partim iaculis, & lanceis ab hostibus ad eos collineantibus petitos, telorum multitudine omnes ab illis confixos atque obrutos fuisse. Atque hæc quidem opinio minùs probabilis mihi

videtur, neque enim verisimile est sacrificij caussatos viros, quibus sub signis erant, sine senatus consulto in vrbem ex castris redire ausos fuisse: præsertim quum ea sacra per alios gentiles ætate iam proiectiores peragi possent. Quamuis autem omnes ex vrbe abiissent, nec vlla gentis Fabiæ portio domi relicta fuisset, tamen non est verisimile omnes qui illud castellum tenebant, eius custodiam deseruisse. Satis enim fuisset, si tres quatuorue eò profecti, pro tota gente sacra fecissent. Ob hasce igitur causas hæc opinio parùm probabilis mihi videtur. Altera verò quam ad veritatē propiùs accedere puto, de illorum virorum internecione, & de illius castelli oppugnatione, hæc est. Quum illi sæpius prædatum exirent, & cohortes successibus secundis inuitatæ continenter procederent vlterius, Etrusci parato ingenti exercitu clam hostibus in proximis locis castra posuerunt, deinde ex castellis greges ouium, & armenta boum & equorum ad pascua emittentes, hoc modo ad prædam viros allectabant. Illi verò egressi pastores cōprehendebant, & pecus abigebāt. Quod quū sæpius Etrusci facerent & hostes semper longius à castris attraherent, vbi eorum mentem peruerterunt, ita vt illi quid sibi tutū esset amplius non prospicerent, continua prædatis nescatis, noctu in locis opportunis insidias collocarūt, & alij speculas campis imminentes occuparunt. Postridie verò præmissis paucis quibusdam militibus armatis, quasi ad pastorū præsidium, multos greges ex castellis emiserunt. Quum autem nuntiatum Fabiis eos superatis proximis collibus exiguo temporis spatio campum vario pecoris genere plenum inuenturos: idque non satis valida manu custoditum, prodierunt è castello præsidio, quantum satis esset,

tis esset. ibi relicto: & itinere properè & alacriter cõfecto, acie instructa ex improuiso in cõspectũ custodiũ pecoris ve nerunt. Illi verò nõ expectato illorum impetu fugerunt. At Fabij quasi iã essent in tuto, & pastores cõprehendebant, & pecus abigebant. Interea verò Etrusci in multis locis ex insidijs insurgentes, undique in eos impetũ faciũt, & quũ plerique Romanorũ essent dispersi, nec sibi inuicẽ possent succurrere, ibi interierunt. At quotquot eorum cõglobati erant, quũ magna animi contentione conarentur locum tutum occupare, & ad mõtes properarent, in alias insidias ineiderunt, in syluis & saltibus subsidentes. Ibi acri pugna commissa magna utrinque cædes facta. Tamen & hos qui cum ipsis congressi erant repulerunt, & tota acie cadaueribus repleta, cursũ in collẽ non facile expugnatu euaserunt, ubi sequentẽ noctẽ sine cõmeatibus egerũt. Postero die quũ ij qui castelli præsidio relicti fuerant suorũ cladẽ cognouissent, & maiorem exercitus partem in rapinis ac præda cæsam, præstantissimam verò in monte obsideri, in loco deserto conclusam, & nisi maturè illis subueniretur, fore vt victus inopia citò expugnarentur, exierunt magna festinatione, per paucis ad castelli præsidium relictis. Hos Etrusci priusquam se cum aliis coniungerent, ex castellis decurrentes circumdederũt, eosque post multa fortia facinora ab ipsis edita ad vnum omnes tandem interfecerunt. Nec multo post illi etiam qui tumulum occuparant, quum fame & siti premerentur, cum hostibus confligere decreuerunt, paucique in multos facta impressione à matutinis horis ad noctem vsque pugnarunt, tantámque hostium ediderunt stragem, vt cadauerum acerui multis in locis fusi illis impedimento essent quominus pugnarent. Etrusci verò amissa amplius

tertia exercitus parte, & reliquis tumentes, pugna ad exiguum tempus intermissa, signóque receptui dato, caduceatores ad illos miserunt, fidem publicam tutúmque transitum ipsis pollicentes, si arma deponerent, & castello decederent: quas conditiones quum illi non admitterent, sed fortiter mori mallent instaurato prælio, per vices eos aggressi sunt, non amplius stataria pugna, nec comminus pugnantes: sed omnes eminus lanceis lapidibúsque eos petentes, telorum verò multitudo erat instar niuis hybernæ, quæ confertim cœlitus cadit. At Romani milites in globos condensati, in eos suum impetum non sustinentes irruebant, & multa vulnera à circumstantibus undique hostibus illata perferebant. Sed quum gladij iam multis nullum afferrent usum, partim acie hebetati, partim fracti quinque clypei undique perforati essent, & plerique exangues & telis confossi, membríque præ multitudine vulnerum dissolutis ac languidi starent, Etrusci, iis contemptis manus cum ipsis conserruerunt. At Romani ferarũ ritu proruentes, eorũ hastilia prehendebãt, eáque perfringebant gladiósque per ipsas acies prehendentes, illis extorquebant: quidã etiam ex ipsa strage surgẽtes, seseillis immiscebãt, animis magis quàm viribus pugnantes. ita vt hostes cũ illis amplius congredi non auderent, tum eorum pervicacia territi, tum etiã desperationem vitæ in quam illi venerant formidantes: sed iterum eminus omnes conferti, & fustibus, & lapidibus aliísque telis, quæcunque se ipsis obtulissent, eos peterent. Quare, tandem eos telorum multitudine obruerunt. Quibus cæsis cursu ad castellum contenderunt illustrissimorum virorum capita præferentes, vt primo impetu præsidiarios ad deditionem compulsuri. Haud tam

tamen res illis succ̃ssit vt sperarant. Nam qui in eo fuerant relicti, æmulatione mortis generosæ aliorum suorum que gentilium accensi perexigui numero prodierunt, & post longum certamen eodem modo quo alij omnes, ad vnum interierunt, castellum verò desertum Etrusci ceperunt. Hæc igitur opinio mihi multò probabilior quàm prior videtur, vtranque tamen scripta Romanorum fide digna memoriæ prodiderunt. Quod verò nonnulli his addunt, quanuis nec verum nec verisimile, sed quibusdam rumoribus à veritate alienis sit fictum, tamen operæpretium fuerit hoc discutere nec silentio præterire. Nõ nulli enim dicunt, CCCVI. Fabiis cæsis ex tota gente vnicum puerum relictum, rem non solum incredibilem, sed etiam quæ fieri non potuit, introducentes: nec enim fieri poterat vt omnes Fabij, qui in illud castellum ierant essent sine liberis & cœlibes, nam prisca eorum lex cogebat eos qui per ætatem possent vxores ducere, & vt omnes liberos susceptos educarent necesse erat, quam legem diligenter vsque ad ætatem suam à maioribus seruatam haud quaquam soli Fabij contempsissent. Sed sique hoc quoque concedat, illud tamen non etiam concedet, ne fratres quidem vllos ætatis adhuc teneræ illis fuisse. Hæc enim fabulis & figmentis theatricis sunt similia. Patres verò eorum, qui per ætatem adhuc liberos procreare poterãt, in tanta suæ gentis orbitate, nónne volentes & nolentes alijs liberis procreandis operam dedissent, tum ne sacra gentilia interirent, tum etiam ne gentis huius tanta gloria periret. Quod si ne vllis quidem eorum patres reliqui erant, sed omnes in illorum trecentorũ & sex Fabiorũ numero erant, fieri tamen nõ potest quin saltẽ infantes aliqui fuerint illis reliqui aut vxores

grauidæ, aut fratres impuberes, aut patres ætatis iam integræ. Hoc igitur modo hanc opinionem examinans, eam minimè veram credo, sed illam veram esse puto, quòd in trium fratrum Cæsonis, Marci & Quinti domo per septennium consulatus fuerit continuatus soli Marco filiolum superstitem fuisse, atque has intelligi Fabiæ gentis reliquias nihil vetat. Quòd autem nullus alius amplius insignis & illustris fuerit præter hunc vnum iam adultum, hinc multorum opinionem natam arbitror, quòd solus ille ex gente Fabia fuerit reliquus, non quòd nullus alius prorsus fuerit relictus: sed quod nullus illis posterà similis fuerit, quia cognationis coniecturam illi non ex natura sed ex virtute faciebant, atque de his hæc dixisse sit satis. Etrusci igitur Fabiis cæsis captóque Cremeræ castello, copias ad alium Romanorum exercitum duxerunt. Alter autem consul Menenius non procul inde castra habebat in loco parum tuto: & quando Fabia gens cum suis clientelis periit, circiter triginta stadia aberat, ab eo loco vbi clades ea est accepta, effectique vt multi crederent, cum cognito ingenti Fabiorum periculo, tamen id neglexisse, quòd virtuti & gloriæ eorum inuideret. Quapropter postea à tribunis in ius vocatus ad causam dicendam, hac potissimùm de causa damnatus est. Vehementer enim pop. Rom. tot taliúmque virorum eximiis virtutibus prædorum iacturam luxit, & quidquid talis eorum cladis causam præbuisse videbatur, implacabili odio est persequutus. Illum autem diem quo clades ea est accepta, inter atros & nefastos retulit, nec vllum opus bonæ religione infortunij, cladisque tunc acceptæ motus hoc die suspiceretur. Etrusci verò vbi ad Romanos accesserunt, conspectis eorum castris (erant enim sub mõtis latere) du-

cis

cis imperitiam contempserunt, oblatoq; sibi à fortuna beneficio lubenter sunt vsi. Et mox cum equitatu, ab altero colles latere nemine prohibente, in verticem euaserũt, occupatóque capiti Romanorum imminente collis cacumine, in eo castra posuerunt, & reliquis copiis eò tutò adductis castra vallo alto & profunda fossa munierunt. Sic igitur Menenius animaduertisset sua culpa hostium conditionem multò meliorem esse factam suiq; erroris, pœnitentia ductus in locum tutiorem copias traduxisset, sic piens fuisset. Iam verò quia pudendũ ducebat videri peccasse & quia sua arrogantia erga eos qui aliter monebant vtebatur, in cladẽ verè pudendam incidit. Namquum hostes è locis superioribus semper egrederentur, plerumque longè meliore conditione erant quàm aduersarij, & commeatus, qui ad eos à mercatoribus apportabantur, intercipientes, & pabulatores aquatoresq; adorientes: eóque redegerunt consulem, vt nec tempus, nec locum, in quo pugnam commodè committeret, arbitratu suo posset eligere. Quę magna ducum imperitiæ indicia videntur. At hæc vtraque Etrusci habebant, prout volebant. At ne tunc quidem Menenius castra inde mouere voluit: sed spretis iis, qui rectè monebant, copias eductas ad pugnam instruxit. Etrusci verò huius imperatoris amentia præclaram magnæ felicitatis parandæ occasionem sibi oblatam existimantes, è vallo descenderunt numero duplò maiore quàm hostes: vt verò manus conserere cœperunt, ingens Romanorum cædes est facta, quia ordines seruare non poterant. Etrusci enim eos propellebant, tum quia loci natura iuuabantur, tum etiã quia sui à tergo illos vrgebant: nam acies eorum in loco valde declini in longitudinẽ instructa erat, quòd col-

lis angustiis coarctaretur. Cæsis autem nobilissimis centurionibus, reliquus Romanorum exercitus inclinatus, fuga vallum petit, illi verò sequebantur, & signa illis abstulerunt, & saucios cõprehenderunt, & cadaueribus potiti sunt, eosq; in castra cõpulerunt, & ea obsidere cæperunt, & oppugnatione per totum reliquum diei spatiũ continuata & ne noctu quidem intermissa, ceperunt castra à militibus deserta, & multa mancipia multasq; pecunias in suam potestatẽ redegerunt. Qui enim fugerant, hæc absportare non potuerant sed satis habuerant corpora ipsa seruare, pleriq; ne armis quidẽ seruatis Romani verò qui in vrbe erant, & suorum clade & castrorum expugnatione cognita (qui enim ex illa ingenti strage primi euaserant ante lucem venerunt) ingenti tumultu (vt verisimile est) perturbati sunt. Nec aliter quàm si mox mox hostes contra se essent venturi, correptis armis alij muros corona cingebant italij, pro portis se collocabãt, alij loca vrbis edita occupabant. Tota autem vrbe discursus incompositus erat, & clamor confusus audiebatur, superque ædium tectis tota domestica turba ad resistendum & dimicandum parata erat, & ignes continuati vt potè in obscura nocte, & cubicula tectáque tot facibus colluceb.ant, vt eminus intuentibus splendor continuatus esse videretur, & speciem incensæ vrbis haberet, & si tunc Etrusci præda castrorum contempta vestigia fugientium sequuti fuissent, totus ille exercitus, qui contra eos profectus fuerat, deletus fuisset. Iam verò ad direptionem impendimentorum in castris relictorũ conuersi, & corporũ quieti se dantes, ingenti gloria se ipsi fraudarunt. Postridie verò copias Romam versus duxerũt, & quũ circiter sexdecim stadia ab vrbe distarent, mõtẽ Ianiculum,

niculum, vnde vrbs conspiciebatur, occuparunt, inde profecti, agrũ Romanum populati sunt nemine prohibente, cum magna vrbanorũ contumelia, donec alter consul cũ copiis ex Volscis rediret. Tunc demum Romani se in tuto esse rati, armata iuuentute vrbana, ex vrbe in campos apertos exierunt. Quũ autẽ primò prælio, octauo ab vrbe stadio ad Spei cõmissa hostes vicissent ac profligassẽt, quique iterũ ad Collinam portã Etruscis cum maiore exercitu contra se profectis altero prælio facto egregiè diminassent, respirarunt & ex pauore se receperunt. Atque hic annus abiit.

6 ¶ ANNO sequenti, circiter solstitiũ æstiuum, sexti li mense, cõsulatum inierunt viri rei militaris periti, Sp. Seruilius, & A. Virginius: quibus bellum Etruscũ, quãuis graue esset, tamen leue videbatur cum rebus vrbanis collatum. Nã quum superiore hyeme nulla semẽtis in agro fuisset facta, ob montẽ proximum ab hoste occupatũ ac munitum & ob cõtinuas excursiones: ac ne externi quidem cõmeatus à mercatoribus ampliùs in vrbẽ importarentur, vrbs magna inopia frumẽti laborauit: quia & domestica turba & multitudine eorum, qui ex agris eò confluxerant, referta erat. Nã (vt ex proximo censu cõpertum est) erant puberum Romanorũ capita ampliùs quàm centũ & decẽ millia, mulierum verò & puerorum & seruitiorum domesticorum & negotiatorum & inquilinorum opificum sordidas artes exercentium (nulli enim Romano aut cauponari, aut exercitia sordida exercere licebat) numerus triplò maior erat quàm ipsa ciuium multitudo, quos difficile erat consolari, siquidẽ hac ipsa de causa indignabantur, & in forum concurrebant, & magistratus magnis clamoribus accusabant, cateruatim in-

diuitum ædes irruebant, eorumq. alimenta in cellis penariis recõdita, sine pretio diripere conabantur. Tribunique rò, eos ad concionem cõuocando, & patricios incusando, vt eos qui semper aliquid mali contra pauperes molirentur, & omniũ malorum, quotquot vnquã accidissent, quæ hominibus inopinata & ineuitabilis fortunæ vis afferre solet, illos autores vocando, plebeios exasperarunt, & insolentes reddiderunt. In tam misero rerum statu consules miserunt cum ingenti pecunia homines qui frumentum ex propinquis locis coemerent: & imperarunt vt omnes qui in suis ædibus plus frumenti repositi haberent quàm quanto ad modicum ipsorum victum opus esset, id in publicum conferrent: pretiumq; iustum statuerunt. His igitur & multis aliis istiusmodi artibus pauperum iniurias repressierunt, animósq; iterum ab bello apparatum conuerterunt. Quum autẽ externi cõmeatus tardiùs afferrentur, & omnia domestica cibaria absumpta essent, nec vllo alio modo malũ vitari posset, sed alterutrũ necessario esset illis faciendum, aut totis viribus periclitandũ, vt hostes ex agro Romano expellerent aut fame & seditione absumptis pereundum, si intra muros se continerent, leuius malum eligentes statuerunt se externis hostiũ periculis obiicere. Itaq; eductis ex vrbe copiis, circa mediã noctẽ flumen ratibus traiecerunt, & antequam dies clara illucesceret, propè hostes castra posuerunt. Postridie verò progressi, exercitum ad pugnam instruxerunt. Dextrum autem cornu à Virginio, læuũ à Seruilio ducebatur. Etrusci verò quum eos ad prælium paratos vidissent, vehementer lætati sunt: quasi si ipsis vnum illud certamen exanimi sententia succesisset, Romanum imperium euersum iri essent, quòd scirent totum imperij robur militare ad id certa-

certamen venisse, & spem concepissent valde vanam se facilè victoriam ab illis reportaturos, quòd Menenij copias in loco angusto ac iniquo secum cõgressas vicissent. Commisso igitur acri & diuturno prælio, multis Romanis cæsis, sed longè pluribus de suis amissis, se in castra recipiebant. Virginius verò, qui dextrum cornu ducebat, suos vlterius hostem insequi non sinebat: sed eos hortabatur vt præsenti successu contenti essent. At Seruilius alteri cornu præfectus, cum suis eos qui sibi erant oppositi longè est insequutus: vt verò ad loca accliuia venerunt est, Etrusci conuersi succurrente & castrorum præsidio impressionem in eos fecerunt. Illi quum aliquantisper eorum impetum sustinuissent, terga verterunt, & quum per declinia collis loca hostis eos persequeretur, quinq. sparsi essent, passim cædebantur. Vbi verò Virginius cognouit casum exercitus qui in læuo cornu erat, omnes copias acie instructa per montẽ transuerso itinere duxit. Quum autem à tergo hostium suos insequentium veniisset, partem exercitus ibi reliquit, vt prohiberet ne qui è castris ad suppetias suis ferendas erumperent, at cũ reliquis copiis ipse hostes inuasit. Interea & Seruilius resumptis animis ob suorum aduentum conuertunt se, & repressa fuga pugnant. Etrusci verò ab vtrisque circumuenti, quum neque vlterius possent perrumpere ob oppositam aciem, neque retrò in castra fugere, ob eos à quibus à tergo vrgebantur, plerique miserè contrucidati sunt. Quum autem Romani miserandã victoriam adepti fuissent, & prælium parum lætum exitum habuisset, consules castris ad ipsam stragem positis, sequẽtem noctem ibi transegerunt. At Etrusci qui Ianiculum montem tenebant, quum nulla auxilia domo venirent, id castellũ re-

linquere decreuerunt, & noctu motis castris Veios profecti sunt, quæ vrbs Etruscorum erat ipsis proxima: Romani verò castris eorum potiti, diripuerunt omnia impedimenta quæ ibi fuerant relicta, quòd in fuga portari nõ potuissent, multósque saucios ceperunt, alios in tentoriis relictos, alios passim toto itinere stratos. Quidã enim patriæ desiderio cæteros sequi enitebantur, & supra vires sequendo, dolores perferebant, deinde quum membra eorum grauarentur, semimortui in terram decidebant, quos Romanorum equites longiùs progressi susceperunt, & quum nulli amplius apparerent hostes, dirutis illius castelli munitionibus cum spoliis in vrbem redierunt, allatis cadaueribus eorum qui in prælio ceciderant, miserabile toti ciuitati spectaculum, tam ob ingentem numerũ quàm ob insignem virtutem eorum qui interierant, ita vt populus nec lætari vellet, quasi res feliciter gestas, nec lugere quasi ingens & insanabilis clades esset accepta. Senatus tamen diis supplicationes necessarias decreuit, at consules triumphi honorem ob partam victoriam negarunt. Paucis post diebus vrbs variis commeatibus est repleta, quia & legati à Repub. missi, & frumentarij negotiatores magnam vim frumenti in vrbem importarũt, itaque omnes pristina annonæ vtilitate denuo frui cæperunt. His autem bellis externis finitis, seditio ciuilis, tribunis plebem rursus turbantibus iterum est accensa. Ac cæteras quidem eorum ciuiles actiones patritij vnicuique se opponentes dissiparunt: at accusationem Menenij, qui superiore anno consul fuerat, impedire non potuerunt, licet multum enixi fuissent: sed ei duo tribuni, Q. Considius & T. Genucius diem dixerunt, iussíque rationem reddere nec feliciter, nec honestè administrati belli,

belli, præcipuè verò ob Fabiorum cladem, & Cremeræ expugnationẽ accusatus, populi iudicio, comitiis tributis ferme omnium suffragiis damnatus est, quamuis esset filius illius Menenij Agrippæ, qui plebem ex fuga in vrbem reduxerat, eámque patriciis reconciliarat quem defunctum senatus publicis impensis magnificentissimo funere decorarat, quem etiam matronæ Romanæ per integrum annum luxerant, purpura auróq. depositò. Quia tamen eum reum peregerunt, quinq; effecerunt vt damnaretur, haud capite litem æstimarunt sed pecunia, eáq; multam irrogarunt, quæ si cum nostri seculi moribus ac vita conferatur, ridicula videatur. Sed illius ætatis hominibus qui suis manibus victũ necessarium sibi quærebant, præcipuè verò illi viro cui pro patrimonio paupertas fuerat relicta, nimia, & grauis erat, quia duobus assium æreorum millibus lis æstimata fuerat. As autem numus erat æreus, libralis ita vt tota mulcta pondere suo sexdecim talenta æris conficeret. Idque eo seculo inuidiosum videbatur: quem morem quum ipsi vellent corrigere, pecuniarias mulctas abrogarunt, eásque ad onium & boum mulctas transtulerunt. horum quoque statuto certo numero ne magistratus in posterum futuri priuatis hominibus insidiarentur. Ob hanc autem Menenij damnationem, patricij rursus arrepta occasione contra plebem exasperati sunt, nec amplius agrum ei diuidi permittebant, nec vlla alia in re moliter ei cedere aut gratificari volebant: sed non multò post ipsam quoq; plebẽ eius iudicij pœnituit, vbi illius viri obitũ cognouit. nec enim hominũ congressus amplius frequentauit nec in vllo publico loco à quoquã est cõspectus, & quum posset persoluta mulcta à nullis publicis muneribus arceri (non pauci enim

eius necessarij mulctæ pecuniam numerare parati erant) hoc facere noluit: sed quum eam calamitatem morte æstimasset, domi se continens, & nullum admittens, mœrore & inedia contabefactus, vita excessit: atque hæc quidē hoc anno sunt gesta.

7 ¶ P. VALERIO *Publicola*, & *C. Nautio* cōsulibus, alius vir ordinis patricij, *Sp. Seruilius*, qui superiore anno consul fuerat, non multo post depositum magistratum, reus capitis actus est. Duo autē tribuni, *L. Cædicius*, & *T. Statius*, ei diem dixerunt, vt ad causam dicendam apud plebem veniret, non alicuius delicti, sed infortunij rationem exigentes, quòd quum in prælio contra Etruscos audaciùs quàm prudentius ad hostium castra processisset, ab iis, qui in castris erant stipato agmine irruptione facta repulsus fuisset, & lectissimam iuuentutē amisisset. Hoc viri periculum patriciis omnium periculorum grauissimum est visum, & coeuntes inter se indignabantur, rémque non ferendam dicebant, si ducum audaciam & fortitudinem (numine consiliis eorum aduersante) ij qui ipsis periculis non interfuissent, accusarent ignauiæ & pigritiæ, & cohibita in posterum suorum ducum audacia, ac potestate nouorum stratagematū excogitandorum sublata, libertatē interituram, imperiúmque euersum iri dicebant. Hæc autem pericula, verisimili ratione adducti, horum malorum causam fore existimabant. Quare, plebem deprecabantur, ne damnaret hominē, docentes fore vt magna Reipub. detrimenta afferrent, si ob infortunia duces mulctarent. Quum autē dies iudicij venisset, *L. Cædicius*, vnus de tribunis, progressus in medium hominem accusauit, quòd ob suam dementiam & artis imperatoriæ imperitiam, copijs in manifestum exitium

ductis,

ductis, robur & florē populi Rom. amisisset: dixitque, nisi illud malum à collega celeriter fuisset cognitum, & nisi magna festinatione cum copiis profectus hostes repulisset, suósque seruasset, nihil prohibiturum fuisse, quin totus alter exercitus deleretur, atque in posterum Respub. dimidium virium pro duplo haberet. His dictis, testes produxit centuriones quotquot erant superstites, & nonnullos alios milites, qui abolere cupientes illius suæ cladis & fugæ ignominiam, prælij infelicem euentum duci suo assi bebant. Postea magnam mouens commiserationem ob militum in eo prælio tunc defunctorum cladē, & malo exaggerato, multísque aliis verbis, quæ in communem patriciorum inuidiam dicta, homines pro reo deprecaturos deterritura erant, cum magna contemptione effusis, reo dicendi potestatem fecit. Seruilius igitur, accepta causæ dictione, sic suam defensionem est exorsus. {Si in iudicium me vocastis, Quirites, & belli imperitique administrati rationem reposcitis, paratus sum causam dicere. Sin ad supplicium vestro iudicio iam decretum, & mihi lo meliore conditione futurus sum probata mea innocentia, iam nunc arreptū hocce corpus vestro arbitratu tractate. Mihi enim satius est mori, quàm concessa mihi causæ dictione vobis nil. il persuadere posse. Videbor enim meritò pati quicquid de me statueritis. Vestra quoque culpa erit minor, si dicendi potestatem mihi eripueritis, meque incerti criminis reum (si modò vlla in re vos læsi) per iram necaueritis. Vestra autem voluntas expsa attentione mihi manifesta erit, ex tumultu & silentio coniecturā ducenti, vtrū me ad supplicium, an ad iudicium vocaritis. } His dictis cōticuit. Facto autē silētio, plurimisq; acclamantibus vt bono esset animo, & quicquid

vellet dicere, ſ. ſpecta ratione ſic demùm eſt loquutus. §. 5
igitur, Quirites, vobis iudicibus, nõ autẽ inimicis vtar ſpe
ro me facile probaturũ me nullã iniuriã vobis feciſſe. Di
cã autẽ meæ orationis exordia, ab iis quæ vobis omnibus
ſunt nota. Ego creatus fui cõſul cũ optimo Virginio, quo
tẽpore Etruſci colle vrbi imminẽte cõmunito, totum agrũ
Romanũ in ſua poteſtate habebant, & ſperabãt ſe bre-
ui veſtrũ imperiũ deleturos. In ipſa verò vrbe ingens fa
mes ac ſeditio erat tantaq; conſilij inopia: vt quid faciendũ eſſet neſciretis. Cùm igitur in tempora adeò iniqua, turbulenta, & formidanda incidiſſem, hoſtes ope collegæ duobus prælijs vici, eóſque relicto præſidio diſcedere coegi. Breuiq; famẽ ſed aui foris ingenti commeatuum copia repletis, & ſucceſſoribus meis agrũ armis hoſtilibus vacuum tradidi, & ciuitatem omnibus morbis ciuilibus, quos eã contexerant, qui plebem ſuis concionibus dulcabãt, liberaui ſanámq; reddidi. Cuius igitur criminis reus ſum? niſi fortè victoria ab hoſtibus reportata eſt crimen læſæ veſtræ Reip. Quòd ſi quibus militibus dimicantibus feliciter mori contigit, quánam in re Seruilius Rempub. lædit? Nec enim duces deum aliquem ſponſorem habent vitæ omniũ eorum qui ſunt pugnaturi, nec certis conditionibus verbiſq; conceptis imperia accipimus, vt omnes hoſtes deuincamus, & nullos de noſtris amittamus. Quis enim mortalium omnes tam conſilij, quàm fortunæ euentus in ſe ipſum recipere auderet? Sed ſemper magna facinora magnis emimus periculis. Neq; verò mihi primo cum hoſtibus congreſſo hoc accidit: ſed propemodum omnibus quotquot cum minore ſuorum manu cum maiore hoſtium exercitu prælia committere ſunt auſi. Sæpe enim accidit, vt qui modò hoſtes perſequebantur,

ipſi

ipsi mox fugerent, & qui multos de hostibus occiderant, multò plures de suis amitterent. Non dicam enim multos & omnino victos magna clade accepta cũ ignominia domum reuersos, quorum nemo pœnas infortunij dederit, ipsa enim calamitas, omnisque laudis connementis priuatio, quamuis nihil aliud accedat præterea, ducibus est magna & grauis mulcta. Verum tamen tantum abest vt dicam (id quod omnes moderati homines æquum esse dicent) me non debere mei infortunij rationem reddere, vt etiam si nullus alius tale certamen, ac periculum subire ausus fuerit, ego solus hoc nõ detrectem: quinetiam meam fortunam non minùs quàm meum consilium in disquisitionem venire patiar, vbi prius illud dixero, me humanarum actionum felicitatem infelicitatémve, non ex singulis rebus quæ geruntur, licet multæ & variæ sint, sed ex earum euentu iudicari videre, & si is ex animi sententia successerit, licet interea multa fiant, quæ nobis minimè sunt grata, nihilominus tamen eas ab omnibus laudari, omnesque earum esse æmulos, & bonæ fortunæ eas ascribi audire. Quoties verò malus earum fuerit finis, quamuis omnia quæ finem præcesserunt, feliciter successerint, tamen haud felicitati, sed infelicitati eorum, qui eas gesserunt, attribui. Hoc igitur scopo vobis proposito, meam quoque fortunam, qua in bellis sum vsus, examinate, & si comperiatis me ab hostibus victum, meam fortunam malam vocate, sed si illos à me victos comperiatis, bonam appellate. De fortuna igitur, quoniam omnes qui de ea verba faciunt molestos esse scio quamuis plura possem præterea dicere, tamen nihil addam. Sed quia accusatores cõsilium quoq; meũ accusant, proditionẽ quidẽ aut ignauiam appellare

non audentes, ob quæ crimina alij duces fieri solent rei, sed imperatoriæ artis imperitiam & dementiam, quòd periculum nō necessarium subierim, qui vsque ad castra hostes sim persequutus: voto huius quoque rei rationem reddere, quia eam habeo expeditissimā, nimirum aliena facta reprehendere, vel cuilibet facillimum esse, sed res præclaras aggredi, arduum, pauciscque datum: nec vt facilè de rebus præteritis, ita etiam de futuris, quænam illæ sint futuræ iudicari posse: sed illas quidē sensibus, & cladibus nobis percipi, has verò diuinationibus & coniecturis conijci in quibus ineſt plurimum fallaciæ. Facillimum item cuiuis esse verbis bella administrare, dum procul est à periculo, quod faciunt mei accusatores. Sed, vt hæc missa faciā, agite, per deos mihi dicite, soluisne ego aut primus hostium munitiones vi illata aggressus esse, & copias ad loca edita duxisse videor? an verò idem feci quod multi alij vestri imperatores fecerunt, quorum alij rem feliciter gesserunt, alijs verò conatus ex animi sententia non successit? Cur igitur, quum alios absolueritis, me damnatis, si hæc imperitè & stultè facta putatis? quot alia maioris quàm hæc audaciæ ducibus in mētem venerunt, quoties tempus consilia tuta & iā considerata non patitur? Nonnulli enim signa suis abrepta in medios hostes coniecerunt, vt segnibus ac timidis formidinis necessitatem imponerent. scietibus ignominiosum supplicium à ducibus propositum iis qui signa non receperint. Alij verò facta in hosticum irruptione fluminum pontes, quā transierant, ruperunt, vt militibus de fuga cogitātib. spe salutis sublata, audaciam & robur in præliis insererent. Alij verò, tentoriis & impedimentis crematis, necessitatem suis imposuerunt, ex hostico capiē-

di ea

di ea omnia, quibus indigerent. Omitto sexcenta alia ducum audacia facinora & consilia, quæ & memoriæ sunt prodita, & ipsa experientia accepimus, ob quæ nullus vnquam, qui spe frustratus fuisset, pœnas dedit. Nisi forte vestrum aliquis me accuset quòd alius manifesto exitio obiectis ipse extra periculum fuerim. Quòd si cum cæteris in acie sum versatus, & postremus ex prælio accessi, & eiusdem fortunæ cum aliis particeps fui, quamnam iniuriam facio? atque hæc quidem de me ipso dixisse sit satis. De senatu verò & patriciis (quandoquidem vestrum in eos commune odium, quod ob impeditam agrorum diuisionem concepistis, me quoq. nõ sine graui dolore tangit, quod ne ipse quidẽ accusator dissimulauit, verùm bonam meæ accusationis partem in hoc consumpsit) paucis apud vos dicere volo. Dicam autem liberè, alioqui enim nec ego possem dicere, nec vobis audire conduceret. Præter ius & fas, Quirites, facitis, qui pro tot tantisque beneficijs à senatu in vos collatis, nullam ipsi gratiam habeatis, sed si quid, quod non nisi cum magno reipub. damno concedi potuisset, non quòd vobis inuideret: sed reipub. commodis prospiceret vestris precibus denegarit iniquo animo feratis: atqui debueratis maxima animi alacritate eius consulta, vt ab optimo animo manantia, & pro communi omnium bono facta accipere, & à vestro studio absistere: aut, si damnosam cupiditatem sana ratione cohibere non poteratis, suadendo, non autem vim afferendo, postulare vt illa ipsa vobis concederentur. Nam voluntaria dona & donantibus sunt iucundiora quàm ea quæ extorquẽtur, & ipsis accipientibus firmiora, quàm illa contraria. Quod vos, per deos, non consideratis: sed commoti ac ef-

ferati ne monumentum quidem temporis ciuitatem quiescere, & tranquillam esse finitis. Quare, existimandum est vobis bellum pace præstantius, si quidem bello inimicos, pace amicos maleficiis afficimus. Atqui, Quirites, si omnia senatusconsulta honesta & vtilia (quemadmodum reuera sunt) putatis, quin hoc quoque vnum ex illis esse existimatis? Sed si senatum de nullis rebus, quæ sunt curandæ prorsus cogitare putatis, sed turpiter & malè rempubl. administrare, quin potius eo toto à reip. gubernaculis amoto, vos ipsi imperatis, & consultatis, & bella pro imperio hostibus infertis? Sed eum circunciditis, & paulatim consumitis, nobilissimum quẽque iudicijs tollentes. Satius enim esset nobis omnibus simul bellum à vobis fieri, quàm vnumquemque priuatim calumnijs appeti. Verùm (vt dixi) vos horum malorum non estis autores: sed ij qui suis concionibus plebem ductant, & vos perturbant, qui nec alijs parere volunt, nec alijs imperare sciunt. Et quantum insitorum dementia & imperitia est, iam sæpe hæc nauis vobis fuisset subuersa. Iam verò qui eorum errores corrigit, & rẽperigit, vobísque incolumen præstat, est hic ipse senatus, qui pessimè apud eos audit. Hæc siue vobis auditu inuida sunt siue molesta, verissimè dicere sum ausus, & malem ob meam dicendi libertatem reipub. vtilem mori, quàm ad vestram voluntatẽ loquẽdo seruari. Hac oratione vsus, neque ad lugẽdam ac deplorandam suam calamitatem versus, nec ac deprecationes, & indecoras volutationes se dimittens, conspectus, nec vllo alio signo hominis non generosi dato, iis qui sibi vel patrocinari vel testimonium dicere vellent, dicendi vices concessit. Tunc igitur cùm multi alij qui aderant, eum illo crimine ab-

ne absolucrunt, tum verò præcipuè Virginius qui eodem tempore cõsulatum gesserat, quique victoriæ autor fuisse videbatur: qui non solùm alienum eum à culpa pronuntiauit sed etiam vt virum rei militaris peritißimũ, & ducem sapientißimum ab omnibus laudari, ac honorari æquum esse censebat. Addiditque, si hoc bellum feliciter confectum existim. rẽi ambobus sibi gratiam habendam sin infeliciter, ambos ex æquo mulctandos. Nã & cõsilia, & facta, & fortunæ casus sibi cõmunes fuisse. Non solùm autem eius oratio: sed etiam omnibus in rebus spectata vitæ probitas homines mouebat: aderat præterea (quod maximam miserationem cõcitauit) vultus habituſque ipsis affectibus respondens, qualis esse solet illorum ipsorum, qui atrocia mala vel iam perpessi, vel perpessuri sunt, ita vt etiam desideratorum necessarij, & qui implacabiles videbantur, autori suæ calamitatis se mitiores præstarent, irámq. deponerẽt, vt reipsa declararunt. Nam populo in suffragia misso, omniũ suffragiis est absolutus. Periculum igitur in quod Seruilius incideratt, hunc habuit exitum. Non multo post Romanorum exercitus in Etruscos alterius Conss. P. V alerij ductu est profectus. Rursus. n. V eientiũ exercitus coactus est, cui Sabini se adiunxerunt, qui quũ aliquandiu se ad illam belli societatem addere reformidasset quòd illi res quæ fieri non poterant affectarent, tunc quum cognouissent Menenium profligatum, & præsidium in proximo vrbi monte communitum, rati vires pop. Rom. afflictas, animósque eius fractos contussosque, missis ingentibus copiis Etruscos inuerunt. V eientes verò, & suis & Sabinorũ copiis recens adductis freti, à cæteris Etruscis auxilia expectantes parati erãt Romã ipsam pete-

re cum maiore sui exercitus parte, sperantes nullum secum congressi ausurum: sed se è duobus alterum facturos, aut urbem instituta oppugnatione expugnaturos, aut fame confecturos, atque ita in suam potestatem redacturos. Sed Valerius eorum conatum præuenit, dum illi adhuc cunctabantur, & sociorum tardantiũ auxilia expectabant, ipse cum lectissimo Romanæ iuuentutis robore, & sociorum copiis, non palàm, sed quàm occultissimè potuit egressus, vt eos lateret. Nam circiter vespertinum crepusculum productis ex vrbe copiis, & traiecto Tiberi, non procul ab vrbe castra posuit. Deinde circiter mediam noctem excitatum exercitum acie instructa duxit, & antequàm dies illucesceret altera hostium castra est adortus. Bina enim erant castra seorsum posita, nec magno interuallo inter se distantia: vna Etruscorum, altera Sabinorum. Sed priùs ad Sabinorum castra admotis copiis, cùm plurimi adhuc sopiti essent nullâque custodia satis firma in ipsis castris esset, quòd in pacato agro nihil minùs quàm hostem timerent, de quo nullum nuntium acceperant, his primo impetu potitur. Ibi alij in ipsis cubilibus adhuc decumbentes iugulati sunt: alij, recens surgentes, & se armantes: alij iam armati, sed passim & nullo ordine repugnantes: plurimi verò ad altera castra fugientes, ab equitibus intercepti perierunt. Hoc modo captis Sabinorum castris, Valerius cum copiis contendit ad altera castra, in quibus erant Veientes, qui locum non valde munitum occuparant. Qui autem ad ea castra accedebant latere ampliùs non poterant. Iam enim dies clara erat, & Sabini, qui fugerãt, Etruscis suã cladem & similem ipsis imminentẽ nuntiauerant. Necesse igitur fuit vt acriter cũ hostib. pugnarẽt. Mox igitur Etru-

Etruſcis pro caſtris omni ſtudio dimicantibus acre prælium committitur cum magna vtrorumque ſtrage, & diu ancipiti marte, nunc huc nunc illuc inclinante victoria, pugnatum eſt. Tandem Etruſci à Romano equitatu expulſi loco cesſerunt, & in caſtra ſe receperũt. At conſul eos ſequebatur, & quum ad munitiones acceſſiſſet, (erant autem malè extructæ, & locus, vt dixi, nõ valde tutus) eas multis partibus oppugnare cœpit per reliquum illius diei ſpatium cõtinuato labore, & ne in ſequenti quidem nocte intermiſſo. Etruſci verò, continuis malis fracti, circa diluculum caſtra deſeruerunt, & alij in vrbem fugerunt, alij in proximas ſyluas ſunt diſperſi. His quoque caſtris potitus, illum diem exercitus quieti dedit. Poſtridie verò prædam, quam ex vtriſque caſtris ceperat, militibus diuiſit, quæ magna erat, & eos qui in prælijs fortiter ſe geſſerant, de more militaribus coronis ornauit. Seruilius autem, ſuperioris anni conſul, & nudatus, omnium fortiſſimè dimicaſſe, & Veientum copias profligaſſe viſus eſt: & ob hanc fortitudinem hic primus per populi iudicio abſolutus, tunc verò legatus Valerio præmia quæ apud Romanos maxima habentur, retulit: Conſul deinde ſpoliatis hoſtium cadaueribus, & ſuis ſepultis, copias eduxit, iiſque ad Veiorum mœnia admotis pugnæ poteſtatem oppidanis fecit: ſed quũ nullus ad certamen prodiret, difficile eſſe videns eos expugnare, quippe quòd vrbem munitiſſimam haberent: excurſionibus per bonam eorum agri partem factis, in agrum Sabinum irrupit. Illum quoque, adhuc intactum, per multos dies populatus, copijs magnis impedimentis & prædа iam onuſtas domum reduxit: eique venienti populus lãgè ab vrbe obuiam coronatus proceſſit, & tus ei trãſ-

euntiadolescens, & exercitui poculis mulsi excipiens. Senatus verò ei triumphũ decreuit. Alter verò cõsul, C. Nautius, cui sorte obuenerat sociorũ Latinorũque & Hernicorum custodia, aliquandiu distulit profectionem, non ob consilij inopiam, nec periculi formidine deterritus: sed belli Veientani incertum euentum expectans, vt si quam cladem ille exercitus fortè accepisset, reipub. præsto esset aliquis exercitus iam coactus, qui hostes ab irruptione in agrum faciendæ prohiberet: si qua loca (quẽadmodum iam ante fecerant qui Romam petierant) cõtra vrbem munire conarentur. Interea verò bellum etiã quod Aequi Volsq. Latinis intulerant, feliciter est cõfectum, & nunty quidã retulerunt, hostes prælio victos, ex eorum agro excessisse, & in præsentia socios nullis auxilijs amplius indigere. Nautius tamen nihilominus, licet res in Etruria Romanis feliciter succesissent, copias eduxit, factaque irruptione in agrum Volscorũ, magnã eius partẽ desertã peruagatus, paucis mãcipijs exiguóq. pecoris numero est potitus: incẽsisq; eorũ aruis, quũ frumẽtũ iam maturum esset, aliisque non paucis damnis datis, nullo secum congredi audente, exercitum abduxit. Atque hæc quidem ab his consulibus sunt gesta.

8 ¶ ANNO sequenti consũl creati, A. Manlius, & L. Furius. Quum antẽ senatus alterũ eorũ exercitum in Veientes ducere decreuisset, illi prouincias de more inter se sunt sortiti: quúmque sors Manlio obtigisset, copias celeriter eduxit, & castra propè hostes posuit. Veientes verò inclusi mœnibus aliquandiu ei restiterunt, & legatis in varias partes missis solicitabant Etruriæ populos, & Sabinos nouos socios, orantes vt sibi celeriter opẽ ferrent. Sed quum à nullis auxilia impetrarent, & cõmeatus

tus iam absumpsissent, necessitate famis coacti, ad consulem prodierunt eorum natu maximi, & honoratissimi quique, supplicum insignia præferentes, & pacem petentes. At Manlius illis unius anni stipendium pro exercitu imperauit, iussitq; vt tantum frumenti afferrent quantum in duos menses exercitui satis esset. His autem peractis, tunc demum legatos Romam ad senatum mitteret, qui de pace agerent. Illi vero, his laudatis, & celeriter exercitus stipendio, & pecunia loco frumenti permissu consulis allata, Romam iuerunt, & in senatum admissi, veniam præteritorum, & pacem in posterum petierunt. Multis aut verbis in vtramque partem factis, ea sententia vicit quæ fœdus cum illis faciendum censebat, inducieq; in quadraginta annos ipsis sunt datæ. Atque illi maximis gratijs pop. Rom. ob pacem impetratam actis abierunt. Manlius vero in vrbem reuersus, ob pacem partam, petitam ouationem impetrauit. His consulibus census quoque habitus: censaque ciuium ac puberum Romanorum centum tria millia, & aliquot præterea. ANNO sequenti, consules facti, L. Aemilius Mamercus tertium, & Vopiscus Tullius, lxxxvij. olympiade, qua in stadio vicit Dates Argiuus, archonte Athenis Charete, laboriosissimum ac turbulentissimum habuerunt consulatum, quia bellis quidem externis non infestabantur (omnes enim hostes pacati erant) sed domesticis seditionibus & ipsi in salutis periculum sunt adducti, & respublica ab ipsis pene est euersa. Nam simul atq. multitudo a militia cessauit, confestim agri publici diuisionem flagitare cœpit. Erat enim quidam de tribunorum collegio, vir audax, nec infacundus, Cn. Genucius, qui inopes ad iram instigabat. Iste quotidianis concionibus, ad captandam plebis inopiam q; gratiam, volebat cogere consules senatusconsul-

tum de agro diuidendo factum exequi. Illi verò ei non parebant, dicentes non sibi consulatum gerentibus, sed Cassio Virginióque consulibus id à senatu imperatum fuisse, ad quos senatusconsultum scriptum erat: simulque senatusconsulta non esse leges quæ ratæ perpetuò manent, sed esse instituta vim vnius anni habentia. Consulibus has causas prætendentibus, Genucius, quia eos maiore potestate præditos cogere non poterat, ad impudentem viam se conuertit. Nam superioris anni consulibus, Mallio & Lucio dicam iniuriæ plebi factæ scripsit, illisque diem dixit, ad quam eos causam apud populum dicturos venire iussit, pronuntiato palàm crimine cuius eos reos esse dicebat, quòd videlicet plebi iniuriam facerent, non creatis decemuiris ex S.C. qui agros diuiderent. Quòd autem hic nullos alios consules accusarit, quum duodecim anni interea elapsi essent, ex quo id S.C. fuerat scriptum, sed hos duos solos ob fidem promissorum non seruatam reos egerit, non iniquas attulit rationes. Tandémque dixit, ha sola ratione consules, qui tunc magistratum gerebant, coactum iri agrum diuidere, si quis aliquos alios pœnas populo dare vidisset, idem sibi quoque euenturum cogitantes. Hæc loquutus, hortatus est omnes vt in die io adessent, & per sacra iurauit se in proposito permansurum, & omni studio illos accusaturum, die dicta quà iudicium esset peragendum. Patricios verò hac re cognita ingens inuasit timor, & solicitudo quánā ratione reos iudicio possent eripere, audaciámque tribuni compescere. Iámque decreuerant, si quid plebs contra consulare imperium sciuisset, hoc ei non permittere: sed totis viribus resistere, & ad arma (si ea res tulisset) venire. Verumtamen nulla vi ipsis opus fuit, quia celeriter, & præter

ter omnẽ opinionem id periculum euanuit. Nam vno antè iudicium die Genucius in suo lecto mortuus est inuentus cum nullo aut cædis aut laquei aut veneni aut alicuius insidiosæ mortis vestigio. Hoc autem casu cognito & eius corpore in forum prolato, diuina quadam prouidentia id impedimentũ accidisse videbatur. Quare confestim res infecta comitia sunt soluta. Nam cæterorum tribunorũ nemo ausus est renouare seditionem: quinimo omnes magnum Genucij furorem damnabant. Si igitur consules nihil præterea nimiùm curiosè fecissent: sed seditionem vt à deo fuerat sopita quiescere siuissent, in nullum periculũ amplius adducti fuissent. Iam verò quum se ad plebem superbè & contumeliosè tractandam verterunt, quique quanta esset sui magistratus potestas ostentare voluerunt, magnorum malorum autores fuerunt. Nam in dilectu & contumaces cùm aliis multis, tum etiam virgarum verberibus cogentes, effecerunt vt maior plebis pars ad desperationem hac potissimùm de causa se verteret. Vir quidam de plebe, bellica virtute clarus, nomine P. Volero, qui in superioribus expeditionibus ordines duxerat, tunc quũ centurio esset constituendus in gregarios milites ab illis referebatur. Sed quũ ille resisteret, nec locũ minus honoratum capere vellet quòd in superioribus expeditionibus nihil deliquisset, consules eius dicendi libertate offensi, lictoribus imperarunt vt vestem eius lacerarẽt, corpusque virgis cæderent. Tunc iuuentis opem tribunorũ implorabat & si quam iniuriam faceret plebis iudicium subire volebat. Sed quum consules animum ad eum non aduerterent, nec eius verbis mouerentur, sed eum à lictoribus duci cædique iuberent, contumeliam non ferendam ratus, ipse sibi ipsi opem tulit. Nam primi &

cundi lictoris qui accesserat, faciem aduersis pugnis tundens, vir ætate & viribus ferox, prostrauit. Consulibus autem id iniquo animo ferentibus, & simul omnes lictores ad eum accedere iubentibus, plebeiis qui aderant, res indigna visa est, & confestim omnes conglobati, sublatóque clamore quo se inuicem ad iram adhortabantur, & iuuenem eripuerunt, & lictores pulsatos repulerunt: & tandem in ipsos consules impetum fecerunt: qui, nisi è foro se proripuissent, grauissimum facinus mox perpetrassent. Hoc autem facto in diuersa studia tota ciuitas est diuisa, & tribuni qui hactenus quieuerant, tunc efferebantur, & in consules inuehebantur. Et seditio legis agrariæ in grauius malum, ob contentionem de reipublicæ statu ortam, erupit. Nam patricij, indignè ferentes consulum potestatem tolli eum qui lictoribus manus iniicere ausus fuerat, de saxo deiicere volebant: contrà plebeij catervatim vociferabantur, & se inuicem cohortabantur ne libertatem suam proderent: sed rem ad senatum ferre, & consules accusare, & animaduersionem aliquam in eos poscere volebant quòd eum qui opem tribunorum implorarat, & populi iudicium (si quam iniuriam fecisset) subire volebat, neutro iure potiri passi essent: sed hominem ingenuum, & ciuem Romanum vt mancipium tractassent, cædique iussissent. His igitur sibi inuicem resistentibus, & neutris alteris cedere volentibus, totum illius cōsulatus reliquum tempus consumptum est, nec vllis rebus in bello præclarè gestis, nec vllis actis ciuilibus memoratu dignis ornatum.

2 ¶ QVVM autem comitiorū tempus venisset, L. Pinarius, & P. Furius, consules creati. Huius anni principio vrbs religione quadā & diuini numinis meta

repleta

repleta est, quòd prodigia signáque multa apparuissent, & omnes vates & pontifices ea prodigia diuinæ iræ indicia esse dicerent quòd aliqua sacra nec piè nec purè fierent. Nec multò post, morbus qui pestilens vocatur, mulieres, præcipuè verò grauidas, inuasit: túncque tantum hominum numerum absumpsit, quantum nunquã antè. Nã inmaturos & mortuos fœtus parientes, vnà cum ipsis infantibus moriebantur. & neque supplicationes in templis & circa aras deorũ factæ, neque lustralia sacrificia pro republica, priuatisque familiis facta malis eas liberabãt. Quum autẽ respub. in statu tam calamitoso versaretur, seruus quidã pontificibus indicat vnam sacerdotum, de numero virginum Vestalium perpetuum ignem seruantium, nomine Vrbiniam, amisisse virginitatem, & pollutam sacra pro populo facere. Illi eam à sacris amotam, & in iudicium adductam, & manifesti criminis conuictam virgis verberarunt, traductámque per vrbem viuam defoderunt. Illorum verò qui nefarium stuprum commiserant, alter sibiipsi manus attulit, alterum pontifices comprehensum in foro virgis cæsum instar mancipij interfecerunt. Morbus igitur qui mulieres inuaserat, & ingens earum strages hoc peracto confestim cessauit. At seditio in vrbe iam inueterata, qua plebeij à patricijs dissidebant, rursus est renouata. Eam autem excitauit P. Volero, tribunus plebis, qui superiore anno, quòd ab Aemilio, & Tullio consulibus procenturione in milites gregarios referretur, imperiũ eorũ contempserat. Postea hac potissimum de causa ab infima plebe tribunus est creatus (nam erat ignobili genere natus & in magna humilitate ac egestate educatus) quòd consularem dominationem regiæ dignitati parem, tunc ipse primus vir priuatus

sua contumacia feciſſe viſus fuiſſet, & multò magis quòd magiſtratum contra patricios ambiens, ſe illis potentiam ablaturum promiſiſſet. Ille igitur ſimulátque placata diuini numinis ira dicuit rempub. capeſſere, populo ad concionem conuocato, legem promulgauit de tribunitiis comitiis, ea ex curiatis (quæ ita à Romanis vocantur) in tributa mutans. Quodnã autẽ ſit horũ comitiorũ diſcrimẽ, ego declarabo. Curiata comitia oportebat præcedente S. C. & ſuffragiis à plebe curiatim latis, & poſt hoc vtrũq. ſignis diuinis, auibuſque non aduerſantibus tũc demũ rata eſſe. Tributa verò ſine S. C. & ſine ſacrificiis, nulliſq. auibus addicẽtibus, vno die à tribulib. peragi. Habebat autẽ quatuor reliquis tribunis duos legis ferẽdæ ſocios, quibus ſibi cõciliatis reliquos qui diſſentiebãt, numero ſuperabat. At conſſ. & ſenatus, omnéſque patricij legẽ eam impedire conabantur, quúnq. magno numero in forũ veniſſent ad diem quo tribuni ſe legem perlaturos dixerant, variæ orationes habitæ ſunt à conſſ. & ſenatoribus natu maximis & ab alio quouis qui verba facere voluiſſet, atque omnes incommoda, quæ in ea lege inerant, pluribus demonſtrarunt. Tribunis verò contra conſules, & illis contra tribunos viciſsim dicentibus, & altercationibus ad multas horas productis noctis interuentu, illa comitia ſoluta ſunt. Quum autem tribuni rurſus legis rogationem in trinundinum diſtuliſſent, & ad diem dictam maior etiam turba confluxiſſet, idem quod antè accidit. Quare animaduerſa Publius ſtatuit nec permittere conſulibus vt legem diſſuaderent, nec pati vt ſuffragiis ferendis patricij intereſſent: nam illi cũ ſuis ſodalitiis, ſuorúmque clientum cæterùs, quorum numerus non erat exiguus, multas foris partes occuparant, legis

diſſuaſo-

dissuasoribus animos addendo, & defensoribus obstrepẽdo, aliáque multa faciendo quæ confusionis & violentiæ in suffragijs futuræ indicia erant. Sed hæc eius consilia tyrannica altera calamitas diuinitus immissa impediuit. Pestilentia enim urbem inuasit, quæ per reliquam Italiã grassata fuerat, sed potissimum in urbe sæuierat, nec vlla humana ope laborantibus succurri poterat, sed æquè ỹ magna diligentia curabantur, atque qui nullo modo curabantur, moriebantur: nec supplicationes, nec sacrificia nec extremum remedium, ad quod homines, qui in istiusmodi calamitatibus versantur confugere coguntur, lustrationes aut priuatæ aut publicæ, quidquam tunc proderant, sæuiebátque id malum in omnes, sine vllo discrimine aut ætatis, aut sexus, aut corporum roboris, aut imbecillitatis, nec arti, aliisue remediis, quæ morbum videntur leuare, cedebat: sed mulieres & viros, senes & iuuenes inuadebat. Non fuit tamen diuturnum, quod effecit ne tota ciuitas periret, sed instar torrentis aut incendij, vno impetu homines inuasit, & vt celeriter eos inuasit, ita etiam celeriter discessit. SEDATA autem peste, Publius, quum esset in magistratus sui exitu, quia reliqui temporis spatio legẽ perferre non poterat, comitijs instantibus tribunatum iterum in proximum annum ambibat, multa & magna ciuibus promittens. Itaque tribunus cum duobus collegis iterum ab illis designatur. Patricij verò aduersus hoc & ipsi callide statuerunt hominem acerbum & plebi infestum, & qui optima tum dominatum nihil esset imminuturus, ad consulatũ prouehere, Appium Claudiũ Appij filium illius qui acerrimè plebis reditui aduersatus fuerat, & eũ licet valde restitisset, & ne in campũ quidem

comitiorum causa venire voluisset, nihilominus tamen ab senatu consulto consulem crearunt. Comitiis autem facillimè peractis (pauperes enim confestim è campo discesserunt audito Appij nomine) consulatum ineunt Titus Quintius Capitolinus & Appius Claudius Sabinus, viri nec ingenio nec voluntate similes. Nã Appius volebat externa militia otiosam & inopẽ plebem distineri, vt victum quotidianum (cuius inopia maximè laborabat) ex hostico suis laboribus abundè parans, eáque peragens, quæ è republica essent, patribus rempublicam administrantibus, minimè infensa ac molesta esset. Dicebat autem non defuturam honestam belli occasionem ciuitati imperium sibi vendicanti, & omnium inuidia laboranti. Et ex præteritis verisimiliter defuturis coniecturam ducendam censebat, docens omnes superiores vrbanos motus ob vacationem à bellis ortos. At Quintius nullum bellum cuiquam inferendum censebat, & satis esse demonstrabat si ad pericula necessaria, & ab aliis illata propulsandum plebs vocata obtemperaret, docebátque si militiam detrectantibus vim attulissent, fore vt plebem ad desperationem adigerent, vt fecerant consules superiores, atque ita ipsi in periculum è duobus alterum incurrerent. Eos enim vel sanguine cædibúsque seditionem compescere, vel plebem obsequiis parum honestis sibi conciliare coactum iri dicebat. Erat autem penes Quintium illius mensis imperium. Quare alter consul illo inuito nihil facere poterat. At Publius tribunus, nihil amplius cunctatus, legem quam superiore anno perferre non potuerat, iterum promulgabat, hoc capite legi addito, vt ijsdem comitiis etiam ædilitius magi-

stratus

stratus crearetur, & quicquid aliud apud populũ agi de cernique oporteret tributis comitiis eodem modo decerneretur. Quod nihil aliud erat quàm senatus potentiam aperte abrogare, eámque ad plebem transferre. Hac re cognita, consules curæ & cogitatio subijt, quomodo celeriter & tutò motus seditióque tolli posset. Appius censebat vocandos ad arma qui rempublicam saluam vellent, & si qui sibi arma capientibus adaersati fuissent, hos pro hostibus habendos: at Quintius rationibus plebem flectendam censebat, & docendam, eam per ignorantiam rerum vtilium in consilia pernicioſa præcipitem ferri: extremæ insaniæ esse diens ea à suis ciuibus inuitis extorquere quæ à volentibus impetrari possint. Quum autem cæteri quoque senatores Quintii sententiam laudassent consules in comitium progressi dicendi copiam diémque à tribunis petierunt. Vtroque autem ægrè impetrato, quũ dies quam ab illis petierant, venisset, & varia turba in forum confluxisset, cuius subsidium vtrique magistratus aduocarant ac sibi parárant, prodierunt vt legem dissuaderent. Quintius igitur, vir omnibus in rebus æquissimus & populari facundia gratiosissimus, primus petita dicendi copia cõcionẽ ad rẽ, de qua agebatur accommodatã, omnibúsque gratam habuit: ita vt legis suasores ad magnam consilij inopiam redacti, nihil vel iustius vel æquius afferre possent. Et si collega eius nihil præterea nimium superbè tentare voluisset, plebs agnoscens se nec iusta, nec æqua postulare legem eam abrogasset. Iam verò illius oratio superba, & pauperum auribus molesta plebem vehementer exasperauit, & implacabilem reddidit, effecitque vt ad contentionem quantam nunquam antè prorumperet: nam

ille non vt ad ingenuos & ciues Romanos verba faciens penes quos esset sanciendæ vel abrogandæ legis arbitriũ, sed vt in viles, aut peregrinos, aut qui libertatem satis firmam non haberent suam potestatem exercens, acerbis & minimè ferendis verbis in eos est inuectus: nouas tabulas illis exprobrans, & defectionem à consulibus factã obijciens, quando raptis signis ex castris abierunt ipsi in voluntariam fugam dantes: & in memoriam reuocans sacramentum, quo se obstrinxerant arma pro patria suscipientes, quæ in illam conuerterant. Quare, dixit nil noui eos facere, si, quum periuri in deos fuissent, duces deseruissent patriámque quantum in se fuisset desolassent, & ad fidem turbandam, leges euertendas, patriúmque reipublicæ statum corrumpendum in eam rediissent, se moderatè non gererent, nec bonorum ciuium officium præstare possent, sed semper suis cupiditatibus obsequerentur, & plus æquo expeterent, modò petentes vt sibi liceat proprios magistratus de suo ordine, & eosdem nemini obnoxios, & sacrosanctos creare, modò quoslibet patricios arbitratu suo in discrimen de rebus turpissimis adducentes, & legitima iudicia, in quibus de capitali pœna exitióque cognoscitur, iterum contra pristinam consuetudinem à purissima ciuitatis parte ad sordidissimam turbam transferentes: modò verò leges tyrannicas & nefarias ipsi homines mercenarij & extorres contra patricios ferentes, ne cognitione quidem earum patribus permissa, vt de illis senatusconsultum facerent sed hoc quoque honore ipsis erepto, quem citra omnem controuersiam semper ab vrbe condita vel sub regibus habuerant, multisque aliis huiusmodi additis, & à nulla acerba contumelia, nullóque maledicto sibi temperans,

rans, postremò illud etiam addidit, quo maximè plebs offensa est, nunquam in ciuitate causas multas dissidiorum defore, sed semper post veterem morbum eam aliquo nouo laboraturam, dum tribunitia potestas duraut, docens omnium ciuilium ac publicarum rerum initia esse considerauda, operámque dandam vt pia iustáque sint. Sic enim natura comparatum esse dicebat, vt ex bonis seminibus boni & felices fructus proueniant, ex malis mali & pernicioſi. Si igitur (inquiebat) hic magistratus pro communi omnium bono per concordiam bonis faustisque auibus, & salua religione in rempublicam introductus fuisset, multorum & magnorum bonorum causa nobis fuisset gratiæ concordiæ, bonarum legum constitutionis, bonæ spei à numine, & sexcentorum aliorum: nunc verò quoniam violentia, iniquitas, seditio, & belli intestini metus, & cætera omnia quæ inter homines sunt maximè abominanda eum inuexerunt, quid boni salutarisue amplius ab eo qui talia habuerit initia sperandũ est Itaque, superuacaneum nobis est curationem & remedia malorum inde pullulantium quærere quæcunque in ratiocinatione humana cadunt, pessima radice adhuc manente. Nullus enim diuinæ iræ finis erit, nec ea vnquam liberabimur, donec ista inuida Furia & Phagedæna in ciuitate cõmoratis, omnia honesta putrefaciet & corrũpet. Sed de his aliàs dicetur oportunius: nũc verò quoniã præsenti rerũ statui rectè est cõsulendũ omni dissimulatione omissa hæc vobis dicã, nec ista lex, nec vlla alia de qua senatus antè nõ cognorit suumque cõsultũ fecerit, me cõsule rata fiet: sed & dictis optimates defendã, & factis (si opus fuerit) nulla in re aduersariis cedã. Et si antè ignorastis quanta esset consularis imperij potestas, me consule

discetus. Appius igitur tũc ita est loquutus. Post eũ C. Lectorius tribunorũ natu & dignitate maximus, vir bello spectatæ fortitudinis, & ad ciuilia negotia tractãda idoneus, ad hæc respõsurus surrexit, & altius rẽ repetẽs multa pro ple e dixit. Inopes quos maledictis cõsul infectatus fuerat ad multas & graues expeditiones profectos esse, nõ solum sub regibus (quod necessitati fortasse adscribi posset,) sed etiam post illos exactos dum libertatẽ imperiumque patriæ parant, nullam tamen à patriciis remunerationẽ accepisse, nec vllius cõmunis boni participes factos fuisse, sed tanquã mancipia libertate etiam ab illis exutos fuisse: quam dum vellent recuperare, coactos fuisse patriam aliarum sedium desiderio relinquere, vbi ipsi qui erant ingenui cõtumelias non paterentur, nec vlla vi senatui facta, nec armis illo coacto domum rediisse, sed ei roganti ac oranti vt res suas in vrbe relictas reciperent, cessisse. Et iusurandum commemorauit, & leges reditus omnibus in memoriam reuocauit, in quibus erat primùm obliuio iniuriarum omnium, deinde pauperibus data potestas creandi magistratus, qui ipsis opem ferrent, & vim afferre volentibus aduersarentur. Huiusce cõmemoratis, leges ostendit ac recitauit quas plebis non multò ante tulerat, tum de iudicijs ad plebem trãslatis, quomodo senatus potestatem plebi dedisset iudicandi quoscunque de patricijs vellet, & quomodo suffragia centuriatorum comitiorum in curiata commutata essent, illorumque auctoritas ac vis ad hæc trãslata fuisset. Hac autem oratione pro plebe habita, conuersus ad Appium {Et tu (inquit) his conuicium facere audes, quorũ opera magna ex parua, illustris ex obscura ciuitas est facta, & alios vocas seditiosos, & exilij fortunam ipsis exprobras?

quasi

quasi omnes isti non meminerint adhuc id quod ætate nostra accidit, tuos maiores à primoribus dissidentes sua patria deserta huc venisse supplices? Nisi forte vos quidem vestra patria libertatis desiderio relicta præclarum facinus feci-stis. Romani vero qui id dē fecerunt, turpe. Audes etiā tribunitiam potestatem vituperare, vt in reipub. perniciem in vrbem inuectam? & ō plebis infensissime hostis & maximè tyrannici ingeny homo, his suades vt tollāt pauperū auxilium sacrosanctū ac inuiolabile, & magnis necessitatis vinculis tū à dijs, tū ab hominibus cōfirmatū? & ne hoc quidem animaduertere potuisti te hoc dicentē conuiciari & senatui & tuo ipsius magistratui? nā quum totus senatus facto dissidio in reges conspirasset quorū superbiam & cōtumelias diutius pati nolebat consſ. magistratum constituit & antè quàm illos ex vrbe pelleret, aliis regiam potestatem trādidit. Itaque quod de plebis tribunatu vt in perniciem reip. in vrbem recepto dicis, quòd ex discordia natus sit, idem quoque in consulatum dicis. Nam ne ille quidē alunde est ortus, quām ex dissidio patriciorū à regibus facto. Sed cur ego de his tecum loquor quasi cum bono ac moderato ciue: quem omnes isti sciunt naturā sæuum, acerbum, & plebi infestum, & innatā festitatem nullo modo mansuefacere posse? Quin potiùs omissis verbis te factis aggredior, & ostendo tibi quantā vim plebs habeat tibi nonaum notam, quam non te puduit extorrem & sordidam vocare, & quanta sit huius magistratus potestas quē venerari, & cui cedere leges te cogūt? Ergo & ipse omni dissimulatione omissa, rē aggrediar. ¶ Hæc loquutus, & iureiurādo, (quod apud illos maximū erat) iurato aut se perlaturū legē, aut se vita excessurū, silentio ab omnibus facto, omnibusq; in id certamen

intentis, ac anxio animo expectantibus quidnam ille facturus esset, iussit Appium ex concione excedere. Quo non parente, sed stipante se lictoribus, omnique alia turba, quam domo ad hoc ipsum paratam adduxerat, & repugnante ne foro decederet, Lectorius per præconis vocem silentio imperato pronuntiauit, tribunorum collegia iubere consulem in carcerem duci. Ac mox apparitor ab eo iussus eum apprehensurus accessit: at proximus lictor eum pulsatum repulit. Magno autem clamore ab iis qui aderant sublato, ipse Lectorius, adhortatus plebem vt sibi opem ferret, ad eum iuit. At Appius cum ingenti ac valido iuuenum globo se ei opposuit. Deinde, fædæ inter eos altercationes & vociferationes, & corporum protusiones sunt secutæ, & postremò rixa ad manus prorupit, & ad lapidum iactus ventum est. Sed Quintius alter consul hæc repressit, & ne malum vlterius progederetur affecit, cum senioribus senatoribus omnes rogando & orando, & in mediam pugnantium turbam se conijciendo. Ipsum quoque diei reliquum spatium breue erat, itaque inuiti dirempti sunt. Insequutis diebus magistratus se inuicem accusabant. Consul tribunos, quòd suum magistratum abrogare voluissent, consulem in carcerem abduci iubentes. Tribuni consulem, quòd pulsasse corpora sacrosancta. Et Lectorius manifestas sigillationis notas in facie adhuc habebat & tota ciuitas dissentionibus, & dissidiis efferata erat. Plebs deinde cum tribunis Capitolium occupauit, diurnis nocturnisque id seruans excubiis. Quod vbi senatus cognouit magna cura quærebat modum quo sedaretur hæc seditio, solicitus tum propter periculi magnitudinem, tum propter consulum dissensionem. Quintius enim plebi non iniqua petenti cedendum censebat,

Appius

Appius verò ei resistebat, & mori quàm cedere malebat. Quumq; nullus contentionis fieret finis, Quintius seorsum tribunos, seorsum Appiũ orabat, atq. obsecrabat, & vt priuatis commodis publica anteponerent, postulabat. Animaduertens autem illos iam ipsa experientia sapientiores factos, collegã verò in sua pernicacia perseuerare, persuasit. Lectorio eiúsque collegis vt omnium priuatorum, publicorúmque criminum cognitionem arbitrio senatus permitterent. Hoc autem impetrato, senatum conuocauit, & tribunis multùm laudatis, & rogato collega ne publicæ saluti aduersaretur, vocauit eos qui suam sententiã dicere solebãt. Et P. Valerius Publicola primus rogatus, hãc dixit sententiã, omnia crimina quæ sibi inuicẽ obiiciebãt tribuni & cõsules, omnes iniurias in tumultu & illatas & acceptas, q; nõ dolo malo nec priuatæ vtilitatis causã eò ventũ esset, sed per ambitiosã cõtentionẽ de Repub. publicè remittendas, nec in vllum iudicium vocandas dixit. Quòd verò ad legem attineret, quoniã Appius consul non patiebatur eam sine senatusconsulto in concione promulgari, de ea ad senatum referendum. Senatúsque consultum faciendum censebat. Cæterùm, tribunis vnà cum consulibus operam dandam, vt concors esset ciuitas, & decorum ac ordo seruaretur in suffragiis ferendis. Hac sententia ab omnibus probata, confestim Quintius senatores misit in suffragia, & post multam Appij dissuasionem, multámque tribunorum suasionem, tandem sententia quærogationem legis permittebat, multis suffragiis vicit. Factóque S. C. & priuatæ magistratuum discordiæ ac inimicitiæ diremptæ sunt, & plebs senatus concessum læto animo accipiens, legem suo suffragio confirmauit. Ex illo tempore vsque ad nostram

ætatem, tribunorum atque ædilium creandorum comitia, sine auspiciis, omnique alia religione suffragio tribuũ peraguntur. Atque hic fuit illius seditionis, in urbe tunc excitatæ finis.

10 ¶ PAVLO post, Romanis placuit exercitus conscribere, & utrumque consulẽ contra Aequos & Volscos emittere. Erãt enim qui nuntiabant, magnas utriusque gentis copias egressas esse, & agros sociorum P. R. populari. Exercitibus igitur celeriter paratis, cõsules provincias sortiti sunt, & Quintio bellum contra Aequos, Appio contra Volscos obtigit. Utrique consuli res successit, ut succedere par fuit. Exercitus enim qui Quintio datus fuerat, lenitatis eius ac æquitatis amore promptus erat ad omnia imperata facienda, & plurima pericula sponte sua nullo iubente adibat, ut duci suo gloriam & honorem pararet. Magnámque Aequorum agri partem prædabundus est peragratus, hostibus cum ipso congredi non audentibus. Unde multa spolia magnámq; prædam partam retulit, nec diu in hostico moratus incolumis in urbem rediit, cum duce rebus egregiè gestis conspicuo. Qui verò Appij ductu ad bellum profecti sunt, odio quo cum prosequebantur multa patriæ disciplinæ præcepta neglexerunt. Nam & aliàs toto illius militiæ tẽpore data opera ignaviter rem gesserunt, ducémque semper contempserunt, & quum pugnandum esset cum Volscorum copiis, à ductibus in aciem productis cum hostibus manus cõserere noluerunt, sed & centuriones & antesignani, alij signis, alij verò ordinibus desertis in castra se recepserunt, & nisi hostes inopinatam eorum fugam mirati, & insidias metuentes ab ipsis ultrius persequendis abstitissent, maxima pars Romanorum periisset. Id autem

faciebant

faciebant quòd duci inuiderent, ne ille bello præclarè confecto, triumpho aliisque honoribus decoraretur. Postero autem die, licet consul partim eorũ ignominiosam fugam increparet, partim ad eius facinoris ignominiã præclaro prælio abolendam eos hortaretur, partim ipsis minaretur, nisi in periculis se fortiter gessissent, se legibus uiurũ. Illi tamen in eadem contumacia perseuerabant, uociferabantur, & se ex hostico abduci iubẽt, quòd præ uulneribus amplius malis resistere non possent. Multi enim eorum integras corporis partes quasi sauciis obligarant. Itaque Appius exercitũ ex hostico deducere coactus est. At Volsci eos abeuntes sequuti multos interfecerunt: ut uerò in pactum agrum ventum est, consul, uis ad concionem conuocatis, multisque exprobratis se ut in acie decertare animaduersurum dixit: & quamuis seniores, & consulis legati, ali q; primores uiri, qui minores magistratus in castris gerebant, eum pluribus deprecarentur, & ualde orarent ut moderate ageret, neue publicæ discordiã aliam nouam calamitatem adderet, ille spreta eorum oratione pœnam sanciuit. Ac mox & centuriones, quorum cohortes fugerant, & antesignani ac signiferi qui signa amiserant, partim securi percussi sunt, partim cæsi fustibus necati sunt. Ex reliqua verò multitudine pro ali is decimus quisq. miles sorte ad supplicium abductus fuit. Hæc pœna apud Romanos solennis est, in eos qui ordines deseruerunt, uel signa protecerunt, ac amiserũt. Post hæc ipse dux omnibus odiosus, tũ mœrore & ignominia exercitum, qui adhuc erat reliquus instantibus comitiis, in patriam reduxit. ANNO sequenti, quũ creati fuissent consules L. Valerius iterum & Tib. Aemilius tribuni, aliquanto post legis agrariæ mentionem ite-

rum fecerunt, & adierunt consules eosq; summis precibus orarunt ut ratum facerent, quod senatus Sp. Cassio, & Proculo Virginio consulibus promiserat. Et vterq; consul ipsis fauebat, Tib. Aemilius propter quoddam vetus odium in senatum, quod non erat iniustum, quia eius patri triumphum petenti negarat. Valerius verò, quia cupiebat plebem delinire sibi infensam propter Sp. Cassij mortem, quem tyrannidis affectatæ conuictum ipse tunc Reipub. Quæstor, capitali supplicio affecerat, virum ob peritiam exercituum ductandorũ, & bellorum gerendorũ, rerumq; ciuilium tractãdarũ longè omnium ætate suæ clarissimum, qui primus legẽ agrariam in vrbẽ intulerat, eoq; nomine potissimum, vt plebem ad se allectans, patriciis exosus erat. Quum igitur consules illis tunc promissent se de publici agri diuisione ad senatum relaturos, ipsosq; in lege perferenda adiuturos, tribuni his fretis in senatũ venerunt, & verbis vsi sunt mansuetis, contra quæ cùm cõsules nihil dixissent, ne viderentur cõtentionẽ quæ rere, seniores sententiam rogarunt. Primúsque L. Aemilius alterius consulis pater rogatus fuit, qui dixit sibi videri rẽ Repub. fore si bona publica ab omnibus possiderentur, nõ autem à paucis, & plebi hoc roganti indulgendũ esse censebat, vt ea concessio pro beneficio à senatu dato haberetur. Dicebat enim eos sæpe coactos ei & multa alia concessisse, quæ ex more largiri voluerant. Eosque qui possessiones publicas detinebant, pro fructu, quem tamdiu clàm ex illis perceperant senatui gratias agere debere æquum censebat, & si in posterum illis vti prohiberentur, pertinaces esse non debere in illis retinendis. Addebat præter ius, quod omnium confessione firmũ est, publicas quidem possessiones omnibus esse communes, pri-

uatas

uatas verò, vniuscuiusque esse, qui legitimis artibus sibi eas parasset: necessitatem etiam huius rei peragẽdæ senatui iã incumbere, quòd de agro diuidendo ante annos septemdecim S. C. fecisset. Ostendebátq; id decretũ in vtilitatẽ publicam tunc ab ipso senatu factũ, ne ager inultus maneret, nève vrbani pauperes otiosi (vt tunc) alienis bonis inuiderent, vtq; inuentus vrbana in suis laribus & paternis possessionibus educaretur, & honestè educata magno esset animo. Nã iis qui nullum patrimoniũ habent, & qui parcè se alunt alienis pecuniis, quas operas sua sibi parant, aut omnino nullũ procreandorum liberorũ amorẽ insitum esse, aut si insitus sit malum fructũ proferre, & parum felicem, quòd (vt verisimile est) ex humili coniugio prouenerit, & in mendica fortuna sit educatus. Hæc igitur est mea sententia, vt S. C. quæ turbulentorum tẽporum interuentu ad hanc vsq; diem dilata sunt, à consulibus confirmentur, & decẽ viri qui agros diuidant, creentur. His ab Aemilio dictis, secundus rogatus App. Claudius superioris anni consul, contrariam dixit sententiam: docens numquam eam fuisse voluntatẽ senatus, vt res publicæ diuiderẽtur: (nã inquiebat si senatus hoc voluisset, iãpridẽ eius decreta ad exitũ fuissent perducta) sed in aliud tẽpus eius rei cognitionẽ distulisse, quòd cuperet illam seditionẽ sopire, quam consul tyrannidẽ affectans excitarat. Quo posteà meritis pœnis affecto neq; consules qui post illud S. C. sunt facti, decreta exequutos fuisse, quòd viderẽt quantis malis aditus in Rempub. patefieret, si publica pauperibus diuidendi mos reciperetur. Neque deinceps per continuos xv. annos vllos consules (licet multa pericula illis à plebe fuissent illata) sustinuisse quidquam contra Reip. commodũ facere, quod

ne liceret quidem ipsis ex illo S. C. istos agri iudi-
res creare: sed solis illis primis consulibus in quorum consu-
latu id factum est. Itaq. ne vobis quidē (inquit) Va-
leri, túq. Aemili de diuidendis agris referre licet, quibus
hoc a senatu mandatum nō fuit, nec id quod facitis, ho-
nestum aut tutum est iis qui ex bonis maioribus sunt or-
ti. Atq; hæc quidem de senatusconsulto quo tot annis post
consules facti non tenemini, dixisse sit satis. De illis verò
qui vel per vim, vel clàm bona publica occuparunt, ac
detinent vt res proprias, paucis agere satis mihi erit. Si-
quis enim compertum habet aliquem frui agris, quorum
se legitimum possessorem probare non posit, eius nomē ad
consules deferat, & rem indicet, ipsumq; curet damnan-
dum ex legibus quæ non erunt nunc condendæ, iampridē
enim scriptæ sunt, & nulla vetustas eas deleuit. Quo-
niam verò Aemilius de vtilitate etiam disseruit, asseue
rans agri diuisionem bono fore omnibus, ne hanc quidem
partem silentio prætermitto, sed eam refellam. Hic e-
nim videtur mihi tantummodo præsentem rerum statum
spectare, sed id quod est futurum nequaquam prospicere,
nimirum hanc rerum publicarum diuisionem otiosis &
egenis hominibus concessam, quæ adhuc videtur parui es
se momenti, multorum & magnorum malorum causam
futuram. Nam mos qui cum hac bonorum publicorum di
uisione in Rempublicam iam inuehitur, & qui in ea per
manebit, grauis etiam & perniciosus in perpetuum erit.
Potiri enim malis cupiditatibus non eximit eas ex ani-
mo: sed auget eas, & priores reddit. Horum enim facta
sint vobis argumēto. Quid enim opus est vos ad mea vel
Aemilij verba mentē aduertere? Vos omnes scitis quā
tum hostiū vicerimus, quātu agrorū populati fuerimus,
& quan-

& quantum prædæ ex oppidis expugnatis retulerimus, quibus rebus hostis priuatim cùm olim beati essent, nunc ad magnam egestatem sunt redacti. scitis etiam eos, qui de inopia queruntur, a nulla harum rerũ ex hoste partarum repulsos, sed ex æquo earum fuisse participes. An igitur ex his lucris aliquid pristinæ eorum fortunæ accessisse, & suam egestatem leuasse, & ad vitæ genus illustre peruecti videntur? Equidem hoc vellem, precibus, quæ à diis contenderem, vt minus molesti contubernales ciuitati essent. At nunc vidistis, & auditis eos de sua extrema inopia conqueri. Itaque ne his quidem, quæ nunc petunt, nec multò pluribus impetratis maiores facultates habebunt, ita vt vitam commodius transigere possint. Nam non in earum fortuna, sed in moribus egestas inest, quos non modo exigua ista agri portio non satiauerit: sed ne regum quidem & tyrannorum omnes munificentiæ. Quibus si hæc concesserimus, idem faciemus quod medici qui ægrotis morem gerunt, & ad eorum voluntatem eos curant. Non enim ægra pars ciuitatis sanabitur: sed etiam sana pars huius morbi contagio inficietur. Denique, p. c. magna diligentia & cura vobis opus est vt omni studio mores ciuitatis conseruetis, qui paulatim corrumpuntur. Videtis enim quò pro esserit plebis immodestia, vt quæ consulum imperio parere amplius nolit, quam non soleat non pænitet domesticorum facinorum: sed etiam foris eadem petulantia est vsa. siquidem arma abiecit, ordines deseruit, signa hostibus prodidit, & ante congressum fugæ ignominiosæ se dedit, quasi mihi soli victoriæ gloriam, ac non etiam patriæ de victis hostibus lætitiam ereptura esset. Et nunc Volsci de Romanis trophæa statuunt, illorumque templa nostris spoliis ornantur, & eorum popu-

nunc seruit nunquam antè iactant, qui paulò antè supplicitèr à nostris ducibus petierant, ne se in seruitutè abducerent, néve occidione delerent. An igitur æquum & honestũ est ob eiusmodi egregia facinora, nos gratiã illis referre, & donis publicis agro diuiso ornare, quem hostes (quantum in istis est) in sua potestate habent. Sed quid opus est istos accusare, qui male nati, & male educati parum honestatis habent rationem? vident enim ne in omniũ quidẽ nostrũm moribus amplius habitare priscos animos: sed à nõnullis grauitatẽ superbiæ, iustitiam stultitiæ, fortitudinẽ insaniæ, prudentiã fatuitatis nomine appellari. Contra verò quæ apud illos priscos odiosa erant, hæc nunc extolli, & hominibus corruptis admirãda bona videri, & ignauiã, scurrilitatem, malignitatẽ, morúmque improbitatẽ & versutiã pro sapientia haberi, & eos qui omnibus in rebus sunt impudentes, & qui in nullo bono proposito sunt cõstantes, dociles, ac tractabiles censeri, quæ vitia iam multas potentes ciuitates funditus euerterunt. Hæc, P. C sine auditu iucunda vobis fuerint, sine molestia à me & verissimè & liberrimè sunt dicta: iis quidẽ de vobis, qui me audient (si modò me audietis) & mõcvtilia, & in posterum tuta, mihi verò quæ publicorum cõmodorum causa priuatas inimicitias suscipio, multa periculosa allaturæ. Res enim futuras ratiocinatione præuidere possum & quid mihi sit euenturum ex aliorũ exemplis, & cursibus cõiicio. His ab Appio dictis, & aliis fermè omnibus in eandẽ sententiam euntibus, senatus quidẽ est dimissus: at tribuni ob repulsam quam tulerunt, irati abierunt. Postea cœperunt consultare quanã ratione illiõ vlciscerentur. Illis igitur post longã consultationem placuit diem Appio dicere, litem capite æstimantibus. Post

hæc,

hæc, homine pro concione accusato, adhortati sunt omnes
vt ad diē dictā adessent suffragia de illo laturi. Crimina autē quæ illi erāt obiecturi, hæc erant. Malas eiū contra plebē sententias dicere, seditionem in ciuitatē inducere: & tribuno contra sacratas leges manus intulisse, & exercitum præfectū accepta ingēti clade & ignominia, impatium reuersum. His pro concione dictis, certāque die præstituta, qua die se iudicium peracturos dixerunt, ei vt tunc ad causam dicendam veniret, denuntiarunt. Id quum omnes patricij egrè ferrent, & omni studio parati essent reum seruare, & Appium hortarētur vt tempori cederet, & habitum præsenti fortunæ conuenientē sumeret, negauit ille se quidquam facturum, quod esset illiberale, & rebus ante actis indignum, & se millies mortē potius perpessurum, quàm cuiquam ad genua prostratū supplicaturum dixit. Et eos qui pro se deprecari parati erant, impediebat, dicens duplicatum pudorem sibi fore, si videret alios pro se facere, quæ ne pro se quidem fieri decorum putaret. Hæc aliaque multa huic similia dicens, nec mutata veste, nec variata grauitate vultus, nec quidquā de pristina magnanimitate remittēs, vt vidit totam ciuitatē eius iudicij expeditione erectā & suspensam, paucis ante iudicium diebus manus violentas sibi attulit. Eius tamen necessarij ipsum morbo extinctum simulabāt. Allato autem in forum cadauere, filius eius adiit tribunos & consules, petitque vt sibi populum ad concionem legitimam conuocarent, sibiq; in ea more maiorum, & ex populi Ro. cōsuetudine patrē oratione funebri quæ in viros bonos haberi solet, ornare permitterēt. Tribuni verò consi dum adhuc populus ab ipsis ad concionem vocaretur, aduersabantur, & adolescemi imperabant vt cada-

uer absportaret. Populus tamen hoc non tulit, nec iſtã cõ tumeliam neglexit ut inhonoratũ corpus eiiceretur: ſed permiſit adoleſcenti ut honores moribus receptos patri perſolueret: hic igitur fuit Appij finis. Cæterum, conſſ. co pias conſcriptas ex vrbe eduxerunt, Lucius Valerius Aequis, Tib. Aemilius Sabinis bellum illaturus. Nã hi ſeditionis tempore in agrum Romanũ fecerant irruptionẽ, eiuſq; magna parta vaſtata parta ingenti præda diſ ceſſerant. Aequi autẽ aliquoties congreſſi & multis vul neribus acceptis in caſtra in loco munito ſita fuga ſe rece perunt, nec poſtea amplius ad pugnã prodierunt. Valerius verò eorum caſtra oppugnare eſt aggreſſus: ſed diuinitus eſt prohibitus. Quum enim progreſſus eſſet, & iam rem aggrederetur, caligo cœlitus cũ ingẽti imbre exorta eſt, & fulgura, & tonitrua formidanda. Exercitu verò diſperſo confeſtim tempeſtas illa ceſſauit & magna ſere nitas in loco illo eſt facta. Conſul igitur hac religione motus, vatibuſq; caſtelli oppugnationẽ impedientibus, deterritus eorum agrum vaſtauit, cõmiq; præda in quam incidit, militibus conceſſa copias domũ reduxit. At Tiberiũ Aemiliũ principio hoſticũ cum magna conteptione peruaganteẽ, & iam nihil amplius hoſtile timentẽ, Sabinorũ exercitus inuaſit collatiſq; ſignis pugnatũ eſt inter eos, fermè à meridie vſq; ad ſolis occaſum: at noctis interuentu exercitus ſe in ſua caſtra receperũt incerta victoria. Seq; ẽtibus diebus, duces vtriq; ſuorũ cadauera ſunt rarunt foſſáq; ſua caſtra cõmuniuerunt. Et idem vtrique ſtatuerãt, ſe a cuſtodire nec hoſtẽ prælio laceſſere. Poſtea tandẽ tentoriis refixis copias abduxerunt. ANNO ſequenti, lxviij. olympiade, qua vicit in ſtadio Parmenides Poſidoniates archonte Athenis Thleagenide, conſſ. Roma

creati sunt A. Virginius Cælimontanus, & T. Numicius Priscus. Quorũ cõsulatus initio nuntiatum est Volscos cũ magno exercitu aduentare, nec multo post castellum quoddam Romanorum de numero eorum, quæ citra vrbem erant, ab hostibus occupatum ac incensum fuit. Nõ distabat autẽ procul ab vrbe, & fumus casum eum pop. Rom. denuntiauit. Tunc igitur conss. (nox enim adhuc erat) aliquot equitibus speculatum missis, & dispositis per mœnia custodiis, ipsi cum expeditissimis quibusque stationẽ pro portis habebãt, expectantes quid renuntiarent equites. Quum autẽ dies illuxisset, & vrbanæ copiæ collectæ fuissent, eas contra hostes duxerunt. At qui diripuerãt incenderántq. castellum illud ocius abierunt. Tum igitur conss. extincto reliquo incendio, p æsidióque relicto, quod custodiret castellum, in vrbem sunt reuersi. Paucis autem post diebus ambo consules cum domesticis & sociorum copiis, expeditionem fecerunt. Virginius in Aequos, Numicius in Volscos, & vtrique bellam feliciter & ex animi sententia successit. Nam Aequi cum Virginio agrũ ipsorum vastante congredi non sunt ausi: quietiam, quum manum quandã lectorum virorum in insidijs in syluis collo cassent, qui hostes palantes aggrederentur, sua spe frustrati sunt, quia Romani maturè dolum senserunt, pugnámque acrem cõ iserunt, in qua multos de suis Aequi desiderarunt, ita vt alterius prælij fortunam ne tentare quidem vellent. Numicio quoque ducenti exercitum ad Antium vrbem, quæ tunc inter primarias Volscorum vrbes erat, nullus exercitus se opposuit: sed oẽs populi ex mœnib. se defendere cogebantur. Interea verò & ager eorũ bona ex parte vastatus est, & oppidulũ quoddã maritimũ captũ est, quod erat illis

nauale simul & forum rerum venalium ad victum necessariarum, quò tum ex mari, tum etiam terrestribus latrociniis magnã prædam aduehebant. Mancipia igitur & pecunias, & pecus, & merces exercitus consulis permissu diripuit: at libera corpora, quæ belli clade absumpta non fuerant sub hasta vendita sunt, captæ etiam sunt Antiatũ naues longæ viginti & duæ, & alia nauium arma & instrumenta ad vsus necessarios parata. Postea, iussu consulis Romani domos incenderunt, naualia diruerunt, & mœnia funditus euerterunt, vt ne post suum quidẽ discessum illud oppidum Antiatibus vllũ afferret vsum. Hæc igitur ab vtroque cõsule separatim sunt gesta: postea verò coniunctis duobus exercitibus, & facta irruptione in agrũ Sabinũ eóque vastato, copias domum reduxerunt. Atque hic annus ita finitus est.

11 ¶ Anno sequenti, T. Q. Capitolino, & Q. Seruilio Prisco conss creatis, statim & domestica Romanorum copiæ in armis fuerunt, & socioru̇ auxilia vltro aduenerũt, antequam exercitus illis imperaretur. Postea cõsules, quũ diis vota fecissent & exercitũ lustrassent, in hostes sunt profecti. Sabini autẽ cõtra quos Seruilius iuerat, nec in certamen descenderunt, nec copias in campos produxerunt: sed intra munimenta se continentes agros suos in conspectu cædi, & ædificia incendi, & seruitia trãsfugere patiebantur, ita vt facillimè Romani magna præda, & simul splendida gloria aucti ex eorũ agro discesserint. Atque Seruilij expeditio hunc finẽ habuit. At qui cum Quinto in Aequos & Volscos profecti fuerant, (in vnum enim eundémque locum conuenerant ex vtraque gente, qui pro aliis certaturi erant, & castra

ad

ad Antium posuerant) celeriùs quàm militari gradu eunt es, in eorum conspectum ex improuiso venerunt, nec procul ab eorum castris in loco humili, vbi primùm cõspecti fuerunt, illósque conspexerunt, impedimenta deposuerunt, quia nolebant videri hostes numero longè superiores formidare. Rebus autem omnibus ab vtrisque ad prælium paratis, in campum processerunt, & congressi ad meridiem vsque pugnarunt, nec hostibus cedendo, nec eos superando, & vtrique partem laborantem semper exæquando subsidiis missis, quæ ad hoc ipsum parata, atque instructa erant. Hac autem in re potissimùm Aequi & Volsci meliore erãt conditione, quia Romanis numero præstabant, quo magnopere gloriabantur, hostibusque superiores erant, qui multitudinẽ tantam alacritate parem non habebant. Ibi Quintus videns multos de suis cecidisse, & ex iis qui supererant plurimos saucios, receptui signum daturus erat: sed veritus ne hostibus fugæ opinionem præberet, sibi periclitandum esse statuit. Quare lectis fortissimis quibusque equitibus, dextro suorum cornu, qua parte maximè laborabant succurrit, & modò ipsos duces ob ignauiam increpans, modò superiora prælia ipsis in memoriam reuocans, modò ignominiam, & periculum, in quod in ipsa fuga incursuri essent, ob oculos ponens. Tandem opportunissimo figmento rem labantem sustinuit, quo suis audaciam, hosti pauorem attulit. dixit enim alterum eorum cornu fugatis hostibus iam castris illorum proximum esse. Hæc loquutus impressionem in hostes fecit, & ex æquo descendens cũ lectis equitibus, quos circa se habebat, cominùs pugnare cœpit. móxque audacia quædam insuasit eos qui antè laborabant, & omnes quasi alij quidam facti in hostes

impetũ fecerunt. Volsci verò (in ea.n parte collocati fuerãt) quum diu ipsis resistitissent tandẽ inclinarũt. Quintus his profligatis, equũ conscẽdit, & alterum cornu petyt, & peditibus, qui ibi erãt, partẽ hostium victam ostẽdit: eósque adhortatus est ne aliis virtute cederẽt. Hoc facto nulla amplius hostium acies ipsis restitit: sed oẽs simul fuga castra repetere cœperunt: nõ tamen longe Romani eos sunt persequuti: sed statim reuersi corporib. præ labore languidis, quum nec amplius arma paria haberẽt, paucis interfectis in diei bus. qui ab vtrisq; in suorum cadaueribus sepeliendis & ægrotis curãdis consumpti sunt, rebus, quæ ad pugnã necessariæ erãt, paratis, alterum prælium ad Romanorum castra commiserunt. Nã quum nouæ copiæ Volsci & Æquis à vicinis populis missæ fuissẽt e rũ imperator Elutius, q; suæ copiæ quintuplò maiores essent quàm hostiles, & cernẽs Romanorum castra in loco parum munito sita, tẽpus eos adoriendi opportunissimũ putauit. Hæc autẽ in animo habens, circa mediam noctẽ ad Romanorum castra copias duxit, eásq; circundata, ne quis clàm discederẽt, custodiebat. Gratum hoc fuit Quinto, cognita hostium multitudine, expectatóq; die, donec illucesceret, horáque diei fermè tertia animaduertens hostes, iã & vigiliis & velitationibus fatigatos, nec centuriatim nec ordinib instructis accederes, sed passim, & dispersos, apertis castrorum portis, cum lectis equitib. eruptionem in eos fecit, & pedites dẽsatis cohortibus eũ sequebantur. At Volsci eo rũ audacia & subitaria impressione territi, quũ brẽue tẽporis spatium eorum impetum sustinuissẽt, repulsi sunt, & simul à castris recesserunt. Erat aũt nõ procul à castris quidã tumulus mediocriter altus, in quem cursu se receperunt vt inter-

quiesce-

quiescerẽt, & aciem mox instaurarẽt: sed non licuit ipsis ibi consistere, & vires recolligere: hostes enim è vestigio eos sequuti sunt densatis cohortibus quàm maximè fieri poterat, ne dum locum acclivum ascenderent vi deturbarentur. Ibi acre prælium ad multas horas commissum est, magnáque utrinque cædes facta. Et Volscis, licet multitudine superiores essent, & loci tuti natura adiuuarentur, tamen nouorum horum profuit: sed Romanorum alacritate & virtute per vim pulsi tumulum reliquerunt, & multi dũ fuga castra petunt, occisi sunt. Neque enim Romani eos persequi destiterunt: sed eos è vestigio sequuti sunt: nec prius eos sequi destiterunt, quàm eorum castra vi ceperunt. Corporibus autem in suam potestatem redactis, rebus omnib quæ in castris fuerãt relictæ, equis, armis, & pecunijs permultis potiti, illam noctem in illis castris transegerunt. Sequẽti die paratis rebus ad oppugnationẽ necessarijs cõsurgunt, agrum Antiatẽ xxx. stadia nõ amplius distantẽ copias duxit. Antiates antẽ ad vrbis custodiã & præsidiũ quosdam Aequos socios habebãt, q tũc Romanorũ audacia territi ex vrbe profugere conabãtur: sed re ab Antiatibus cognita, ab illis abire prohibiti, q vrbẽ Romanis aduentãtib. dederẽt. Antiates, hoc p indicium cognito, tẽpori cesserũt, cõsilióq; cũ illis cõmunicato, vrbẽ Quintio dediderũt his cõditionib. vt Aequi accepta fide publica abirẽt & Antiates præsidiũ reciperẽt, & pop Rõ imperata facerent. His cõditionib. cõsul potitus vrbe, acceptóq; stipẽdio, & aliis rb exercitui necessarijs, impositóq; ibi præsidio, copias abduxit. Quopropter senatus obuiã ei processit, & honorifice excepti triũphi põpã decorauit. Anno sequẽti cõss creati sunt T. Aemilius iterũ, & Q. Fabius filius

vnius triũ illorũ fratrũ, qui præsidio ad Cremerã misso præfecti fuerant, & qui cũ suis clientelis ibi interierãt. Senatus verò, tribunis plebem legis agrariæ stimulis iterum concitantibus Aemilióq. altero cons. ipsis fauente quum vellet pauperes demereri, cósque subleuare, partẽ aliquam de Antiatum agro superiore anno armis capto & occupato, illis diuidere decreuit. Quare triumuiri agri diuidendi causa creati sunt T. Q. Capitolinus, cui sors Antiates dederãt, & cũ eo L. Furius & A. Virginius. Illa autem agri diuisio plerisque plebeiis & pauperibus Rom. quasi patria abigerentur, nequaquam erat grata. Et quum pauci nomina dedissent, placuit senatui (quũ non esset iustus coloniæ numerus) Latinis & Hernicis qui vellent permittere, vt coloniæ illius essent participes. Triumuiri igitur Antium missi agrum suis diuiserunt, eius parte quadam Antiatibus relicta. Interea verò ambo coss. expeditionẽ fecerunt, Aemilius in Sabinos, Fabius in Aequos. Ac Aemilius quidẽ, quũ in hostico diu fuisset moratus, nec vlla manus pro agro pugnaturæ ei obuiã venisset, sed eũ impunè vastasset, quũ ea instaret comitiorũ tempus, copias domũ abduxit. Aequi verò antequam ad extremam necessitatem redigerẽtur, & exercitus suus deleretur, vel vrbis mœnia expugnarentur, per præconẽ de pace & amicitia egerunt. At cõsexacto duorum mensiũ frumento, & binis tunicis in singulos milites, & stipendio sex mensium, & siquid aliud necessariũ erat, inducias cũ illis fecit, donec Romã profecti pacẽ à senatu impetrarẽt. Senatus hiscognitis, Fabio imperatori permisit, vt pacẽ cũ Aequis quib. vellet cõditionib. faceret. Postea rẽsolutis deprecatione fœdera inter duos populos his legib. sũt facta, vt Aequi saluis vrbib.

agrisque

agrissq; suis P. R. imperio parerent, & Romanis nihil mitterēt præter auxilia quotiescunq. hoc ipsis denūtiatū fuisset, idq. propriis sumptibus. Fabius hoc fœdere icto copias reduxit, & magistratus in annum sequentem vna cum collega designauit. CONSVLES autem ab illis designati erant Sp. Postumius Albinus, & Q. Servilius Priscus iterum. His consſ. Aequi conditiones pacis cum P. R. recens factæ violare sunt visi, tali de causa: Antiates qui vrbana & rustica prædia habebant, in illis remanserunt, & agros possessionum tam sibi diuisarum ac propriarum, quam earum quæ ad nouos colonos pertinebant, quæ à triumuiris fuerant ipsis diuisæ ac assignatæ, colebant ea conditione, vt certam & statutam fructuum partem illis penderent: qui verò nihil tale habebant, vrbem deseruerunt, & lubenter ab Aequis exceptī inde profecti, Latinorum agros latrociniis infestabant. Postea Aequorum audaciſsimi quique, & quotquot pauperes erant ad eam latrociniorum societatem se addiderunt. His de rebus Latinis apud senatum querētibus, & postulantibus vt aut exercitum mitterent, aut sibi ipsis permitterent eos vlcisci à quibus bello fuerant lacessiti. Patres, hac re cognita, nec exercitū mittere decreuerunt, nec Latinis suas copias educere permiserunt: sed electis tribus legatis, quorum princeps erat Q. Fabius, qui pacē cū ea gente fecerat, ipsis mādarūt, vt quæ sensu latronum manus in sociorū, & P. R. agrū mitterētur (nā & in eū excursiones quædā exulib. factæ fuerā) an nihil eorū publico cōsilio factū fuisset, & si res ita deferet ea facinora priuatorū esse cōtra populi voluntatē, ereptas repeterent, & sontes eos qui hæc iniqua fa-

cinora patrasset. ad supplitiū dedi postularēt. Legatis eò profectis, Aequi, auditis eorū querimoniis, ambigua dederāt responsa, negātes id facinus de cōsētentia factū, & minime æquū cōsentes autores eius dedere. q & vrbē suā amiserāt, & errones erāt, & ad se supplices cōfugerant. Quib reb. Fabius indignat⁹, & fide rursus fidē violatā inpatiēs, vt vidit Aequos simulate agere tēpus q. ad deliberādū petere, & se p specie hospitij latius ab ipsis detineri, remansit q. volebat res eorū explorare. Qui per speciē cōtemplādi circūductus per oīa loca & publica & sacra, & per bellicorū armorū officinas, quid animadmertisset quæda iā perfecta, quæda adhuc in manib. essent, mētē eorū cognouit. Et Romā reuersus senatui renūtiauit quæcūq. audierat & quæcūq. viderat. Ille, nihil amplius cunctat⁹, decreuit mittere feciales, q. bellū Aequis indicerēt, nisi exules Antiatū vrbe pellerēt, & p iniurijs pop. Rō. illatis se ipsis satisfacturos pollicerētur. Aequi audacius legatis responderunt: seq. non inultos belli excepturos dixerunt. Nō licuit tamen Romanis eo anno exercitum cōtra illos mittere, siue deo vetante, siue propter morbos quib. multitudo per bonā anni partē detēta fuit: sed per exiguus exercitus ad sociorū præsidiū egressus, duce Q. Seruilio altero cōsule, in agri Latini finibus statiua habuit. In vrbe verò ædē Iouis Fidij Sp. Postumi⁹ eius vel lega cōsecrauit Nonis mensis Iunij in colle Quirinali, extructā quidem ab vltimo rege Tarquinio, non tamen ab illo ex more P.R. consecratā. Sed tūc ex S.C. Postumius eā dedicauit: vt eius ædis inscriptio testatur. His cōsulibus nihil aliud memorabile gestum est.

12. ¶ OLYMPIADE LXXIX, qua vicit Xenophō Corinthius, archōte Athenis Archemide cōsules sunt facti, T. Quintius Capitolinus tertiū, & Q. Fabius Vibul a

bulanus iterū. Quib an bob ſenatus magnos & bene instructos exercitus dedit, atq ita eos ab bellū miſit. Quintius iuſſus eſt agrū Romanū hoſtib finitimis tueri, r ab Aequorū agros vaſtare. Is Aequos nacſ eſt cū ingēti exercitu in ſuis finib ſuū aduersū exp ctātes. Quū aūt utriq; manitiſſimis locis caſtra poſ iſſet, in planitiē proceſſerūt, Aeqs hoſtē prouocātib & p elio laceſſētib, & ad multas diei horas fortiter acſtrenuè pugnarūt ſingulis victoriæ ſpē in ſe ipſis, nō in alio quopiā collocātib. Quū verò plerisq eorū gladij ob cōtinuos ictus inutiles eſſēt facti, ſigno a ducib receptui dato in caſtra ſe receperunt: poſt hæc inter eos nō amplius totis viribus acie inſtructa certatū eſt: ſed cōtinuæ quædā velitationes ſequutæ, & prælia inter leuis armaturæ milites facta dū aquarētur, & cōmeat proſequerētur: & in his quoq plerūque æquo marte diſcedebatur. Dū aūt hæc geruntur, pars quædā exercitus Aequorū trāſgreſſa per alios incuſtoditos tramites fecit irruptionē in agri Romani partē, quæ ab Aequerū finib maximè erat remota, & ideò min cuſtodita, vnde multos captiuos, & magnā prædā abduxit: inſciiſq Quintianis, quib agri Romani cuſtodia mādata fuerat, domū ſe recepit. Quod ſæpius fiebat, & magnā cōſulib ignominiā afferebat. Tandē quū Fabius per exploratores & captiuos cognouiſſet robur totius exercitus Aequorum ex caſtris egreſſum, ipſe quoq in caſtris relictis ſeniorib, noctu egreſſus eſt cum lectiſſimis quibuſq & equitibus & peditibus. Aequi igitur diſceptis locis, in quæ irruperāt, cū magna præda diſceſſerāt. At Fabius ipſis nō longè progreſſis derepēte apparuit, prædāq; eripuit, & prælio vicit eos q ipſius impetū ſuſtinere voluerāt, quiq fortiter pugnarāt. Reliqui diſperſi, hoſtib inſequētib locorum peritia eluſis, in caſtra fuga ſe receperunt. Aequi ino-

pinata hac clade percussi, vallo euulso sub noctem di-
scesserunt, nec postea ex vrbe amplius prodierunt: sed
passi sunt in suo conspectu frumentum iam maturum ab
hostibus asportari, & greges pecoris abigi, & pecu-
arias diripi, & villas incendi, & multos captiuos ab-
duci. Fabius his peractis, instantibus comitiis, co-
pias motis castris domum reduxit, & Quintius idem fe-
cit. Romam autem reuersi designarunt consules A. Po-
stumium Albū, & Sp. Furiū, qui mox consulatum inie-
runt. A sociis autem Latini nominis nuntij propere
missi venerunt. Hi in curiam introducti indicarunt
Antiates dubia esse fide, & ad defectionem spectare oc
cultè per legatos Aequis eos solicitantibus, & multis
Volscis per speciem mercatus in vrbem euntibus, quos
adducebant ij qui Antium antè deseruerant, quando
eius ager ob paupertatem diuisus est, & qui ad Aequos
(vt dixi) transfugerant. Nec solos indigenas corrupto-
esse nuntiabant sed etiam magnam aduenarum partem:
& nisi valido præsidio præuenti fuissent, inde quoque
inopinatum bellum Romanis illatum iri. Et paulo post,
alij ab Hernicis missi nuntiarunt magnum Aequorum
exercitum è finibus suis egressum in agro suo statiua ha
bere. eumque populari: & Volscos se ad illam Aequo-
rum militiā socios addidisse, maiorēmque exercitus par-
tē præbuisse. Propterea senatus ad eos qui res Antiatū
turbabāt (quidā n. ex illis venerāt vt se purgarēt. sed sa
tis cōstabat eos nihil sani cogitare) aliud præsidiū, quod
ciuitatē tueretur & in officio cōtineret, mittere decreuit,
& cōtra Aequos Sp. Furiū exercitū ducere iussit. Et am
bo celeriter copias eduxerunt. At Aequi vbi cognouerūt
Romanorū exercitū egressū, castris ex Hernico motis
obuiam

obuiã ipsis inerunt Quũ autẽ in mutuũ cõspectũ veniſſẽt, caſtra non magno interuallo inter ſe diſtãtia co die poſuerunt. Poſtridie uerò hoſtes ad uallum Romanorum acceſſerunt ut eorum animos explorarent: quibus ad prælium non prodeuntibus uelitationibus factis, nullóq. memorabili facinore patrato cum magna iactatione abierunt. Poſtridie conſul remoto uallo (locus enim non ualde tutus erat) caſtra in opportuniore loco poſuit, ab & profundiore foſſa, & altiore uallo ea munit. Quo uiſo hoſtibus audacia creuit, & multò magis poſtquam ipſis nouarum copiarũ auxilium à Volſcorum & Aequo gente miſſum uenit. Quare nihil amplius cunctati, copias ad uallũ Romanorũ adduxerũt. At cõſul animaduertẽs ſuũ exercitũ nõ fore ſatis firmum ad reſiſtendum ambabus gentibus, quoſdã equites cũ literis Romã miſit, per quas auxiliũ ſibi celeriter mitti poſtulabat, quòd totus ſuus exercitus in ſummo ſalutis diſcrimine verſaretur. Poſtumius, eius collega, his acceptis (nã fermè media nox erat quũ equites eò uenerũt) patres per multos præcones ex ædib. excitos in curiã cõuocauit, factúmq. eſt ante clarã lucẽ s. c. ut T. Quintius qui ter cõſul fuerat, cũ lectiſſima peditũ equitúmque iuuẽtute, pro cõſulari imperio ornatus, in hoſtes cõfeſtim iret. & A. Poſtumius alter cõſul reliquis copiis coactis, ad quas cogẽdas longiore mora ei opus erat, quanta maxima celeritate poſſet ſuis opẽ ferret. Prima luce, Quintius cõtraxit uoluntariorũ fermè quinq. millia, nec lõga mora interiecta ex urbe eas copias eduxit. Aequi hoc ſuſpicati ſunt, atq hoc ipſum expectãtes, antequã ſubſidiũ Romanis ueniret, caſtra eorũ oppugnare in animo habentes, ut ui & multitudine ea expugnaturi, exercitu ſuo biſariam diuiſo, omnes ex caſtris egreſſi ſunt, pugnatumq. a-

criter per totum diē quòd illi munitiones variis ex partibus audaciter ascēderent. nec iaculorū, nec sagittarum, nec lapidū fundæ emissorū cōtinuis ictibus submoueri possent. Tūc cōsul & legatus, cohortati se inuicē, subitò apertis portis eodē tēpore, vnà cū validissimis quibusque ruptionē in hostes fecerunt. & ab vtraque castrorū parte, qua oppugnabātur facta in eos impressione illos qui vallū ascendebāt repulerunt. Hostibus autē in fugā versis, cōsul nō lōgè persequutus eos qui sibi oppositi erāt, reuersus est. Sed frater eius, & legatus P. Furius, animi magnitudine & ardore euectus, vsque ad hostiū castra tergo hærēdo & cædendo, eos est insequutus: duas aūt & nō plures cohortes secū habebat, quæ numerū mille hominū cōficiebāt. Hoc animaduerso hostes circiter quinquies mille ex castris progressi eū adorti sunt, atque hi quidem à fronte eos aggressi sunt. equites verò per mediā suorum aciē circūuecti, terga Romanorū inuaserunt. Hoc igitur modo ab illis circūuenti qui cū Publio erāt, & à suis destituti, quū possent salutē traditis armis redimere (ad hoc enim hostes eos inuitabāt, & magni faciebāt mille Romanos viros fortissimos in suā potestatē redigere, quia sperabāt se horū opera pacē honestiā impetraturos) cōtēnentes illis & se inuicē cohortati ne quid indignū patria admitterent, pugnātes multisq; hostiū cæsis, omnes ad vnū ceciderunt. His cæsis, Aequi secūdo suec essu elati ad Romanorū castra venerūt, Publij aliorūq; nobiliū virorū capita hastis præfixa ostentātes, sperātes se hoc modo terrorē incussuros illis qui erāt in castris & se ad deditionē eos cōpulsuros. At illos ob cæsorū cladē miseratio subijt, eorūq; fortunam deflebāt: sed ad certamē audacia duplo maior in eorū animis creuit, eosq; præclarū desiderium incepit: & vel vince-

re, vel

re, vel mori eodē modo quo illi, potius quā in hostiū potestatē venire decreuerūt. Illā igitur noctē ab hostibus obsessi Romani trāsegerunt, vigilātes & sarcientes valli partes laborātes, & parātes multas alias easq; varias res, quæ erāt necessariæ ad arcēdos hostes si iterū oppugnationē tētassent. Postridie verò hostes iterū castra oppugnare cœperunt & vallum multis in locis cōuellebant & sæpe Æqui à vallo repulsi sunt ab iis qui cōglobati eruptionē faciebāt. sæpe etiā qui audacius progressi fuissent ab illis in castra sunt cōpulsi. durauitq; id certamē per totū diē, in quo & cōsul Rō tragula per scutū traiecta, in femore est vulneratus, & multi alij illustres viri qui circa eū pugnabāt. Romanis aūt iā defatigatione fractis, circa vesperū crepusculū inopinato Quintius cū lectissimis voluntariorū auxilijs aduentās est cōspectus. Quorū aduētū hostes cōspicati, omissa oppugnatione, re infecta se in sua castra receperūt. Romani v. rò facta eruptione in eos abeūtes, extremū agmē cædebāt: haud tamē diutius eos sunt persequuti, q̄ pleriq; vulnerib. debilitati essent: sed celeriter reuersi sunt. Vtriq; postea se in castris cōtinētes diuisibi accuratè cauerūt. Deinde Æquorū & Volscorū aliæ copiæ existimātes se nactas præclaram occasionē populādi agri Rō. dū Romanorū virūm robur militia distineretur noctu ex suis finib. sunt egressæ factaq; irruptione in remotissimā agri partē, quamaxima erat aggressiū securitas, multis captiuis, magnaq; præda sunt potitæ. Sed quū ind. discessissent, tādē nec honestū nec felicē rerū exitū habuerunt. Nam alter consul Postumus, qui copias ducebat vt auxilium ferret iis qui in castris obsidebantur, postquam audiuit quod ab hostibus fuerat factum, ex insperato ipsis occurrit. Illi verò aduentu eius nec consternati,

nec territi sunt, sed impedimentis prædáque per otium in loco munito depositá manú q; satis firma ad horũ præsidiũ relicta, reliqui acie instructa cũ Romanis cõflixerũt, & congressi facinora memoratu digna ediderunt pauci cum multis dimicãtes (iam enim in eos multi, qui antè erant dispersi, ex agris cõcurrebãt (& leuiter armati cum hominib qui totum corpus tectũ ac munitũ habebãt: multósq Romanos interfecerũt, & parũ abfuit quin in agro alieno deprehẽsi erigerẽt trophæa de illis qui contra ipsos venerant. Sed cõsul & lectissimi Rom. equites qui cũ eo erãt, equis infrænatis impetu facto in eorũ aciẽ firmissimã & acerrimè pugnantem, ordines perruperunt. & multos prostrauerunt. Cæsis autem iis qui in prima acie pugnabãt, & reliquus exercitus profligatus in fugã se dedit, & qui ad impedimentorum præsidium relicti fuerant in proximos montes se contulerunt. In eo igitur prælio pauci ex illis ceciderunt: sed in fuga plurimi, tum quia locorum erant ignari, tum quia equitatus rom. eos consectabatur. Dum hæc geruntur, alter consul, Sp. Furius postquam intellexit collegam aduentare vt sibi ferret auxilium, veritus ne hostes obuiam illi irent, & iter intercluderent ne ad se veniret, valli oppugnatione eos distinere statuit. Sed hostes cognita suorum clade, quam nuntiarant qui ex ea strage euaserant, eum præuerterunt, & conuulso vallo, noctis initio in vrbem redierunt. res gesta non omnino ex animi sententia: nam præter milites absumptos in prælijs & pabulationibus, in illa fuga, ex iis qui tardiores fuerãt, longè plures quàm ante amiserunt. Nam qui labore & vulneribus grauati ægrè gradum promouebant, membrorum viribus eos deficientibus cadebant potissimùm verò circa riuos & fluuios, præsitis ardore: quos Roma-

ni

ni equites comprehensos occidebant. Sed ne Romani quidem re omnino feliciter in illo bello gesta domum redierunt: nam multos viros fortes in prælijs amiserunt, & legatum, cuius opera in illo certamine inter cæteros omnes maximè enituit, victoriam tamen nulla alia inferiorē in patriā retulerunt. Hæc illis consulibus suntgesta.

13 ¶ ANNO autem sequenti, L. Aebutio, & P. Seruilio Prisco consulibus, neque militiæ, neque domi quidquam memorabile Romani gesserunt: pestilentia vt nunquam antè vexati, quæ primùm equorum boúmque armenta inuasit, & mox greges caprarum ouiúmque aggressa est, & penè omne quadrupedum genus abstulit, deinde pastores & colonos attigit, & totum ager Rom. peruagata vrbem inuasit. Ac seruorum & mercenariorum hominum & pauperis turbæ quantam multitudinem absumpserit, difficile est inuenire. Nam principiò coaceruata in plaustris cadauera absportabantur. Deinde verò qui vilissimi erant, & quorum minima ratio habebatur in profluentem fluuium proiiciebantur. Ordnis verò senatorij, vt ex numero inito apparuit quarta pars extincta est inter quos & ambo consules, & maior pars tribunorum cœpit enim pestis circa Cal. Septembris, & duranit totum illum annum, æquè omnem sexum & ætatem inuadens & conficiens. Vbi autem vicini populi cognouerunt malum in quo pop. Rom. versabatur, Aequi & Volsci rati præclaram sibi oblatam occasionem euertendi eius imperij, societatis fœdus iureiurando inter posito fecerunt, paratisque rebus ad vrbis obsidionem necessarijs, vtrique quanta maxima celeritate potuerunt, copias ex suis finibus eduxerūt. Vt autem Romani sociorum auxilia eripercent, primùm

in Latinorum & Hernicorum agros irruptionem fecerunt. Quo autẽ die legatio ab utraque gẽte, quæ bello premebatur, ad senatum auxilij implorãdi causa venerat eo die alter cõsul L. Aebutius obierat. At P. Seruilius morbi proximus, quippe qui paulum adhuc spirabat, patres cõuocauit. Eorum aũt plerique semimortui, lecticis in curiã delati, respõderunt legatis ad se missis vt suis renuntiarent senatum illis permittere vt sua virtute hostem arcerent, donec cõsul melius se haberet, & exercitus ad auxilium ipsis ferendum cogeretur. Hoc responso à Romanis accepto, Latini rebus quæsum, ne potuerunt ex agris in oppida comportatis mœnia tutabantur, cæteráque damna contemnebant. Sed Hernici, quum ferre non possent vastationem & direptionem agrorum, arreptis armis ex vrbibus suis egressi sunt: prælióque egregiè facto, multis suorũ amissis, & hostium lõgè pluribus occisis, coacti sunt tandem intra mœnia se recipere, nec amplius martia aleam tentarunt. At Aequi & Volsci eorum regionem populati, impune in Tusculanum agrum processerunt. Hoc quoque directo nemine repugnante, in Sabinorum fines iuerunt, & per hunc quoque agrum impunè iter facientes Romam petierunt, vrbémque valde turbarunt: haud tamen ea potiri potuerunt: nam Romani, licet infirmis essent corporibus, & vtrumque consulẽ amisissent nuper enim & Seruilius vita excesserat) supra vires armati, muros vrbis cõscenderunt, cuius ambitus tunc temporis erat eadem magnitudine qua Athenarum circuitus. Muri autẽ erant partim in collibus siti, & saxis præruptis ipsa loci natura muniti & exiguo præsidio indigẽtes, partim Tiberi fluuio muniti, cuius latitudo est quatuor ferme iugerũ, profunditas verò tãta, vt magnis nauibus

navigari

nauigari possit eiusque cursus est cõcitatus & valde vorticosus si quis alius, nec pedibus nisi per pontem transiri potest: tunc autem unus erat sublicius qui belli tempore dissoluebatur. Ea verò urbis pars quæ facillimè expugnari poterat, ab Esquilina porta usque ad Collinam, opere manu facto munita est. Nam & fossa ante eam ducta est lata pedes centum & amplius, quâ minimum est lata alta triginta, murúsque fossæ imminet alto & lato aggere intrinsecus suffultus ita ut nec arietibus quassari, nec fundibus aĉtis cuniculis euerti possit. Huius loci longitudo est fermè septem stadiorum, latitudo verò quinquaginta pedum, quo in loco tunc Romani conferta instructaque acie hostium impetum repulerunt, quòd illius seculi homines imperiti essent parandarum testudinum, quæ terrea aggrestia fiebãt & aliarum machinarũ, quæ ἑλεπόλεις vocantur, id est, urbium expugnatrices. Hostes igitur desperata urbis expugnatione, à muris recesserũt, totóque agro per quem iter faciebant vastato, copias domum reduxerũt. ROMANI verò interregibus comitiorum causa creatis (quod facere sunt soliti quoties nullus est in urbe magistratus) consules crearunt L. Lucretium & T. Veturium Geminum. His consulibus morbus est sedatus, & omnes actiones ciuiles, tam priuatæ quàm publicæ, in aliud tempus dilatæ fuerunt. Et quũ unus trib. pl. b. Sextus Titus legis grauiæ iterum mentionẽ latiónémque tentasset, & à plebe prohibitus fuisset, & res in opportuniora tempora fuisset reiecta omnes accesi sunt ingẽti desiderio ulciscendi eos qui pestis tempore bellum reip intulerant: & confestim senatusconsulto plebiscque scito bellum est decretum, & copiæ conscribi cœptæ, nullis qui militari ætate essent, neuis

quidem per leges erant immunes, ad eam militiam profi-
ciſci recuſantibus. Copiis autem trifariam diuſis, pars
vna ad vrbis præſidium eſt relicta, cui præerat L. Fa-
bius, vir conſularis: duæ reliquæ cum conſulibus in Æ-
quos & Volſcos ſunt profectæ. Idem autem iam & ho-
ſtes fecerant. Nam vtriuſque gentis firmiſſimum robur
collectum in caſtris erat, ſub duobus ducibus, & ab agro
Hernico (in quo tunc erat) initio facto agros omnium
qui pop. Rom imperio parebant, inuadere conſtituerat:
reliquæ copiæ ad externam militiam minus vtiles, ad op-
pidorum præſidium relictæ ſunt ne qua vis repentina ip-
ſis ab hoſtibus inferretur. Tunc Romanis conſulibus cõ
ſultãtibus viſum eſt optimum, eorum vrbes adoriri, quod
ea conſilio fecerunt, quod communem eorum exercitum
diſſolutum iri certò ſciebant, ſi ſinguli res ſuas in extre-
mis periculis verſari intellexiſſent, eóſque longè ſatius eſ
ſe ducturos ſua ſeruare quàm res hoſtium vaſtare. Lucre
tius igitur in Æquorum, Veturius in Volſcorum agros
irrupit. Æqui agrorum damno ac vaſtatione contem-
pta, vrbem & munitiones tuebantur. At Volſci, audã-
cia & arrogantia impulſi, & contempta Romani exerci
tus paucitate, quod cum ipſorum multitudine minimè eſ
ſet comparandus, quaſi non ſatis validus eſſet ad manus
cum ea conſerendas, prodierunt pro agro certaturi, &
prope Veturium caſtra poſuerunt. Quemadmodum au-
tem ſolet accidere exercitui, qui conſtat ex tyronibus, &
oppidanorum & aggreſtium turba pro tempore tumultua
rio delectu coacta, in qua magna pars eſt inermis, & rei
militaris imperita, cum hoſtibus ne manus quidem con
ſerere ſunt auſi: Sed primo Romanorum impetu plerique
turbati, quum nec clamores, nec armorum ſtrepitum ferre
potuiſ-

potuissent fuga effusa urbem petierunt: itaque multi in viarum angustiis deprehensi, & longè plures dum se circa portas mutuò premunt, equitatu insequente cæsi sunt. Volsci igitur, hac clade accepta suam ipsorum dementiam accusabant, nec in posterum belli fortunam tentare sunt ausi. Duces verò Volscorum & Aequorum, qui castra sub dio habebant, quum audissent oppida sua bello premi & ipsi fortè aliquod facinus patrare, castrisque motis ex Hernicorum & Latinorum agris animi impetu & celeritate quanta maxima possent, ipsam Romam petere statuerunt. ipsi quoque isto consilio ad id impulsi sperabant enim fore ut è duobus præclaris facinoribus alterum sibi infeliciter succederet, vel ut Romam incustoditam caperent, vel hostes ex agro suo expellerent, quia sciebant consules coactum iri patriæ oppugnatæ opem ferre. Hoc igitur consilio inito, exercitum festinanter ducebant, ut ex improviso ad urbem accederent, & statim oppugnationem aggrederentur. Jámque Tusculum usque progressi quum vidissent mœnia Romana armatis hominibus opplera, & portis quatuor cohortes, quarum una quæque ex sexcentis viris constabat in statione esse, consilium petendæ Romæ deposuerunt, at eum urbis agrum quem superiore irruptione intactum reliquerant, ibi cõsidentes vastabant. In quorum conspectum quum alter consul L. Lucretius ex improviso venisset, & castra non procul abipsis posuisset, illi præclaram occasionum sibi oblatam existimantes prælij committendi, antequam alter exercitus cui præerat Volturius, Lucretio subsidium ferret, depositis impedimentis in quodam tumulo, & duabus cohortibus ad eorũ præsidium relictis, reliqui in planitiẽ processerunt: & congressi cum Romanis rem diu fortiter

gesserunt, Sed deinde quum vidissent ex quodam castello montano exercitum à tergo descendentem, existimarunt alterum consulem cum suis copiis aduentare: & veriti ne ab vtroque circumuenirentur haud amplius in eodem loco constiterunt: sed in fugam se dederunt. In hoc prælio vterque dux eorum post edita præclara ac fortia facinora cecidit, & circa eos multi alij fortes viri pugnantes. Quiverò ex pugna fugerũt, dispersi in suã quique patriã se receperunt. Post hæc Lucretius, nemine prohibente, Aequorum agrum impunè vastauit, & Veturius Volscorum vsque ad comitiorum tempus: tunc demum motis castris copias domum reduxerunt. Et vterque ob partam victoriam triumphauit, Lucretius quadrigis inuectus, Veturius vrbem pedibus ingressus. Isti enim duo triumphi (vt dixi) ducibus à senatu conceduntur, cætera quidem pompa pares: sed hac tantùm re differentes, quod in altero, duces curru inueherentur, in altero pedibus vrbem ingrederentur.

DIONYSII

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI, ROMANARVM ANTIQVITATVM LIBER DECIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Sub consulatu P. Volumnij, & Seruij Sulpicij, turbæ à Tribunis ortæ: Consulum & patriciorum oppositio: Q. Cincinnatus causam filij apud populum agit: cui respondet Virginius & M. Volscius tribuni, vnde sequitur mulcta pecuniaria quam pater pro filio persoluit.

2 P. Valerio & C. Claudio Coss. intestina seditio periculosissima: Virginij oratio ad populum cui respondet Claudius Consul.

3 Appius Herdonius Sabinus Rom. Rempub. euertere conatur, & Capitolium occupat: Tribunorum & Consulum varia consilia: Herdonius tandem telorum multitudine obrutus cadit.

4 Tribunorum turbas excitantium, conatus à Q. Cincinnato reprimuntur.

5 Bellum cum Æquis & Volscis, à Consulibus Fabio & Cornelio diuictis.

6 Contra Æquos & Sabinos, Graccho Cloelio duce superbientes, bellum instauratum, ad quod conficiendum Q. Cincinnatus è prædiolo suo ad dictaturam accersitus de Æquis subactis triumphat.

7 C. Horatio & Q. Minucio Consulibus, turbæ domi, ac foris bellum aduersus Æquos & Sabinos ad pacandam Rempub. decemuiri seu tribuni plebis ex senatusconsl. creati.

8 Sub Consulatu M. Valerij & Sp. Virginij contentiones inter tribunos & Consules renouantur, quæ finiunt tandem senatusconsulto facto vt plebi locus ad ædificandum daretur in Auentino monte.

9 Turbatur iterum ciuitas, dū T. Romulus & C. Veturius consulatum gererent: Æqui bello premuntur à Romanis: Consules & patricij adu. Tribunos & plebeios vniuntur: Oratio S. Dentati pro lege agraria; & Icilij tribuni responsio: & quid deinde acciderit,

10 Æquis in agrum Tusculanorum irrumpētibus cessant contentiones in vrbe, consules se ad bellum accingunt, in quo virtute S. Dentati hostes exuti castris insigni clade afficiuntur.

11 Consules accusati, à S. Dentato, Romilius Damnatus orationem habet ad senatum de legum latione, & mulctæ sibi à Tribunis remissæ beneficium ascipere recusat.

12 Peste atrocissima Romanis laborātibus Æqui belli inferre cogitantes eadem calamitate premuntur: annonæ caritas: Decemviri creati qui leges instituerent.

13 Qualem Reipublicæ formam decemviri constituerint, propositis legibus in decem tabulis: inter se coniurant, & decem legum tabulis duas addunt.

Rerum gestarum autem quæ hoc libro continentur tempus est duodecim annorum.

I SEQVITVR *olympias* LXXV, *qua in stadio vicit Torymbas Thessalus, archonte Athenis Phrasidemo. Roma verò consules creati P. Volumnius & Serv. Sulpicius Camerinus. Hi nullas copias eduxerunt neque vt hostes vlciscerentur ob iniurias sibi sociisque illatas neque vt suis rebus præsidio essent: sed de intestinis malis sollicitr: proinde cauebant, ne quid mali plebs contra senatum facta patraret. Rursus enim turbabatur à tribu-*

à tribunis, qui docebant hominibus liberis eam esse optimam Reip. formã vbi dicẽdi libertas omnibus ex æquo esset. Quapropter omnia tum priuata, tum publica ex legum præscripto administrari volebat. Tunc enim nondũ erat apud Romanos iuris libertatisque dicendi æquabilitas, nec dum omne ius scriptum extabat: sed olim eorum reges ius petentibus dicebant eorumque lites dirimebant: & quod ab illis fuisset iudicatum, id vim legis habebat. Sed imperio à regibus ad annuum consulum magistratum translato, inter cætera regia officia, iuris quoque cognitio ad eos translata est. Illi enim lites inter litigatores quacunque de causa ortas iure decidebant. Huius autem iuris magna pars erat penes summos magistratus qui ex ordine optimatũ creabantur, eósque in ipso magistratu sequebatur: minima verò pars eius in sacris pontificum libris erat scripta, quæ vim legis haberet, cuius soli patricij cognitionem habebant, quòd in ea versarentur. Reliquum vulgus negotiatorum & agricolarum quòd non nisi mercatus gratia in vrbem statis diebus conueniret, adhuc huius imperitum erat. Hoc autẽ institutum primus C. Terentius tribunus plebis superiore anno in Remp. inducere conatus fuerat: sed rem imperfectam relinquere fuerat coactus, quòd maior plebis pars externa militia distineretur, & consules data opera copias in hostico retinerent, donec ipsorum magistratus tẽpus præteriret. Tunc verò A. Virginius trib. plebis id susceptum ad finem perducere volebat. Sed ne hoc fieret néve ex legum præscripto Remp. administrare cogerentur, & consules & senatus & alij ciues, qui plurimum in ciuitate poterant, quibusuis artibus perpetuò obtinebantur: & crebrò senatus coactus, crebrò etiam cõciones

habitæ, & vtriusque factionis magistratus nihil de summo conatu remittebant. Vnde quiuis manifestè videre poterat magnam aliquam, & incurabilem calamitatem ex illa magna cõtentione in Rem p. redundaturam. Humanas autem coniecturas adiuuabant præterea & terrores diuinitus incussi: de quorum nonnullis nihil in publicis scriptis, nihil etiam vlla omnium hominum memoria proditum reperiebatur. Nam fulgores in cælo exortos, ignes ardentes in vno loco manentes, terræ mugitus, & continuas eiusdem quassationes, varias spectrorum facies per aerem discurrentes, voces hominum animos perturbantes, & quæcunque alia huiusmodi prodigia acciderunt, hæc & multò antè quondam accidisse constabat. Sed quod minus, imò verò quod ne vllo quidem modo vnquam Romani experti fuerãt, nec audierant, & quo maximè sunt territi, id huiusmodi fuit. Ingens nium̃ber ex cælo in terram cum impetu est delatus, secum trahens non niuem, sed carnium frusta, & minora & maiora, quorum plraque in aere sublimia aues, quæcunque sunt prædatrices, aduolantes rostris diripuerunt. Quæ verò in terram delata sunt, hæc in ipsa vrbe & agris sparsa diu iacuerunt, ita tamen vt nec colorem mutarent, quem carnes inueteratæ solent habere, nec putredine corrupta vllum tetram odorem emitterent. Id prodigium vates indigenæ coniecturis interpretari non potuerunt. Sed libri oraculorum Sibyllinorum consulti monuerunt, ab alienigenis hostibus in vrbem ingressis ciuitatem in seruitutis discrimen adductum iri: fore autem vt bellum contra externum hostem ciuilis seditio præcederet, quam nascentem ex vrbe pellendam, deos placandos, sacrificiis votisque mala auertenda: ita enim eos victoriam

victoriam ab hostibus reportaturos significabant. His in vulgus elatis, primùm quidem pontifices ad quos hæc cura pertinet, diis malorum depulsoribus & auerruncis, hostias immolarunt. Deinde verò patres in curiam coacti, tribunis quoque præsentibus, de incolumitate, & salute publica consultare cœperunt. Omnes igitur finē mutuis criminationibus imponendum, & ex oraculorum monitione Remp. concorditer administrandam uno ore censebant. Sed quo modo id fieret, & quid primùm factionis utrinsque homines sibi inuicem concedere deberent, & qua ratione seditio tolleretur, hic illi valde hæserunt. Nam consules & senatus principes tumultus causam cō ferebant in tribunos, qui noua instituta in Remp. inducerent, & patrium ciuitatis statum vellent euertere. Tribuni contrà negabant se quicquam indignum pop. Ro. maiestate, aut iniquum aut noxium facere, quòd bonas leges & iuris æquabilitatem in Remp. vellent inducere: at consules & patricios seditionis autores esse dicebant, qui iniquitatem & auaritiam augerent, & tyrannicos mores imitarentur. Et multis huiusmodi mutuis altercationibus aliquot dies inaniter consumpti sunt, & tempus frustra tractum, interea omnibus tam publicis quàm priuatis negotiis pendentibus. Tandem tribuni, animaduertentes se suis concionibus, & senatus accusationibus nihil proficere, hoc conatu destiterunt: & conuocata ad cō cionem multitudine, plebi polliciti sunt se legem de rebus quas volebant perlaturos. Quum autem multitudo orationem eorum collaudasset, illi nihil amplius cunctati, rogationem iam antè paratam recitarunt, cuius hæc erant capita: Vt decemuiri à populo legitimis comitiis eligerentur, qui essent ætate & prudentia præstantissimi, &

qui sui honoris, & bonæ existimationis maximã haberẽt rationem. Isti verò leges de rebus omnibus, tam publicis quàm priuatis conscriptas promulgarent, legesq; ab ipsis conscriptæ in foro ponerentur, & tam magistratus annui quàm priuati ciues, mutuas controuersias ex earum præscripto dirimerent. Hac rogatione lata, tribuni quibuslibet legem dissuadere volentibus potestatem fecerunt, trinundino præstituto. Multi autem, iiq; ex senatorio ordine non vilissimi, & seniores, & iuniores fuerunt eius legis dissuasores, qui orationes accuratissimè præparatas habuerunt, idq; per multos dies factitatum. Deinde tribuni morarũ impatientes, legis dissuasoribus nullam amplius dicendi potestatem fecerunt: sed dicta die qua eam perlaturi essent, hortati sunt omnes ciues vt ad eam præsto essent: fore enim dicebant vt non amplius prolixis ad uersariorũ concionibus turbarentur sed suffragia tributim de illa ferrent. Illi igitur, hæc polliciti, concionem dimiserunt. Post hæc & consules & patriciorum potentissimi quiq; eos adierunt, & iam asperiùs in eos sunt inuecti, dixerúntq; se nequaquam permissuros illis, vt leges, eaq. sine senatusconsulto in Rep. arbitratu suo conditas ferrent: Leges enim esse pacta ex cõmuni ciuitatum, non autem partis ciuium in iis habitantium cõsensu facta & id pessimi, ac fœdissimi exitij tum ciuitatibus tum familiis causam esse dicebant, quoties pessima pãrs præstãtissimæ leges imponeret. {Quã verò (inquiebãt) vos tribuni legis ferendæ aut abrogandæ potestatẽ habetis? An non certis conditionibus hunc magistratum à senatu accepistis, & ab eo petistis vt tribuni pauperibus iniuriam aut vim patientibus succurrerent, nihil verò præterea curiosè tentarent? Si quam igitur potestatem & antè habebãtis,

bebatis, quã nobis cõtra ius & fas pervim extorsistis, senatu vnicuiq; vestrorũ iniquorum postulatorũ cedente, nõnne hanc etiã nũc amisistis ratione comitiorũ mutata? Neq; n. ex senatusc̃osulto hũc magistratũ accipitis, neq; centuriatim de vobis suffragia feruntur, nec ante comitia diis sacrificia facitis quæ ex legibus atque ex ipso more facienda essent, deniq; nihil omnino aut piũ erga deos, aut sanctum erga homines, in vestro magistratu fit. Quid igitur amplius ad vos pertinẽt ea quæ indigent & sacrificiis, & cultu sacro (inter quæ censentur & ipsæ leges) siquidẽ omnes leges contemnitis? Hæc seniores & iuniores patricij, cum sodalitiis per vrbem commeantes, tribunis dicebant, & ciues æquiores blandis alloquiis mulcebant, refractarios verò & turbulentos minis però culorum terrebant, nisi saperent ac modestè se gererent, quinetiam quosdam pauperrimos & infimæ conditionis homines, quibus priuata commoda longè antiquiora erant quàm Reipublicæ pulsatos, vt mancipia, à foro arcebant. Qui verò plurimos sodales circa se habebat, & qui plurimum poterat inter omnes illius seculi iuniores, qui in vrbe erant, is erat Cæso Quintius, F. L. Quintij Cincinnati, nobili genere ortus, & facultatibus nulli secundus, vir aspectu inuenum pulcherrimus, & bellica virtute inter cæteros omnes longè conspicuus & ingenio ad dicendum felici, qui tunc vehemẽter in plebeios est inuectus, nec à verbis tẽperans, quæ liberis hominibus audita sunt molesta, nec à factis orationi respondentibus abstinens. Patricij propterea eũ in magno habebant pretio, & pollicentes se illi incolumitatẽ præstituros, eumq; tutaturos, rogabant vt in periculis sustinendis perseueraret. Plebeij contrà, eũ ma-

ximo odio prosequebantur. Tribuni igitur eum de medio tollere decreuerunt, sperantes se hoc pacto cæteris iuniorib⁹ terrorẽ incussuros, & necessitatẽ modestiùs se gerendi ipsis imposituros. His decretis, & oratione, testibusque multis paratis, læsæ Reip. eũ accusarunt, litẽ capite æstimantes, & die illi dicta qua causam apud populum diceret: ubi ea venit illi cõuocata concione, longa accusatione in eũ sunt inuecti, enumerantes violenta eius in plebeios facinora, quorum testes producebant illos ipsos qui iniuriam acceperant. Deinde, facta ei dicendi copia, ipse iuuenis citatus ad causam dicendam venire nolebat: sed volebat ipsis priuatis ciuibus, pro iniuriis quas sibi illatas querebantur, ad consilis tribunal, causæ cognitione iudicio eorum cõmissa, ex legibus satisfacere. Tũ pater eius videns plebẽ iuuenis peruicaciam iniquo animo ferre, eũ purgabat, & pleráq; crimina, vt falsa & conficta insidiosè in filiũ refellebat: quæ verò inficiari non poterat, parua ea & inania, nec ira ac indignatione publica digna dicebat & ne ea quidẽ per insidias, aut contumeliã, sed iuuenilis ac ambitiosæ contentionis studio cõmissa demonstrabat, ob quod dicebat accidisse ei, vt in contentionibus multa parũ consultè faceret, fortasse etiã multa peteretur, quòd nondũ ad integerrimã ætatẽ peruenisset, nec exquisitissimæ prudentiæ laudẽ assequutus esset: orabátq; plebeios vt nõ soliũ petulantiæ, quam verbis prodiderat, ira moti non recordarentur, sed etiam gratiam ei haberent, quòd in bellis perpetuò de omnibus bene fuisset meritus, priuatis libertatem, patriæ imperium, sibi verò (si quando in re aliquando fortè peccasset) multitudinis fauorem & auxilium quærens: enumerauitque quoties publica stipendia fecisset & omnia prælia quibus interfuisset,

set, vnde ob suam fortitudinem præmia & coronas sibi ab imperatoribus datas retulisset, & quot ciues in prælijs defendisset, ac seruasset & quoties hostium mœnia primus conscendisset. postremò ad misericordiam implorandam, & ad preces se conuertit, pro sua in omnes æquitate ac lenitate & vita omnium testimonio ad id vsq; tempus innocenter acta, hanc vnam gratiam filij incolumitatem & vitam reposcens. Illius igitur oratio plebi vehementer grata erat. filiúmque ipsi largiri parata erat. Sed Virginius videns iuuenum insolentium audaciam in posterũ intolerabilem fore, nisi ille pœnas daret, surrexit, &, {TVA (inquit) Quinti, omnis virtus, & erga plebem benevolentia satis testata est. & hoc nomine tibi honor debetur: sed tui filij morum asperitas, & in nos omnes superbia nullam deprecationem aut veniam meretur: quia, quũ sub tam populari & modesto patre fuerit educatus, vt omnes scimus, contempta domestica disciplina tyrannicam arrogantiam & barbarorum hominum insolentiam dilexit, & improborum facinorũ exempla in nostram ciuitatem induxit. Si igitur ignorabas eum talem esse, at nunc, quando id cognoscis, æquum est te pro nobis indignari: sin conscius & socius eras contumeliarum quibus ciuium egenorum fortunæ insultauit, certè tu quoque improbus eras. & immeritò honestatis & probitatis existimationem adeptus es. Sed enim eum tua virtute indignum esse ignorabas. Ego hoc testimoniũ tibi possum dicere, quanuis autem te eo crimine absoluam, & credam te tunc cum filio nobis iniuriam non fecisse, te tamen reprehendo quòd nunc nobiscũ minimè indigneris. Vt autẽ melius scias quantũ malum in Reip. perniciem imprudens alueris, quàm immane & tyrannicũ, & ne à

cinili quidē cæde purū, audi eius egregiū facinus, & con fer id cū claris rebus militiæ fortiter ab eo gestis, & vos qui modò hoc homine misericordiam captante condolui stis, videte an tali ciui parcere vos deceat. ¶ Hæc loquu tus, vnū è collegis, M. Volscium iussit surgere, & dicere quæcunq; de illo adolescente sciret. Facto autē silentio o mnibusq; expectatione valdè suspensis, post breuē morā, ille sic est loquutus, ¶ Equidē, Quirites, sū mopere optus sē primatas pœnas, quæ legibus mihi permittuntur, de istoſu mere, atroces & plus quā atroces iniurias perpessus. Sed quum hoc nondū consequi potuissem, propter paupertatē & imbecillitatē & q vnus è vulgo essem, nunc quando id mihi licet, personā testis sumā, quando accusatoris nequeo. Quum verò immani & atroci iniuria fuerim affe ctus, audite. Frater mihi fuit Lucius, omniū mortalium mihi charissimus: is mecum apud amicū cœnarat, postea, quum noctis aduentu surrexissemus, abieramus. Dū au t em forum transiremus, incidimus in istū Cæsonem comes fabundum, cum aliis petulantibus iuuenibus. Hi primū cauillis & contumeliosis verbis nos aggressi sunt, quem admodū iuuenes ebrij atq. petulantes in infimæ condi tionis homines & pauperes facere solent. Quorū petulan tiam quū ferre amplius non possemus, sed rē iniquo ani mo ferremus, quidā de nobis liberius est loquutus. At iste Cæso ratus indignum esse audire aliquid quod suis auri bus gratū non esset facto in eū impetu, & pugnis, & cal cibus, & omni alio contumeliæ genere vsus, eū interfecit. Quum autē ego vociferarer, & pro viribus repugnarem, is omisso illo iam mortuo & iacente, me pugnis iterum atque iterum cœpit contundere, nec prius destitit quàm me immotum, & sine voce prostratum vidit, ratus me

esse

esse mortuum. Hic postea, quasi præclaro facinore edito, lætus abit: nos verò sanguine conspersos ij qui aderãt sustulerunt, domúmq. absportarunt, Luciũ fratrem mortuum, vt dixi, me verò seminecem, & exiguam salutis spem habentem. Hæc autem facta sunt F. Servilio & L. Aemilio consulibus, quo tempore magna illa pestilentia in vrbe fuerat, cuius ne nos quidem ambo immunes fuimus. Tunc igitur non potui pœnas de eo sumere quòd ambo consules obiissent. Quiũ autem Lucretio & L. Veturio consulibus eum in ius vocare vellem, quòd illi ambo ex vrbe egressi, militia destinerentur, id exequi non potui. Quibus ex expeditione reuersis, quum sæpius eũ ad magistratum citarem, quoties accessi (hoc autẽ multi ciues norunt) plagas ab eo accepi. Hæc sunt, Quirites, quæ passus sũ, & quæ verissimè apud vos dixi. His ab eo dictis, & clamor ab astantibus sublatus est, & impetus in eũ à multis factus, eum indicta causa ex tempore interficere volentibus: sed consules obstiterunt, & tribunorum pleriq. qui malam consuetudinem in Remp. inducere nolebant. Quipetiam plebis pars sinceriſsima, reis de rebus maximis atque de capite certantibus, causæ dictionem eripere nolebat. Tunc igitur iustitiæ ratio hominum audaciorũ impetũ repressit, & iudicium dilatum est, non sine magna contentione, illis dubitantibus vtrum interim reus in vinculis esset asseruandus, an datis vadibus esset dimittendus, vt pater postulabat. Tunc senatus decreuit, vt pecunia à vadibus pro ipso promissa dimitteretur, & vsq. ad iudicij diem liber esset. Postridie tribunus populo ad concionem conuocato, quum iuuenis vadimonium deseruisset eũ absentem damnarunt, & à vadibus qui erant decem, pecunias quas pro vadimonio spopõdez

rant exegerunt. Cæso igitur in tales insidias lapsus operatribunorũ, qui hæc omnia in eum moliti fuerant & Volscij, qui falsum testimonium dixerat (vt postea tandem compertum est) exulatum in Etruriam abiit. Pater eius maxima suorum bonorum parte vendita, quum vadibus restituisset pecunias, quas pro reo numerarant, ruri (vnus enim agellus transtiberinus ei reliquus erat, vbi humilem quandam casam habebat) cum paucis seruis suum agrum colens, vitam laboriosam & ærumnosam tolerabat. & præ dolore ac inopia, nec vrbem inuisebat, nec amicos salutabat, nec diebus festis celebritates adibat, nec vllis publicis hilaritatibus se immiscebat. Cæterùm, tribunos sua spes valde fefellit. Non solùm enim Cæsonis calamitas nihil profecit ad moderandam ac reprimendam iuuenum insolentiam sed etiam ob eam illis longè insolentiores ac ferociores, sunt redditi. facilis dictuque legem oppugnantes. Itaque, eo consulatu ita consumpto, lex nullo pacto ab illis perferri potuit. Plebs autem in annum sequentem eosdem tribunos iterum designauit.

2 ¶ PVBLIO antè Valerio Publicola, & C. Claudio Sabino consulibus periculum quale nũquam antè ab hostibus externis illatum, vrbem inuasit, ab intestina seditione ascitum, vt Sibyllina oracula prædixerant, & superioris anni prodigia diuinitus missa præmonuerant. Cuius belli originẽ & res tunc in eos à consulibus gestas narrabo. Tribuni qui iterum creati fuerãt, spe perferendæ legis, quũ viderent alterum consulem, C. Claudiũ odium in plebem à maioribus insitum habere, & paratum ad legem quauis ratione impediendam, & potentissimos quosque iuuenes ad manifestam desperationẽ progressos, ita vt nulla vi amplius vinci possent, præcipuè

cipuè verò plebis maiorem partem obsequiis patriciorum delinitam cedere, nec amplius eadē alacritate legi perferendæ operam dare, impudentiore via rem aggredi statuerunt, qua populo terrorem incuterent, & consulem repellerent. Ac primum quidem rumores varios per urbem spargendos curarunt. Dein de à matutinis vsque ad vespertinas horas sedentes in propatulo consultabāt, nec quenquam nisi ex collegio in suum consilium & colloquium admittebant. Postremò, vbi iudicarunt tempus esse opportunū consilia exequendi, literas finxerunt, eásque ab ignoto homine sibi in foro sedentibus reddendas curarunt, quibus acceptis, plangentes frontem, & vultu ad mœrorem composito surrexerunt. Quum autem ob eum casum ingens turbā concurriſſet, & aliquod graue malum in literis contineri augurāretur, illi silētio per præconem indicto, {Extremū (inquiunt) vestræ plebi periculum imminet. Qui ites, & nisi deorum beneuolē tia quædam prospexisset iis, qui nullo suo merito mala passuri erāt, omnes in atroces calamitates incidissemus. Vos autem rogamus vt aliquantisper expectetis, donec res nobis nuntiatas senatui indicemus, & de communi sentētia, ea quæ sunt è rep. agamus}. His dictis, ad consules iuerūt. Interim aūt dū senatus cogitur, multi ac varij sermones in foro iactabantur, aliis ex composito, vt à tribunis iussi fuerant, per circulos sermones serentibus, aliis quæ maximè timebant ne accidérent, hæc, vt tribunis nuntiata, dicentibus. Alius dicebat Cæsonē Quintiū à populo damnatū ab Aequis & Volscis exceptū & triusque gētis summū imperatorē creatū fuiſſe, & coactis ingentibus copiis, Romā mox petiturum. Alius de communi patriciorum sentētia hominem cum externo milite

cõducto reduci, vt & in præsentia, & in posterum plebeiorum præsidium aboleretur. Alius dicebat, nõ omnes patricios, sed iuuenes tantùm hæc consilia iniisse. Nonnulli etiam audebant asseuerare, in ipsa vrbe hominem latere, & opportunissima quæque loca esse occupaturum. Tota autem vrbe calamitatum expectatione commota, & omnibus se mutuò suspectos habẽtibus, sibique inuicẽ cauentibus, consules senatum conuocarunt, & tribuni in curiam admissi indicarunt quæ nuntiabantur. Vnus autem pro omnibus A. Virginius sic est loquutus.

QVANDIV iudicauimus nos nihil certò habere de malis quæ nuntiabãtur, sed rumores incertos & fide carentes audiuimus, non fumus ausi P. C. de iis ad vos referre, quòd vereremur ne magnus tumultus excitaretur (quemadmodum solet accidere quoties atrox aliquis nũtius accipitur) & caueremus ne celerius quàm prudentius consilium iniisse vobis videremur. Haud tamen hos rumores negleximus: sed quantum in nobis fuit, veritatẽ accuratissimè quæsiimus. Nunc verò quando diuina prouidentia huius imperij perpetua custos, rectè faciens, hominum diis inimicorum occulta consilia & impios conatus in lucem profert, literásque hìc habemus recèns acceptas ab hostibus, qui suam erga nos beneuolentiam ostenderunt, quos postea audietis, & domestica indicia cum externis congruunt, iisque respondent, & res vrgentes nullam amplius cunctationem nec dilationem patiuntur, hæc priusquàm ad populum referremus, vobis primùm, vt æquum est, renuntiare statuimus. Scitote igitur coniuratum in plebem à viris non obscuris, inter quos ferunt esse aliquot, non multos tamen, de senioribus, in hunc senatorium ordinem lectis: maximam verò par-

partem ex illis equitibus, qui in senatum nondum sunt recepti, quos à nobis indicari nõdum est tempus. His (vt audimus) statuerunt, obseruata obscura nocte nos sopitos opprimere, quo tempore, nec quid rerum geratur prospicere, nec in vnum congregati cauere nobis possumus: facta q; irruptione in ædes, & nos tribunos iugulare, & alios plebeios, quotquot vnquam ipsis libertatis tuendæ studio sunt aduersati: aut in posterum aduersaturi sunt. Nobis verò de medio sublatis, tunc demum existimant se tutissimè reliqua à vobis impetraturos, vt quidquid vnquam plebi à vobis P.C. concessum est, id communi decreto abrogetur. Et quoniam ad hoc facinus externa militum manu occultè comparata, eáque non mediocri opus fore videbant, assumpserunt ad hanc societatem vnum ex vestris exulibus, Cæsonem Quintium, eúmque ducem suum creárunt, quem cædis ciuilis & seditionis vibanæ conuictum, nonnulli eorum qui hic adsunt pænæ eripuerunt, & vt incolumis ex vrbe excederet effecerunt, eique reditum pollicentur, & magistratus & honores, & alia operæ præmia offerunt. Ille quoque vicissim est pollicitus se Aequorũ Volscorumque copias, quibus opus ipsis fuerit, auxilio illis adducturum. Aderit q. breui cum audacissimis quibúsque eósque non simul omnes, sed alios post alios, & raros clam in vrbem ducet. Reliquæ copiæ, nobis tribunis pl. de medio sublatis, in reliquam pauperum multitudinem si qui libertatem suam tueri audebunt, irruent. Hæc sunt, P.C clandestina eorum consilia, & atrocia ac nefaria facinora quæ sunt patraturi, nec iræ diuinæ territi, nec humanæ indignationis reuerentia moti. Quum igitur in tãto periculo versemur, P.C supplices ad vos cõfugimus, vósque obtestamur per

deos & genios, quibus sacra communia facimus, & per tot tantaque bella quæ vobiscum suscepimus, quorum verò memores esse decet, ne patiamini nos crudeliter & contra ius ac fas ab inimicis tractari: sed opem feratis, & concepta nobiscum indignatione meritas pœnas de iis, qui hæc consilia inierunt sumatis, & potissimum quidem de omnibus: sin minus de nefariæ coniurationis autoribus. In primis verò, P. C. petimus quod est æquissimum, vt nobis tribunis pl. hanc indiciorum inquisitionem vestro decreto committatis. Nam præterquam quòd ipsa æquitas hoc postulat, necesse etiam est accuratissimam inquisitionem fieri ab illis quos periculum maximè tangit. Quòd siqui vestrum nihil gratificari possunt, sed aduersantur omnibus qui pro plebe dicunt, lubenter ex illis quærerem, quódnam nostrorum postulatorum indignè ferant, & quid nobis tandem sint suasuri. An ne vllam inquisitionem faciamus sed tantum facinus & adeò nefarium in plebem conflatum negligamus? Et quisnam sana mente præditos dixerit eos qui ita loquantur, quin potiùs eos simul corruptos, & eiusdem coniurationis esse socios? deinde sibi ipsis timentes ne detegantur, à veritatis inquisitione abhorrere? Quibus haud æquum est vos aures præbere, si fortè hanc indiciorum inquisitionem & cognitionem non nobis sed senatui & consulibus committendam censeant. Quid enim prohibet quominus ipsi quoque tribuni pl. idem dicant, siqui plebeij, facta conspiratione in consules & patres, senatum tollere moliantur? dicent enim & ipsi æquum esse, vt hæc de plebeis hominibus inquisitio fiat ab illis qui plebis patrocinium susceperũt. Sed quid inde sequetur? Vt nulla vnquã de rebus occultis quæstio habeatur. Sed neq. nos

hac

hæc postularemus (suspecta enim est talis ambitio) nè-
que vos rectè fecerit̃s, si istos qui à nobis semper dissen-
tiunt audiueritis. Sed res præclarè se habebit si eos
communes ciuitatis hostes duxeritis. In præsenti verò,
P. C. nulla re magis est opus quàm celeritate: periculum
enim est præsens, & cunctatio in salute conseruanda in
malis non cunctantibus est intempestiua. Itaque, omissis
contẽtionibus & prolixis orationibus, decernite iã quod
è rep. fore iudicabitis. His ab eo dictis, patres valde
obstupefacti sunt, & ad magnam consilij inopiã sunt re-
dacti, & secum hæc reputabant, collatísque inter se ca-
pitibus aiebant, vtrumque graue ac periculosũ esse,
tam tribunorum arbitrio inquisitionem de publica &
magna re permittere, quàm negare. Sed C. Claudius, al-
ter consul, suspectam habẽs eorũ mentem surrexit, & in
hunc modũ est loquutus, NON VEREOR, Virgini,
ne me isti coniurationis participẽ esse putẽt, quam cõtra
vos & plebem factam dicitis, ideóq; vel mihi timen-
tem, vel alicui ex meis huic culpæ affini, ita surrexisse
vt contra vos dicerem. Nam anteacta vita ab hac su-
spicione me liberat. Quod autẽ in rem S. P. Q. R. fore in
dico, id animo sincerissimo & liberrimè dicam. Valde,
imo verò toto cælo errare mihi videtur Virginius, si
quẽ nostrum putet dicturũ, neq; inquisitionẽ habẽdã de re
tam magna & necessaria, neque tribunos pl. ad hanc in
quisitionẽ admittendos, sed ab ea arcendos. Nullus est a-
deò stultus aut plebi maleuolus qui hæc dicat. Quid igitur
(quærat quis) surrexisti vt contra hæc dicerem, quæ cõce-
dis & iusta esse dicis, & quid sibi vult hæc tua oratio?
Per louem vobis dicam. Ego, P. C. censeo viris pruden-
tibus rerum omnium initia & prima fundamenta dili-

genter considerandum: nam qualia hæc fuerint, tales quoque sermones de ipsis haberi necesse est. Eia igitur, ex me audite quidnam tribuni pl. sibi ab initio proposuerint, quódve sit eorum consilium. Hi nihil eorum, quæ superiore anno aggressi fuerant peragere potuerunt, impediti à nobis qui ipsis nunc æquè atque antè resistitis, & à plebe, quæ non amplius ipsis ita vt antè fauet. Hoc illi scientes cogitare cœperunt, qua ratione & vos inuiti sibi cedere cogi possitis, & plebs omnibus in rebus quas postularint, se adiuuet. Quum igitur nullam veram & iustam materiam inuenire possent, qua hoc vtrumque consequerentur, post multa cõsilia, conatus, & versutias, tandem tale quid illis in mentem venit. Criminentur aliquot illustres viros conspirasse in plebis euersionem, & statuisse eos iugulare, qui eius salutem tueri vellent. Vbi autem huiusmodi rumores nostra opera multò antè per vrbem sparsi fuerint, & iam veri multis videbuntur (metus enim fidem illis astruet) tunc subornemus hominem ignotum, qui nobis literas multis præsentibus tradat. Postea senatũ ingressi indignemur, & conquerantur, & rei indicatæ inquisitionem nobis concedi postulemus. Si enim patricij eam nobis denegarint, hanc occasionem eos apud plebẽ criminandi arripiemus, atque omnes plebeij contra illos efferati, nobis ad omne obsequium præstandum parati erunt. Si concesserint generosissimos quosque ex ipsis, & qui nobis maximè sunt aduersati, tam ex senioribus, quàm iunioribus, quasi eos his criminibus obnoxios inuenerimus, ex vrbe pellemus. Hi enim damnationis metu, aut nobiscum pacisccntur se nobis non aduersaturos amplius, aut vrbe cedere cogentur. Atque ita aduersarios ad magnam solitudinem redigemus. Hæc erant,

erant, P. C. illa consilia, quibus ineundis illos medio hoc tempore in concessu occupatos videbatis, hic dolus contra præstantissimos quosque de vobis ab illis texebatur, hæc retia innocentissimis equitibus tendebantur. Quod autem hæc vera sint paucissimis verbis ostendam. Age enim, Virgini, vósque quibus tam graue immineat periculum, dicite, à quibus hospitibus literas accepistis? vbi habitantibus, aut vnde vobis notis? aut quomodo nostra hæc consilia resciscentibus? quid cunctamini? cur postea eorum nomina vos dicturos pollicemini? quin iam dudum dixistis? quis verò est, qui vobis has literas attulit? quin eum producitis in medium, vt ab illo quærendi initium faciamus, vtrum hæc vera sint, an vestra figmenta, vt ego suspicor. Iam verò domestica indicia, quæ cum externis consentire dicitis, quænam illa sunt, & à quibus delata? quid probationes celatis? quin eas manifestè in medium profertis? Sed (vt opinor) rerum quæ nec iam sunt, nec futuræ sunt, probationem inuenire difficile est. Hæc sunt, P. C. indicia non coniurationis in istos, sed malitiosi doli contra nos parati, quæ isti tegere conantur. Ipsa enim res satis loquitur. In causa autem vos ipsi estis, qui principiò tantum ipsis permisistis, & insanum istum magistratum tanta potestate armastis, quando permisistis vt Cæso Quintius falsis criminibus circumuentus damnaretur, & tam insignem optimatum propugnatorem ab illis vobis eripi passi estis. Itaq; haud amplius moderatè se gerũt, nec singulos nobiles sibi vexandos proponunt: sed iam vno agmine viros probos aggressi ex vrbe pellunt, & quod lõgè grauissimum est, ipsi ne ferunt quidem quenquam de vobis contra se dicere. sed deterrent vos in suis iciones vnumquemque ad-

ducēdo, & in criminum inuidiam rapiendo, vt occultorū consiliorū participē, & statim plebis inimicum esse aiūt, eíq. diem dicūt, vt apud populum causam de verbis hoc loco factis dicat. Sed de his aliàs opportuniùs dicetur: nunc verò paucis rem expediam, nec prolixiore oratione vtar. Suadeo vt ab his hominibus tanquam reip. pertur batoribus, & magnorum malorum autoribus vobis cauēatis. Neque verò hic quidem ista dico, apud populum verò ea celabo: sed ibi quoque iusta dicendi libertate vtar, docens nullum aliunde periculum illis imminere nisi ab ipsis malitiosis ac dolosis tribunis, qui facta hostilia simulata amicitia velāt. ¶ Hæc cōsulis oratio ab ijs qui aderant, ingēti clamore & laudibus est excepta, nec amplius dicendi potestate tribunis facta, senatus est dimissus. Tunc Virginius, conuocata concione in patres & consules inuehebatur. Sed Claudius purgabat eos ijsdē verbis quæ in senatu fecerat. Cordatiores igitur è plebe hunc terrorem vanum esse suspicabantur, ac stultiores rumoribus fidem adhibentes, verum credebant. Illorum verò malitiosissimi quique, & rerum nouarum cupidi non curabant huiusmodi inquisitionem, & parui faciebant vtrum hoc verum an falsum esset: sed seditionis ac tumultus occasionem quærebant.

3 ¶ In tam perturbato ciuitatis statu, vir quidam de Sabina gente, non obscuris natalibus, & opibus potēs, nomine App. Herdonius, imperium Rom. euertere conatus est, siue sibi ipsi tyrannidem quærens, siue Sabinorum genti dominationem & imperium parans, siue nominis magni ac gloriæ cupidus. Hic suo consilio cum multis amicis communicato, modóque, quo rem aggredi cogitabat, ipsis narrato, vbi illis quoque hoc placuit, coegit clien-

clientes suos, & audaciſſimos quoſque ſeruos quos habebat. Breuique temporis ſpatio confecta manu hominum fermè quatuor millium, armiſque & commeatibus, aliiſque rebus ad bellum neceſſariis paratis, eos in fluuialibus ſcaphis poſuit. Et confecto curſu per flumen tiberim, appulit ad eam Romæ partem vbi eſt Capitolium, quod ne integrum quidem ſtadium à flumine abeſt. Tunc autem erat media nox, & alta tota vrbe quies, cuius auxilio feſtinanter exſcenſionem fecit, & per portam apertam (eſt enim quædam ſacra Capitolij porta ex oraculo quodam patens, quàm Carmentalem vocant) cum ſuis copiis ingreſſus Capitolium occupauit, inde ad arcem Capitolio contiguam progreſſus, eam quoque in ſuam poteſtatem redegit. Idq; hac mente fecit, vt occupatis opportuniſſimis quibuſque locis exules reciperet & ſeruos ad libertatem vocaret, & æris alieni remiſſionem pauperibus polliceretur, & alios ciues, qui, quòd ipſi eſſent infimæ conditionis homines, potentioribus inuidebant, & omnem eminentiam oderant, oblatámque rerum nouandarum occaſionem lubenter arripiebant, prædæ participes faceret. Spes enim, quæ illum ad id inducebat, quæ animos ei addebat, & quæ cum decipiebat, ita vt crederet omnia ſibi ſucceſſura quæ expectabat, erat inteſtina ſeditio, ob quam exiſtimabat nullam amplius amicitiam, nullam ſocietatem plebi cum patricys interceſſuram. Quòd ſi fortè nihil horum ipſi ex animi ſententia ſucceſſiſſet, tunc ſtatuerat omnes Sabinorum copias vocare, & Volſcos, & alios finitimos populos quotquot inuidioſo populo Romano im-

perio liberari cupiebãt. Sed accidit vt omnibus quæ speraratfrustraretur, quia nec seruiad eum transfugerũt, nec exules conuenerunt, nec infimæ conditionis homines, & obærati sua commoda publicis anteposuerunt, nec externa auxilia satis temporis ad belli apparatus habuerunt. Nã intra tres quatuorue primos dies, rebus, quæ magnum terrorem pop. Rom. incusserant, & magnum tumultum excitarant, finis est impositus. Arcibus enim occupatis, clamore derepente orto, ommibusque qui circa illa loca habitabant fugientibus, quotquot primo impetu iugulati non fuerant, quum plerique ignorarent quãnã esset hoc malum, correptis armis concurrebant, alij in loca vrbis editissima, alij in patentes eius areas, quæ multæ erant, alij in proximos campos. Qui verò ætate iam decrepita erant, & quos vires corporis deficiebant, ædium tecta vnà cum mulieribus occuparunt, vt inde pugnarent cum hostibus qui venerant. Omnia enim loca hostibus oppleta credebant. Prima verò luce vbi cognitum est ciuitatis arces occupatas, & quis esset qui ea loca occupasset, consules in forum progressi ciues ad arma vocabant. At tribuni, populo ad concionem conuocato, dicebant se reipu. commodis nullomodo aduersari velle: sed æquum censere vt plebs tantum certamen subiturã, certis aliquibus ac disertè expressis conditionibus id periculiũ adiret. Si igitur (inquiebant) patricij vobis polliceantur, & iureiurando se velint obstringere, se finito hoc bello permissuros nobis legislatores creare, & se in posterum æquo iure nobiscum victuros, adiuuemus eos in liberanda patria. Quod si ad nullas æquas conditiones velint descendere, cur nos illis vitam nostram periculis obiciemus? Quatus ad nos inde est redi-tu-

turus? Hæc illis dicentibus, & plebe ipsis obtẽperantes & ne vocem quidem cuiusquam aliud suadentis audire volente, Claudius dixit sibi talibus sociis opus nõ esse, qui non ultrò, sed de mercede, eáque non modica conducti patriæ opem ferre vellent: quare, dicebat ipsos patricios cum suis clientibus armatos, & cum aliis siqui voluntarij se ad illam belli societatem adiunxissent arces obsessuros: quòd si fortè ne sic quidem satis valida ea manus videretur, Latinos & Hernicos ab ipsis accersitum iri dicebat, & si necessitas postularet, eos seruis etiam libertatem promissuros, denique quorumuis opem potiùs imploraturos, quàm eorum qui tam iniquo patriæ tempore veterum offensarum memoriam refricarent. At Valerius eius collega contra hæc dicebat, quia censebat plebem iam irritatam non esse penitus à patriciis alienandam, & suadebat vt tempori cederet, & cum externo hoste de iure dimicaret, cum suis verò ciuibus ex æquo & benignè disceptaret. Quum autem maiori patrum parti ille optimum consilium dare videretur, tunc progressus in comitium, habitáque eleganti oratione, suam concionem iureiurando dantis, si populus id bellum alacriter suscepisset & res vrbanæ compositæ fuissent, se tribunis permissurum vt rogationem de iuris æquabilitate ad populum referrent daturúmque operam vt in suo consulatu, quod populus iussisset, id ad finem perduceretur. Sed fatale erat vt nihil eorum, quæ promiserat præstaret, morte fatali illum iam vrgente. Dimissa autem concione sub vespertinum crepusculum, omnes ad designata loca concurrebant vt nomina ducibus darent & militari sacramento se obstringerent. Totiúsque ille dies & tota nox sequuta in delectus habitos est insumpta. Postero die & centuriones à

consulibus distribuebantur, & sub sacris signis collocabantur, confluente etiam agresti multitudine. Rebus autem omnibus celeriter paratis, consules copias partiti, munia inter se sunt sortiti. Claudio murorum obuenit custodia, nequis externus exercitus auxilio veniret iis qui in vrbe iam erant. Magni enim motus opinio vehemens peruaserat omnium animos, & verebantur ne omnes hostes facta conspiratione se adorirentur. Valerio arcium oppugnationem sors obtulit. In aliis quoque munitionibus, quæ erant intra vrbis mœnia, duces ad earum præsidium dispositi fuerunt: alique in viis quæ ad Capitolium ducebant, vt impedirent ne seruitia & inopes ad hostes transfugerent, qui metus tunc erat maximus. Nulla autem auxilia à sociis nisi à solis Tusculanis in tempore illis venerunt, nam illi eadem nocte tumultum audierunt, & copias pararunt, quas duxit L. Mamilius vir impiger: qui tunc in ciuitate summum habebat imperium, atque isti soli se Valerio periculi socios addiderunt, eique in recipiendis arcibus egregiam operam omnis benevolentiæ & alacritatis plenam nauarunt. Vndique autem arces oppugnabantur. Nam alij è propinquis ædibus vasa bituminis & picis incensæ in fundis accommodata supra collem iaculabantur, alij comportantes fasciculos sarmentorum, & ad saxi loca præcipita in altum congerentes, succendebat, vento secundo flammam adiuuante. Fortissimi verò quique ex illis densatis ordinibus per vias manu factas ascendebant. Multitudo autem (qua hostes longè superabant) nihil eos iuuabat, ascendentes per viam angustam, & plenam propugnaculorum desuper imminentium, vnde saxa cum impetu demittebantur, vbi parua manus magnæ æqualis erat futura: nec durata multis bellis virtus

tus quidquam illis proderat per cliui ardua ascendere per vim conantibus: neque enim cominus pugnantes audaciam & fortitudinem suam exerere poterant: sed eminus rem missilibus gerere cogebantur. Ictus autem telorum (vt verisimile est) ex inferioribus locis in superiora missorum, licet non frustrà ferrentur, tamen erant tardi & inualidi: contrà verò ictus telorum è sublimi deorsum iactorum erant & veloces, & validi, ipso pondere ictûs adiuuante, non defatigabantur tamen munitionum oppugnatores: sed perdurabant, & mala necessaria perferebant, nec interdiu nec noctu intermisso labore. Quum autem tandem obsessos tela, & corporis vires defecissent, die tertio arces expugnarunt. In hoc certamine Romani multos viros fortes amiserunt: sed omnium confessione fortissimum, ipsum consulem qui, licet multa vulnera accepisset, tamen ne sic quidem à periculis recessit, at in illis perstitit donec ei munitionem scandenti saxum ingens, cum impetu delatum, simul & victoriam & vitam eripuit. Captis autem arcibus, Herdonius (erat enim vir insigni robore & manus strenuitate præditus) strage incredibili circa se edita, telorum multitudine obrutus cecidit. Ex cæteris verò qui cum eo arces occuparant pauci viui capti sunt, maior eorũ pars aut se iugulauit, aut per rupes præcipitem dedit, atque ita interyt.

4 ¶ Bello latronũ ita cõfecto statim tribuni seditionẽ vrbanam renouarunt, petentes à consule superstite vt quæ Valerius in prælio cæsus, sibi de legis rogatione promiserat, præstaret. At Claudius aliquãdiu quidẽ tempus traxit, modò lustrationibus vrbis, modò supplicationibus vacans, modò etiam ludis & spectaculis populum recreãs ac oblectans. Tandẽ consumptis omnibus tergiuer-

sationibus, dixit alterum consulem in defuncti locum esse subrogandum: quod enim à se solo actum foret, id neque legitimè factum iri, nec vllã vim habiturum: quod verò ab vtroque id & legitimum & ratum fore dicebat. Itaque hac specioſa causa repulſis illis, diem comitiorum indixit, quo collegã sibi ſubrogaturus eſſet. Interea principes ſenatus clam inter ſe facta conſultatione ſtatuerunt cui conſulatum mandaturi eſſent. Quum autem dies comitiorum veniſſet, & præco primam claſſem vocaſſet, octodecim equitũ centurias, & peditum octoginta, quorum maximus erat cenſus, in locum deſignatum ingreſſe L. Quintium patrem Cæſonis, quem tribuni in capitis diſcrimẽ adductum, vrbem deſerere coegerant, conſulem creant: nulla claſſe ad ſuffragia ferenda ampliùs vocata. Nam qui ſuffragium tulerant reliquos tribus centuriis ſuperabant Plebs igitur abÿt calamitatẽ ſuam deplorans quòd conſulem ſibi infenſum habitura eſſet. At ſenatus miſit ad Quintium qui eum ad magiſtratum capiendum adducerent. Tunc autem fortè Quintius arvum quoddam ad ſementem faciendam arabat, ipſe ſequens boues nouale proſcindentes, ſine tunica ſolo ſubligari ſuccinctus, & in capite pileum habens. Vbi verò vidit cateruam hominum quæ in ſuum fundum ingreſſi erant, aratrum tunc retinuit, & diu dubitauit quinam illi eſſent, & qua de cauſa ad ſe venirent. Deinde, quum quidam præcurriſſet, eúmque monuiſſet vt ſe melius ornaret: ille in tuguriolum ingreſſus, & veſte induta prodiit. Qui autem ad eum in vrbem deducendum miſſi fuerant, omnes eum non nomine, ſed conſulem ſalutarunt, purpuráque induerunt, & allatis eò ſecuribus, aliiſque magiſtratus inſignibus, vt in vrbem ſequeretur rogarunt. Ille aliquantiſper obticuit, fuſiſque lacrymis

crymis hoc tantùm dixit, {Ergo agellus meus hoc anno non seretur, & de victu periclitabimur. Deinde salutata uxore iussáque rei familiaris curã gerere, in urbem iuit. Nulla autem alia de causa oratio mea huc est prouecta, nisi vt omnes cognoscerent manifestè quales essent ea ætate pop. Rom. principes: nimirum homines qui suis manibus victum quærerent, qui temperantes essent, nec iustam paupertatem grauatè ferrent, nec regiam potestatem affectarent: sed etiam oblatam repudiarent. Sic enim apparebit nostræ ætatis homines, ne vel minimum quidem illis similes esse: sed contra longè alia studia sectari, præter perpaucos quosdam, qui adhuc imperij Romani dignitatem sustinent, & prisco rum illorum adhuc sunt similes. sed de his hactenus. Quintius, inito magistratu, primùm quidem tribunorum noua instituta sedauit, eorúmque legis ferendæ studium repressit, minatus (nisi ciuitatem turbare desistsent) se omnes ciues Romanos, indicta expeditione contra Volscos, ex urbe abducturum. Tribunus verò negantibus se passuros delectus haberi, populo ad concionem conuocato, dixit omnes militari sacramento sese obstrinxisse, quo promiserant fore vt sequerentur consules ad quæcunque bella vocati fuissent, nec signa desererent, nec vlla alia in re populo aduersarentur. Dicebat autem, post delatam sibi consularem potestatem se omnes eo sacramento sibi obstrictos habere: hæc loquutus iurauit se ex legibus animaduersurum in contumaces, simúlque ex templis signa proferri iussit, atque (inquit) vt omnem spem omnium tribunitiarum actionum me consule deponatis, exercitum ex hostico non priùs reducam, quàm totum mei magistratus tempus sit exactum. Quapro-

pter, vt in castris hybernaturi, res ad illud tempus necessarias parate. ¶ Quum autē his verbis eos terruisset, postquam vidit eos modestiores factos, & rogare vt sibi hāc militiam remitteret, dixit se hac conditione militiæ immunitatem illis largiturum, vt nullas tubas amplius excitarent, sibique tempus sui magistratus arbitratu suo absoluere permitterent & inter se de controuersiis iure disceptarent. Sedato autem tumultu, ius diu intermissum illis rogantibus reddebat, maximámque litium partem, ipse ex æquo & bono dijudicabat, per totum diem pro tribunali sedens, omnibúsque qui ad disceptandum in ius veniebant se facilem, lenem, & humanum præbebat: adeóque plausibilem optimatum potentiam reddidit, vt neque tribunorum auxilio indigerent, qui propter paupertatem, aut ignobilitatem generis, aut aliquam aliam humilitatem à potentioribus vim patiebantur, nec nouas amplius leges desiderarent, qui iuris æquabilitate in republica fruebantur: sed omnes illa iuris legúmque æquabilitate, quæ tunc in ciuitate erat, contenti essent, & gauderent. Hæc igitur illius viri acta à populo laudabantur, & quòd exacto præfituto magistratus tempore, consulatum iterum sibi oblatum accipere noluisset, nec tātum honorem sibi delatum lætus amplexus fuisset: senatus enim eum in consulari potestate, multas preces adhibens, retinere conabatur, vt esset qui tribunis sese opponeret, eósque à nouis legibus ferendis partim reuerentia, partim metu deterreret, quia illi impetrarunt vt sibi idem magistratus tertium mandaretur. Senatus autem id faciebat, quia populum boni viri imperium non recusare videbat: sed ille respondit se neque tribunorum eorundem continuatam potestatem probare, nec admissurū vt in simi-

in similem reprehensionem ipse incideret. Populo autem ad concionẽ conuocato, & longa oratione inuectus in eos qui magistratus non deponebant grauiureiurando iura uit se non accepturum iterum consulatum, nisi priore deposito, simúlque comitiorum diem indixit. quo designatis consulibus in suum illud exiguum tuguriolũ redyit, victúm que propriis manibus quærens, vt antè, vixit.

¶ Q. Fabio Vibulano III, & L. Cornelio consulibus ludos patricios faciẽtibus, Aequi cũ expedita manu lectorum hominum qui erant circiter sex millia, leuiter armati ex suis finibus noctu egressi, nocteque itinere confecto Tusculum peruenerunt, quod oppidum est Latini nominis, & ab vrbe centũ fermè stadia abest. Nacti autem (vt pacis tempore) portas patentes, & mœnia incustodita, primo impetu vrbem ceperunt, infensi Tusculanis quòd pop. Rom. cum alias perpetuò egregiã operã nauasset, tũ verò præcipuè in Capitolii obsidione soli se ad illius belli societatem addidissent: multósque mortales capta vrbe interfecerunt: sed oppidani dum vrbs caperetur, eos anteuerterunt, & per portas eruperunt: præter eos qui per morbũ vel senectutem effugere nõ potuerunt: mulieres verò eorum & pueros & seruos in seruitutem abstraxerunt, pecuniásque diripuerunt. Cuius cladis nuntio Romã allato ab illis qui ex vrbe capta euaserant, consules profugis opẽ celeriter ferendã patriámque restituendam censebant: sed tribuni intercedebant, & delectus haberi non patiebantur: priusquam suffragia de rogatione sua ferrentur. Senatu autem id minùs animo ferente, & exercitu retardato, alij à Latinis missi venerũt qui nuntiarunt Antiates aperte defecisse, de cõmuni sententia Volscorum, priscorum vrbis colonorum, &

Romanorum ad eos habitandi causa missorum, agrumq. diuisisse. Hernici quoque eodem tempore per nuntios significabant Volscorum & Aequorum ingentem exercitum è finibus suis egressum, & iam in suo agro esse. Senatus, tot nuntiis simul allatis nullas moras amplius nectendas censuit: sed totis viribus hosti occurrendum, & consules ambos ad bellum mittendos. Quod si qui vel cives Romani, vel socij, nomen ad eam militiam dare detrectassent, eos pro hostibus habendos. Quum autem ipsi quoque tribuni ipsis cessissent: consules conscriptis omnibus qui per aetatem arma ferre poterant, accitisque sociorum auxiliis, festinanter copias eduxerunt, relicta domi ad custodiam tertia parte domestici exercitus: Fabius igitur contra Aequos qui in agro Tusculano erant, cum copijs celeriter contendit. Sed eorum plerique direpta vrbe iam discesserant, pauci quidam ad arcis praesidium remanserant. Est autem munitissima & exiguo praesidio indiget. Quidam igitur aiunt arcis praesidiarios milites, conspecto exercitu Romano egresso (è sublimi enim loca omnia interiacentia facilè cōspici poterant) vltrò discessisse. Alij verò dicunt oppugnatos à Fabio arcem certis conditionibus, factáque compositione dedidisse, & publica fide pro impunitate petita, sub iugum missos fuisse. Fabius reddito suis ciuibus Tusculo, castra sub vespertinum crepusculum mouit, & quanta maxima celeritate potuit ad hostes contendit, audiens omnes Volscorum & Aequorum copias ad Algidum esse. Itinere autem per totam noctem continuato, sub ipsum diluculum venit in conspectum hostium, qui castra in planitie habebant, nulla fossa nullóque vallo munita, quòd in suo agro essent, & hostē contemnerent. Ergo suos ad rem fortiter

gerendam

gerendam cohortatus, primus cum equitibus in hostium castra impetum facit, & pedites sublato clamore eum sequebantur. Eorum verò alij adhuc sopiti ingulabantur alij recèns surgentes, & ad se resistendū parantes, at plerique fuga dispersi sunt. Castris autem minimo negotio captis, præda militibus concessa, & captiuis exceptis Tusculanis, non diu ibi moratus copias duxit ad Ecetram, quæ tunc erat Volscorum caput, & in loco maximè opportuno sita. Positisque prope vrbem castris, per multos dies ibi mansit, sperans oppidanos in aciem prodituros, sed quum nullus exercitus exiret, agrum eorum hominibus & pecore refertum vastauit. Nam repentino aduentu oppressi res antè in tuto ra loca ex agris cōportare nequierant. Fabius hac quoque præda militibus concessa, multisque diebus in populationes insumptis, copias domum reduxit. At Cornelius alter consul profectus contra Romanos & Volscos qui Antij erant, offendit exercitū à quo in finibus expectabatur: cum quibus cōgressus, multis cæsis, & reliquis in fugam versis prope vrbem castra posuit. Quum autem oppidani ad prælium prodire amplius non auderent, primum eorum agrum vastauit, deinde vrbem fossa vallóque circundedit. Tunc igitur rursus necessitate coacti, totis viribus cū ingēti & cōfusa multitudine ex vrbe in aciem prodierunt & congressi ibi quoque prælio commisso intra mœnia iterum compulsi sunt, turpiterque ignauiter in fugam versi. Consul autem nulla respiratione illis amplius data, scalas ad muros admouit, & portas arietibus fregit. Oppidanis verò laboriosè & acrè resistentibus, non magno negotio vrbem vi cepit. Quidquid autem auri, argenti, & eris in ea inuentum est, id in ærarium inferri, mancipia & reliquam prædā

à quæstoribus vendi iussit, militibus vestes, alimenta, & reliquas huiusmodi res, ex quibus vtilitatem capere posset, in prædã concessit. Deinde tã ex ipsis colonis quàm ex veteribus Antiatibus nobilissimi quique, & defectionis autores ab eo selecti (erant autem multi) virgis diu cæsi, & securi iussu eius percussi fuerunt. His peractis exercitũ & ipse domum reduxit. His consulibus venientibus senatus obuiam processit, & ambobus triumphum decreuit & Aequis, quam pacem per legatos petierant, concessit fœdere cũ illis his conditionibus facto, vt Aequi vrbes & agros suos retinerent, quos habebant in sua potestate quum fœdus factũ est: sed imperio pop. Rom. parerent, & cæterorũ tributorũ immunes essent, at in bellis auxilia mitterent quantis opus esset, quemadmodum & alij socij, atque hic annus ita abijt.

6 ¶ ANNO sequẽti, C. Nautius iterũ, & L. Minucius consules facti, aliquãdiu in vrbe cũ Virginio & eius collegis quærũ iã dimum eundẽ magistratũ obtinentibus, de iure publico contenderunt. Deinde bello à finitimis gentibus cõtra pop. Rom. exorto, quũ metus esset ne imperiũ ei eriperetur, cõsules libenter hanc occasionẽ à fortuna oblatã arripuerunt, delectúsque habuerũt, & copias tum domesticas, tum à socijs missas trifariam diuiserunt partémque vnam ad vrbis præsidium reliquerunt, cui præerat Q. Fab. Vibulanus, cum reliquis duabus ipsi celeriter profecti sunt. Nautius in Sabinos, Minucius in Aequos. Ambæ enim hæ gentes eodem tempore ab imperio pop. Rom. defecerant: ac Sabini quidem propalam, & vsque ad Dynam vrbem quæ erat in potestate Romanorum iuerunt: hæc autem ab vrbe quadraginta stadia distabat. Aequi verò verbis quidem societatem recens initam

initam seruabãt, factis verò & ipsi hostiliter se gerebãt. Latinis pop. Rom. socijs, quasi cum illis fœdus non fecissent, bellum intulerunt. Illius autem exercitus dux erat Gracchus Cluilius, vir impiger, qui summũ imperiũ ad se delatum proximè ad potestatẽ regiam euexerat. Hic cũ exercitu Tusculũ vsque progressus, ex quo capto atq. direpto superiore anno Romani Aequos expulerant & multa mãcipia ex agris, & pecus quod cũque est nactus, abegit, & fruges iã maturas corrupit. Quum autẽ ad eũ legati à senatu Romano missi venissent, causam quæsituri cur Aequi socios pop. Rom. bello infestarent, quũ fœdus recens ictũ fuisset, nec interea vlla offensio inter istas gẽtes extitisset, & Cluilio suasuri vt quotquot de suis cepissent, dimitteret, & exercitum abduceret, atque Tusculanis de iniurijs quibus illos affecerat, & de damnis quæ illis dederat satisfaceret. Gracchus multum temporis consumpsit, & ne in colloquium quidem cum legatis venit, se in quibusdam negotijs occupatum esse simulans. Tandem autem quum ei legatos admittere placuisset, & illi senatus mandata exposuissent, Demiror, inquit, vos Romani, cur vos vel eos omnes, à quibus nullam iniuriam accepistis, imperij & tyrannidis cupiditate pro hostibus habeatis, Aequis verò non permittatis de istis Tusculanis inimicis pœnas sumere, quum nullo modo infœdere vobiscum factlo illis sit cautum. Si quã igitur iniuriã aut damnum in vestris propriis rebus vos à nobis accepisse ducitis, vobis ex fœdere satisfaciemus: sed si res Tusculanorum repetuum venitis, de his ne mecum agatis, sed cum ista fago loquamini. Et simul quandam fagum proximam ei ostendit. Romani, hac contumelia ab illo affecti, non statim ira perciti copias eduxerunt:

sed & secundam legationem & sacrosanctos feciales ad eum miserunt, deos genióque testantes, si suum ius obtinere non potuissent, se pium iustúmque bellum inferre coactum iri: ac tum demum consulem miserunt. Gracchus cognito Romanorum aduentu motis castris vlterius est progressus hostibus è vestigio ipsum sequentibus: quia volebat eos in ea loca pertrahere in quibus ipse meliore conditione esset futurus, quod etiam accidit: nam quum obseruasset quandam conuallem montibus cinctam, & Romani qui ipsum sequebantur in eam ingressi fuissent, agmen conuertit & castra posuit in via quæ extra conuallem ferebat. Quo factum est vt Romani locum, non quem cupiebant, sed quem ratio temporis ipsis dabat, ad castra ponenda caperent, vbi nec pabuli copiam pro tempore habere poterant, loco montibus nudis & accessu difficilibus circundato: nec sibi ipsis cõmeatus ex hostico cõparare, cõsumptis quos domo attulerãt, nec castra mutare hostibus castra opposita habẽtibus, & exitus obsidẽtib. Quare quũ statuissent viã vi tẽtare, & in aciẽ prodyssent reiecti sunt, & multis vulneribus acceptis, in eadem castra sunt cõpulsi. Tum Cluilius hoc secundo successu elatus, eos fossa valloque circundare cœpit: & in magnam spem venerat, eos fame coactos armis traditis deditionem facturos. His Romam nuntiatis, Q. Fabius, vrbis præfectus, selectum suarum copiarum florem ac robur consuli auxilia misit. His autem copiis præerat T. Quintius quæstorius consularis. Ad alterum verò consulem qui exercitũ in Sabinis habebat, literis missis significauit quid Minacio accidisset, eúmque vt celeriter veniret rogauit. Ille cõmissa legatis castrorum custodia, eum reliquis equitibus concitato itinere Romam venit vrbémque ingressus ad-

huc

huc in tempesta nocte, quidnã faciendum esset cum Fabio aliisq; senioribus ciuibus consultabat. Vbi verò omnibus visum est tempus dictatorem poscere, ad eum magistratum, L. Cincinnatum designauit. Atque ijs se his peractis in sua castra est reuersus. At Fabius, præfectus vrbis, misit qui ad imperium Quintiũ adducerent. Forte autem tunc quoque ille quodã modo opus rusticum faciebat, qui quum turbam aduentantem conspexisset, suspicatus eam ad se venire, vestem elegantiorem sumpsit, ipsiq; obuiam iuit. Ad quos postquam accessit, & equos phaleris insignibus ornatos adduxerunt, & XXIIII. fasces cum ipsis securibus & purpuram, & alia regia insignia obtulerunt. Vnde quum cognouisset se dictatorem creatum, non solum tanto honore sibi delato lætatus non est: sed etiam non sine indignatione in has voces erupit, Peribit ergo huius quoque anni fructus ob meas occupationes & malè omnes esuriemus. Post hæc in vrbẽ profectus, primum quidẽ ciues bono animo esse iussit, oratione apud populum habita, vt eorum animos bona spe excitaret. Deinde verò omnibus iunioribus, tam iis qui in vrbe quàm iis qui in agris erant coactis, accitisque sociorum auxiliis, magistrum equitum duxit L. Tarquinium, virũ non magnæ existimationis, propter paupertatem, sed rebus bellicis strenuum, & cum non contemnendo exercitu quem instructa acie ducebat, inuenit T. Quintium quæstorem, qui ipsius aduentũ expectabat, illiusq; copiis aduentis in hostes est profectus. Quum autẽ cõspexisset naturam locorum in quibus castra erant, partẽ copiarũ in locis editioribus collocauit, ne qua noua auxilia commeatusque Aequis submitterentur. Ipse cum reliquo exercitu instructo in aciem progressus est. Cluilius verò, nihil

consternatus (nam & exercitu non exiguo stipatus erat, & ipse bello fortis ac magnanimus habebatur) impetum eius excepit, & acre prælium cõmissum est. Quũ autem diu pugnatũ esset, & Romani bellis continuis assueti, laborẽ facile ferrent, equitésq. peditibus semper succurrerẽt, qua cunq; parte laborarent, Gracchus victus in sua castra est compulsus. Post hæc Quintius eum alto vallo & crebris castellis circumsedit, & vbi eũ victus inopia laborare cognouit, Aequorum castra continuato labore oppugnare cœpit, & nonnullis imperauit vt ab altera castrorum parte copias educeret. Itaque, Aequi commeatuum penuria pressi, auxilióque sociorum desperato, & variis ex partibus oppugnati, per legatos pacem à Quintio supplices petere sunt coacti. Ille verò respondit se cæteris Aequis pacem daturum: & si arma deposuissent, se illis impunitatem concessurum, sed omnes sub iugum missurũ: at Gracchum belli ducem aliósque defectionis autores, vt hostes tractaturum. Et iam imperauit vt eos victos sibi dederent. Aequis autem hæc perferentibus, illud postremùm ipsis imperauit, quando Tusculum vrbem pop. Ro. sociam nulla iniuria à Tusculanis accepta cepissent, & ciues in seruitutem rapuissent, eorúmque res diripuissent, vt vicissim ipsi quoque Corbionẽsium ciuitatem sibi eodem modo tractandam darent. Cum his responsis legati abierunt nec multò post reuersi sunt, Gracchum eiusque socios in vinculis adducentes. Ipsi verò inermes è castris suis sunt egressi, & per castra Romana iussu consulis transeuntes sub iugum missi fuerunt, & Corbionem ex pacto dediderunt, hoc vno impetrato vt ingenuis, antequàm vrbs diriperetur excedere liceret: pro quibus captiuos Tusculanos sine pretio dimiserunt. Quintius

accepta

acceptâ Corbione, quod in illa prædâ lectissimũ erat, Romam ferri iussit: reliqua omnia suis & Quintij quæstoris militibus, qui eo præmissi fuerant cõcessit. vtq; centuriatim ea inter se diuiderẽt permisit. Minucianis verò qui intra castra cõpulsi fuerant se magnũ donũ dedisse dicebat quod eorum corpora ex morte eripuisset. His peractis, & coacto Minucio magistratum deponere, Romam rediit, & triumphum egit clariorem quàm vllus vnquã imperator, quòd intra sextum decimum diem, ex quo magistratum acceperat, suorum castra seruasset, & florentem hostium exercitum profligasset, eorumque vrbem diripuisset, præsidiumque in ea reliquisset, & belli ducem, aliósque viros illustres catenis vinctos præ se egisset. Et, quòd maximè in eo viro admiratione dignum fuit, illud est, quòd tantum imperium in sex menses acceptum non retinuerit quantum lex ipsi permittebat: sed conuocato ad concionem populo, rerúmque à se gestarum ratione reddita se magistratu abdicauerit: & quum eum rogaret senatus vt quantum vellet ex agro armis quæsito caperet, & ex præda mancipia & pecunias, & iustis diuitiis honestissimè suis laboribus ex hoste partis pauperiem leuaret: quúmque amici & cognati magna dona ei offerrent, & nihil magis cuperent quàm vt talis vir dines esset ille laudata eorum egregia voluntate, nihil eorum quæ offerebantur, acceperit: sed ad suum illum agellum redierit, & laboriosam vitam regiæ anteposuerit, ob suam paupertatem magis se efferens quàm alij ob diuitias. Non multò post & Nautius alter consul, Sabinis acie victis, & agro eorum bona ex parte excursionibus vastato, copias domum reduxit.

7 ¶ SEQVITVR *olympias* LXXXI, *qua vicit in stadio Polymnastus Cyrenæus, archonte Athenis Callia, quo anno C. Horatius & Q. Minutius Romæ consules creati. His consulibus Sabini rursus expeditione contra Romanos facta magnam agri partem vastarunt, & qui ex agris fugerant, cæteruatim venientes nuntiabant omnia à Crustumerio Fidenas vsque in eorum potestatem venisse. Aequi quoque nuper deuicti in armis iterum erant, & noctu lectissimi quique ex illis Corbionem profecti, quod oppidum superiore anno Romanis dederant, præsidium in eo sopitum nacti iugularunt, exceptis paucis qui fortè aberant. Reliqui verò ingenti manu ad Hortonam, Latini nominis oppidum profecti, id primo impetu ceperunt, & iram quam in Romanos effundere non potuerant, in eorum socios omnem effuderunt, omnesque puberes (præter eos qui statim dum vrbs caperetur euaserunt) interfecerunt, vxores & liberos eorum, & senes captiuos abduxerunt, & pecunias, quascunque ferre potuerunt, festinanter collectis, priusquam omnes Latini illis succurrerent, se domum receperunt. His duabus cladibus eodem tempore nuntiatis tum à Latinis, tum ab iis qui ex arce capta elapsi fuerant, senatus vtrumque consulem cum exercitu mittere decreuit. At Virginius eiusque collega, quintum iam annum eandem potestatem habentes, id impediebant, quemadmodum annis superioribus fecerant, consulibus delectum habentibus intercedentes, vtque domesticum bellum prius finiretur postulantes, permissa plebis iudicio cognitione legis quam de iuris æquabilitate ferebant: & ipsa plebs illis multas voces inuidiæ plenas in senatum iactantibus suffragabatur. Quem autem tempus protraheret,*

heretur, nec consules pati possent de ea lege s. c. fieri, eámque promulgari, nec tribuni vellent permittere vt delectus haberentur, & copiæ educerentur, quúmq; multa verba hinc inde fierent, multáque conuicia vltro citróque tam in concionibus, quàm in senatu frustrà iacta rentur, nonum quoddam institutum contra senatum à tribunis inuentum, quo patres decepti fuerunt, tunc quidem illam seditionem sopiuit: sed plebi multa commoda attulit, eiúsque potentiam auxit. Quomodo autem hanc quoque potentiam plebs fuerit adepta, narrabo. Dum pop. Rom. socior úmque agri diriperentur, & hostes tanquam per loca deserta iter facerent, quòd persuasum haberent, nullum exercitum contra se proditurum ob seditionem intestinam, consules senatum coegerunt, vt tunc de summa rerum postremùm consultaturi. Multis autem verbis hinc inde factis primus rogatus sententiam L. Quintius, qui superiore anno dictator fuerat, vir non solùm in rebus bellicis accerrimus, sed etiam in tractandis ciuilibus negotiis omnium sui seculi prudentissimus, dixit pro sententia, quod maximè tam tribunos quàm cæteros ciues mouit, illam legis cognitionem tunc minimè urgentem in aliud tempus opportunius differendam: bellum verò quòd esset præ manibus, & propemodum Reipub. iam immineret, omni alacritate animi suscipiẽdum: nec committendum vt imperium multis labo ibus partum turpiter & ignauiter amitteretur. Quòd si plebs nõ pareret, dixit patricios vnà cum suis clientibus armatos, & adiunctis aliis ciuibus, quotquot ad præclarissimum pro patria certamen vltro operam suam offerrent, ad bellum alacriter proficisci debere, & omnes deos vrbis Romanæ custodes, viæ duces sequi. E duabus enim

rebus præclaris ac iustis alteram ipsis euenturam: aut enim victoriam, omnium quas vnquam aut ipsi aut maiores retulissent, clarissimam reportaturos, aut pro victoriæ bonis fortiter pugnantes casuros. Huic autem præclaro periculo se quoque interfuturum dicebat, & se in prælio vel hominum robustissimorum operam æquaturum, nec vllos alios è senioribus qui libertatis essent studiosi, & bonæ existimationis rationem haberent, abfuturos. Quum autem cæteri quoque in hanc sententiam irent, nec vllus esset qui contra diceret, consules populum ad concionem conuocarunt: ad quam quum tota vrbana turba, vt rem nouam audiret confluxissent, alter consul C. Horatius, in medium progressus, conatus est persuadere plebi vt hanc quoque expeditionem volens ac libens susciperet, tribunis verò reclamantibus, & plebe animum ad illos aduertente, consul iterum progressus sic est loquutus, {PRAECLARVM, Virgini, & admirandum facinus feciſtis vos, qui plebem à senatu diuelliſtis: & quantum in vobis est, omnia bona amisimus, quæcunque aut à maioribus accepta, aut nostris laboribus parta possidemus. Verumtamen, nos non patiemur hæc nobis sine sudore & pulucre eripi: sed captis armis vnà cum illis qui patriam saluam cupiunt, bona spe factisq. freti, ad hoc certamen ibimus: & si quis fortè deus honesta, bona, ac iusta certamina curat, & si fortuna quæ hanc vrbem iamdiu auget, eam nondum deseruit, victoriam ab hoste reportabimus. Quòd siquis deus fortè nobis obsistat, & Reip. saluti aduersetur, haud tamen pro ea pieta te & animi alacritate, quæ in nobis est peribit: sed mortem omnium honestissimam pro patria eligemus. Vos verò, ô generosi & præclari vrbis præsides, in ea cum mu-

lierculis

lieribus remanentes domum custodiet, nobis desertis, imò potius proditis: sed scitote, nec victoriam nostram vobis honorificam futuram, nec si res aliter nobis successerit, vos periculo carituros. Nisi fortè frigida illa ista ætate elati, existimatis fore vt extinctis patriciis hostes hoc beneficium considerantes intactos vos relinquant & patria, libertate, imperio, & reliquis omnibus bonis quæ nunc possidetis, frui vobis permittant: quos (quando optimè de Rep. sentiebatis, & sana mente eratis) magna agrorum parte mulctastis quorum multas vrbes solo æquastis, iis antè direptis, & ciuibus in seruitutem abstractis, de quibus multa & magna trophæa, & monumenta inimicitiarum erexistis, quæ ne vlla quidem temporis vetustate delere poterunt. Sed quid ego ob hæc plebem increpo, quæ nunquam sponte peccauit, quin potius vos, Virgini, qui tam egregiè Remp. administratis? Nos certè, quos ipsa necessitas viros fortes & magnanimos esse cogit, decreuimus (nec quidquam nos prohibebit) pro patria certamen subire. Vos verò desertores & proditores Reip. diis iustas & meritas pœnas dabitis, quòd si fortè hominum pœnas effugeritis, at certè non etiam istas effugietis, nec putetis me terrendi causa hæc dicere: sed certò sciatis, eos qui de nobis relicti fuerint ad vrbis præsidium, si hostes victores fuerint, ea quæ ipsos deceat habituros. Si enim nonnullis barbaris tam ab hoste deuictis in mentem venit, vt nec coniuges, nec liberos, nec ciues in eorum potestatem venire paterentur: sed illas quidem cremarent, hos verò iugularent, non putatis hæc Romanis (quibus patrium est aliis imperare) in mentem ventura, & ita sibi eos consulturos? non adeò degeneres erunt: sed à vobis inimicissimis initio facto, tunc demum manus in chariss-

simos quoſque conuertent. Hæc igitur conſiderantes, con
ciones habeatis, & nouas leges feratis. ¶ Hæc & multa
alia huiuſmodi loquutus, produxit patrum maximos na-
tu flentes, quibus conſpectis, multi de plebe ne ipſi quidem à lacrymis ſibi temperare potuerunt. Itaque vehementer motis affectibus ætate ac dignitate hominum, tō-
ſul poſt interpoſitum breue ſilētium, ¶ NON pudet vos, Quirites, inquit, nec ſub terram vos abditis, quòd iſti ſenes pro vobis iuuenibus arma capiant? & eos duces deſerere ſi ſtinebitis, quos patres ſemper vocabitis? O vos miſeros, & ciues hac patria indignos, cuius conditores parentes ſuos humeris geſtauerunt, quibus per medios hoſtes armatos, & incendia, diu tutam viā præbuerunt. ¶ Tunc Virginius, vt vidit plebem his ſermonibus flectis, veritus ne vel contra animi ſui ſententiam ad illam belli ſocietatem ſe addere cogeretur, in mediū progreſſus ſic eſt loquutus, ¶ Non deſerimus, nec prodimus vos, patres, nec vos deſeremus, ſicut nec vnquam antè vllam militiam deſerere voluimus: ſed & vobiſcū viuere volumus, & vobiſcū pati quidquid fortunæ libuerit: ſed pro operā noſtra vobis ſemper alacriter nauata, hanc mediocrē gratiam à vobis repoſcimus, vt quemadmodum communium periculorum ex æquo ſumus vobiſcum participes, ſic eiā æquo iure degamus, conſtitutis legibus libertatis cuſtodibus quibus omnes in poſterum vtamur. Quòd ſi hoc apud vos decreuiſtis, & veſtris ciuibus hanc gratiā concedere non vultis: ſed iuris æquabilitatem plebi impertire grauius morte cenſetis, vobiſcū nō amplius hac de re contendemus. ſed aliud beneficiū à vobis petemus, quo impetrato, fortaſſe ne nouis quidē legibus opus erit nobis: ſed veremur ne hoc quoque nobis denegetur, vnde nullum de-

trimentum

trimestrum ad senatū redibit plebi verò valde honorificū & acceptum erit. Quum autē consul respondisset se hanc actionem impetraturos, & quū quid postularent, dicere iussisset, Virginius pauca priùs cum collegis colloquutus, respondit se id in senatu dicturum, ac mox senatu à consulibus coacto, ille in medium progressus, omnibus plebis priuilegiis secum in curiā allatis, petiit vt plebis magistratus duplicaretur, & pro quinque tribunis decem quotannis crearentur. Hoc alij nullū damnū Reip. allaturum arbitrabātur, sed hoc concedendum, nec quid quam moliendum censebant, cuius sententiæ princeps erat L. Quintius, cuius tum maxima erat in senatu auctoritas. Vnus solus cōtradixit C. Claudius, Appij eius qui semper omnibus plebis nouis institutis (si qua iniqua erant) aduersatus fuerat, qui ex patris disciplina quū & ipse consulatū gereret, impediuit ne inquisitio in equestrē ordinē, de coniuratione falsò suspectum, tribunis permitteretur. Hic paucis verbis docuit plebem, nec modestiorē, nec meliorem futuram duplicato eius magistratu: sed dementiorem ac insolentiorem. Neque enim certis conditionibus eos qui in posterum creandi essent, magistratum accepturos, ita vt pactis starent: sed confestim de lege agraria, & de honoribus æquandis mentionem facturos, omnésque deinceps dictis & factis plebis potentiam augere & senatus honores tollere conaturos. Hæc oratio multos vehementer mouit: sed Quintius eos in aliam sententiam traduxit, docens ēre senatus esse, multos esse tribunos plebis: plurimos enim minus cōcordes fore quàm pauciores. Vnū autē esse Reip. remedium quod Appius Claudius, Caij pater, primus animaduertit, videlicet si hoc collegium dissideret, nec omnibus idem videretur. In hanc

igitur sententiam factum est senatusconsultum, licere plebi decem tribunos quotannis creare: sed nullum ex illis qui tunc magistratum gerebant. Id S.C. acceptum Virginius cum suis collegis promulgauit, legemque de ea re scriptam plebiscito confirmauit & decem tribunos in annum insequentem designauit. Sedata seditione, consules copiis conscriptis prouinciae sunt sortiti, ac Minucio bellum contra Sabinos commissum, Horatio contra Aequos: & ambo celeriter copias eduxerunt. Sabini intra oppida se continentes, eáque tutantes, omnia quae in agris erant agi & ferri patiebantur. At Aequi exercitum miserunt qui Romanis obuiam iret. Quanuis autem strenuè dimicassent, tamen Romanorum vires superare non potuerunt: sed se in oppida recipere coacti fuerunt, amisso oppidulo pro quo pugnarant. Horatius verò fusis ac fugatis hostibus, & agri eorum magna parte vastata, Corbionisque moenibus dirutis, aedificiisque funditus euersis, copias domum reduxit.

8 ¶ ANNO sequenti M. Valerio, & Sp. Virginio consulibus, nullum bellum externum a pop. Rom. gestum est: sed contentiones inter tribunos & consules domi renouatae sunt, quibus tribuni consularem potestatem imminuerunt. Nam antea tribuni, solùm concionis conuocandae & in ea agendi apud populum ius habebant: sed senatum cogere, aut sententiam dicere illis non licebat: sed hic honor consulum erat. Sed illius anni tribuni primi senatum conuocare sunt agressi, eius conatus autore Icilio, qui eius collegij princeps erat, vir industrius, & Romana facundia pollens. Nam hic quoque nouum institutum in Remp. inducere est ausus, postulans vt locus qui Auentinus vocatur, plebi ad aedes in eo fabricandas dividere-

uideretur. Est autem collis modicè altus, ambitu non minore quàm duodecim stadiorum, mœnibus urbis comprehensus, qui tunc non totus habitabatur, sed erat publicus & syluestris materiæ plenus. Tribunus igitur hanc actionem inferens, ad eius anni consules & senatum accessit, petiitque vt suam rogationem senatusconsulto cõfirmatam liceret promulgare. Consulibus autem rem differentibus, & tempus protrahentibus, misso ad eos apparitore, ad collegium sequi, & senatum cõuocare iussit. Sed quum quidam ex lictoribus iussu consulum apparitorem repulisset, Icilius eiusque collegæ id iniquo animo ferentes, lictorem comprehenderunt, & vt de saxo deiicerent, adduxerunt. At consules nec vim afferre, nec eum qui adducebatur eripere potuerunt, licet se graui cõtumelia affectos putarent: sed aliorum tribunorum opem implorabant. Quod enim ex illius collegij sententia fit, id prohibere aut impedire nulli alij licet: sed hæc potestas est alicuius alius tribuni. Illi verò iam antè inter se decreuerant nullum nouum institutum vnius arbitrio, sed de communi omnium sententia in remp introducere, neque quenquam actionibus, quæ plurium collegarum sententiis comprobatæ essent, intercedere volebant. Et confestim simulatque magistratum inierunt, facta re diuina in hæc dato & accepto inter se iureiurando conspirarunt, rati sic maximè tribunitiam potestatem inuiolabilẽ fore, si omne dissidium ex suo collegio sublatũ esset. Hac igitur coniuratione seruata, iusserũt lictorem abduci, dicentes id fieri de communi totius collegij sententia. Haud tamen in ea ira permanserunt: sed hominis supplicium patrum natu maximis deprecantibus cõdonarũt, rei inuidiam veriti, quòd primi morte mulcta-

turi esset hominem qui magistratus iussa feciſset, veriti etiam ne ob talem occasionem patricij ad desperationem redacti, extrema audere cogerentur. Quo facto cõsules coacto senatu, longa oratione in tribunos sunt inuecti. Icilius verò excepta oratione, iram in lictorem effusam excusauit, sacratis legibus in medium prolatis, quæ neque magistratui, neque homini priuato permittebant, vt tribuno vlla in re aduersaretur. Quòd autẽ senatum conuocare aggressus fuisset, demonstrauit se ideo nihil absurdi fuisse, idque prolixa variáque oratione ad hoc ipsum præparata persuadere conatus est. Vbi verò hæc crimina diluit, mentionem suæ rogationis intulit. Erat enim huiusmodi. Quæ priuati homines iure parta possiderent, ea manerent penes pristinos dominos. Quæ verò per vim aut fraudem ædificiis nonnulli occupassent, ea restituto ex arbitrorũ sententia pretio ædificationis, populo addicerentur. Reliqua verò quæ publica essent, ea sine pretio populo diuiderentur, docebátque hanc legem reipublicæ cùm multis aliis in rebus vtilem fore, tum verò præcipuè ad tollendam pauperum seditionem ob agrum publicum, quem patricij retinebant. Dicebat enim illis satis fore si vrbis aliquam partẽ fortitò habuissent, quando agri publici nullam partem habere possent, quòd à multis, iisque potentibus occupatus esset. Hac oratione ab illo habita, solus C. Claudius contradixit: at multi in eius sententiam iuerunt. Tandem senatusconsultum factum vt plebi locus daretur. Postea, præsentibus pontificibus & auguribus, duobúsque sacrificulis, votísque precibúsque de more factis, centuriatis comitiis, quæ consules habuerant, lex est perlata, quæ extat in ærea columna incisa, quam in Auentinum

tinum tulerunt, & in Dianæ templo reposuerunt. Hac lege perlata plebeij conuenerunt, solique æreas inter se sorte diuiserunt, & ibi ædificare cœperunt, locum quantum quisque poterat occupantes. Nonnulli etiam duo simul, & tres, plúresve vnas ædes collatis impendiis extruxerunt, aliis infimas earum partes, aliis superiores sibi capientibus. Ita igitur totus ille annus in ædificiis extruendis consumptus est.

9 ¶ Annvs sequens, qui consules habuit T. Romilium, & C. Veturium, & tribunos pleb. L. Icilium cum collegis iterum, nõ simplex, sed varius, rebúsque magnis memorabilis fuit. Nam & ciuilis seditio, quæ iam sopita videbatur à tribunis iterum excitata est, & quædam bella à gentibus externis exorta sunt, quæ nullo incommodo remp. afficere potuerunt, imò verò non parua commoda ei attulerunt seditione ex ea sublata. Hæ enim vicissitudines in vrbem redibant: hócque illi ciuitati familiare erat, vt si bello premeretur, concors esset: si pace frueretur, seditione laboraret. Quod quũ animaduerterent summi magistratus, nihilo magis quàm bellum aliquod externum semper oriri optabant. Quoties verò pax foris erat, ipsi crimina confingebant, & bellorum occasiones quærebant, quippe quòd viderent rempp. bellis magnam & fortunatam fieri: seditionibus verò humilem & infirmam reddi. Quare eodem concilio, illius anni consules copias in hostes educere decreuerunt, veriti ne homines otiosi ac inopes per pacem aliquas turbas excitare inciperent. Ac rectè illi quidem sentiebant, qui turbam externa militia distinendam censerẽt: at in reliquis peccabant. Quum enim, vt in vitiosa ciuitate, moderatos delectus habere deberẽt, illi eos qui mi-

litiam detrectabant, vi cogere cœperunt, nullam excusationem admittentes, nulli veniam dantes: sed pœnis lege statutis, & in eorum corpora & bona acerbe vtentes. Quæ quum illi facerent, tribuni occasionem plebis iterum ductandæ & concitandæ arripuerũt: eáque ad cõcionẽ conuocata, cùm alia crimina consulibus obiiciebãt, tum verò quòd multos ciues Romanos tribunitiæ potestatis opem implorantes in carcerem duci iussissent. Sed quum nihil proficerent & longè maiore seueritate delectus haberi viderent factis obsistere sunt aggressi. Consulibus verò pro magistratus sui imperio resistentibus, animi irritati fuerunt, & sæpe ad manus est ventũ. Cõsules autem inuentus patricia adiuuabat, tribunos verò inops ac otiosa turba. Illo igitur die consules longè superiores tribunis discesserunt. Sequentibus verò diebus maior turba ex agris in vrbem confluente, tribuni rati se iam satis validam manum ad resistendum habere, crebras conciones habebant, & suos apparitores malè tractatos ac fugillatos ostẽdebant, & se magistratum deposituros minabãtur, si nullum auxilium sibi à plebe ferretur. Quum autem plebs vnà cum illis indignaretur, citarunt cõsules ad populum, vt factorum suorum causam dicerent. Qui quum ipsis aures non præberent, senatum adierunt (fortè enim tunc patres his ipsis de rebus in curia consultabant) & in medium progressi rogarunt ne se fœdissimis contumelijs affectos negligerent, néve plebi suum auxiliũ eripi paterentur, omnésque iniurias sibi à consulibus & coniurata eorum factione illatas recensuerunt. Non solùm autẽ tribunitiæ potestati: verumetiã ipsis sacrosanctis tribunorum corporibus iniuriam factã dicebant: postulabántque vt consules alterutrum facerent,

rent, aut, si negarent se vllo modo in sacrosancta tribunorum corpora contra leges deliquisse, pro concione deierarent, aut si religio eos vetaret iurare, ad populum venirent, & apud eum causam dicerent: se enim tribus in suffragia missuros. Consules ad haec se purgantes responderunt, & demonstrarunt initium iniuriarum à tribunis factum, qui insolenter se gessissent, & violentas manus contra fas consulum corporibus inferre ausi fuissent, primùm quidem quàdo per apparitores & ædiles in carcerem summos magistratus duci iusserunt. Deinde verò quando ipsimet audaciss imis quibusque plebeys stipati, manus in eos iniycere sunt ausi. Demonstrarunt etiam quantum discrimen inter istos magistratus esset: consularem enim potestatem, regiam esse dicebant, tribunitiã verò in ciuitate receptam fuisse, vt ciuibus vim & iniuriam patientibus auxilium ferretur: & tantum abesse vt liceret tribunis diem consulibus dicere, plebemque in suffragia contra eos mittere, vt ne in minimum quidem ordinis patricij hæc potestas illis nisi ex S. C. sit data. Quare minabantur, si illi plebem ad suffragia vocarent, patricios à se armatũ iri. In his altercationibus cõsumpta die, senatus nihil certi decreuit ne vel consulum, vel tribunorum magistratum minueret, quòd vtrumque magna pericula allaturum videret. Quum igitur tribuni etiam indere infecta discessissent, reuersi ad populum, quid faciendum esset iterum consultare cœperunt. Nonnulli suadebãt (præcipuè verò qui turbulẽtissimi erãt) vt plebs correpta, armis iterũ secessionem faceret in sacrum montẽ, vbi & olim castra posuerat, eáque belli sedes esset cõtra patricios, quãdo illi fœdus cũ plebe factũ violasset, tribunitia potestate apertè sublata. At maior

eorum pars censuit de vrbe non decedẽdum, nec culpam priuatorum quorundam qui tribunos violarant, in omnes conferendam: expectandámque legum animaduersionem, quæ eos qui sacrosanctã tribunorum corpora violarunt, aut exilio aut morte mulctant. At homines ingenio mitiori præditi neutrum horum probabant, neque vrbem deserendam, neque inducta causa quenquam occidendum, præsertim verò consules, qui magistratus esset maximus: sed iram in eorum fautores transferendam, & pœnas de illis quæ legibus sunt statutæ sumendas censebant. Si igitur illo die tribuni iræ impetu impulsi, eò progressi fuissent, vt aliquid in consules vel senatum facerent, nihil vetuisset quin ciuitas se ipsa perderet, adeò omnes ad arma & bellum ciuile parati erãt. Iam verò rebus dilatis, sibique ipsis tempore ad maturius deliberandum dato, & ipsi mitiores sunt facti, & multorum aliorum iras lenierunt. Deinde die consulibus in proximum trinundinum dicta, ad quam cõuocato populo mulctam pecuniariam ipsis irrogarent, concionẽ dimiserũt. Quum autem tempus iam instaret, ab hoc quoque proposito & conatu desiterunt, sed hanc gratiam natu maximi & honoratissimi cuiusque precibus condonare dicentes. Postea conuocato populo dixerunt culpã in se admissam remittere se in gratiam multorũ ac proborum virorum, quorum precibus nihil negare fas putarent: sed iniuriam ipsi plebi factam se vlturos ac prohibituros. Se enim promulgaturos legem agrariam iam per x x x. annos tractam, & rogationẽ de æquando iure a proximis superioribus tribunis promulgatam, sed non perlatam. Hæc pollicitis, & iureiurando adhibito, diem comitiorum indixerunt, quo se populum in suffragia legis

causſa

causa missuros dixerũt. Quum autem dies venisset, primũm legem agrariam proposuerunt, & post longam orationem à se habitam, cuius de plebe legis suadendæ potestatem fecerunt. Licet autem multi prodyssent, & rebello præclarè à se gestas commemorassent, & rem indignam esse clamitassent, quòd ex tam amplo agro hostibus erepto ipsi nullam portionem accepissent, sed agrũ publicum ab iis occupatum qui & opibus & gratia valebant, fructúsque ex eo per vim ab illis percipi viderẽt: licet etiam postulassent vt plebs non solorum periculorum, quæ pro reip. commodis subirentur, particeps esset: sed etiam voluptatum ac emolumentorum inde partorum, & plebs libenter hæc audiret, nullus tamen eã magis mouit quàm L. Siccius, cognomine Dẽtatus, qui pertulit ac magnis suis facinoribus cõmemoratis, illud obtinuit, vt plebs ne vocem quidem contradicẽtium audire vellet. Erat autẽ vir admirando aspectu, & ætate quæ viribus animi maximè pollet, annos natus duodesexaginta, & prudentia valens, & militari facundia præditus. Is in medium progressus, ita est loquutus. ¶ Si singulatim, Quirites, mea præclara facinora recensere vellem, me dies defeceret: sed ipsa rerum capita quàm breuissimè potero dicã. Hic est quadragesimus annus ex quo pro patria milito, tricesimus verò ex quo, si quisquam alius, ordines duco, modò centurio, modò primipilus, iamque à C. Aquilio, & T. Sicinio consulatu, quibus senatus bellum contra Volscos decretum commisit. Tunc enim agebam annum ætatis vigesimum septimum, & sub centurionib. collocabar. Quum autem atrox prælium commissum fuisset, nostris in fugã versis, cæsóque meæ cohortis centurione, signíque in potestatem hostium redactis, ego

solus pro omnibus periculum subij, & cohortis signa seruaui, hostésq. repuli, & manifeste autor fui ne centuriones in perpetuam ignominiam inciderent, ob quam reliquum vitæ spatium, vel ipsa morte grauius illis fuisset, vt ipsimet sunt fassi, qui corona aurea me ornarunt, vtq; ipse consul Siccius testatus est, qui me centurionem fecit. Rursus quum in alio prælio accidisset vt præfectus nostræ legionis caderet, & Aquila in hostium potestate veniret, eodem modo pro tota legione dimicans, & Aquilã recepi, & præfectum seruaui, qui mihi pro auxilio tunc sibi lato gratiam referens, suo primipili munere cedere, & Aquilã tradere volebat: at ego hæc non accepi, quia eum cui vitam donarem, honoribus quos habebat, & voluptatibus quas inde capiebat spoliare indignum iudicaui. Pro quibus meritis cõsul me primæ legionis, quæ in eo prælio duce orbata fuerat primipilum fecit. Hæc sunt, Quirites, fortia illa facinora, quæ me illustrem fecerunt, & ad honorem ductandorum ordinum proueexerunt: deinde quam celebre nomen adeptus iam clarissem, reliqua omnia certamina sustinui, quòd honores mihi delatos, & beneficia ob res antè gestas in me collata puderet delere: posteaque semper militaui, labores pertuli, & nullum periculũ formidaui, imò ne cõsideraui quidem. Pro quibus omnibus meis fortibus factis præmia, spolia, coronas, & alios honores à consulibus accepi, & vt compendio dicã, his XL. annis quos continenter militaui circiter centum & viginti pugnas cõmisi, & vulnera XLV. eáque omnia aduersa, nullum auersum accepi: mihique contigit vt ex his XII. vno die acciperem, quo tempore Herdonius Sabinus arcem, & Capitolium occupauerat: & fortitudinis gratia ex variis prælijs præmia retu-

retuli, XIIII. coronas ciuicas, quibus ciues in præliis à me seruati me coronarunt, vnam obsidionalem, tres murales quòd primus hostium muros ascendissẽ, cósque occupassẽ, & oĉlo alias, quibus ob operã in acie nauatam à summis imperatoribus ornatus fui: preterea torques aureos, LXXXIIII. armillas aureas LX. hastas XVIII. Phaleras insignes XXV. inter quas nouem erãt, quas ex hostibus qui nos ad singulare certamẽ prouocarent, ego ad vltro suscipiens victor reportaui. Hic tamẽ ego Siccius qui pro vobis, Quirites, tot annos militaui, qui in præliis pugnaui, qui ob rem fortiter gestam tot donis honoratus fui, qui nullũ periculũ vnquã formidaui, imò ne recusaui quidem: sed ve satus sum in acie, in oppugnatione inter pedites, inter equites, cum omnib⁹, cũ paucis, solus, & toto corpore consauciatus, qui vnà cum aliis cõmilitonibus tot & adeò fertiles agros patriæ paraui, quos partim Etruscis & Sabinis, partim Aequis Volscis, Hoptinis, aliisque hostibus deuictis ademptos possidetis, nullam tamen ipse portionem ex iis accepi nec vestrum quisquã, Quirites, qui eorundem laborum socij fuistis. Sed violentissimi ac impudẽtissimi quique ciues partem eorum pulcherrimam occupant, & multos iam annos fructus inde percipiunt, quam nec dono à vobis acceperunt, nec pretio emerunt, nec vllum aliud ius illius possessionis possunt ostendere. Qui si æquè nobiscum laborassent, dum eos agros quærebamus, & ampliorem quàm nos portionem habere vellent, tamen ne sic quidem æquum aut ciuile esset, paucos quosdam res publicas & omnibus communes sibi vendicare: hæc tamen eorum pluris habendi cupiditas aliquam rationis speciem haberet. Iam verò quum nullum magnum ac

virile facinus à se editum demonstrare possunt, pro cuius merito res nostras per vim retineant, & tamen perficta fronte eas retineant, & ne conuicli quidē ipsis cedant, quis eos ferat? Age enim obsecro, si quid ego in his mentior, prodeat aliquis existus venerandi viri, nobisque ostendat quænam illustria ac egregia facinora fecerit, vt propterea se portionem quàm me ampliorem habere æquum censeat. An quòd plures annos militarit, aut pluribus prælijs decertauerit, aut plura vulnera acceperit, aut coronis, spoliis, aliisque præmijs, quibus milites ob victoriam partam ornari solent, me superarit, quibus hostes infirmiores facti fuerint, & patria illustrior & potentior sit reddita? Imò verò, ostendat vel decimam partem eorum quæ ego vobis ostendi. Sed istorum plerique, si mecum conferantur, ne minimam quidem partem talium rerum à se gestarum proferre possent, quinetiam nonnullos eorum constat ne tot mala quidem perpessos, quot pertulerit vel vilissimus quisque de plebe miles. Totus enim illorum splendor non in armis, sed in verbis est positus: nàmque vim non in hostes, sed in amicos exerunt, nec ciuitatem omnibus ciuibus communem, sed suam propriam se habitare putant, quasi non simul omnes nostra opera tyrannide fuerint liberati, sed nos in hereditatem à tyrannis acceperint. Quorum cæteras minores ac maiores contumelias, quibus (vt omnes nostis) perpetuò nos afficiunt, silentio prætereo: sed eò superbiæ progressi sunt, vt ne liberam quidem vocem pro patria quenquam nostrum emittere, imò ne hiscere quidem patiantur. Sed Sp. Cassium, qui primus de agris diuidendis mentionem fecit, tribus consulatibus, duobusque clarissi-

rissimis triumphis ornatum, qui foris in artibus imperatoriis, & domi in consiliis reip. dandis, tantæ prudentiæ specimen quantæ nullus alius ætatis suæ dederat, tantum virum crimine affectatæ tyrannidis obiecto, falsis testimoniis oppressum ob nullam aliam causam, quàm quòd patriæ & plebis amans ac studiosus esset, de saxo præcipitem dederint, ac ita interfecerint. C. verò Gemtium tribunum nostrum, quia post undecimum annum eandem legem renouabat, eiúsque mentionem iterum faciebat, & proximi ante suum tribunatum anni consulibus diem dixerat ob neglectum s. c. de agro diuidendo factum, quoniam aperte necare non potuerunt, pridie quàm iudicium fieret, clàm de medio sustulerunt, quæ res alios tribunos postea factos valde terruit, nec vllius amplius hoc periculum subire est ausus. Sed iam tricesimus hic est annus, ex quo hæc perferimus, quasi in tyrannide nostram potestatem amiserimus. Omitto alia, sed quum vestri isti magistratus nunc quibusdam plebeiis vim patientibus vellent opem ferre, quorum corpora vestra lege sacrosancta esse voluistis, quibus atrocibus iniuriis non sunt affecti? nónne pugnis & calcibus petiti, & omne contumeliæ genus passi, ex foro pulsi fuerunt? & vos hæc fortis, nec quæritis quomodo pœnas de istis sumatis? saltem suffragiis. quibus solis potestis declarare vos esse liberos? Sed agite, Quirites, nunc tandem liberos spiritus sumite & legem agrariam, quam tribuni ferunt, vestris suffragiis sancite, & ne vocem quidem dissuasorum audite. Vobis verò tribuni adhortatione ad hanc rem non est opus. Vos enim huius legis autores estis, & rectè facitis quòd nemini cedatis. Quòd si insolentia ac impudentia iuniorũ iudicia disturbantiũ, aut calculos eripientium,

aut aliquid aliud in suffragiorum latione immodestè facientium, vobis impedimento fuerit, ostendite ipsis quanta sit collegij vestri potentia. Et quoniam consulum potestatem abrogare non licet, illos priuatos eorum violentiæ ministros in iudicium adducite, & plebem in suffragia de illis mittite, crimini hoc illis dantes, quòd contra sacratas leges vestrum magistratum violare, atque abrogare conentur. Hac eius oratione plebs adeò affecta & commota fuit, tantámque indignationem in aduersarios ostendit, vt (quemadmodum & principiò dixi) ne vocem quidem dissuasorum amplius ferre vellet. Sed Icilius assurgens, cætera quidem dixit, rectè loquutum Siccium, multisque laudibus hominem ornauit: quòd verò dissuadere volentibus dicendi potestatem eriperet, id nec iustum esse, nec moribus ciuitatis receptum dicebat, præsertim quum de lege ageretur, quæ iuri contra violentiam faueret. Eos enim qui nihil æqui nihil iusti de plebe sentiebant, hanc occasionem fore assequturos, vt ciuitatem iterum turbarent, dissidiáque perniciosa in ea sererent. His dictis, iussisque in crastinum adesse qui legem dissuadere vellent, concionem dimisit. At consules conuocato domi concilio patrum eorum qui fortissimi erant, & qui tunc in republica maximè florebant, eos docuerunt omnibus modis legem impediendam, verbis primùm, & nisi rem plebi persuadere possent, factis etiam. Iusserúntque omnes manè cum amicis, & clientibus, quàm plurimis quisque posset, in forum venire. Deinde alios circa ipsum tribunal, & comitium consistere, & se expectare, alios diuersa fori loca conglobatos occupare, vt plebs variis locis dispersa distineretur, & ne in vnũ coiret, ab illis prohiberetur. Ho-

consilium

consilium visum est optimum. Quare ante claram lucem variæ fori partes à patriciis occupatæ fuerunt. Postea tribuni & consules eò venerunt, & iusserunt per præconem eos prodire qui vellent contra legem dicere. Quum autem multi ac probi viri prodissent, eorum oratio præ tumultu & confusione concionis à nullo exaudiri poterat. Nam alij eos qui dicebant adhortabantur, animósque illis addebant alij eos explodebant, & clamoribus ils obstrepebant. Sed nec fauor adiuuantium, nec tumultus aduersantium vincebat. Tum consulibus id indignè ferentibus, & testantibus violentiæ initium à plebe fieri, quòd nullius orationem audire vellet: ad hæc tribuni respondérunt, se quum iam quintum annum eadem verba audirẽt, nihil noui neque mali facere, si obsoletas illas & tritas altercationes amplius pati nollent. Ita igitur diei maiore parte in hæc absumpta, & plebe calculos postulante, iuuenes patricij rem non amplius ferendam rati, plebeios in suas tribus secedere parantes impediebant, & urnas cum calculis diribitoribus eripiebant, & ministros ad id constitutos, si qui nolebant abire, cædendo & pulsando expellebant. Tribunis verò vociferantibus, & in mediam eorum turbam se conijcientibus, ipsis quidem cedebant, eósque tutò quacunque se intulissent, transire sinebant. Sed cæteram turbam eos sequentem arcebant, ac submouebant ita vt tribunorum auxilium inutile esset. Tandem igitur vicerunt patricij, nec legem perferri passi sunt: qui verò præcipuam operam in ea contentione consulibus alacriter nauasse existimabantur, ex tribus familiis fuêre, Postumij, Sempronij, & tertio loco Cloelij, qui & generis dignitate clarissimi erant, & clientelis opibúsque, & gloria multum po-

terant, rebúsque bello gestis insignes erant, per quos omnium confessione stetisse fertur, quominus lex ea plebiscito sanciretur. Postridie tribuni cum nobilissimis è plebe, consultare cœperunt quo modo tractandum esset id negotium: & vnò omnium consensu statuerunt non consulibus diem dicere, sed eorum ministris qui homines erant priuati in quos (sicut Siccius monuerat) cum minore ciuium inuidia animaduerti poterat. Sed de reorum numero, de criminis nomine, præcipuè verò de mulctæ ac litis æstimatione & magnitudine diligenter quærere cœperunt. Qui igitur asperiore ingenio præditi erant, hæc omnia, ad maiorem terrorem aduersæ factioni incutiendum, grauius persequenda censebant: contrà verò, qui mitiore erant natura, suadebant vt hæc clementius & humanius tractarentur. Huius autem sententiæ autor fuit ille Siccius, qui apud populum, de agro diuidendo verba fecerat, qui etiam ipsis rem persuasit. Placuit igitur ipsis cæteros quidem patricios omittere: sed solis Cloeliis, Postumiis, & Semproniis diem dicere, quo factorum suorum causam dicerent, & crimini illis dare quòd contra sacratas leges, quas de tribunis, S.P.Q.R. tulerat, quibus disertè cauebatur, ne quis tribunos vt alios ciues aliquid contra voluntatem suam petere cogeret, tamen ipsi eos impediuissent ne cognitionem de lege ad populum referrent, legémque perferrent. Litis verò æstimationem placuit statuere non capitale supplicium, neque exilium, neque aliquid aliud inuidiosum, ne hoc ipsum illis salutem afferret: sed bona eorum Cereri dicare placuit, quæ pœna omnium mitissima lege præscribebatur. Factum est ita, diésque venit, quo iudicium de illis viris peragendum erat: consulibus

verò &

verò & reliquis patriciis in Senatum conuocatis (præstantissimi verò quique conuocati fuerant) placuit tribunis permittere vt iudicium peragerent, ne fortè prohibiti aliquid grauius patrarent, & plebeiis efferatis permittere vt bile sua in patrimonia illorum virorum effusa, in posterum mansuetiores essent. Sumptò de inimicis supplicio quod voluissent, præsertim quum iactura illius pecuniariæ mulctæ facilè ipsis reis damnatis sarciri posset: quod etiam accidit. Quum enim rei vadimonio deserto absentes damnati fuissent, & ipsa plebs feritatem deposuit, & ipsis tribunis moderata quædam ac ciuilis potestas, & auxilium restitutum videbatur: patricij verò bona damnatorum æquo pretio persoluto redemerunt ab illis qui à populo ea emerant, pristinisque dominis restituerunt. Quum igitur illi in his rebus ita se gessissent mala reip. impendentia discesserunt.

10 ¶ Nec multo post tribunis iterum mentionem de ea lege facientibus, derepentè nuntiatum est hostes irruptionem fecisse in agrum Tusculanum. Tusculanis verò magno numero Romam profectis, ac dicentibus Aequos cum ingenti exercitu adesse, & agrum suum ab illis iam populatum: vrbemque (nisi celeriter aliquod subsidium mitteretur) intra paucos dies expugnatum iri, senatus decreuit vt ambo consules auxilium illis ferrent. Consules verò delectibus indictis, omnes ciues vocarunt ad arma. Tunc quoque orta est seditio, tribunis delectus impedientibus, (& pœnas legibus statutas de contumacibus sumi non sinentibus: sed tamen nihil mali inde sequutum: senatus enim coactus decreuit, vt

patricij cum suis clientibus ad bellum proficiscerentur: reliquis verò ciuibus qui ad illam expeditionem pro patriæ salute susceptam se socios vltrò addidissent, deos propitios fore dixit, contrà verò consulum desertoribus infensos. Eo senatusconsulto in concione recitato, multi etiam de plebe nomina ad illam militiam vltrò dederunt ac homines optimo ingenio præditi pudore quodam moti, ne ciuitati fœderatæ propter suam beneuolentiam erga populum Romanum, semper ab hostibus vexatæ deessent, inter quos erat & Siccius ille, qui apud populum inuectus fuerat in eos qui agrum publicum occuparant: ducebátque cohortem octingentorum virorum, qui ætate quidem militari non amplius erant, vt nec ille, quique nullis militiæ legibus erant obnoxij: sed illum virum ob multa & magna beneficia ab eo accepta honorantes, ad militiam proficiscentem deserere æquum esse non censuerunt. Atque ista pars copiarum tunc ex vrbe eductarum reliquum exercitum rei militaris peritia & fortitudine longè superabat: at plerique in gratiam seniorum eorúmque adhortationibus adducti eos sequebantur. Erant etiam nonnulli qui spe prædæ, quæ militiæ quæritur, ad quæuis pericula subeunda parati erant, breuique tempore spatio exercitus satis validus, instructúsque splendidissimè eductus est. At hostes quum præsensissent Romanos cum copiis contra se venturos, exercitum suum domum reducere decreuerunt, iámque iter ingressi erant. Sed consules iter magna festinatione facientes, eos assequuti sunt ad Antium vrbem, prope quam in loco edito & prærupto castra posuerant: & ipsi quoque non procul ab illis castra posuerunt, & aliquandiu vtri-

que

que intra sua castra se cõtinuerunt. Tandem Aequi contemptis Romanis, quòd se priores non inuasissent, & rati eos non satis numerosum exercitũ habere, ultro lacessere, & eos qui aquationis causa descendebant ex improuiso aggredi cœperunt, & sæpe ad pugnam prouocare eos non dubitarunt. Quibus animaduersis, consules bellum non amplius trahendum, nec tempus terendum duxerunt. Illis verò diebus belli administratio imperiúmque penes Romilium erat, & illius erat pugnæ signum dare, & aciem instruere: idem etiam erat arbiter temporis, quo vel initium vel finis pugnandi faciendus esset: qui quum pugnæ signum dari iussisset, & copias ex castris produxisset, reliquos equites & pedites in ordines, opportunis quoque locis distinxit: at Siccium ad se accitum ita alloquutus est. ¶ Nos Sicci, hic cum hoste dimicabimus. Tu interim dum adhuc cunctamur, & vtraque acies se ad prælium parat, per obliquam illam viam montem conscende, vbi hostium castra sunt, pugnámque cum illis qui sunt in castris committe, vt & qui nobiscum pugnaturi sunt aut suis castris timentes, iisque auxilio venire cupientes versis tergis dent se in fugam, & nobis facliorem victoriam præbeant (quemadmodum verisimile est in celeri receptu euenturam) omnes per vnam viam se trudentes, aut si hic manserint, castra amittant. Nec enim eius præsidium satis est validum (quantum conijcere quis potest) quum tota eius fiducia in loci natura muniti sit posita: & simul tua manus octingentorum veteranorum, multis prælijs exercitatorum, perturbatos tentoriorum custodes ex improuiso adorta facilè audacia sua expugnare poterit. Ad hæc Siccius respondit, Equidem

paratus sum omnia imperata facere: sed quod iubes non est tam facile quàm tibi videtur: nam rupes, in qua sunt castra, est & excelsa & prærupta, & nullam viam video præter vnam quæ eò ferat, quà hostes contra nos descendent, & verisimile est satis firmum præsidium ibi esse, quod quamuis perexiguum & imbelle sit, tamen copiis longè maioribus quàm meis resistere poterit: & ipsa loci natura præsidium tutabitur, & impediet ne expugnetur. Quapropter summopere optarem vt consilium mutares: nam iste conatus est periculosus: quòd si omnino statuisti vno tempore duobus locis pugnare, validam manum lectorum virorum adde, quæ me vnà cum emeritis sequatur: neque enim istum locum clam, sed vi aperta expugnaturi ascendemus. Plura parantem dicere de ratione sui consilij, consul interpellauit. Non est opus (inquit) multis verbis: sed si imperata audes facere, celeriter proficiscere, nec imperatoris munia tibi vsurpa: sin hoc detrectas, & periculum refugis, ad hoc vtar aliorum opera: tu verò qui centies & vicies in acie dimicasti, & quadraginta annos militasti, & qui toto corpore consauciatus fuisti, quando huc vltrò venisti, ubi non conserta manu cum hostibus, & ne conspectis quidem, & pro armis linguam iterum contra patricios acue. Vbi nunc sunt illa tot tuæ fortitudinis præmia, torques, armillæ, hastæ, phaleræ, coronæ à consulibus acceptæ spolia ex singulari certamine relata, cæteráque molesta quæ te nuper iactantem pertulimus? nam in hoc vno facinore verè periculoso, in quo de te factum est periculum, satis ostendisti qualis esses, & te fortitudinis studiosum esse, opinione magis quàm re ipsa.

ipsa. Tunc Siccius ea conuicia ægrè ferens, ¶ Non ignoro, (inquit) Romili, alterutrum tibi propositum, aut me viuum conficias, & turpissima ignauiæ nota mihi inusta gloriam partam adimas, aut vt ab hostibus concisus misero atque obscuro mortis genere peream, quod & ego videor tibi vnus de illis esse qui liberè sentire volunt: non enim me in dubium periculum, sed ad certam mortem mittis: Veruntamen hæc quoque iussa perficiam, & dabo operam ne ignauus videar, vtque aut castra expugnem, aut spe frustratus fortiter moriar. Vos verò, commilitones, oro vt mihi apud reliquos cives situs testes, sumortem meam audieritis, me à nimia virtute, & nimia loquendi libertate perditum. ¶ Hoc responso consuli dato, lacrymisque fusis, salutatisque omnibus familiaribus abijt cum octingentis hominibus mœstis & lacrymantibus, non aliter ad certam mortem euntibus, & totus reliquus exercitus eorum commiseratione motus est, quasi non amplius eos essent visuri. At Siccius ad aliam viam conuersus, non quam putabat Romilius, per latus montis suos duxit. Deinde in densissimum quendam saltum, qui ibi erat, ingressus cum suis constitit, & eos ita est alloquutus. ¶ In exitium (vt videtis) à duce missi sumus, putabat enim nos per obliquam illam viam ituros, quâ nullo modo clam hostibus ascendere possemus: at ego vos ducam per aliam hostibus non conspicuam, & bonam spem habeo me calles aliquos inuenturum, qui nos in verticem ad castra ducent: quare bono estote animo. ¶ His dictis eos per saltum duxit, magnámque eius partem iam emensus, fortè incidit in hominem quendam rusticum, nescio quo abeuntem, quem à iunioribus comprehen-

di iussit, viæque ducem fecit. Ille eos circum montem non sine magna mora ductos ad tumulum castris imminentem statuit, unde brevis & decliuis via in ea ferebat. Dum autem hæc geruntur acies Romanorum & Aequorum concurrerunt, & firmato gressu fortiter pugnabant ambæ numero, armis, animisque pares. Diúque pugnatum est, victoria in neutram partem inclinante, vicissim nunc equitibus equites, & peditibus pedites inuadentibus, nunc sibi inuicem cedentibus: & vtrinque viri illustres cecidêre. Tandem pugnæ certus finis est impositus. Nam Siccius eiúsque milites quum ad castra Aequorum accessissent partem illam castrorum incustoditam nacti (totum enim eorum præsidium, vt certamen spectaret, eam partem petierat, quæ ad pugnantes conuersa erat) irruptione facillimè facta in custodum verticem euaserunt: deinde sublato clamore in eos decurrerunt. Illi insperato malo consternati, nec tam paucos opinati: sed alterum consulem cum exercitu suo adesse existimantes: se ex vallo proiiciebant, plerique ne armis quidem seruatis. Siccium verò cædentes quotquot ex illis assequebantur castrísque captis, tendebant ad eos qui in planitie erant. Aequi verò quum castra capta cognouissent ex fuga & clamore suorum, nec multò post hostes à tergo inuadentes viderunt, nullum fortè facinus amplius ediderunt: sed disruptis ordinibus aliy per alias vias saluti suæ consulebant, tum maxima eorum cædes facta. Romani enim continenter vsque ad noctem tergo eorum hærentes occidebant quos capiebant. Qui verò maximam eorum stragem fecit, & qui facinora maxime illustria edidit, is fuit Siccius, qui vbi deuictum hostem vidit,

dit, quum iam esset nox, cum cohorte sua in castra à se capta rediit, ingentis lætitiæ & magnæ iactationis plenus. Et qui cum eo erant omnes incolumes & integri, non solùm nihil passi eorum quæ expectarant: verùm etiam parta maximè insigni gloria, eum patrem suum, seruatorem, deumque, & omnibus honorificentissimis nominibus appellantes, mutuis complexibus, aliisque hilaritatis voluptatisque iudiciis satiari non poterant. Atque interim & reliquus Romanorum exercitus qui hostem persequutus fuerat, in sua castra est reuersus. Et iam nox media erat quum Siccio iniuriæ à consulibus acceptæ memori, à quibus ad mortem missus fuerat, in mentem venit victoriæ gloriam illis eripere & communicato cum suis consilio, quum id omnibus placuisset, nec vllus esset qui viri prudentiam & magnanimitatem non admiraretur, correptis armis, aliisque idem facere iussis, primùm homines quotquot in Aequorum castris reperit, equos, & cætera iumenta contrucidauit, deinde incendit tentoria referta armis, frumento, vestibus, rebus ad bellum necessariis, aliáque præda ingenti, quam ex agro Tusculano hostes eò congesserant. Omnibusque igne absumptis circa diluculum cum solis armis abiit, & itinere properè confecto Romam venit. Vt verò conspecti sunt homines armati iubilantes, & festinantes, multo cruore fædati factus est concursus ab omnibus, qui & eos videre, & res gestas audire maximè cupiebant. Illi verò in forum vsque progressi tribunis omnia narrarunt, quia coacta concione iusserunt eos rem totam coram populo narrare. Quum autem ingens turba eò confluxisset, Siccius in medium progressus victoriã illis indicauit,

& rei gestæ modum declarauit, quomodo sua virtute & octingentorum seniorum qui secum erant, quos consules ad certam mortem miserant, castra Aequorum fuissent capta, & copiæ quæ secum in acie dimicarant fugere coactæ fuissent: postulauitque vt nulli alij quàm sibi pro parta victoria haberent gratiam, & postremo hæc quoque verba addidit, se vita tantùm armisque saluis recidere, nihil verò aliud aut paruum aut magnum ex rebus captis retuliße. His auditis populus motus est ad miserationem & lacrymas, virorum ætatem cernens, & eorum virtutem considerans, & id indignè ferens, atque obloquens iis qui talibus viris remp. orbare voluerant. Quæ res (vt Siccius præuiderat) omnium ciuium odium in consules excitauit. Nam ne senatus quidem id æquo animo tulit, nec triumphum, nec vllum alium honorem qui re feliciter gesta dari solet, illis decreuit. Siccium verò plebs, quum comitiorum tempus venisset, tribunum creauit, eique honorem tribuit, cuius dandi ius habebat. Atque hæ sunt res maximè memorabiles, quæ tunc fuerunt gestæ.

II ¶ ANNO sequenti Sp. Tarpeius, & A. Terminius consules facti, qui cum aliis in rebus plebi perpetuò sunt obsequuti, tum etiam S. C. de lege tribunorum fecerunt, quod viderent patres vetando nihil proficere: quinimò inuidiam, odium, damna priuata, & calamitates paratas esse iis qui promptissimè pro illis certarẽt. Sed maximè eos terruit recens calamitas superioris anni consulum qui malè fuerant à plebe excepti, & qui nullum auxilium à senatu impetrare potuerant. Nam ille Siccius qui Aequorum exercitum vna cum castris expugnatis deleuerat, tunc (vt dixi) factus tribunus eo ipso die quo magistra-

magistratum iniit, post peracta prosa ute sacra solennia, antequam rem vllam publicam aggrederetur, pro concione T. Romilio diem dixit, ad quam veniret & læsæ Reip. causa apud populum iudicem diceret. Et L. Halicanus qui tunc ædilis erat, & proximo anno tribunus fuerat, C. Veturium alterum superioris anni consulem in simile iudicium vocauit. Quum autem interea ante diem iudicij magno studio patricij ambobus fauerent & suis hortationibus animos ipsis adderent, viri consulares in senatu ope magnam sibi habebant & periculum par cui pendebant senioribus & inmioribus pollicentibus se non permissuros vt iudicium perageretur. At tribuni, omnia, iam multò antè præcauentes, non precibus, non minis moti, spretisque omnibus periculis vbi dies iudicij venit, plebem conuocarunt: & iam multò antè turba inopũ sibiq; victum manibus quærentium ex agris confluxerat quæ ad vrbanam multitudinem adiuncta forum repleuit & vicos qui ad ipsum ferunt. Priore igitur loco Romilij causa est acta. Tunc Siccius in medium progressus, ei cum alia facinora obiecit, quæ dum consul esset per vim contra ibunos fecisse visus fuisset, tum etiam postremò insidias sibi suæq; cohorti ab eo imperatore structas narrauit: harumque testes produxit nobilissimos non plebeij, sed patricij ordinis viros, qui in ea expeditione fuerant. In his erat iuuenis & generis dignitate & virtute sua clarus, & rebus bellicis valde strenuus, cui nomen erat Sp. Virginio. Hic dixit se M. Icilio vnius è Siccij cohorte filio, patrem ad militiam comitanti, æquali suo & amico eius profectionis vt mortiferæ immunitatem à consulibus per A. Virginium patruum suum, tunc consulum legatum, impetrare voluisse, & petiisse vt hoc

beneficium sibi concederetur. Consulibus verò se id facturos negantibus obortas sibi lacrymas, amici fortunam deflentis: iuuenem verò pro quo deprecabatur, his auditis vemisse, & petita dicendi copia, dixisse se magnam gratiam suis deprecatoribus habere, si tamen haud grutum fore id beneficium, quòd pietatem erga parentes esset repturum, & patrem tanto minus deserturum, quanto certiorem mortem peteret, & hoc omnibus notum esse: sed se iturum vna cum illo, & pro viribus eum defensurum, & eiusdem fortunæ participem futurum. Quum ille iuuenis dixisset hoc testimonium, nemo fuit quin illorum hominum fortuna commotus fuerit. Vbi verò & ipse Icilius pater, & adolescentulus ad testimonium dicendum citati de seipsis testati sunt, plerique de plebe à lacrymis amplius sibi temperare non potuerunt. Quum autem Romilius ad hæc respondisset, & orationem habuisset nec humilem, nec temporibus conuenientem, sed tumidam, fretus magistratu nullis rationibus reddendis obnoxio, ideóque magnifice de se sentiens, iram ciuium multò maiorem in se accendit, & concitauit, & tribus missæ in suffragia cum violatæ Reip. omnibus suffragiis damnarunt, mulcta autem pecuniaria fuit, assium decem millia, atque hoc non sine quodam prouido consilio Siccius feciisse mihi videtur, vt patricij reo remissius fauerent, & nihil in suffragiis ferendis delinquerent, cogitantes rem mulctæ pecuniariæ, & nulla alia re mulctatum iri, & plebs maiore animi impetu ad pœnam exigendam ferretur, quòd nec vita, nec patria virum consularem esset priuatura. Damnato Romilio paucis post diebus Veturius etiam damnatus est. Atque huic quoque irrogata est mulcta pecuniaria, cuius proportio erat

sesquialtera, videlicet quidecim assium millia. *Huius igitur anni consules hæc considerantes magnus incessit tumor, & ne post depositum consulatum, eodem modo à plebe tractarentur prouidè cauerunt. Itaque consilium suum non amplius celabant: sed apertè plebi faueb. nt. Ac primùm quidem centuriatis comitiis legem tulerunt, licere omnibus magistratibus eos mulctare, qui facinus aliquod insolens aut iniquum præter disciplinam ac leges Reip. in suam potestatem admisissent: nam ad illam vsq; diem non omnibus, sed solis consulibus id licebat: mulctæ tamẽ modus nõ ipsorũ arbitrio permissus est: sed ab illis statutum est ne maxima mulcta duos boues, & triginta oues excederet. Hæc lex diu seruata est apud Romanos. Deinde de legibus quas tribuni in cõmunẽ totius pop. Rom. vsum, & in perpetuum seruandas scribi maximo studio cupiebant, cognitionem senatui permiserunt. Multæ tamen ab optimis viris sententiæ in vtramque partem sunt dictæ, quarum aliæ eò spectabant vt leges ferendæ impedirentur, aliæ eas ferri sinebant. Tamen præter omnium tum patriciorum, tum plebeiorũ opinionem vicit T. Romily sententia, qua plebis commodæ præferenda censebat vtilitati eorũ qui dominationi paucorum fauebant. Omnes enim arbitrabantur eum ob recentem dãnationis offensam plebis voluntati & cõsilijs & dictis perpetuò aduersaturum. Ille verò, vbi ad eum exordine ventum est, (erat autem inter eos qui & dignitate & ætate erant medij) rogatus sententiam surrexit, & ita est loquutus.* QVAE à plebe sum passus, P. C. *ob nullum meum facinus iniustum: sed ob meam erga vos beneuolentiam, molestus essem si apud vos horum probè gnaros narrare vellem. Coactus tamen horum*

mentionem faciam, vt sciatis me non in plebis gratiã, nec vt ei assenter, quæ mihi est inimica: sed sinceriſsimè ea quæ è Rep sunt, dicturum. At nemo miretur si nunc repentè factus sum mei dissimilis, quum & sæpe antè, & quando consul eram, cõtrariæ ſſm sent ntiæ. Néve existimetis alterutrum aut tunc me malè sensisse, aut nunc non rectè sententiam mutare. Ego enim, P. C quãdiu partes vestras firmiores putaui, dominatum optimatum auxi vt debui, & plebem contempsi. Postquã verò meo malo factus sapientior, magno cum meo damno didici vestram potentiam voluntate minorem esse, vósque necessitati cedentes iam multos vestros propugnatores à plebe abripi passos esse, sententiam mutaui. Vtinam autem neque mihi, neque collegæ meo ea accidissent ob quæ vos omnes nobiscum doletis. Verum quia res nostræ iam finem habent, & reliquas corrigere licet, vt prouideatur ne aliis eadem accidant, & vniuersos & singulos vt rebus præsentibus prudenter vtantur hortor. Optimè enim administratur ciuitas quæ se pro rerum statu fortunæ accommodat: & optimus consiliarius ille est qui non priuatis inimicitiis impulsus aut gratia adductus, sed publica vtilitate commotus, suam sententiam dicit. Et optimè de futuris consultant qui rerum futurarum exempla ex præteritis sumunt. Nobis verò, P. C. quoties aliqua controuersia aut contentio contra plebem orta est, contigit vt semper deteriore conditione discederemus, & viri illustres capitali supplicio, contumeliisque afficerentur, & exilio mulctarentur. Atqui quódnam maius infortunium Reip. potest accidere, quàm si optimi quique viri excindantur? Ego igitur vestræ causæ fauens, suadeo vobis vt hæc faciatis, nimirum vt neque huius anni magistratus

manife-

manifesto periculo obijciatis, deinde in ipso discrimine de
ferratis, neque alium quempiam, cuius vel minimus in
Repub. sit vsus. In summa, vobis suadeo vt legatos eli-
gatis, & partim in græcas vrbes, quæ sunt in Italia, par-
tim Athenas mittatis, qui leges optimas, & nostris mo-
ribus, ac institutis maxime conuenientes à Græcis pe-
tant atque huc ferant. Illis verò reuersis consules ad se-
natum referant de legislatoribus eligendis & de eorum
imperio quodnam sit futurum, & quam diuturnum, &
de cæteris rebus prout ipsi conducere videbitur: abstinea
tis verò à seditionibus contentionibúsque cum plebe ne-
ue calamitates calamitatibus vestris addatis, præsertim
quũ de legibus agatur, quæ si nihil aliud, saltem maiesta-
tis speciosam ac honestam gloriam habent. His à Ro
milio dictis, vterque consul in eius sententiam iuit: pro
qua & multa etiam præmeditata verba fecit, multique
alij senatores, & maior pars hanc sententiam est sequu-
ta. Quum autem S.C scribendum esset, Siccius tribunus,
qui Romilio diem dixerat, surgens prolixa oratione ho-
minem laudauit, quòd sententiam mutasset, nec tam pri-
uatarum simultatum, quàm Reipub. commodorum ratio
nem habuisset: sed sincero animo quid esset è Republica
declarasset pro quibus meritis inquit, hanc gratiam illi
refero, & mulctam pecuniariam ipsi in iudicio irrogatã
remitto, & in posterum cum eo in gratiam redeo, nos e-
nim ille suæ probitate vincit. Et cæteri tribuni qui ade-
rant, idem senserunt. Romilius tamen hoc beneficium ac
cipere noluit: sed laudata tribunorum in se propensa vo-
luntate, se mulctam persoluturum dixit: iam enim diis
se ratam esse dixit, nec iustè nec pie se facturum, si
deos rebus legitimis fraudaret, & itase ipse. Facto autem

S.C. & per plebiscitum postea confirmato, legati legũ à Græcis petendarum causa creati sunt, Sp. Postumius, Ser. Sulpicius, A. Manlius, quibus triremes cum omnibus ornamentis quæ amplam imperij Romani maiestatem satis indicare poterant, ex erario assignatæ sunt: & annus ille abiit.

12 ¶ OLYMPIADE autem LXXXII. qua vicit in stadio Lycus Thessalus Lariſſensis, archonte Athenis Chærephane, expleto anno trecentesimo ab V. C. P. Horatio & Sexto Quintilio consulibus, maxima pestilentia vrbem inuasit, quanta nunquam ante à fuisse memorabatur, qua penè omnia seruitia absumpta sunt, ex reliquis ciuibus dimidia ferè pars interijt, quia nec medici morbis amplius succurrere, nec domestici amicigi ægrotis res necessarias ministrare poterant. Nam qui aliorum morbis opem ferre volebant, corpora laborantium tangentes, & simul viuentes, infecti contagione, corripiebantur eodem morbo: ita vt multæ domus ob hominum curantium inopiam desolatæ fuerint. Pestis autem quæ in vrbe grassabatur, eiusque diuturnitatis non minima erat causa, quòd corpora inhumata proijcerentur. Nam principiò quidem præ pudore, & copia rerum ad sepulturam necessariarum suppetente cadauera cremabant, & terræ mandabant. Sed postea alij honestate contempta, alij rerum necessariarum inopia laborantes multa defunctorum corpora in subterraneas compitorum cloacas, at loongè plura in fluuium proijciebant, vnde maximum damnum accipiebant. Quum enim cadauera ad saxa, & ripas fluctibus eijcerentur, grauis, & malè olens odor, qui venti flatu inde ferebatur per aerem, eos etiam qui adhuc rectè valebant, inuadebat,

eorum-

eorumque corporibus celerem mutationem afferebat: & aqua ex flumine allata non erat amplius bona ad potandum, partim ob fœtoris insuitatam grauedolentiam, partim quia malam cibi coctionem faciebat: nec in urbe tantùm sed etiam in agris hæc mala fuerunt. Præcipue verò agrestis turba quæ cum ouibus aliisque quadrupedibus vinebat morbo infecta laborauit. Quandiu igitur aliquid spei multis in diuino auxilio fuit, omnes ad sacrificia & expiationes se conuerterunt, atque confugerunt, multique noui ac inusitati ritus, parum congruentes deorum cæremoniis, in urbem à ciuibus Rom. introducti sunt. Vbi verò cognouerunt nullum auxilium sibi à Deo ferri seque ipsi nulli curæ esse, eumque nulla tangi misericordia, & ipsi diuino cultui vale dixerunt. In hac calamitate alter consul, Sex. Quintilius mortuus est, & Sp. Furius, qui ei subrogatus fuerat, & quatuor ex tribunorum collegio, senatores quoque multi ac boni. Vrbe igitur hoc morbo implicita, Æqui bellum pop. Rom. inferre conati sunt, & ad eius societatem alias gentes quotquot Romanis inimicæ erant, per legatos solicitarunt. Haud tamen illi copias ex urbibus suis satis maturè educere potuerunt: dū enim adhuc se ad bellum apparabant, idem morbus eorum populos inuasit: nec solùm Æquorum, sed etiam Volscorum & Sabinorum agrum pernagatus est, magnamque hominibus cladem attulit. Quo malo accidit vt neglecta ac impedita agrorum cultura, fames ad pestem accederet. His consulibus ob pestilentiam nihil militiæ domiue gestum est dignum quod memoriæ proderetur. ANNO sequenti consules creati L. Menenius, & P. Sestius, pestilentia autem penitus cessauit. Postea publice diis

supplicatum, ludique insignes magnificentissimè facti, to tusque populus (vt verisimile est) genio indulgebat, & in epulationibus erat tota quæ hyems ita est consumpta. Ineunte vere multum frumenti ex variis partibus comportatum, & maior pars ex ærario coempta, nonnihil etiam à priuatis negotiatoribus adiectum. Populus enim non mediocriter commeatuum inopia laborabat, quòd agri colonis pestilentia absumptis inculti relicti fuissent. Eodem tempore reuersi sunt legati cum legibus, quas afferebant Athenis, & ex aliis Græcis vrbibus, qui in Italia erant: móxque tribuni plebis consules adierunt, postulantque vt ex S. C. legum latores crearent. Illi verò quum nescirent quonam modo eos continuis precibus se obtundentes, ablegarent, quum que rem eam molestè ferrent, nec dominatum optimatum vellent tollere, honestam ac speciosam causam prætexentes, rem distulerunt. Dixerunt enim comitiorum tempus instare, & consules sibi prius designandos: eos autem breui creatum iri. D. Ignatius verò consulibus, dixerunt se vnà cum illis de legibus latoribus ad senatum relaturos. Tribunique id concedentibus, indictis comitiis lógè maturius solito consules designarunt, App. Claudium & T. Genucium. Deinde deposita omni Reipub. cura, quasi ad alios hæc iam pertineret, tribunis aures amplius non præbebant: sed reliquum tempus sui consulatus dolosè ac maliter terere cogitabant. Fortè autem alter consul Menenius morbo quodam diuturno correptus detinebatur. Nec deerant qui dicerent ei præ dolore ac mœrore animi, qui eum inuaserat, tabem vix sanabilem à morbo conciliatum. Hac occasione arrepta, Sestius, quasi solus nihil posset agere tribunorum preces repellebat, cóque se ad nouos magistratus

tus conuertere iubebat. Illi quum non haberent quò se verterent, ad Appium & collegam eius, qui nondum inierant magistratum, confugere sunt coacti, eósq. modò pro concione rogabant, modò cum solis priuatim agebant: tandémque eos vicerunt, ac rem ipsis persuaserunt, magna honoris ac potentiæ spe illis proposita, si plebis partes sequuti fuissent. Cupiditas enim noui magistratus capessendi Appium inuaserat, vt & leges concordiæ ac pacis patriæ ferret ciuibúsque autor esset vt omnes eam vnam communémque patriam existimarent. Magistratu tamen magno ornatus, in boni viri officio non permansit sed tandem potestatis magnitudine corruptus, perpetuum magistratum affectare cœpit: & parum abfuit quin in tyrannidem euaderet. Quibus de rebus suo loco commodiùs à me dicetur. Tunc verò quum optima mente consilium istud iniisset, & rem collegæ persuasisset, sæpius ad concionem à tribunis vocatus, progressus, multas & populares conciones habuit. Capita autem eius concionum hæc erant: vt leges ferrentur, & ciues de iuris æquabilitate inter se seditiosè contendere desinerent tam sibi quàm collegæ summopere placere, séque suam sententiam apertè dicere significabant. Creandorum verò legislatorum nullam se habere potestatem, quòd magistratu nondùm iniissent: sed Menenio eiúsque collegæ senatusconsultis exequentibus, se nõ solùm non aduersaturos, sed etiam illos adiuturos, ipsíq; magnam gratiã habituros. Quòd si tergiuersarentur, & magistratum prætextentes, se excusarent, dicentes sibi non licere alios magistratus imperium consulare habituros creare, nobis iam designatis, & populi suffragiis in nostro munere iam confirmati, se quominus id facerent illis impedimento non fu-

tuos: se enim vltro cessuros aliis, qui in suum locum electi essent si modò & senatui ita videretur. Populo autẽ egregiam eorum voluntatem collaudante, & omnibus confertim in curiam irrumpentibus. Sextius senatum conuocare solus coactus (quia Menenius collega morbo impeditus interesse nõ poterat) de legibus ad patres retulit. Ergo tunc etiam multa verba hinc inde facta sunt, tam ab illis qui suadebant vt ciuitas legibus regeretur, quàm ab iis qui patrios mores seruandos censebant. Sed sententia consulum in proximum annum designatorum vicit, quam App. Claudius primo loco rogatus, dixit, vt decẽ viri senatorij ordinis nobilissimi eligerentur, eorumque imperium esset annuum ab eo die quo creati fuissent, & totius Reipub. administrationem haberent, cum ea potestate, qua tunc consules prediti erant, & quã reges multò antè habuerunt: cæteraque omnes magistratus abrogarentur, donec postea ex legibus creati fuissent, vt qs de priuatis contractibus cognoscerent, cósque decideret, & publica negotia procurarent. Tribuni, accepto hoc senatusconsulto, in concionem progressi, eóque apud populũ recitato, senatum, Appiúmque eius sententiæ autorem, multis laudibus extulerunt. Deinde vbi dies comitiorum venit, tribuni populo ad concionem conuocato, consules quoque designatos adesse iusserunt, vt promissa populo præstarent. atque illi in medium progressi, consulatu se abdicarunt. Hos populus vehementer laudauit, admiratusque est: & quum legum condendarum gratia decemuiri creandi essent, eos primos elegit. Creatique sunt centuriatis comitiis App. Claudius, T. Genucius, qui in annum proximum consules designati fuerant, & cum his P. Sestius, illius anni consul, & tres legati, qui leges à Græ-

cis

cis attulerant, *P. Postumius*, *Sex. Sulpicius*, *A. Manlius*, & vnus ex superioris anni consulibus, *T. Romilius*, qui à Siccio accusatus, & populi iudicio damnatus, tunc tamen sententiæ popularis autor fuisse videbatur, & ex reliquis senatoribus *C. Iulius*, *T. Veturius*, & *P. Horatius*, omnes consulares: tribunorum verò, ædilium, quæstorum, & si qui alij patrij magistratus Romæ erant, abrogati sunt.

13 ¶ ANNO sequenti decemuiri legum condendarum causa creati, assumptis reip. gubernaculis talem ciuitatis formam constituerunt. Fasces & reliqua consularis potestatis insignia penes vnum eorum erant, qui senatum conuocabat, decreta confirmabat, cæteraque munia obibat, quæ ad ducem pertinebant: reliqui verò, ad minuendam potestatis inuidiam, habitu non multùm à priuatis differebant: deinde alius rursus ei potestati succedebat: hoc autem vicibus seruatis perpetuò fiebat, idque ad certum dierum numerum præstitutum, donec totus annus imperij, quod acceperant, eluberetur. Omnes autem à matutinis horis pro tribunali, tam de priuatis quàm de publicis contractibus cognoscebant, & omnes controuersias, quæcunque ortæ fuissent cum subiectis, aut socijs, aut gentibus dubiæ fidei erga populũ Romanũ dirimebant, de singulis summa æquitate & iustitia iudicantes. Illóque anno respubl. Romana decemuirali imperio optimè administrata videbatur. Sed maximè in illis laudabatur plebis cura, & contra omnem vim præsentaneum auxilium quod imbecillioribus ferebant: iactatúmque à multis, non fore amplius opus ciuitati aliis priscis tribunis pl. quòd vnius moderati magistratus imperio omnia rectè admi-

nistrarentur: cuius princeps habebatur Appius, qui totius decemuiratus laudem à populo ferebat. Nam nõ ea solùm quæ cum collegis optimo animo agebat, opinionem probitatis ei conciliabant: sed multò magis ea quæ per se ipse assiduè exercebat, salutando & appellando comites, aliisque officiis pauperes demerendo. Hi decemuiri leges conscriptas tum ex Græcorum iure, tum ex suis moribus non scriptis, in decem tabulis cuilibet cognoscendas proposuerũt, omnium primatorum correctionem admittentes, & hoc agentes vt leges scriptæ omnibus placerẽt. Diuque in publico cum optimis quibusque viris de iis legibus consultarunt, eas accuratissimè examinãtes. Vbi verò leges scriptæ visæ sunt satis bene habere, primùm coacto senatu, nemine amplius eas leges reprehendente, senatusconsultum de ipsis fecerunt. Deinde populo ad comitia centuriata conuocato, pontificibus, auguribus, aliisque sacerdotibus præsentibus, & re diuina ex eorum præscripto, de more facta, centurias in suffragia miserunt. Leges autem plebiscito quoque confirmatas, & in æreis columnis incisas in loco fori maximè cõspicuo ordine dispositas proposuerunt. Et quum de anno eorum magistratu non multum superesset, conuocatis patribus ad eos de comitiis retulerunt, vt consultarẽt de magistratibus creandis, & viderent quinam creandi essent. Post multas autem sententias hinc inde dictas, ea vicit quæ censebat decemuiros iterum creãdos, totiusque reip. summam illis committendam. Videbatur enim aliquid deesse legum numero propter breuitatem temporis, quo fuerant conditæ. Et vt leges iam perlatæ à volentibus & nolentibus obseruarentur, alicuius magistratus summa, ac libera potestate opus esse videbatur.

tur. Quod autem potissimùm eos induxit vt decemuiros creari mallent fuit tribunitiæ potestatis abrogatio quã maximè exoptabant, atque hæc quidem fuêre publicæ illorum consultationes. Sed priuatim primores senatus eum magistratum ambire decreuerunt, veriti ne si hominis aliqui turbulenti tantam potestatem adepti fuissent grauem aliquam cladem reipub. afferrent. Quum autem plebs senatusconsultum facile comprobasset, & maxima animi alacritate suis suffragiis id confirmasset, decemuiri diem comitiorum indixerunt: honoratissimi verò quique & natu maximi è patribus eum magistratum petierunt. Ibi magnis laudibus ab omnibus eferebatur Appius, qui tunc decemuirorũ princeps fuerat: & tota plebs eum in eo magistratu retinere volebat, quòd nullus alius è toto collegio melius se in eo gessisset. Ille primùm simulatè id recusabat, & à negotiosa & inuidiosa reip. administratione se liberari petebat. Sed tandem quum omnium precibus rogaretur, ipse quoque non dubitauit eum magistratum petere, & criminatus suos cõpetitores, viros optimos, sibi præ inuidia parũ æquos esse a nicis suis apertè fauit. Itaq. rursus centuriatis comitiis legislator creatus est, & cum eo Q. Fabius Vibulanus, qui ter consulatum gesserat, vir omni virtute præditus, & ad eã vsque diem inculpatus: & reliquis verò patriciis, quos ille charos habebat, M. Cornelius M. Seruilius, L. Minutius, T. Antonius, Manius Rabuleius, viri non admodum clari. Ex plebeiis verò Q. Petilius, Cæso Duellius, & Sp. Oppius. Hos enim quoque Appius assumpserat, vt maiorem plebis gratiam sibi cõciliaret, docens æquum esse vt, quum nunc magistratus creetur, cui totius reip. administratio committatur, plebs

etiam eius sit particeps. Ob hæc igitur omnia laudatus, habitúsque omnium regum, & consulum optimus, magistratum in proximum annum iterum accepit. Hæc illo anno decemuiris remp. gubernantibus gesta sunt, nec aliud quidquam memoratu dignum, actum est. ANNO sequenti decemuiri, nimirum App. Claudius eiúsque collegæ, accepta consulari potestate, Idibus Maÿs (menses autem, pro cursu lunari tunc obseruabãt, & plenilunium in ipsas Idus incidebat) primùm quidẽ fœdere clandestino inter se insciæ plebe ictò, conuenerunt, ne quis ex collegio ulla in re aliis aduersaretur: sed quod uni eorum placuisset id omnes firmum ratúmque haberent, & imperium perpetuò retinerent, nec alium quempiam ad reipub. administrationem admitterent, omnésque pari honore, & pari potestate essent, & senatusconsultis, aut plebiscitis, nonnisi rarò idque urgente necessitate uterentur, maximam verò rerum partem pro imperij sui potestate agerent. Quum autem uenisset dies quo magistratum initurí erant, post peracta sacra solemnia (sic autem dies Romanis festus sacérque est, & maximè religioni habent quidquam in eo iniucũdũ, aut audire, aut uidere) manè statim omnes cum omnib. regiis insignibus prodierunt. At populus, ut uidit eos nõ retinere amplius popularem illum & moderatum magistratus habitum, nec regiæ potestatis insignia per uices mutare, ut antè faciebant, magno animi mœrore ac tristitia correptus est. Eum autem terrebant alligatæ fascibus secures, quas duodecim licłores unicuique eorum præferebant, uerberibus turbam ex uiis submouentes, quemadmodum olim sub regibus fiebat. Hic enim mos cõfestim post eiectos reges antiquatus fuerat à uiro po-

pulari

pulari P. Valerio, qui in eorum potestatem successerat. Quum omnes consules deinceps sequuti, ut præclari exempli autorem imitati secures fascibus, nisi in expeditionibus aliisve publicis profectionibus, amplius non addebant. Quoties verò bellum externum gerebant, aut res subditorum inuisebant, tunc etiam secures ad fasces adhibebant, ut illius spectaculi terror, quasi solis hostilibus aut subditis incuteretur, civibus minus grauis videretur. Hoc igitur conspecto, quod regiæ potestatis insigne putabatur, omnes (ut dixi) metus ingens inuasit, quòd de libertate sua actum existimarent, & pro rege uno decem à se creatos putarent. Quum igitur decemuiri, multitudinem hoc modo terruissent, eámque in posterum metu regere statuissent, singuli sodalitatem contraxerunt, & audacissimos quosque, sibique maximè connumerentes iuuenes deligerunt. Quod igitur plerique inopes ac infimæ conditionis homines, publicis commodis priuatos quæstus præferentes, tyrannicæ potestatis adulatores extiterint, hoc nec præter opinionem, nec præter spem accidit, sed quòd etiam ex ordine patricio multi inuenti fuerint, qui quum opibus & nobilitate aliquomodo de se magnificè sentire possent, tamen non dubitarint una cum decemuiris patriæ libertatem opprimere, hoc admirandum omnibus videtur: qui indulgentes omnibus voluptatibus, quæ hominibus imperare solent, magna licentia, & sine vllo metu suum imperium in remp. exercebant, S. P. Q. R. penitus contemnentes, omnium ipsi legislatores, & iudices, multos ciuiù occidêtes, multos honis iniustè exuentes. Vt autem iniusta ac atrocia eorum facinora speciem iustitiæ haberêt, de singulis causis iudicio

constituto cognoscebant: accusatores verò ab illis qui eis tyrannidem astruebant, subornabantur: & iudicia constabant ex eorum sodalibus, qui sibi inuicem gratiã referebant, causas largientes. Multas autem causas, eásque non maximi momenti decemuiri suo arbitratu iudicabant: itaque qui iuri suo non fidebant, cogebantur se eorum sodalitiis adiungere, quia nulla alia ratione se suum ius obtinere posse sperabant. Et tandem accidit vt in ciuitate pars corrupta, & laborans maior esset quàm sana. Qui enim decemuirorum administratione grauiter offendebantur, in vrbe manere nolebant: sed se in sua prædia recipiebãt, comitiorum tempus expectantes, quasi decemuiri exacto anno potestatem deposituri, & alios magistratus creaturi essent. Sed Appius, eiusque collegæ quum reliquas leges in duabus tabulis scripsissent, has quoque illis decem prioribus addiderũt: in quibus hæc quoque lex erat, ne patriis connubiacũ plebeiis cõtrahere liceret, non ob aliam causam (vt mihi videtur) quàm ne familiis coniugij & affinitatis vinculo consociatis, ordines in concordiam coirent. Quum autem comitiorum tempus venisset, patricius moribus, simul & nouis legibus longum valere dixerunt, nec expectato senatusconsulto aut plebiscito, in eodem magistratu permanserunt. Sequitur olympias LXXXIII. qua in stadio vicit Criso Himerensis archonte Athenis Philisco. ROMAE verò Appius Claudius princeps decemuir. tus tertium iam annum consularem potestatem deinceps retinebat, eiusque collegæ, qui anno superiore imperium habuerant, iterum in eadem potestate manserunt.

DIO-

DIONYSII, ALEXANDRI, F. HALICARNASSEI, ROMANARVM ANTIQVITATVM LIBER VNDECIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

1 Decemuiri ob tyrannidem in odium populi incurrunt: hostium vndique adu. Romanos incursiones, qua de causa exercitum conscribêdum & educendum esse censet Appius decemuiratus princeps, cui V. Potitus & M. Horatius Barbatus resistunt.

2 C. Claudij oratio in senatu ad Appium & cæteros decemuiros.

3 M. Cornelii decemuiri ad C. Claudij admonitiones responsio: L. item Cornelij oratio qua ad decemuirorum postulata respondet.

4 L. Valerij Potiti oratio, in qua suam de postulatis decemuirorum sententiâ profert, cui Cornelius & Appius aduersantur, & ciuium animos magis ac magis à se alienant.

5 Quomodo Decemuiri bellum foris & Rempub. domi administrarint: Siccium, Romanorum militum fortissimum insidiis interficiendum curant.

6 A decemuiris milites alienantur, & de defectione cogitare incipiunt, quam nouâ inauditáque nequitiâ promouet Appius Claudius, insano Virginiæ amore captus, qua potiri miris artibus conatur.

7 Quod consilium ad Virginiâ per vim abducêdâ inierit Appius, & quid molitus sit audito Virginij aduêtu

8 Virginius filiam Virginiam interficit, frendente Appio, in quem & totum decemuiratum Valerius & Horatius dum inuehuntur, ille ad cogitationes pessimas se conuertit: Virginius autem grauissime apud milites in castris de Decemuirorũ tyrãnide conqueritur.

9 Quinque ex Decemuiris, Legionibus præfecti dũ sibi cauent, Virginius exercitum ad defectionem sollicitat: milites desertis decemuiris in Auentinum secedunt, & decem tribunis committunt rerum summã.

10 Plebeijs & patricijs consulum prudentia reconciliatis, Appius à Virginio accusatur, & in vincula conijectus eodem die moritur: sedatis tumultibus vrbanis in Volscos, Æquos & Sabinos ducitur exercitus, & cõsules triumphant.

11 De consulatu disceptatio, & variæ orationes.

12 Genutij consulis oratio, obiectionibus Canuleij tribuni respondens: aliæ orationes Valerij & Claudij: Genutij sententia: tres tribuni militares pro consulibus creati: census quintùm habetur.

Postremus hic liber cõtinet historiam octo annorũ.

I OLYMPIADE LXXXIII, *qua in stadio vicit Criso Himerensis, archonte Athenis Philisco, Romani decemuirorum imperium quod tres annos rempu. administrarat, abrogarunt. Quo autem modo potestatem quæ in radices altas egerat* ex rep. *extirpare aggressi fuerint, quorum vivorum ductu libertatẽ recuperarint, ob quas causas, quibusve occasionibus, re ab initio repetita narrare conabor: quia talium rerum cognitione omnibus (vt ita dicam) hominibus, præcipuè verò ijs qui in philosophiæ contemplatione, & in ciuilium negotiorum tractatione versantur, necessaria esse, eósque decere puto: multis.n. nõ satis hoc solùm ex historia cognoscere, bello Persico (vt de eo loquar) Athenienses & Lacedæmonios vi-*

Clores

ctores fuisse, duob prælijs nauali bus, vnóq. terrestri, deuicto barbaro, q secũ ducebat tricies cẽtena hominũ mi lia, quib tamẽ ipsi cũ sociorũ auxiliis nõ esset pluresquàm centũ & decẽ hominũ millia: sed etiã loca vbi res gestæ fuerint ex historia cognoscere, & causas audire ob quas illa facinora admirãda & omnẽ fidẽ superãtia ediderint, & percontari quinã fuerint tã barbarorũ quàm Græcorũ exercituũ duces: deniq. (vt ita dicã) quidquid in ipsis prælijs gestum est, audire volunt. Cuiusuis. n. hominis animus, dũ verbis ad ipsas res quasi manu ducitur, & dũ non solùm audit quæ dicuntur: verùm ẽt quæ gerũtur videt, voluptate afficitur, neq. ẽt homines quib audiunt eas quæ in ciuitatib. gesta sunt satis habent ipsa rerũ capita, & ea ũ euentũ cognoscere. Athenienses Lacedæmonios permisisse vt suæ vrbis muros demolirẽtur, & naues discinderẽt, & præsidiũ in arce inducerẽt, & pro dominatu populari, quo patria ipsorũ regebatur, pauci crearẽtur, quib. reip. administratio cõmitteretur, ne certamine qdẽ cõtra eos suscepto. Sed statim & quæna esset necessitates, quib. ciuitas pressa tũc hæc atrocia, & miseranda malè pertulerit, & quib. rationib ciues adducti, & quorũ oratione impulsi id fecerint, & oĩa quæ res ipsas comitãtur scire volũt. Veris ẽt ciuilia negotia tractãtibus (in quo numero philosophos quoq. pono, quotquot philosophiã nõ verborũ, sed præclarorũ facinorũ exercitationẽ putant) quẽadmodũ cæteris hominib. illud cõmune est, vt omnium eorũ quæ reb. adhærent, cõtemplatione plenissima delectentur. Sed præter voluptatẽ magna quoque commoda ad ciuitates duris, asperisque earũ temporib. ex tali rerũ accurata cognitione redũdãt, qua ẽt fit vt eæ ad res quæ ipsis condu nt oratione vltro ducãtur. Homines. n. quæ

prosunt, & quæ obsunt facillimè cognoscunt, quando ea ex multorum exemplis vident, iisque qui se ad hæc hortantur prudentiæ magnæq; sapientiæ testimonium dicunt. Ob has igitur causas visum est mihi accuratè persequi omnia quæ in decemviratus abrogatione acciderunt, & quæ memoratu digna puto. De illis autem agā, initio non ab vltimis ducto, quæ multis videntur sola cā libertatis fuisse, ab iis, inquam quæ Appius amore correptus in virginē commisit (hæc enim est aliorū eius facinorum appendix, hæcq; est postrema causa quæ plebis irā concitauit, quum sexcentæ aliæ præcessissent) sed eas contumelias ac iniurias, quibus decemviratus remp. afficere cœpit primùm dicam, & omnia scelera, quæ tunc in illo ciuitatis statu commissa sunt ordine recensebo. Causa igitur quæ prima visa est odium dominatui paucorū conciliasse hæc fuit, quòd despecta plebe, & senatu contempto, secundū magistratū cū priore cōiunxissēt: deinde quia honestissimos quosque Romanos, quibus acta ipsorum displicebant, partim ex vrbe pellebant, falsis grauibúsque criminibus illatis, partim interficiebāt. Eos enim accusabant subornatis aliquibus de suis amicis, & ipsi de his causis cognoscebant: sed præcipuè quia audacissimis iuuenum, quos singuli eorum circa se habebant, permiserant, vt agerent & ferrent res eorū qui illi ciuitatis formæ aduersarētur. Illi verò tanquā armis captā, & per vim expugnatā patria, non solùm bona suis dominis legitimè parta auferebāt: sed etiam in formosas eorum vxores impiè se gerebant, & in filias nubiles contumeliosi erāt, & iis qui ideo indignabātur, plagas vt mācipiis infligebant. Et effecerūt, vt ij quibus hæc minimè ferenda videbātur, relicta patria, cū cōiugib. & liberis in

in proximas urbes migrarent, quos Latini quidem ob cognationem Hernici verò ob ius ciuitatis sibi nuper à Romanis datum recipiebant. Itaque (quod verisimile est) tãdem soli remanserunt illi qui tyrannorum studiosi erant, & qui remp. nihil prorsus curabant. Neque enim patricij in urbe permanserunt, quòd decẽuiris reip. gubernatoribus assentari nollent, eorum verò facinora impedire nõ possent: sed neulli quidem qui in senatorium ordinem relati fuerant, quibus necesse erat adesse magistratibus: sed horũ quoque plerique cum integris familis migrantes & domos desertas relinquentes, in agris degebant. Iliis verò qui paucorum potentiæ studebant, pergrata erat illustrissimorum virorum fuga, cùm multis aliis de causis, tum potissimùm quòd ad iuuenum intemperantiã tanta arrogantia accesserat, vt ne conspectũ quidẽ eorum ferre possent, quorũ præsentia sibi facinora libidinis ac petulantiæ plena patrãtibus erubescendum foret. Quũ igitur ciuitas à præstantiore parte fuisset deserta, & omnẽ libertatem amisisset, qui bello victi ab ea fuerant, occasionẽ pulcherrimam sibi oblatã rati, tũ contumelias quibus affecti fuerant, vlciscendi, tum etiã res amissas recuperandi, quòd ciuitas ob paucorum dominatum laboraret, nec cõtra se conspirare nec concors esse, nec reip. gubernacula, vt ipsi putabant, amplius recipere posset, paratis rebus ad bellum necessariis in ea cum magnis exercitibus iuerunt. Et eodem tempore Sabini irruptione in agrum conterminum facta & præda ingenti parta, magnáque cæde multitudinis agrestis edita, ad Regillum castra posuerunt. Hoc autem oppidum ab vrbe centum & quadraginta stadia distat, prope flumen Tiberim situm. Aequi verò in agrum Tusculanum suo finitimum irruptione fa-

cta, magnáque eius parte vastata, ad Algidum castra posuerunt. Decemuiri audito hostium aduentu, turbati, sodalitates conuocarunt, & cum ipsis quid faciendum esset consultare cœperunt. Omnibus igitur placuit exercitum extra fines agri Rom. mittere, nec expectare donec hostiu copiæ urbem ipsam inuaderent. Sed hæc difficultates valdè eos premebant; primùm an omnes Romani, atque adeò illi qui præsentem ciuitatis statum oderant, ad arma essent vocandi. Deinde qualis militum conscriptio facienda, & quis delectus habendus esset, vtrum superbus ac seuerus, quales sub regibus & consulibus haberi solebant, an humanus & moderatus. Illud quoque non parua consultatione dignum ipsis videbatur, quisnam bellum, & militum conscriptionẽ ac delectum decreturus esset, vtrum senatus, an plebeia multitudo, an verò neutri quidẽ horum, quod vtrique ipsis suspecti essent: at ipsi decemuiri suo decreto hæc sibi confirmarent. Tandem tamen post longam consultationem senatum conuocare statuerunt, & dare operam vt ille bellum decerneret, & permitteret vt exercitus conscriberetur. Nam si hoc vtrunque à senatu decretum fuisset, existimabant primùm omnes sibi obtemperaturos; præsertim tribunitia potestate sublata, cui soli per leges principũ imperatis intercedere licebat. Deinde se quoque, qui senatui inseruirent, eiusque decreta exequerentur, belli administrandi potestatem legitimè accepisse visum iri. Hoc consilio inito, præparatísque ex suis amicis & cognatis, qui in senatu sententias sibi vtiles dicerent, & iis qui contrà sentirent, aduersarentur, in forum processerunt, & præcone in medium producto, senatores nominatim vocare iusserunt: sed nullus, mediocris conditionis homo ipsis obtempera-

bat,

bat, & præcone sæpius clamante, nullóque prodeunte præter eos qui decemuiris assentabantur: in quo numero erant pessimi quique, qui paucorum dominatui faucbant: qui tunc in foro erant, mirabantur quòd, qui nulla unquã de re senatũ conuocarant, tunc primum cognouissent esse etiam Romæ aliquẽ senatum virorum bonorum, ad quos reipublicæ cura pertineret. Quibus animaduersis illi senatores ex ædibus educere decreuerunt: sed quum audissent plerasque earum desertas esse, rem in posterum diẽ distulerunt. Interea missis in agros hominibus eos inde euocarunt. Frequentissimo autem senatu, Appius decẽuiratus princeps, in medium progressus, significauit à duabus gentibus, Aequis, & Sabinis, bellum pop. Rom. inferri. Orationemque accuratissimè compositam habuit, cuius hic erat finis, militum conscriptionem, & delectum decernendum, copiásque celeriter educendas, quòd tempus nullas moras pateretur. Hæc eo dicente, surrexit L. Valerius, cognomine Potitus, vir ob maiores magnificè de se sentiens. Pater enim eius erat Valerius ille qui Herdonium Sabinum expugnarat, à quo Capitolium occupatum fuerat, & qui arcẽ quidem recuperarat, sed ipse in eo prælio obierat. Auus verò paternus erat Publicola, qui reges expulerat, & optimatum dominatũ constituerat, quem quum Appius prodeuntem vidisset, & aliquid contra se dicturum putasset, {non est, inquit, tuus iste locus, Valeri, nec decet te nunc loqui: Sed vbi isti, qui sunt maiores natu, & honoratiores quã tu, sententiã suã dixerint, tũc demũ tu quoq. vocatus tuã sentẽtiam dices. Nũc verò tace & sede. Sed nẽ de his (inquit Valerius) at de aliis maioris momẽti, & magis necessariis dicturus surrexi, quæ senatui primũ audiẽda arbitror. Ex his aũt quæ

isti audiēt, cognoscent vtrū hæc reip sint magis necessaria quorum causa à vobis isti sunt conuocati, an verò ea, quæ ego sum dicturus. Quare me, qui sum senator, & Valerius, & qui de reip salute verba volo facere, ne dicendi facultate prīues. Quòd si solitam in omnes arrogantiā seruaris, quorum tribunorum opem implorabo. Auxilium enim, quod paratum fuerat in gratiam ciuium qui vim paterentur, à vobis est sublatum: quanquam, nónne hoc est omnium malorum grauissimum, quòd ego, qui sum Valerius Potitus, ius meum obtinere nequeam. sed potestate tribunitia mihi sit opus? Veruntamen quando illo magistratu priuati sumus, vos omnes, qui cum isto & illius magistratus potestatem accepistis & reip. imperium habetis, imploro. Nec ignoro me hoc frustrà facere, qui velim vestram coniurationem omnibus manifestam fieri, vos totā remp. turbasse, & omnes in eam conspirasse. Imò verò te solum Q. Fabi Vibulane appello, qui tribus consulatibus ornatus fuisti, si adhuc eandem mentem habes, eia, surgas, & oppressis opem feras: senatus enim oculos in te vertit. } His à Lvalerio dictis, Fabius præ pudore nihil respondens, sedebat. Appius verò & cæteri omnes decemuiratus collegæ ex suis sedibus exilientes, eum loqui prohibuerunt. Quum autem ingens tumultus in senatu exortus esset, & plurimi indignarentur, & illi, qui ex eorum sodalitate erāt, rectè eos facere existimarēt, surrexit M. Horatius, cognomine Barbatus, pronepos Horatij illius, qui post reges eiectos P. Valerio Publicolæ collega in consulatu fuerat, vir & rebus bellicis acer, & satis facundus, & Valerij vetus amicus, qui quum bilem amplius cōtinere non potuisset { CITIVS (inquit) coges me, Appi frænā rūpere, quū nō amplius moderatè vos geratis:

eis: sed illum Tarquinium induatis, qui nec dicendi quidē potestatē fieri permittatis, iis qui de reip. salute suam sententiā dicere volunt. Vtrū ex animo vestro excidit posteros Valeriorū, qui tyrannidē expulerunt, salvos esse, & superstites esse familiæ Horatiorum successores, quibus hoc est hereditarium, vt & cum aliis & soli sese opponāt iis qui patriæ libertatem opprimunt? an nos, cæterósque Romanos adeò ignauos iudicastis, vt præclarè nobiscum agi existimaturi simus, si quis nos, quomodocunque viuere sinat, nihil autem pro libertate & dicendi libera facultate, aut dicturi aut facturi sumus? an potestatis magnitudine inebriati estis? Quinam vos estis, aut quem legitimum magistratum habetis vt Valerio, aut cuipiam ex aliis senatoribus dicendi copiam eripere sitis ausi? Nónne in annum reipub. administratio vobis commissa fuit? nónne vestri magistratus tempus est elapsum? Nónne ex ipsa lege nunc estis priuati? Hæc vultis apud populum efferri? Quid enim prohibebit quominus quiuis de nobis concionem conuocet, & vestram potestatem quam contra leges habetis accuset? cíues in suffragia mittite hac ipsa de re vtrum oporteat vestrum demeruisse manere an iterum patrios magistratus creare. Et si populus eò insaniæ progressus fuerit vt hoc patiatur, in eodem statu iterum permanete & prohibete ne quis pro patria ea quæ vult dicat, & si hæc iusta videbuntur, digni erimus qui & hæc & multò peiora patiamur, in vestram potestatē redacti, & nostras nostrorúmque maiorum virtutes turpi vita fœdantes. Eū adhuc loquentem decemuiri vociferantes circunsteterunt tribunitiam potestatem ei intentā tes, & minantes de saxo eū præcipitē daturos, nisi taceret. Quamobrē omnes clamorē sustulerunt, quòd libertas

sibi eriperetur & curia indignationis ac tumultus plena erat: at decemuiros statim pœnituit quòd dicere volentes prohibuissent, iisque minati fuissent, vbi senatum eare iritatum vidêre. Deinde VNus ex illis Appius, in mediũ progressus, rogauit eos qui tumultuabantur, vt paulisper silentium facerent, & quum eorum tumultũ repressisset, {Neminem, inquit, vestrum P. C. dicendi potestate fraudamus, qui opportunè loquatur: sed eos qui supra alios eminere volunt, & qui surgunt antequã vocentur, coercemus. Ne igitur indignemini: nam & Horatio, & Valerio, & alij cuilibet suo loco ex prisca consuetudine, & more, dicendi copiam faciemus, si modò quorũ causa consultaturi huc conuenistis de his, & de nulla alia re prætera verba faciant. Quòd si suis concionibus vestrum fauorem captent, & dissidia in vrbe serant, de re proposita nulla verba facientes, tunc scias, M. Horati istos reipublicæ perturbatores coercendi potestatem à plebe acceptam nos habere, quando & consularis, & tribunitius magistratus plebiscito nobis est commissus, eiusque tempus nondum est exactum, vt tibi videtur: neque enim in annum, aut in aliud aliquod præstitutũ tempus decemuiri creati fuimus: sed donec omnes leges condiderimus, & constituerimus. Peractis igitur quæcunque in animo habemus, & reliquis legibus perlatis, tunc demum magistratum deponemus, & cuilibet de vobis rationem rerum à nobis gestarum reddemus. Interim verò nec consularem, nec tribunitiam potestatem vllo modo imminuemus. De bello verò, quonã modo, & quã celerrimè, & pulcherrimè hostes vlciscamur, vos rogo vt in mediũ progressi semẽtias dicatis, ac primũ quidẽ (vt moris est, & vt vos decet) seniores, deinde mediæ ætatis viri, postremo loco iuniores.}

2. ¶ His

2 ¶His dictis primùm vocauit patriũ suũ, C. Claudiũ. Ille verò surrexit, & talẽ habuit orationẽ. ¶QUANDO C. Appius me primũ sententiã dicere vult, ob cognationẽ me honorãs, vt eum decet, quando etiã quæ de bello contra Aequos & Sabinos sentio me dicere oportet, antequam meam mentẽ vobis aperiam, illud ex vobis vellem quærere, qua spe adducti Aequi & Sabini bellũ nobis inferre, & nostrũ agrũ incursionibus populari ausi fuerint, quique ad hanc vsque diẽ præclarè secum agi putabant, diuisque magnam gratiam habebant, si quis ipsos suum agrũ tutò possidere patiebatur. Si enim hoc cognoueritis, facilè etiam intelligetis quanam ratione hoc bello optimè liberari possitis. Illi igitur quum audierint iampridem nostrã rempub. fluctibus ac tẽpestatibus agitari & laborare, & plebẽ patricios que à reipub. præsidibus animo alieno esse, idque non falso audierint (reuera enim res ita se habet, neque causas apud vos, qui earũ estis gnari, à me dici est opus) existimarunt si quod externũ bellum vobis præter mala intestina inferretur, & magistratus vellent copias educere ad agri propugnationẽ, eos neque habituros omnes ciues ad militare sacramẽtũ prõptos, vt antea, quod magistratus odio prosequãtur, nec duces pœnis lege statutis in contumaces vsuros, veritos ne quod grauius malum faciant. Eos verò qui obtemperarunt, & arma ceperint aut signa deserturos, aut si permaneãt, rẽ in prælijs ignauiter dedita opera gesturos, quorum nihil sperarunt quod nõ sit verisimile. Quoties enim ciuitas cõcors bellum suscipit, & idẽ omnibus, tã illis qui imperant, quàm illis qui parẽt, vtile videtur, omnes alacriter mala subeũt, nec vllũ laborẽ aut periculum refugiunt. Quoties verò intestino malò laborãs, priùs quam res domesticas componat,

bella externa susceperit, & multitudini in mētē venit se nō pro suis bonis mala passuram: sed vt aliorum imperiū in se magis confirmet: ipsi verò ducescogitant suas copias nō minus quam hostiles sibi inimicas fore, cætera quoque laborant, & quæuis manus istiusmodi exercitus facilè debellare & delere potest. Hæ sunt, P. C. Sabinorum & Aequorū cogitationes, quibus fructi in agrūm strūm irruptionē fecerunt. Si igitur nos ab ipsis elatis cōtēti indigne ferentes, ita irati vt sumus, copias contra eos educere decreuerimus, vereor ne nobis accidant quæ illi prāuiderūt: imò verò certò scio hæc euentura. Sed si ea quæ sunt prima, & maximè necessaria cōstituerimus (hæc autem sunt & multitudinis bona disciplina & vt omnibus idē cōducere videatur) expulsa ex vrbe cōtumelia ac insolētia & pluris habēdi cupiditate, quæ iā hic suas ædes fixit, & rep. in pristinū statū restituta, illi qui nūc sunt audaces, cōsternati armisque abiectis ex manibus breui ad nos venīēt, & vt damna data resarciāt & de pace agāt atque ita nobis continget, quod omnes mente præditi optarēt, vt eos sine armis debellemus. Nobis igitur hæc cōsiderantibus (quando res domesticæ adeò sunt turbatæ) belli consultationem in præsentia omittendam, & de concordia, & ciuili disciplina cuilibet agere volenti copiam dicendi faciendam censeo: neque enim antequam in hunc statum res adducerentur, nobis ab hoc magistratu vocatis de bellis consultare, quum talis esset rerum vrbanarum status, neque, si quid non rectè fieret, de eo cognoscere licuit. Magna verò reprehensione dignus esset, si quis omissa hac occasione, nunc de rebus illis agere vellet. Nec posset quis certò affirmare fore vt neglecta hac occasione, vt minus opportuna, aliam opportuniorem nancisci

possemus:

possemus: si quis enim ex præteritis futura conicere velit magnum postea intercedet tempus, quo de nulla re publica consultatur, conueniemus. Oro autem Appi, vos reipublicæ principes, qui publicorum etiam commodorum non tantum vestræ priuatæ vtilitatis rationem habere debetis, vt si quid veri liberè, non autem ad voluptatem vestram dixero, non propterea me odio prosequamini, cogitantes me verba factum, non vt vestro magistratui conuicium dicam, eumue contemnam: sed vt, vbi demonstraro quantis fluctibus ac tempestatibus respublica iactetur, declarem etiam qua ratione salus ei afferri, quóue modo ea in pristinum statum restitui possit. fortasse enim omnibus patriæ commodorum studiosis de publicis vtilitatibus verba necessario sunt facienda: sed mihi præcipuè: ac primùm quidem qui honoris causa primus sententiam sum rogatus. Magni autem pudoris, magnæque fatuitatis esset si qui primus surrexit ea quæ primum corrigenda sunt, non diceret. Deinde quia accidit vt quum sim patruus Appij, qui est decemuirorum princeps, maximè lætor, quoties respublica ab ipsis optimè administratur, & maximè si quisquam alius, cruciet, quoties ea malè geritur. Præterea quia reipublicæ administrandæ studia à maioribus hereditaria accepi, vt publica commoda priuatis vtilitatibus anteponam, & nullum periculum priuatum considerem: quæ sponte mea non prodam. Hoc autem esse meæ vitæ institutum fateor. nec virorum illorum virtutes decorabo. Quod igitur præsens reipublicæ status malus sit, & ferè omnes eum iniquo animo ferant, maximum hoc nobis esto argumentum, quòd omnes qui rempublicam administrabant (quod solum vos ignorare non potestis) quotidie de-

sertis patriis laribus ex vrbe fugiãt, & honestissimi quiq. plebey, partim in proximas vrbes vnà cũ coniugib. & liberis, partim in remotissimos ab vrbe agros trãslatis sedibus se conferant, nec multi patricii in vrbe commorentur, vt antè: sed horum quoque maior pars in agris vitã degat. Sed quid opus est de aliis loqui, quãdo vel pauciss̃imi senatory ordinis vobis cognatione vel amicitia cõiuncti in vrbe remaneãt, cæteri verò solitudinem patria optabiliorem ducunt? Quum igitur vobis senatus conuocãdus fuit, ex agris senatores viritim euocati conuenerũt, quibus patriũ erat vnà cũ magistratib. patriã custodire, & nulli publico negotio non interesse. Vtrum igitur putatis homines dum patrias suas deserunt, bona, an mala fugere? Equidẽ existimo mala. Et quàm graue putatis hoc malum reipublicæ esse, præcipuè verò Romanæ, cui opus est magnis domesticis copiis: si imperium stabile infinitimos populos retinere velit, à plebeiis derelinqui, & à patriciis deseri, quũ nec bello nec pestilentia nec vlla alia calamitate diuinitùs immissa infestetur? Vultis igitur audire causas, quibus homines sacra & maiorum monumẽta relinquere, & lares ac paternas possessiones desere re: & quamuis aliã terram patria potiorem ducere cogãtur? neque enim hæc absq. causa ita fiũt. Ego igitur rẽ vobis aperiã, & nihil celabo. Magistratui vestro, Appi, multa crimina, eáque à multis obiciuntur, quæ vtrum vera, an falsa sint, mihi in præsentia quærendum non puto, obiciuntur tamen. De vestris verò sodalibus dicere ad rem præsentẽ non facit. Viri boni, & bonis propugnati parentibus ad quos pertinent sacerdotia, magistratus, aliorúmque honorum fructus, quibus eorum patres fruebantur, ægrè ferunt se maiorum dignitatibus spoliatos,

seque ab his vestra opera arceri. Homines verò mediocris fortunæ, qui sunt in vrbe, & qui quietè à negotiis remotâ sectantur, crimini vobis dant bonorũ suorũ iniustas rapinas, & cõtumelias quas exercetis in ipsorum vxores & vestras debacchationes in ipsorum filias nubiles, & multa alia, eáque grauia contumeliarum genera deflent. Plebis verò pars pauperrima, quæ nec comitiorum, nec suffragiorum ius amplius penes se habeat, nec ad concionem vocetur, nec vllus alius humanitatis ciuilis sit particeps, ob has omnes causas vos odit, vestrúmque magistratũ tyrannidem vocat. Quomodo igitur hæc corrigetis, & has ciuium contra vos criminationes compescetis? Hoc enim mihi dicendum restat: si facto S. C. populo cognitionẽ restituerit is, vtrum eis consules, & tribunos aliósque patrios magistratus iterum creare, an in eadem ciuitatis forma manere placeat: nam si totus pop. Rom. paucorũ dominatũ probauerit, & vos in eadẽ potestate manere decreuerit, tũc legitimè, nõ per vim magistratũ habebitis. Si verò cõsules, alióq. magistratus vt antè iterũ creare voluerit, legitimè potestatẽ deponetis, nec inuitis vestris æquabilibus dominari videbimini, hoc enim est tyrannicum: sed à volentibus magistratus accipere, hoc est optimatum. Huius autem instituti te principem atque autorem esse debere arbitror, Appi, & paucorum dominatum à te constitutum, & quondam nobis vtilem, nunc verò graue, tollere. Quid autem lucri si facturus si mihi paueris, & inuidiosam hanc potestatem deposueris, audi. Si totum vestrum collegiũ eiusdẽ fuerit sententiæ, omnes existimabũt, propter te qui princeps fuisti, hos etiam viros bonos esse factos: quod si isti nimium cupidè nefariam potentiam retinere voluerint, omnes tibi gratiam habebunt, quòd

solus iussè facere volueris. Illis verò inuitis eum ignominia magnóque damno magistratum abrogabunt, quòd si qua fœdera clandestina fecistis, & fidē occultè inter vos vltro citróque dedistis & accepistis, facientes deos vestrorum pactorum sponsores (nam fortasse etiam aliquid tale à vobis est factum) hæc si seruentur putato impia, vt pote quæ contra ciues & patriam sint facta. si verò frangantur, pia. Dij enim ad honesta & iusta fœdera, non autem ad turpia & iniusta testes adhiberi solēt: quod si metu inimicorum magistratum deponere formidas, ne quod periculum illi tibi creent, & rerum gestarū rationem reddere cogaris, non rectè times: neque enim pop. Rom. adeò pusillo aut ingrato animo est, vt tuorum peccatorum recordetur, & beneficiorum obliuiscatur: sed præsentia bona cum malis præteritis collata examinans, illa quidem venia, hæc verò laudibus putabit digna. Posteris verò etiam multa ac præclara facinora à te antè paucorum dominatum constitutum edita populo in memoriam renocare, & pro illis gratiam ad auxilium & salutem tuam reposcere, & multis modis ad crimina obiecta respondere. Partim quidem te non peccasse: sed alium quempiam te inscio, partim verò te prohibere non potuisse quominus is qui parem honorem habebat, faceret quæ vellet: partim verò te alicuius alius rei vtilis causa coactū fuisse quædam contra voluntatē tuā perferre. Longa enim esset oratio si vellem ea omnia recensere, quæ pro tua defensione afferre potes, & quibus nulla est defensio, aut victa, aut æqua, tamen dum culpam fatentur, & deprecationib. vtuntur, eorū qui iniuriā sunt passi, ægrē mitigant: alij in ætatis amentiam culpam reiicientes, alij in improborum hominum colloquia & consortia, alij in impe-

in imperij magnitudinem: alij in fortunam, quæ omnes humanas cogitationes fallit. Ego tibi polliceor fore vt si imperium deponas, omnis iniuriarum memoria deponatur, & honestè (vt in malis) cum populo in gratiam redeas: sed vereor ne periculum falsò prætexas vt in eodem magistratu permaneas. Innumeris certè contigit vt depositâ tyrannide nihil malâ à ciuibus suis paterentur. Sed hæ veræ sunt causæ inanis ambitio imaginem opinionis honestatis sectans, & desiderium pernicioſarum voluptatum, quas vita tyrannica affert. Quòd si vis non simulacra & vmbras honorum a stultitiæ sectari: sed ipſis veris honoribus frui, optimatum dominatum patriæ reddas, & honores à paribus accipias, & æmulationem apud posteros consequaris gloriámque immortalem pro mortali corpore posteritati relinquas. Hi enim sunt certi ac veri honores, & qui eripi non possunt, & grati, nec pœnitendi. Conuertas animum tuum ad patriæ bona, iisque gaudeas; quorum præcipuus autor fuisse videbere, is, graui dominatu ex ea sublato. Horum autem exempla à maioribus petas, cogitans nullos ex illis viris tyrannicæ potestatem affectasse: nec probrosis corporis voluptatibus inseruisse: propterea etiã ipsis cõtigisse, vt & viui, & mortui honorarentur, & laudem apud posteros consequerentur. Omnes enim testãtur eos optimatum dominatus, quem nostra ciuitas eiectis regibus cõstituit, firmissimos ac fidissimos custodes fuisse, nec vllorũ tuorum dictorũ, factorúmue clarissimorũ obliuiscaris. Prima enim tuorũ actorũ fundamenta præclara fuerũt, & magnã virtutis spem nobis attulerunt: quibus vt cætera quoque tua acta respondeant, te rogamus. Redi igitur ad tuum ingenium Appi fili, & in Rep. administranda ne tyranni-

ca, sed optimatũ studia sequere, & fuge eos qui ad voluptatem loquuntur quorum opera de rectis institutis decessisti, & à recta via aberrasti. Absurdum enim est putare, eũ qui ab aliquibus ex bono malus fuerit factus eundem ab illis iterum ex malo bonum fieri posse. Hæc sæpe tibi exponere volui solus cum solo agens, partim vt te ignarum docerem, partim vt peccantem admonerem, domúmque tuam non semel veni, sed sæpius, at filij tui me ex ædibus expulerunt, nõ esse tibi otium dicentes, sed te aliis quibusdam rebus magis necessariis vacare. Fortasse autem non tuo iussu, sed per se ipsi hoc cognoscentes me ingressu prohibuerũt: & vellem hoc esse verum. Hæc igitur res me coegit in senatu tecum agere de iis de quibus tecum colloqui volebam, quando non licuit mihi soli cũ solo id facere. Res autẽ honestæ & vtiles, Appi, semper apud homines potiùs quàm nusquam opportunè dici possunt. Quam autẽ tibi gentis nostræ debita officia præsiterim, deos testor, quorũ templa & aras cõmunibus sacrificiis colimus nos qui sumus gentis Appiæ successores, & genios maiorum, quibus post deos, secundos honores cõmunésq; gratias reddimus sed præcipuè terrã quæ patrẽ tuum, fratrem meũ continet, me vitam vocémq; meã optimũ consilium dantẽ tibi exhibuisset & pro viribus meis tuam ignorantiam corrigens. abs te peto ne mala malis sanes, neue dum plura appetis, res etiã præsentes amittas, néve vt paribus & præstantioribus imperes, inferioribus & deterioribus pareas. Quãuis autẽ longa oratione de multis præterea rebus tecũ agere cupiã, tamen me pigetnã si deus te ad meliora consilia ducit & hæc quæ dixi, plura sunt quàm oportuit: si verò ad peiora, frustra & reliqua sum dicturus. Habetis, P. C & vos Reipub. princi-

principes, meam sententiam de pace facienda, & de urbanis tumultibus sedandis. Si quis verò hâc aliam meliorem sententiam dicet, vincat optima.

3 ¶ His autẽ à Claudio dictis, & magna spe senatui allata fore vt decemviri magistratũ deponerent, Appius ad hæc nihil respondere voluit: sed ex aliis paucorum dominatus fautoribus, M. Cornelius progressus, Nos (inquit) Claudi, de nostris propriis vtilitatibus ipsi cognoscemus, tuo consilio non indigentes: sumus enim ea ætate, quæ est prudentissima, ita vt nihil eorum quæ nostra intersunt, ignoremus: nec amicis indigemus, quorum cõsilio, si quid opus fuerit vtemur. Desinas igitur rem intempestiuam facere, tu, inquam, vir senior, hominibus consilio non egentibus sententias dicere desinas. Si qua enim de re Appium monere, aut ei comiciari vis (hoc enim verius) vbi ex curia fueris egressus, tunc ei comiciaberis: nunc verò de bello contra Æquos & Sabinos, cuius causa vocatus es, vt sententiam diceres, quid tibi videatur, dic, & desine extra rem propositum nugari. Post eũ surrexit iterum Claudius, mœstus, & habens oculos lacrymarum plenos, atque ita est loquutus, Appius, Patres conscripti, in vestro conspectu ne responso quidem dignum me patruum suum iudicat: sed quemadmodum mihi suas ædes clausit, sic etiam aditum ad hunc senatum mihi, quantum in ipso est, claudit. Quòd si veritas est dicenda, ex vrbe etiam expeller: neque enim amplius eum rectis oculis intueri possem, qui suis maioribus indignum se præstat, & tyrannicam iniquitatem æmulatur: sed conuasatis omnibus meis rebus vnâ cum tota familia ad Sabinos proficiscar, vrbem Regillum habiturus, vnde oriundi sumus, & ibi in posterum ma-

nebo, donec isti præclarum istum magistratum obtinebunt. Vbi verò, quod ego vaticinor, huic decemviratui acciderit (breui autem hoc fiet) tunc redibo, atque quod ad me attinet, hæc sunt satis. De bello verò, P. C. hæc est mea sententia, vt de re nulla quicquam decernatis, donec alij magistratus creati fuerint. {Hæc loquutus, & ob generosam ac libertatis studiosam sententiam valde collaudatus sedit. Post eum surgens L. Quintius Cincinnatus, & Titus Quintius Capitolinus, & L. Lucretius, & deinceps omnes decem senatus principes, in Claudij sententiam iuerunt. Qua re turbati, Appius, eiusque collegæ, decreuerunt non amplius pro ætate aut consilij dignitate, sed pro necessitudinis & sodalitatis vinculo, ad sententiam dicendam senatores vocare. Et progressus M. Cornelius, vocauit L. Cornelium fratrem, qui Fabij Vibulani tertium consulis collega fuerat, virum impigrum, & ciuili facundia præditum. Hic quum surrexisset, ita est loquutus. {Hoc quoque, P. C. mirandum est, quòd homines istius ætatis, qua sunt qui sententiam antè me dixerunt, & qui senatus principes esse volunt, odium implacabile ex ciuilibus offensis ortum, contra ciuitatis principes ferunt: quos oporteret (si fieri posset) & iuuenes optimo animo admonere, vt pro rebus honestis certamina subeant, néve hostes, sed amicos eos ducant, qui pro publicis bonis contendunt. Sed multò etiam admirabilius hoc est, quòd priuatas inimicitias ad Rempublicam transferant, & cum suis inimicis perire, quàm cum omnibus suis amicis seruari malint. Nam nostri senatus præsides ad supremum dementiæ gradum prouecti sunt: & parum abest quin mente capti sint. Isti enim indignè ferentes se qui

qui decemuiratum petebant, quem nunc inuehuntur, victos ab iis fuisse qui in comitiis ad id magis idonei sunt visi, perpetuò bellum implacabile cum illis gerunt: & eò stultitiæ imò potiùs insaniæ progressi sunt, vt quo istos apud vos criminentur, totam patriam euertere sustineant, qui, quum videant agrum nostrum ab hostibus vastari, & cernant eos moxmox vrbem ipsam inuasuros (spatium enim quod interiacet non est magnum) & quum hortari ac incitare debeant iuniores ad certamen pro patria subeundum, & omni alacritate studióque opem ei ferendam, totis viribus postulant vt de forma Reipublicæ consultetis, & nouos magistratus creetis, & quidnis aliud potiùs faciatis, quàm hostes maleficiis afficiatis, & ne hoc quidem ipsum videre possunt, se esse autores sententiarum, imò verò votorum, quæ nullo modo ad finem perduci possunt. Ita enim rem considerate s.c de comitiis fiet, deinde decemuiri id promulgabunt, die statuta in proximum trinundinum. Quomodo enim verè vllum plebiscitum ratum esse poterit, nisi legitimè fiat? deinde vbi tribus tulerint suffragia, tunc nouis magistratus veniam ciuitati deprecabuntur, & de bello ad vos referent, vt de eo consultetis. Quum verò comitiorum tempus interea tantum sit, si hostes contra vrbem nostram veniant, & copias ad muros admoueant, quid faciemus Claudi? Certè ipsis dicemus, expectate donec alios magistratus creauerimus Claudius enim nobis persuasit, vt de nulla alia re senatusconsultum faciamus, neque ad populum rem referamus, neve copias conscribamus nisi priùs magistratus ex animi nostri sententia cõstituerimus. Abite igitur, & quum audieritis, consules alios magistratus à populo Romano creatos, & res o-

mnes ad bellum necessarias à nobis paratas, tunc redite vt de pace agatis, quando maleficiis vltrò nos lacessiuistis, nulla iniuria à nobis affecti, & quæcunque damna in excursionibus dedistis, ea omnia pecuniis æstimate nobis iustè sarcietis. Agrestium verò cædis à vobis factæ nullam habebimus rationem, nec siquæ ingenuæ mulieres contumeliam & petulantiam militarem sunt expertæ, nec siquod aliud grauissimum malum patratum est, quicquam ideò à vobis exigetur, & illi nobis ad has conditiones eos inuitantibus moderatè se gerent, & passi nouos magistratus à populo Romano creari, & res ad bellum necessarias parari, tunc supplices preces pro armis afferent, & se nobis dedent. O ingentem horum stultitatem quibus in mentem venit vt talia nugentur! O magnam nostram stupiditatem, quòd istis hæc dicentibus non indignemur, sed eos tanquam de hostibus, non autem de nobis ipsis, & patria consultantes audire sustineamus! Quin tollimus de medio istos nugatores? quin decernimus ocius auxilium agro qui vastatur? quin armamus omnem vrbanam iuuentutem? quin inferimus nos ipsi bellum eorum ciuitatibus? an domi manentes, & conuicia decemuiris dicentes, & nouos magistratus constituentes, & de ciuitatis forma consultantes, vt pacis tempore, res omnes, quæ in agris sunt, in hostium potestatem venire patiemur, & tandem in seruitutis, & euersionis ipsius vrbis discrimen veniemus, permittentes vt hostes ad ipsa vrbis mœnia accedant? Non sunt. Patres conscripti hominum sana mente præditorum huiusmodi consilia, neque hominum prouidorũ reiq; publicæ administrandæ peritorum, qui publica commoda priuatis simultatibus potiora ducunt: sed contentionis intempestiuæ,

tempestiuæ & temerariæ hostilitatis & infelicis inuidiæ, quæ eos quos in sua potestate tenet, sapere non sinit: sed has istarum contentiones valere sinite. Quæ verò decreta Reipublicæ salutaria & quæ consulta nobis ipsis conuenientia, hostibúsque formidabilia sunt futura dicere conabor. Nullum bellum contrà Aequos & Sabinos decernite, & maxima animi alacritate studióque copias contra vtramque gentem profecturas conscribite. Vbi verò bellum felicissimè à nobis confectum fuerit, & copiæ in vrbem redierint, in pace tunc, & de Reipublicæ statu consultate, & à decemuiris de rebus omnibus in magistratu gestis rationes exigite, & nouos magistratus create, & iudicia constituite, & his vtriusque dignos honorate, vbi hæc vtraq; penes vos fuerint vllud scientes, non rebus temporaria sed res temporibus inseruire.

4 ¶ Hac sententia à Cornelio dicta, qui post eum surrexerunt præter paucos, in eandem sententiam iuerunt. Alij hæc necessaria, & præsenti rerum statui conuenientia existimantes: alij verò metu imperij decemuiris cedentes, illisque obsequentes. Nam non minima patrum pars magnitudine potestatis perculsa erat. Quum autem maior sententiarum pars dicta fuisset, & qui bellum decernebant, numero longè superiores aliis esse viderentur, tunc Lucium Valerium inter vltimos vocarunt, quem statim ab initio verba facere volentem, ab illis prohibitum fuisse dixi: qui quum surrexisset, talem habuit orationem. {INSIDIAE decemuirorum videtis, P. C. qui principiò passi non sunt me, quando volebam, verba apud vos facere, & nunc inter postremos dicendi potestatem mihi fecerunt, cogitãtes (id quod verisimile est) fore vt si ego Claudij sententiæ adhæream, Reipub. nihil

prosim, quòd pauci in istam sententiam iuerint, sin aliâ præter eas quæ ab ipsis sunt dictæ proferam, licet optimum consilium dederim frustra nugas effudisse videar. Facilè enim numerari possunt qui post me surgent: qui licet omnes mecum consenserint, quid tamen proficiam, quum ne minimam quidem partem eorum qui Cornelio patrocinantur, sim habiturus? Non dubitabo tamen meâ sententiam dicere quamuis hæc suspicer. Vbi enim omnia audieritis in vobis erit optima sequi. De decemviratu igitur, quomodo Resp. curet, quæcunq; Claudius præstantissimus dixit eadem à me quoque putetis dicta, nimirum creandos novos magistratus, antequam bellum decernatur. Nam hæc quoque ab illo optimo animo sunt dicta. Quoniam verò Cornelius conabatur demonstrare, eam sententiam ad exitum ac finem perduci non posse, quòd magnum temporis spatiũ intercessurum, & in has civiles administrationes insumptum iri diceret, bello iam præsente, & conabatur deridere res minimè deridendas, quibus multos de vobis decepit, ego apud vos agam vt probem fieri posse id quod Claudius suasit: (nullus enim, ne eorum quidem, qui eam sententiam derident, eam detrimentosam esse dicere ausus est) & docebo qua ratione & agrum tutari possimus, & quomodo pœnas dare possint qui eum vastare sunt ausi, & quomodo patriũ optimatum statum recuperare possimus, & quomodo hæc omnia sint futura omnibus civibus adiuuãtibus, & nullo obtinente nullam sapientiam vobis demonstrans: sed exempla rerũ à vobis ipsis gestarum afferens. Vbi enim ipsa experientia nos docet quid conducat, quid ibi pus esse conducturis? Meministis ab his ipsis gentibus, vt ante, copias missas irruptionẽ fecisse partim in nostrum,

partim

partim in nostrorũ sociorũ agrum, & ab vtraque gente missas, eodẽ tempore C. Nautio & C. Minucio coss. & hic est, vt arbitror, nonus decimusve annus, ex quo hoc accidit. Tunc igitur multa ac strenua iuuentute à vobis contra vtramq. gentẽ missa, alteri cõsuli in angustiis castra ponere, coacto contigit vt nihil ageret, sed in suis castris obsideretur, & propemodum ob commeatuum penuriam in hostiũ potestatem veniret. Nautius verò qui contra Samnites castra habebat coactus est crebras pugnas cum ipsis committere, nec suis laborantibus opẽ ferre poterat. Illud autem certũ erat, quòd si exercitus qui in Aequis erat, deletus fuisset, ne iis quidem qui in Sabinis bellum gerebat, resistere potuisset vtrisque hostiũ exercitibus in vnum coactis. Quum igitur Respublica talibus periculis circumdaretur, & ne in vrbe quidem concordia esset quodnam remedium inuenistis? Quum circa mediam noctẽ in curiã conuenissetis (quod citra omnẽ cõtrouersiam res omnes iã labantes sustinuit, & Remp. quæ in infelicẽ ruinam ferebatur, erexit) magistratum vnum cum summa ac absoluta belli pacisque potestate creastis, cæteris omnibus magistratibus abrogatis, & antequam dies illucesceret dictator creatus est præstantissimus L. Quintius, qui tunc nõ in vrbe, sed ruri erat. Res autem quas postea vir ille gessit, scitis, & validas copias ab eo paratas, & exercitum, qui periclitabatur seruatum, & hostium iniurias vindicatas, eorumq. ducẽ captum: hisq; omnibus intra solos quatuordecim dies confectis, & siqua Reipub. pars conquassata esset, ea instaurata, fasces ab eo depositos. Scitis etiã nihil tunc prohibuisse quominus vno die vos volentes nouum magistratum crearetis. Suadeo igitur vt vos hoc exemplum sequuti, quando ni-

lnl aliud facere possumus, antequā hinc egrediamini dictatorē creetis: si enim hanc occasionē prætermiserimus, decemuiri nulla amplius de re nos cōsultatu nos conuocabunt. Vt autē dictator legitimè dicatur, inter regē creetis, ex ciuibus eligētes, quē maximè idoneū iudicaritis, quod facere cōsueuistis quoties nec interreges, nec cōsules neq; aliū legitimū magistratū habetis, vt nūc nō habetis. Nā tēpus magistratus horum virorum præteriit, & ipsa lex fasces illis ademit. Hæc sunt P. C. quæ vobis vt facta-tis suadeo, quæ & reip. conducunt, & fieri possunt. Sententia verò cuius autor est Cornelius, est certissima vestri optimatum dominatus abrogatio. Nam si semel decemuiri arma penes se habuerint per hanc speciosam belli causam, vereor ne in eos vos conuertant: qui enim nolunt fasces deponere, an arma deponēt? Hæc igitur cōsiderantes cauete, vobis ab illis, & omnē eorum fraudem prouidete. Prouidentia enim præstantior est quām pœnitentia, & improbis fidem non adhibere, est maioris prudētiæ, quàm fide illis antè habita, postea eos accusare? Quum Valerius dixisset hanc sententiam, plerisq; gratā, vt facilè conii i potuit ex eorū vocibus, & ex iis qui post illum surrexerunt (ibi autē ex senatoribus pars tantorum reliqua erat) qui hæc optima existimabāt paucis exceptis, quúmque omnes suas sententias dixissent, & consultandi finis esset faciendus, Valerius postulauit vt decemuiri sententias in medio proponerent, vt de iis discepraretur, & denuò ab initio omnes senatores rogarent, & multis senatoribus priores sententias mutare volentibus. hæc dicens, facilè rem persuasit: Cornelius verò, qui decemuiris belli imperium committendum censebat, acriter repugnabat, rem iam iudicatam, & latis omnū

senten-

sententiis legitimum finem sortitam dicens: sententiasque dinumerandas, & nihil amplius innouandum censebat. Quum autem hæc ab utroque dicerentur magna contentione & vociferatione, & senatus dissideret, atq. alij huic, alij illi fauerent: & illi quidem qui flagitiosum administrandæ reipublicæ genus corrigi volebat, Valerium iuuarent illi verò qui deteriora sequebantur, & qui aliquod periculum ex rerū mutatione metuebāt, Cornelio patrocinarentur: decemuiri, arrepta occasione faciēdi quicquid sibi libuisset, quòd senatus dissideret ac tumultuaretur, in Cornelij sententiam iuerunt. Atque unus ex illis, Appius, in medium progressus, ita est loquutus. ¶ De bello contra Aequos & Sabinos vos, P. C. cogniturus conuocauimus, & omnibus volentibus à primis ad nouissimos usque dicendi potestatem fecimus unumquemque suo loco vocantes: quum autem tres, Claudius, Cornelius & Valerius postremus sententias differentes protulerint, vos reliqui de iis cognouistis, & unusquisque vestrum omnibus audientibus, declarauit in quā sententiam iret. Omnibus igitur rebus legitimè peractis, quando maiori vestrum parti Cornelius optimum consilium dedisse visus est, hunc vincere pronuntiamus sententiámque eius scriptam efferimus ac promulgamus. Valerius verò, & qui eius partibus fauent, quum ipsi consularem potestatē fuerint adepti, tunc si illis ita placuerit, iudicia ita peracta rescindant, & decreta quæ vos omnes feceritis, irrita faciant. ¶ His dictis, iussóq; scriba recitare senatusconsultum, in quo decretum erat, vt de exuiris militum conscribendorum potestas, bellique imperium mandaretur, senatum dimisit. Postea insolentes & audaces homines ex sodalitio eorum qui paucorum

dominatui fauebant, vrbem obambulabant, quasi superiores aliis euasissent, & ne suus dominatus tolleretur, effecissent si semel armis potiti fuissent. Qui verò optimè de republica sentiebant, valde mœsti & territi abierunt, quòd nulla amplius reipublicæ gubernacula in sua potestate esset habituri. Et in multas partes diuisi sunt: quia qui erant natura ignauiores, omnia victoribus cõcedere cogebantur: qui verò minùs erant formidolosi, ab omni reipublicæ cura abstinebant, & se ad vitam trãquillam conuertebant, atque accommodabãt. In quorum verò animis magna generositas innata erat, illi priuatas sodalitates sibi comparabant, & ad mutuum præsidium, & reipublicæ formam mutandam communi consensu se parabant. Harum autẽ sodalitatum duces erãt qui primi in senatu de decemuiratus abrogatione verba facere ausi fuerant, L. Valerius, & M. Horatius, quæ domos suas armis munierũt, & circa se firmum seruorũ & clientium præsidium habebant, ne quam vim paterẽtur, néve aperte ignauiæ damnarẽtur. Qui verò neque victorum potestatem colere, nec reipublicæ vllam curã gerere volebant, nec in otiosa quiete viuere honestũ iudicabant, nec tamen totis viribus bellum cum illis gerere facilè poterant, quum tantam potentiam euertere stultorum esse videretur, vrbem deseruerunt. Horum autem dux erat vir illustris, C. Claudius Appij, decemuiratus principis, patruus: rata faciens promissa quæ fratris filio in senatu fecerat, quando suis precibus eum adducere non potuit vt imperium deponeret. Eum autem sequuta est magna amicorum, magnáque clientium turba. Quum autem iste initium fecisset, alia quoque vrbana multitudo non amplius clandestinè, neque rari, sed aperte

apertè & frequentes patriam deseruerunt, secum liberos coniugésque adducentes. Quæ quum iniquo animo Appius eiusque collegæ ferrent, primùm quidem eos prohibere conati sunt, portis clausis, & nonnullis hominibus correptis: sed deinde (eos enim inuaserat timor ne qui prohibebantur ad vim propulsandam se conuerterent, & rectà ratio eos subiit, satius sibi fore inimicos procul à suo conspectu esse, quàm remanere & negotium sibi facessere) apertis portis dimiserunt quotquot abire voluerunt. Eorum verò domos, & patrimonia, & quæcunque alia relicta fuerant, quæ in fuga abportari non poterant, illato crimine desertæ militiæ, verbis quidem publicarunt, sed re vera suis amicis, quasi ea à populo emissent, sunt largiti. Hæc igitur crimina prioribus addita & patricios & plebeios decemuiratui longè infestiores reddiderunt. Si igitur nullum amplius peccatum præter superiora commisissent, illi mihi videntur diu in eadem potestate permansuri fuisse: seditio enim, quæ illorum potentiam conseruabat, in urbe adhuc manebat, ob multas causas, & temporis diuturnitate aucta: ob quam vtrique alterorum malis mutuò gaudebant: plebei, quòd patriciorum spiritus depressos viderent, & nullius rei publicæ administrationem amplius penes senatum esse: patricij, quòd cernerent plebem libertate spoliatã, & neminem quidem potentiã habere, ex quo decemuiri tribunitiam potestatem ei eripuerãt. Sed quũ illi in vtramque partẽ magna arrogantia vterentur, neque foris moderate se gererent, neque domi temperantes essent, coegerunt omnes cõcordes fieri, & suum imperium euertere, quum propter bellum arma penes se haberent.

5 ¶ POSTREMA autem eorũ peccata, & ob quæ

eorum imperium à plebe sublatum est (hãc enim maximè contemnentes tulerant) hæc fuerunt. Post senatusc̃o sultum de bello factum, copiis properè conscriptis, iisque trifariam diuisis, duas legiones in vrbe ad præsidium eorum qui intra muros erant, reliquerunt. His autem duabus legionibus præfectus erat Appius Claudius, decemuiratus princeps, & cum eo Sp. Appius. Tres verò legiones secũ in Sabinos duxerunt, Q. Fabius, Q. Petilius, & M. Rabuleius. Cum reliquis quinque legionibus M. Cornelius, L. Minucius, M. Sergius, T. Antonius & postremus Cæso Duellius ad bellũ contra Aequos sunt profecti. Cum illis autem militabant Latinorũ & aliorũ sociorum auxilia vrbana multitudine non minora. Sed nihil ipsis ex animi sentẽtia successit, quamuis tantas domesticas, tantas sociorũ copias secum ducerent. Nã hostes illis contemptui quòd milites essent tirones, castra sua propius eos ex aduerso posuerũt, & commeatus qui apportabantur, auferebant insidiis per itinera collocatis, eósque pabulatum exeuntes adoriebantur, & sæpe quãdo equites cum equitibus, & pedites cum peditibus ad manus venissent, licet cum omnibus legionibus pugnarent, semper tamen superiores discedebant, quia non pauci in congressibus dedita opera rem ignauiter gerebant, nec ducibus obtemperabant, nec cum hostibus cõgredi volebant. Qui igitur in Sabinos profecti fuerant, paucioribus malis edocti, & sapientiores facti vltro castra deserere decreuerunt, & circa mediã noctẽ motis castris ex hostico in suum agrum redierunt, inde discedentes non aliter quàm si fugissent, donec ad vrbẽ Crustumerium, non procul ab vrbe distantem, peruenerunt. At qui in Algido agri Aequorum castra posuerãt, quũ ipsis

ipsi quoque multa vulnera ab hostibus acciperent, & in periculis perseuerare vellent, quasi damna accepta resarcire possent, res maximè miserandas sunt perpessi: hostes enim facto in eos impetu, & iis qui ad resistendū remanserant, de vallo deturbatis, munitiones conscenderunt, castrisque occupatis, paucos quosdam repugnantes interfecerunt. sed maiorem eorum partem in ipsa fuga consectati confecerunt: qui verò ex fuga euaserant, plerique sauciati, & omnes propemodum amissis armis ad vrbem Tusculum iuerunt. Horum verò tentoria & iumenta & pecunias & seruos, & reliquū belli apparatum hostes diripuerunt. Quibus rebus Romam nūtiatis, quotquot decemuiratus inimici erant, & qui hactenus odium occultabant, tunc se prodebant, ducum rebus aduersis gaudentes. Iámque valida manus erat circa Horatium & Valerium, quos sodalitatis optimatum duces esse dixi. Appius verò suis collegis, qui in castris erant, arma, pecunias, frumentum, & cætera quibus indigebāt, suppeditabat. tam publica quàm priuata magna cum superbia capiens, & in amissorum locum ex omni tribu delectos, qui arma ferre possent, misit, vt cohortes expleri possent: & res vrbanas diligenter custodiebat, opportunissima quæq. loca præsidiis occupās, ne quid fortè sese insciō molirentur qui cum Valerio in decemuiros cōspirarant, mandauitque per arcanos nuntios collegis qui erant in castris, vt aduersarios suos perderent, ac viros quidē illustres clàm, eos verò quorum minor habebatur ratio, palàm semper aliquibus causis allatis, vt iure capitali supplicio affecti viderentur. Atq. hæc fiebāt. Nā alij eorum ad pabulationes alij ad cōmeatus, qui apportabantur prosequēdos, alij ad aliquas alias res bellicas

necessarias ab illis missi, vbi ex castris semel egressi sunt, nusquam amplius conspecti sunt. At infimæ conditionis homines accusati quòd fugæ initium facerent, aut arcana consilia ad hostes deferrent, aut ordines non seruarent, palam ad cæterorum terrorẽ perdebantur. Duobus igitur modis milites perdebantur, tum quia qui dominatus paucorum fautores erant, dũ cĩ hostibus conflagebant, interibant, tum quia qui optimatum dominatus cupidi erant, à ducibus occidebantur. Multa autem huiusmodi facinora ab Appio & eius factione, in vrbe patrabantur. Alios igitur, quamuis multi interficerentur, multitudo minus curabat: sed vnius viri, qui plebeiorum erat illustrissimus, & qui plurima præclara facinora in bellis ediderat, cædes crudelis & nefaria in alteris castris facta, vbi tres duces erant, omnes, qui ibi erant, paratos ad defectionẽ reddidit. Qui verò cæsus fuerat, erat ille Siccius, qui in CXX. prælijs dimicarat, & qui ex omnibus fortitudinis suæ præmijs retulerat: quem dixi, per ætatem militiæ iã immunẽ vltro se ad societatẽ belli cõtra Aequos addidisse, & cohortem 800. virorũ, qui legitima stipendia iã confecerant, ob benevolentiam, qua eos prosequebatur, secũ duxisse, cum quibus ab altero consule missus ad hostium castra, ad manifestũ exitium, vt omnibus videbatur, & ipso hostium vallo est potitus, & integræ victoriæ consulibus autor fuit. Hunc virum multa verba in vrbe facientem contra duces qui in castris erant, vt ignauos & belli imperitos, Appius eiusq. fautores de medio quam primũ tollowe cupientes, ad colloquia humana eum inuitabant, & rogabant vt secum de rebus, quæ foris gerendæ erant, consuleret, eúmq. hortabantur vt diceret quomodo ducũ pec-

cata

cata corrigi possent, & tandem ei persuaserunt vt ipse cum legati potestate ad castra, quæ ad Crustumerium erant, proficisceretur. Munus autem legati apud Romanos est omnium honoratissimum & sacratissimum, quia legatus autoritatem ac potestatem imperatoris habeo, & sacrosanctus & venerandus est, vt sacerdos. Quũ ille in castra venisset, ducibus qui illic erãt, amicè eum excipientibus, rogantibúsque vt rem anẽs secum imperaret, & quædam dona iam ei dantibus, aliaque pollicẽtibus, ab improbis hominibus, præstigiis verborum deceptus, ignorans hæc insidiosè fieri, vir militaris, & moribus simplicibus præditus, cùm alia ipsis suasit, quæ vtilia existimabat, tũ primùm & antè omnia admonuit vt castra ex suo agro in hostilẽ transferrent, dãna quæ tũc accipiebant recensens, & commoda quæ mutatis castris habituri essent, enumerans. Illi verò simulantes selubenter eius admonitiones accipere. Quin igitur (inquiunt) tu ipse huius castrorum motionis dux es, loco opportuno antè delecto? locorũ enim satis bonam notitiam ob crebras expeditiones à te susceptas habes. Dabimus verò tibi cohortem lectorum iuuenum expeditorum & armis instructorũ: tibíque propter ætatẽ equus & armatura tãtos viros decens dabitur. Quod negotium quum Sicius suscepisset, & lectos centum milites leuiter armatos petiisset, nulla interposita mora, eum dum adhuc nox esset emiserunt, & vnà cum eo centum viros, electis audacissimis quibusq. de suorum amicorum numero, quibus imperarunt vt hominẽ interficerent, magna cædis præmia pollicíti. Quum autem longè à castris progressi venissent ad locum tumulosum angustum, & qui equo difficulter nisi gradatim eunte transiri poterat, ob tumulorum a

petitatem signo inter se dato, cuneum fecerũt vt in eum conferti regrederentur. Quidam autem famulus, Siccij propugnator, bello strenuus, quum mentem eorum coniecisset, rem domino indicauit. Ille vbi se angustijs interclusum cognouit, quũ equũ totis viribus agere nõ posset, desilijt ex eo, & stans in tumulo, ne ab illis circumdaretur, cum solo suo propugnatore eorum impetum excepit. Quum autem omnes, quorum magnus erat numerus, in eum irruissent, eorum circiter quindecim simul interfecit, & duplò plures vulnerauit. Videbatur autem cæteros quoque omnes pugnans interfecturus fuisse, si manus cũ eo conserere voluissent. Illi verò quum cognouissent eum virum esse inuictum, neq; pugna statariâ à se cædi posse, comminus pugnare destiterunt, & longiùs progressi, eminus alij iaculis, alij saxis, alij fustibus eum petebant: nõnulli etiam eorum ex transuersis tumulis ad eum accedentes, & eius capiti immmentes, prægrandia saxa desuper in eum deuoluebant, donec multitudine telorum quæ ex aduerso iaciebãtur, & grauitate saxorum quæ desuper cum impetu ferebãtur, eum confecerunt. Siccius igitur talem vitæ exitum est sortitus. Qui verò cædem perpetrarant in castra redierunt vulneratos adducẽtes, & rumorem sparserunt hostium cohortem de improuiso sibi apparuisse, Siciúmque, & alios in quos primos inciderat, interfecisse, seque multis acceptis vulneribus vix ex eorum manibus effugisse, omnibúsque res probabiles dicere videbantur. Illud tamen eorum facinus nõ latuit: sed quamuis cædes in solitudine fuisset facta, & nullam haberet indicem, ab ipso fato, & à iustitia, quæ omnes res mortalium inspicit, certissimis argumentis conuicti sunt. Nã qui in castris erãt, hominem publico sumere, & hono-

honoribus præter cæteros insignibus dignum ducentes, cùm ob alias multas causas, tum verò potissimùm quòd quum ipse senex esset & per ætatem bellicorum certaminum immunis tamen se vltrò pro communi vtilitate periculo obtulisset, statuerunt cum tribus legionibus in vnum coactis egredi ad corpus ipsius quærendum, vt & tutissimè & maximo cum honore in castra referretur. Quod quum duces illis cõcessissent, veriti ne quam sui cõsilij de illa re suspicionem ipsis præberent, honesto & decenti officio obtentes, captis armis exierunt. Quum autem ad locũ venissent, postquam viderunt nusquam sylvas, aut terræ cauernas, aut alium quempiam locũ, vbi cohortibus in insidiis cõsidere est mos, sed nudũ & vndiq; conspicuum atque angustũ tumulum, statim rem suspectam habere cœperunt. Deinde quũ ad cadauera accessissent vbi conspexerunt & ipsum Siccium non spoliatũ, proiectũ, & cæteros omnes, mirabantur quòd hostes hostib superatis nec arma ademisset nec eos vestibus exuissent. Et omnia circumiacentia loca perscrutantes, postquã nullũ aut equorũ aut hominũ vestigium inuenerũt, præterea ea quæ in ipsa via erant arbitrabantur vllo modo fieri potuisse vt hostes non antè conspecti tanquã aues quædã aut homines cælitus delapsi: suis de improuiso apparerent. Sed præter hæc omnia & alia hoc maximũ ipsis visũ est argumẽtũ hominis nõ ab hostibus sed ab amicis cæsi, q̃ nullius hostis cæsi cadauer inuãtũ esset: neque enim existimabant Siccium virum & robore & animo inuictum inultum fuisse moriturum, nec eius propugnatorẽ, nec alios qui cũ eo ceciderant. præsertim quũ commus pugnatum esset. Hoc autem ex ipsis vulneribus coniecerunt. Nam & ipse Siccius & eius propugnator

multa habebat vulnera, partim saxis, partim iaculis, partim gladiis illata. At qui ab illis fuerant cæsi, omnes gladiorum quidem & saxorum, aut iaculorum, aut teli nullam plagam habebant. Tũc igitur indignatio, & omnium vociferatio, & luctus ingens exortus est. Quum autem hanc calamitatem defleuissent, cadauere sublato, & in castra reportato, duces valde incusabãt, & vehementissimè postulabant vt lege militari in sicarios capitali supplicio animaduerteretur: sin minus, saltem ex tempore iudicium de illis constitueretur: & multi eos accusaturi erant. Sed quum illi aures ipsis non præberent, sed etiam sicarios occultarent, & iudicia differrent, dicentes se Romæ eorum accusandorum potestatem cuiuis facturos, illi vbi cognouerunt ducum esse has insidias, Siccium sepulturæ mandarunt, elatum magnificentissimo funere, eique maximam pyram extruxerũt, & pro viribus dederunt decimas aliarum rerum quæ viris fortibus in supremo honore dari solent.

6 ¶ A decemuiris verò omnes alienati sunt, & de defectione cogitare cœperunt. Exercitus igitur qui erat ad Crustumerium & Fidenas ob Siccij hominis ætate proiectissimi cædem, inimicus erat iis qui rerũ gubernacula habebant. At qui in Algido Aequorum agri considebat, & tota vrbana multitudo, ob has causas animis alienata est ab ipsis. Vir de plebe L. Virginius, reb. bellicis nulli secundus, qui in quinque illis legionib. cohortis dux erat, præfectus fuerat iis qui in Aequos expeditionẽ fecerant. Hic fortè filiã omniũ Romanarũ virginum formosissimam habebat, quæ patris nomẽ ferebat, & L. Icilio desponsa erat, viro tribunitio, filio Icilij qui tribunitiã potestatem primus constituit, & primus eã accepit

cepit App. Claudius decemuiratus princeps conspecta hac puella iam nubili dum in ludo literario legeret (tunc autem puerorum ludi literarij erant circa forum) statim puellæ forma captus est, & multò magis mētis impos fuit, quia ludum sæpius amore iam correptus obire cogebatur. Sed quum eam sibi matrimonio iungere non posset, eámque alteri desponsam videret, & ipse uxorem haberet, simul etiam nollet matrimonium cum muliere generis plebei contrahere præter legem, quam ipse in duodecim tabulis scripsisset, primùm quidem puellam pecunia corrumpere conatus est & semper aliquas mulieres ad eius nutrices mittebat (puella enim illa matre orbata erat) multa dans, & longè plura quàm quæ dabat promittens. Interdixerat autem mulieribus quæ nutrices tentabant, ne dicerent quisnam esset qui puellam amaret: sed tantùm unum esse ex iis qui poterant & bene & malè facere quibuscunque libuisset. Sed quum eas in suam sententiā trahere non posset, & maiore etiam quàm antè custodia virginem septam animadverteret, amore ardens, rem via impudentiore tentare decreuit. Accersito igitur quodam suo cliente M. Claudio, homine audaci, & ad quoduis ministerium parato, suum amorem ei narrauit, edoctúmque quæcunque eum facere volebat, dimisit cum multis impudentissimis hominibus. Ille quum ad ludum literarium venisset, virginem prehendit, eámque per forum palam ducere volebat: Sed clamore exorto, & concursu ab ingenti turba facto puellam quò volebat, ducere prohibitus, ad magistratum venit. Solus autem Appius tunc pro tribunali sedebat, responsa reddēs, & ius petentibus dicens. Eo autē verba facere volente turba circumstans vociferabatur, & indignabatur, omnibus censentibus ex-

pectandum donec puellæ cognati venirent, & Appius ita fieri iussit. Quum autem exiguum temporis spatium interpositum fuisset & aduenisset nunculus virginis. Publius Numitorius, cum multis amicis & cognatis vir inter plebeios elarus: nec multò post Lucius Icilius cui puellam pater desponderat, iuuenum plebeiorum firma manu stipatus, & ad tribunal accessisset anhelans adhuc & spiritu suspenso, dicere iussit quisnam ausus fuisset puellam ciuem Romanam tangere. & quid sibi volens. Facto autem silentio Marcus Claudius, qui manus in puellam iniecerat talem habuit orationem, { Nihil temere, nihil violenter, Appi Claudi in puellam feci: sed quum sim dominus, eam ex lege abduco. Quomodo autem mea sit, audi. Est mihi paterna serua, quæ per multos annos mihi seruiuit. Huic grauidæ quòd ipsi esset familiaris & cum ipsa consuetudinem haberet, persuasit Virginij vxor vt si peperisset infantem sibi traderet. Illa promissa seruans, quum hæc filia ei fuisset nata, apud nos quidem simulauit se mortuam peperisse sed Numitoriæ infantem tradidit, illa verò eam acceptam sibi supposuit & educauit, quum liberorum, neque marium, neque fœminarum esset mater. Antea igitur hæc me latebant. Iam verò quum hæc per indicium tandem compererim, & testes multos. eósque viros probos habeam. & rem totam ex serua diligenter quæsierim, ad communem omnium legem confugio, quæ æquum esse censet vt non supponentium sed matrum sint liberi ingenuarum ingenui, seruarum serui, eosdem dominos habentes, quos eorum matres habuerint. Ex hac igitur lege meæ seruæ filiam abducere volo, paratus iudicium subire. Quòd si quis eam vindicet, peto vt is ideneos vades det sistendi eam in iudicium. Si quis verò velit de hac re ce

re celeriter cognosci, paratus sum ad causam ante tuum tribunal iam iam dicendam, & corpus non vadandum, nec rerum dilationem afferendam. Vtram verò harum conditionum oblatarum isti maluerint, eligant. His à Claudio dictis, & multis precibus additis, ne deteriore conditione esset quàm sui aduersarij, quòd cliens eius esset, & humilis fortunæ homo, excepta eius oratione auunculus puellæ, pauca verba fecit, eáque vt ad magistratum fieri decebat. Patrem igitur puellæ esse dicebat Virginium, hominem plebeium, qui pro patria militans peregrè esset, matrem verò Numitoriam, sororem suam fœminã pudicam & probam, quæ non multis antè annis obijsset: ipsam verò virginem educatam vt ingenuam & ciuem Romanam decebat, & legitimè datam in matrimonium Icilio, ipsáque nuptias finem iam habituras fuisse, nisi bellum contra Aequos celeriter exortum fuisset. Interea verò temporis non paucioribus quàm quindecim annis elapsis, Claudium nihil tale ipsis puellæ parentibus dicere ausum fuisse: sed quum puella iam esset nubilis, & forma excellere videretur, eum amore captum confictà impudenti calumnia venisse, non proprio impulsum motu, sed subornatum ab homine, qui omnibus suis cupiditatibus quoquomodo gratificandum & inseruiendum putaret. Ipsum igitur patrem ex militia reuersum pro filiæ causam dicturũ aiebat, se verò interea puellã in libertatẽ ex legibus asserturũ, quòd esset eius auũculus causamq; eius acturum, & nullum ius nouũ postulaturum, aut quod ceteris quoq. ciuibus Romanis nõ cõcederetur, licet nõ omnibus hominibus, nimirũ vt eius qui ex libertate in seruitutẽ asseritur, non is qui in seruitutẽ, sed is qui in libertatẽ asserit, dominus sit pendente lite: multáque ob cau-

sas hocius ab Appio seruãdum dicebat. Primùm qui hanc legem vnà cum cæteris in duodecim tabulis scripserat: deinde, quia erat decemuiratus princeps: præterea, quia cum consulari potestate tribunitiam etiam acceperat, cuius hoc erat præcipuum munus, vt ciuibus infirmis & omni auxilio destitutis opem ferret: orabátque eum vt misericordia moueretur virginis, quæ ad eum confugerat, quæ iam pridem matre orbata, & tunc etiam patre destituta erat, & cui imminebat periculum non solùm amittendi patrimonij, sed etiam mariti & patriæ, & suæ libertatis, quod omnium humanorum bonorum maximum putatur. Desleta autem iniuria, qua afficienda erat puella, & magna astantium commiseratione mota tandem de iudicij tempore hæc dixit, {Quandoquidem Claudius, qui per quindecim annos se nulla affectum iniuria dixit, hoc iudiciũ celeriter peragi vult: si quis alius de rebus tantis decertaret, se atrocem perpeti iniuriã existimaret, & meritò indignaretur, postulans vt tunc demũ causa dicatur quum pax fuerit facta omnésque qui nunc in castris sunt, reuersi fuerint: quo tẽpore & testium & amicorũ, & iudicum vtrique litigantiũ partí copia sit futura res ciuiles, & moderatas, & Romanæ reipublicæ familiares proferens. Nos verò (inquit) neque verbis, neque pace, neque amicorum, & iudicum turba indigemus, neque rem in aliud tempus legitimo iudicio destinatum differimus, sed & in bello, & in amicorũ penuria, & apud iudices non æquos ex tẽpore causam dicere non dubitamus. tantum tempus à te, Appi petentes quantũ patri puellæ ex castris reuerso ad proprias calamitates lugẽdas, & ad causam ab illo ipso dicendã sit satis. } Quũ Numitorius hæc dixisset, & circunstans turba ingenti

ingenti voce significasset æqua ab eo postulari, Appius, paruâ interiectâ morâ, {Equidem (inquit), non ignoro hanc esse legẽ de vadatione eorũ qui in seruitutem aſſeruntur, quæ non patitur corpus pendente lite eſſe in poteſtate eorum qui in ſeruitutem aſſerunt, nec eam abrogabo quam ego ipſe vltro ſcripſi. Illud tamen æquũ eſſe cenſeo, quum duo ſint qui puellam ſibi vendicent, dominus, & pater ſi vterq. adſit, vt pater pẽdẽte lite in ſua poteſtate eam habeat: verum quando ille abeſt, vt dominus eam abducat, datis idoneis vadibus qui promittant fore vt eã ad magiſtratum ſiſtant, vbi pater eius adfuerit. De vadibus verò, & litis æſtimatione, ne vlla in re vos in iudicio ſitis deteriore cõditione, ego, Numitori, diligentiſſimè prouidebo: ſed nunc puellã trade} Hac ſententia ab Appio pronuntiata, ingens luctus & planctus ſuper virgine & mulieribus eam circũſtantibus eſt exortus, ingens etiam clamor & indignatio à turba quæ tribunal circumſtabat. Icilius verò qui virginem in matrimonium ducturus erat, eã arctiſſimè prehendit, & {Nullus inquit, me ſaltẽ viuente, hanc, Appi abducet: ſed ſi tibi placet legẽ tollere, iura confundere, & libertatem nobis eripere, ne tyrannidẽ vobis exprobratã ampliùs occultaſſe collo mihi reſecto, hanc, cæteraſque virgines, & matronas Romanas quocunque libuerit abducat tandẽ Romani cognoſcant ſe ex liberis ſeruos factos, nec ampliùs maiores gerant ſpiritus, quàm ipſorum ferat fortuna. Quid igitur adhuc cũctaris? quin ſanguinẽ meum ante tribunal in omniũ conſpectu fundis? Illud tamen certò ſcias mortẽ meã populo Romano aut magnorum malorum, aut magnorum bonorum initiũ futurã. Eum autem plura dicere volentẽ lictores à magiſtratu iuſſi, à tribunali arcebãt, & pa-

rere iudicatis iubebant. Claudius verò iniectis manibus in puellam, quæ auunculo & sponsō adhærebat, eam abducere volebat. Sed qui tribunal circumstabant, quum vidissent miserabilem luctum, omnes simul clamorem sustulerunt, & spreta magistratus potestate, impetum fecerunt in eos qui vim faciebant: ita vt Claudius eorum impetu territus puellam dimitteret, & sub pedes ducis sui confugeret. Appius verò principiò quidem valde turbatus est, omnes efferatos cernens, & diu quid faciēdum esset, dubitauit. Tandem, quum Claudium ad tribunal vocasset, & cum eo paucis colloquutus fuisset vt visus est, & hominibus circumstantibus silentium signo dato imperasset, ita est loquutus, {Equidem, Quirites illud rigidum corporis vadandi ius quando vos hac mea sententia exasperatos video, omitto: vobis autem gratificari volens, meo clienti persuasi vt permitteret virginis cognatis vades darent, donec pater eius venerit. Abducite igitur, Numitori, puellam & sponsionem facite, ac promittite fore vt crastino die eam in ius sistatis: hoc enim tempus vobis sufficit ad rem Virginio hodie nuntiandam, & spatium rium vel quatuor horarum crastini diei ad eum ex castris huc ducendū. Illis autē plus tēporis petentibus: nullo amplius dato responso surrexit. sellamq; tolli iussit,

7 ¶ Qvvm autem mœstus & præ amore furens, se ex foro recepisset, statuit virginem cognatis amplius non permittere: sed simulatque vadimonium obisset, & producta fuisset, eam per vim abducere: sed prius maiore præsidio se munire, ne quam vim à turba pateretur, & loca omnia circa tribunal amicorum & clientium multitudine occupare. Vt autem honesto iure hoc facere videretur per speciosam causam vadimonij à patre deserti

fidissi-

fidissimos equites cum literis in castra misit ad Antonii legionis ducẽ, sub quo erat Virginius, rogans eum vt hominẽ in accurata custodia retineret, ne clã filiæ casum audiret, & ex castris aufugeret: sed puellæ necessarij, ab aliis præmissi ab ipso illius motus initio. Numitorij filius, & Icilij frater, iuuenes animis elati, equis effusis habenis & flagro citatis, eũ anteuerterũt, itinere antè confecto, & rebus gestis Virginio indicatis. Ille verò quũ veram causam Antonii celasset, & se cuiusdã cognati necessarij mortẽ audisse simularet, cuius funus & sepultura sibi ex lege esset curãda, dimissus est: & circa crepusculũ seroti nũ alia via cum adolescentibus est profectus, veritus ne inimici se tum ex castris tum ex vrbe persequerentur, quod etiam accidit. Antonius literis fermè circa primã vigiliã acceptis, equitũ aleam in eũ misit, & ex vrbe alij equites missi per totam noctem viã quæ ex castris ferebat, custodiuerũt: sed quũ quidã Appio nũtiasset, Virginiũ præter expectationẽ venisse, ipse mentis suæ non cõpos, cũ magna caterua ad tribunal venit, & puellæ cognatos ad se accedere iussit. Qui, quũ ad eũ accessissent, Claudius eadẽ oratione iterũ habita rogabat Appiũ vt rei iudex esset, nulla mora interposita, & indicẽ & testes ad esse dicens & ipsam ancillã ad quæstionem tradẽs. In quibus omnib. ingẽs erat indignationis simulatio, nisi idẽ ius quod alij obtinere posset, quòd esset eius cliẽs: atq. isti ipsum hortabãtur ne is qui miserabiliorem rationẽ haberet, sed is quorũ æquiora essent postulata, opẽ ferret: sed pater puellæ & reliqui cognati partus suppositionẽ purgabãt, multa, & æqua, & vera dicẽtes: dicebãt enim neque vllã probabilẽ causam suppositionis habuisse Numitorij sororẽ, Virginij vxorem quũ virgo iuueni nupsisset

nec post multos à nuptijs annos peperisset, neque, si maximè voluisset genus alienum in suam domum transferre, alienæ seruæ infantem potiùs susceptura fuisse, quàm mulieris ingenuæ sibi genere aut amicitia coniunctæ, à qua infantem acceptum, fideliter & constanter esset habitura, & quum in eius esset potestate vtrum vellet accipere, electuram, atque acceptura potius fuisse infantẽ marẽ quàm fœminam: dicebant enim, necesse esse marẽ quæ liberis indiget, amare & alere quodcunque ei natura produxerit: at verisimile esse eã quæ sibi liberos supponit id quod est præstantius deteriori anteponere: aduersus verò iudicem & testes, quos Claudius & multos & fide dignos se productũrũ dicebat, rationibus verisimilibus purgabãt, nunquã rẽ silẽtio indigentẽ & quæ ab vna persona fieri poterat. Numitoriam palam, & præsentibus ingenuis testibus facturam fuisse, vt puellam iã educatã matris domini sibi eriperent, & ipsum tempus non paruo esse argumento dicebãt nihil sani ab accusatore dicinam neque iudicem, neque ipsos testes per quindecim annos suppositionem silentio tectam seruaturos fuisse, sed multò ante dicturos. Criminantes autem accusatorum probationes, neque veras neque probabiles, postulabant vt suæ cum his collatæ perpenderentur, multas neque ignobiles fœminas nominantes quas dicebant scire Numitoriam fuisse grauidam, ex veteri quem ferebat grauitate, & præter istas, alias quoque quæ partui & puerperio interfuerant ob cognationem, & quæ infantem nascentem viderant, ostendebant: & postulabant vt diligenter interrogarentur. Quod autem omnium erat manifestissimum argumentum, quódque multorum tam virorum quàm mulierum, & non solùm ingenuorum, sed

sed etiam seruorum testimonio comprobari poterat, id postremo loco dixerunt, puellam materno lacte nutritam fuisse. Fieri autem nulla ratione posse vt mammæ mulieris, quæ non peperit, lacte impleantur. Illis hæc & multa alia huiusmodi argumenta firmissima afferentibus, & quæ nullo modo refutari poterant, & ob puellæ calamitates magnam misericordiam commouentibus, cæteri quidem omnes qui hæc verba audiebant quoties virginem intuebantur, eius formæ miseratione mouebantur: (illa enim sordidata, & præ mœrore oculos in terram defigens & honestos oculos tabefaciens, omnium oculos inter se attrahebat, adeò augusta & propemodum diuina forma & venustate ornata erat:) & fortunæ iniquitatem inspectam deflebant, quòd puella ex tantis bonis in tantas iniurias, & contumelias esset ventura, illudque ipsis in mentem venit, lege libertatis sublata, nihil impedimento futurum quominus suæ quoque coniuges & filiæ idem quod illa paterentur. Hæc igitur & multa alia huiusmodi considerantes, & de iis inter se colloquentes flebant. At Appius vt vir naturâ mẽte sana nõ præditus, & potestatis magnitudine corruptus, animo tumente & visceribus ob puellæ amorem feruentibus, neque ad defensorum verba mentem aduertebat, neque ipsius puellæ lacrymis frangebatur, & astantium commiserationem iniquo animo ferebat, quasi ipse maiore miseratione esset dignus, quòd grauioribus malis affectus fuisset ab illa excellenti forma, à qua in seruitutẽ fuerat redactus. Ob hæc igitur omnia furore correptus verbis impudẽtibus vti nõ dubitauit (vnde qui id iã suspicabantur, manifestò cognouerunt illud falsum crimẽ aduersus puellã ab ipso confictũ) & tyrannicũ atque crudelis

facinus perpetrare est ausus. Quum enim illi adhuc loquerentur, ipse silentium fieri iussit, eóque facto omnis turba quæ in foro erat, impetum suum repressisset, adducta cupiditate cognoscendi res quas erat dicturus: & ipse vultum sæpe huc & illuc conuertisset, cæteruásque amicorum, quibus varias fori partes occuparat, oculis lustrasset, talem habuit orationem. {Ego verò, Virgini, & vos qui cum isto adestis non nunc primùm hanc rem audiui, sed etiam multò antequam hunc magistratum acciperem. Quo autem modo hoc cognorim, audite. Pater huius M. Claudij, quum diem suum obiret me rogauit vt filij sui, qui relinquebatur, tutor essem: sunt enim à maioribus familiæ nostræ clientes. Tutelæ igitur tempore indicatum est mihi Numitoriam suppositiam sibi hanc puellam, à Claudij serua acceptam, & re diligenter explorata cognoui eam ita se habere. Non decebat igitur me ipsum hoc negotium attingere: sed satius esse duxi huic potestatem istam relinquere, vt quum ad virilem ætatem venisset arbitratu suo ancillam vel abduceret, vel accepta pecunia, aut gratis dimitteret, & concederet iis qui eam alebant. Interea verò ego ciuilibus negotiis implicitus nullam amplius Claudij rem curaui. Ad hunc autem, vt verisimile est sua bona censentem ancillæ indicia delata sunt, vt ad me antè, nec quidquam iniqui postulat quum suæ ancillæ filiam abducere velit. Si igitur ipsi rem inter se composuissent res præclarè se haberet: quoniam verò res in controuersiam est deducta horũ enim testimonium dico, eúmque huius ancillæ dominum esse iudico. Quũ autẽ hæc audiuissent quotquot aderant viri integri, & iusta dicentium aduocati, manibus in cœlum sublatis, eiulatum cum lamentatione & indi-

& indignatione mixtum emiserunt: at decemuiratus adulatores vocem adhortationis plenam, & quæ fiduciam rerum dominis afferre poterat, edebant. Concione autẽ irritata, & vanorum sermonum & affectuũ plena, Appius indicto silentio, ita est loquutus, {N}si dissidia in urbe serere, & nobis aduersari desieritis, vos homines turbulenti, & nusquam aut pace aut bello vtiles, ab ipsa necessitate edocti, & sapientiores facti nobis cedetis. Ne putetis nos hæc præsidia, quæ sunt in Capitolio, & arce solùm aduersus externos hostes nobis parasse, nósque permisuros vt vos qui in vrbe considetis, res eius omnes corrumpatis: sed consilio meliore quàm quod nunc habetis, capto abite, vos quibus nihil est negotij, & rerum vestrarum satagite si sapitis. Tu verò Claudi, ancillam quã habes per forum, nullum metuens, abduc. Nam duodecim Appij secures te prosequentur.

8 ¶ His dictis cæteri quidem gementes & frontem ferientes & lacrymas continere non valentes de foro decedebant. Claudius verò puellam abducebat, quæ patri implicita adhærebat, eúmque deosculabatur, & suauissimis vocibus appellabat. Quum igitur Virginius in istiusmodi malis versaretur, facinus animo concepit, patrì quidem ærumnosum & acerbum, sed virum ingenuum & magnanimum decens, nam petita venia liberè salutandi filiam postremis salutationibus, & colloquendi cum ea arbitratu suo, remotis omnibus testibus antequam ex foro abduceretur, eáque à duce impetrata, quum inimici paulùm recessissent susceptam eam, quæ iã dissoluebatur, & diffluebat, & se vix sustentabat, primum quidem crebris vocibus vocabat & deosculabatur, & lacrymas cadentes abstergebat: deinde quum paula-

tim eam subducens ad tabernam Ianij accessisset, cultrū de mensa arreptum, per filiæ viscera egit, hoc tantum addens, te liberā & pudicam filia, ad manes tuorū maiorū mitto: tibi enim viuenti horum neutro ob tyrannum frui licebat. Orto autē clamore, cruentū gestans cultrū, & ita totus conspersus sanguine, quem puellæ cædes in eū effla rat, per vrbē furibūdus currebat, ciues ad libertatē vocans, & è portis per vim egressus equū conscendit, qui ei paratus erat, & ad castra cōtendit, Icilio & Numitorio adolescentibus qui eum ex castris adduxerant, tunc etiā comitantibus. Eos autem alia etiam turba plebeiorum non exigua sequebatur, ita vt vniuersi essent ferè quadrin genti. Appius verò, vt puellæ casum cognouit, ex sella exiluit, & Virginiū persequi volebat, multa indecora & dicens & faciens: sed circumstantibus eum amicis, & vt nihil peccaret rogantibus, omnibus infensus abijt. Et autem quum iam domi esset, quidam amici nuntiarunt, Icilium socerum & Numitorium auunculum, cum aliis amicis & cognatis, circa puellæ cadauer stantes, sanda & infanda aduersus eum dicere, & populum ad libertatē vocare. Ille verò, ita iratus vt erat, misit quosdam lictores, iubens in vincula abducere eos qui vociferati fuerant, & cadauer è foro in alium locum transferre, rem stultissimam & illis temporibus minimè conuenientem faciens. Quum enim debuisset delinire turbam, quæ iustā iræ causam habebat, & tunc quidem cedere, postea verò partim sese purgare, partim deprecari, partim aliquibus aliis beneficiis eorum beneuolentiam iterum sibi cōciliare, ille tamen ad rationem violentiorem prouectus, eos ad desperationē adegit, neque enim tulerunt, eos qui aggressi fuerant cadauer trahere, & viros in carcerem

cerem abducere: sed seipsi clamore sublato adhortati, eos qui vim faciebant, impetu & vulneribus foro expulerunt: ita vt Appius, his auditis, coactus fuerit cū multis amicis & clientibus in forum venire, iubens cædi & summoueri, ac de medio tolli qui in compitis erant. Quū autem, quo consilio ille ex suis ædibus esset egressus, intellexissent Valerius & Horatius, (quos dixi præcipuos duces fuisse eorum qui se in libertatem vendicabant,) multa & strenua iuuentute stipati, antè cadauer constiterunt. Et quū Appius cum sua factione propiùs ad eos accessisset, primùm quidem ad verba acerba & ad contumelias contra eorum potestatem prouecti sunt: deinde verò facta verbis respondentia addiderunt, cædendo & euertendo quotquot secum congredi fuissent ausi. At Appius mœstus & iniquo animo ferens illā animaduersionem, quæ contra spem suam acciderat, quū nesciret quomodo se cum illis hominibus gerere deberet, viam maximè exitialem ingredi statuit: quasi enim adhuc multitudo in eodem amore erga eum perseueraret, ascendit in Vulcani ædem, & populum ad concionem vocauit, & illorum virorum iniquitatem & contumeliam accusare conatus est, tribunitia potestate & spe inani elatus, qua sperabat fore vt populus secū indignatus sibi permitteret viros illos de saxo præcipites dare. At Valerius, eiusque socij, occupata alia fori parte, & cadauere virginis collocato, in loco vnde ab omnibus conspici posset, alteram concionem conuocarūt, & longa accusatione in Appium, & alios decemuiratus fautores sunt inuecti. atque accidit vt alios quidem (quemadmodum verisimile erat) illorum virorum dignitas, alios ipsius puellæ miseratio, quæ iniurias atroces, & plus quā

atroces obſuam infelicem formam perpeſſa fuerat alios ipſum priocis reipublicæ ſtatus deſiderio, quod eos ad cõcionẽ is tã inuitabat, cogeret, ita vt iſti cõtrariã factionem numero ſuperarent. Quare pauci quidam circa Appium remanſerunt, nimirum illi ipſi qui decemuiratus fautores erant inter quos nonnulli erant, qui eorum magiſtratui amplius non obtemperabant ob multas cauſas: ſed ſi res aduerſariorum corroboratæ fuiſſent, lubenter in illos impetum facturi erant. Quum autem Appius ſe ab omnibus deſtitutum videret, ſententiam mutare, & de foro deſcedere coactus eſt. Quod etiam ei maximè profuit, telis enim à multitudine plebeia petitus, pœnas ſe dignas perſoluiſſet. Poſtea Valerius poteſtatem, quantam volebat, adeptus, ad ſatietatem vſque in decemuiratum eſt inuectus, & eos qui adhuc dubij erant, ſuæ oratione cõfirmauit. Sed multò magis à decemuiris vrbanam turbam alienarunt puellæ cognati, lecto in forũ delato, & reliquo ornatu funebri quam magnificentiſſimè potuerunt apparato, & funere per illuſtriſſima vrbis compita lato, vnde à plurimis conſpici poſſent. Quare, ex ædibus exiliebant & mulieres, & virgines, caſum illum lugentes, atque aliæ flores & coronas in lectũ iaciebãt, aliæ ſuas aut zonas, aliæ vittas virginalis comæ, õnullæ etiã detõſos crinium tortorum cincinnos: & multi viri ex proximis officinis capientes, alij pretio perſoluto, alia gratuitò ſumus quod efferebatur, donis cõueniẽtibus ſimul ornabant, ita vt illud funus per totã vrbẽ eſſet celebre, & omnes ad decemuiratum abrogãdũ parati eſſent. Sed qui decẽuiratus partibus fauebãt, arma habentes magnum terrorẽ iſtis incutiebant. At Valerius ipſis reſiſtebat: ſed tamen ciuili ſanguine controuerſiam

dirimere

dirimere nolebat. Res igitur vrbanæ ita turbatæ erant. At Virginius, quem dixi propria manu filiam suã occidisse, laxatis habenis, equo citato, circa vespertinũ crepusculum, ad castra, quæ ad Algidum erant, peruenit: ita vt ex vrbe effugerat, totus sanguine cõspersus, & laniũ cultrũ in manu tenẽs, quẽ quũ vidissent qui pro castris excubabant, nõ poterant coniectare quidnam ei accidisset, eúmque sequebantur vt rem magnam & atrocem audituri. Ille verò, primùm quidem inter eundum flebat, & obuiis quibuſque significabat vt se sequerentur. Excurrebant verò ex tentoriis dum cœnarent, per quæ media ipse transibat, omnes conglobati cum facibus & lucernis, angoris & tumultus pleni, eúmque circumstãtes sequebantur. Quũ autẽ in patentẽ castrorum locũ venisset, stans in parte quadã edita, vt ab omnibus conspici posset, calamitates suas in quas inciderat, narrauit, testes verborum suorum exhibens eos qui ex vrbe secum venerant. Postquam verò multos & lugentes & lacrymantes animaduertit, eos suppliciter orare cœpit, ne aut se in ultiõ manere, aut patriam contemni paterentur. Eo autem hæc dicente, omnes cupidi erant audiendi, eúmque hortabantur vt rem totam aperiret: quapropter tunc audacius in decemuiratum cœpit inuehi. Quum autem narrasset, multos à decemuiris suis fortunis spoliatos, multos verberibus cõtumelioſe cæſos, & permultos nullo suo merito ex patria fugere coactos: quúmque insolentiam in mulieres, & virginum nubilium raptus, & puerorum ingenuorum contumelias, & alia eorum iniqua & crudelia facinora recẽsuisset, HIS (inquit) contumeliis nos afficiunt ij qui nec ex legibus hanc potestatem habent, neque ex senatus consulto aut populi cõcessu

eam acceperunt: nam magistratus eorum tempus annuum, quo exacto eos alius Reipublicæ gubernacula tradere oportebat, iam præterijt: sed nobis tanquam mulieribus magnæ ignauiæ & molitiei damnatis, per maximam violentiam adhuc imperium retinent. Ergo vnicuique vestrum veniant in mentem ea quæ & ipse est passus, & quæ scit alios esse perpessos. Et si quis vestrũ aliquibus voluptatibus aut beneficiis ab iis captus, non formidat decemuiratum, nec veretur ne vllo vnquã temporis progressu calamitates se quoque inuadant, ille vbi cognorit in tyrannis nullam esse fidem, neque à potentibus beneuolentiæ causa in aliquos beneficia, & cætera omnia huiusmodi conferri sententiam mutet. Atque omnes vno ore, communiq; consensu patriam à tyrannis liberate, in qua & deorum templa sunt extructa, & monumenta maiorum, qui secundo loco post deos à vobis honorantur. & in qua sunt patres senes, quibus educationis præmia multa, suisq; laboribus digna reposcunt, & coniuges legitimè vobis desponsatæ & filiæ nubiles, quarum non parua cura iis penes quos sunt gerenda ist, & soboles filiorũ marium, quibus iura naturæ maiorũ debẽtur. Nam domos, hæreditaria prædia, & pecunias multis laboribus à maioribus, & vobis ipsis quæsitas, silentio prætereo, quorũ nihil constanter possidere vobis licebit, quandiu sub tyrannico decẽuirorum dominatu eritis. Nõ est prudentũ, neq; generosorum hominũ, res alienas fortitudine quærere, & pati suas per ignauiam amitti, neque prudentum & generosorũ est cum Æquis & Volscis & Sabinis & omnibus finitimis gentibus pro principatu & dominatu bella diuturna assiduáq; gerere sed aduersus eos, qui vobis præter leges imperant, ar-

ma

ma pro salute & libertate vestra capere nolle: quin patrios animos resumitis? quin vobis in mentem venit virtus maioribus digna, qui ob iniuriam ab vno Tarquinij filio vni mulieri illatam, & quæ ob illam calamitatē manus sibi ipsi attulerat, adeò ob cladem illam indignati & exasperati sint, eamq; contumeliam omnibus communē duxerunt, vt non solum Tarquinium ex vrbe expulerint, sed etiā regium dominatum sustulerint, & in posterum vetuerint ne quis perpetuum imperium, & nullis reddendis rationibus obnoxium in Romanos gereret, ipsiq; grauissimum iusiurandum iurarint, posterisq; diras imprecationes, si quid contra hæc fecissent, sint imprecati? & illi vnius intemperantis adolescentis tyrannicam iniuriam ingenuæ personæ illatā non tulerunt, vos verò feretis multorū capitum tyrannidē, omni iniquitate & libidine vitē tem, & in posterum multo maiore vsuram, si nunc ipsam patiamini? Non mihi soli fuit filia, quæ forma cæteras superaret, quam Appius aperte violare & contumelia afficere est aggressus: sed vobis etiam sunt multæ, atq; aliis quidem filiæ, aliis verò vxores, aliis adolescentuli egregia forma præditi, quos, quid impediet quominus ab aliquo alio de numero decem tyrannorum, aut ab ipsomet Appio eadem patiantur? nisi fortè deorum aliquis spondeat fore vt si has meas calamitates inultas sinatis, huiusmodi mala paulos vestrum inuadant: sed tyrannicus iste amor, ad meam vsq; filiam progressus, ibi consistat, & erga reliqua tam puerorum quam puellarum virginum corpora se modestè ac pudicè gerat. Est tamē magnæ stultitiæ & fatuitatis (certò scitote) affirmare hæc quæ à vobis cogitantur, nō euenturas: tyrannorū enim cupiditates sunt infinitæ, vt verisimile est quippe quæ neq; meiu

cohibentur. Meam igitur iniuriam iure vindicantes, & vobis ipsis, nec eidem patiamini, firmum præsidium parantes, nunc tandem fræna, ô miseri, disrumpite, & rectis oculis libertatem spectate. Quam enim aliam ob causam magis quàm ob istam indignabimini, quando ciuium Romanorum filias tanquam seruas decem tyranni abducunt, & cum verberibus sponsas ducunt? Quam aliam occasionem nacti liberos animos resumetis: si præsentem prætermiseritis, quando armati estis?

9 ¶ Eo adhuc loquente, multi clamarunt se eius iniurias vlturos pollicetes, & ordinum ductores nominatim euocarunt, rogantes vt rem aggrederentur: multique progressi si quid mali fuissent perpessi, id aperte dicere audebant. At quinque viri, quos legionibus præfectos fuisse dixi, quum cognouissent quid rerum gereretur, veriti ne quis turbæ impetus in se fieret; omnes in prætorium concurrerunt, & cum amicis consultare cœperant, si qua ratione illum tumultum sedare possent, suis armis circumsepti. Sed quum accepissent eos in sua tentoria se recepisse, & tumultum cessasse & sedatum esse, ignorantes maiorem centurionum partem decreuisse, facta occulta coniuratione, defectionem facere, & communi consensu patriam liberare statuerunt, vbi dies illuxisset, celerrime Virginium, qui turbas concitabat, comprehendere, & in custodia retinere: & motis inde castris, in hostes proficisci, & præstantissimam agri eorum partem, castris ibi positis, vastare, nec sinere milites suos amplius de rebus, quæ in vrbe gererentur, curiosius inquirere, id que partim ob prædam, partim ob assidua certamina pro eorum vnoquoque futura: sed nihil eorum quæ cogitarant ipsis succesit. Neque centuriones permiserunt vt

Virginius

Virginius vocatus prætorium adiit, veriti ne quid grauius pateretur. Quinetiam disseminatum illum rumorē, nimirum quòd vellent turbam in hostes ducere, ipsis exprobrabāt, dicentes. Quàm bene nos & antè ductastis, vt & nunc in bonam spem ventamus, & vos sequamur, qui quum tantum exercitum, quantum nondū antehac vlli alij Romani duces tam ex ipsa vrbe duxeritis, quàm ex sociis collegeritis, nullam tamen ab hostibus victoriam reportastis neque vllo detrimento eos affecistis: sed ignauiam & imperitiam ostendistis, quòd male castra metati fueritis, & nostrum ipsorum agrum tanquā ab hostibus populatum reliquistis, & nos mendicos reddidistis, rebusque omnibus quas hostibus bello deiectis, in prælijs quæramus quum duces vobis præstantiores haberemus, nos priuastis. Et nunc trophæa, in nos erigunt, & tentoria, mancipia, arma, pecuniasque nostras direptas habent. Virginius verò præ ira & quòd duces nihil amplius timeret liberiùs in eos inuehebatur, labefactatores & pestes patriæ appellans, omnesque centuriones adhortans vt sublatis signis copias domum reducerent. Multis autem adhuc præ metu non audentibus mouere sacra signa, deinde neque pium neque tutum toti exercitui fore existimantibus, duces & imperatores deserere: nam & militare sacramentum, (quod maximè obseruant & confirmant Romani) iubet milites sequi suos imperatores quocunque illi copias duxerint, & ipsa lex ducibus potestatem dedit occidendi, indicta causa, eos qui contumaces essent, aut qui signa deserereut. Quū igitur Virginius videret eos hæc timere, docebat eorum sacramentum, lege esse solutum quòd imperatorem legitimè creatum copiis imperare oporteret: decemuirorum

verò potestatem contra leges esse, quod annuum tempus præteriisset, in quod designata fuerat. imperata autem facere eorum qui non ex lege imperant, non obedientiã & pietatem, sed dementiam & insaniam esse. Illi, his auditis, & rectè eum dicere ducentes, se invicem cohortati, & quadam etiam audacia à numine accepta, signa sustulerunt, & ex castris exiuerunt. In variis autem ingeniis, iisque non omnibus optimè sentientibus, vt verisimile est, nonnulli etiam milites, & centuriones cum decemuiris mansuri erant, sed non tot numero, at aliis longè pauciores. Qui verò ex castris exierant, toto die haud procul facto, circa vespertini temporis aduentum, in vrbem venerunt, ipsorum aduentu à nullis nuntiato, eósque qui in vrbe erant, non mediocriter turbarunt, quia existimabant hostilem exercitum ingressum esse: clamórque exortus, & concursus incompositus per totam vrbem factus. Verumtamen non diu duravit tumultus ille, itavt aliquid mali propterea accideret. Nam illi per compita transeuntes clamabant se amicos esse, & pro reipublicæ commodo in vrbem ingressos, factáque eorũ verbis respondebant, quia nullam iniuriam faciebant. Profecti autem in eum collem qui Auentinus vocatur (est autem omnium collium qui Romanis muris cinguntur, ad castra ponenda maximè aptus) castra ad ædem Dianæ posuerunt. Postridie verò, munito vallo, decémque tribunis militum creatis, qui summæ rerũ præessent, quorum princeps erat Marcus Oppius, in castris quietè se continuerunt. Nec multo post auxilio ipsis venerunt, ex castris quæ Fidenis erant, præstantissimi quique triũ legionum centuriones, cum ingentibus copiis: qui i mprimis illi quidem animo ab illis ducibus alieno erant, ex

quo

quo Siccium legatum (vt dixi) occiderant: sed defectionis initium facere non audebant, quòd amicæ essent decemuiris quinque legiones, quæ in Algido erant: tunc verò vbi illorum defectionem cognouerunt, fortunæ euentum cupidè amplexi sunt. Atque his etiam legionibus præerant decem tribuni militum in itinere creati. Inter quos maximè illustris erat Sextus Manilius. Hi coniunctis vtrisque copiis, castisque positis in loco ad hoc ipsum commodo, viginti tribunis militum negotium dederunt, vt quicquid esset è republica dicerent & facerent. Ex illis autem viginti duos maximè illustres consilij principes, M. Oppium & Sextum Manilium creârunt. Isti ex omnibus centurionibus consilio constituto, res omnes assiduè cum illis agebant. Quum autem adhuc plebs ignoraret quænam esset eorum mens, Appius, quippe quòd conscius sibi esset se præsentis tumultus, & malorum, quæ ob eum expectabantur, autorem fuisse, nullo modo amplius se reipublicæ administrationi volebat immiscere: sed se domi cõtinebat. Sp. verò Oppius, qui vnâ cum eo vrbi præfectus fuerat, ipse quoque principio turbatus, quasi mox mox hostes se essent inuasuri, & ad hoc ipsum venirent, vbi cognouit eos nihil rerum nouarum moliri, depositio metu, patres in curiam conuocauit, domo viritim eos accersens. Dum autè illi adhuc cogerentur, ex castris, quæ Fidenis erant, duces venerũt, qui molestè ferebant vtraque castra à militibus deserta. Senatuique suadebãt vt pro rei grauitate in illos animaduerterent. Quum autem vnicuique sententia esset dicenda, L. Cornelius dixit oportere eos qui in Auentino consederant, eo ipso die sua castra repetere, & ducũ imperata facere, ita vt nullius rei gestæ res fierent, nec in

iudicium vocarentur, præter solos defectionis autores. De his autem oportere duces pœnas sumere. Quòd si illi hæc non fecissent, senatum de illis statuere vt de desertoribus ordinum, in quibus fuerant à ducibus collocati, vt que de militaris sacramenti violatoribus. L. verò Valerius e contrario aduertebatur. Sed de Romanis legibus quæ in duodecim tabulis scriptas inuenimus, neque nullam facere mentionem decebat, quum adeò sint venerandæ & adeò excellant vt Græcis legibus longè sint præstantiores, neque vlterius quàm oportebat, progredi, earum hi storia prolixiore scripta.

10 ¶ Qvi autem post sublatum decemuirale imperium consulatum primi comitiis centuriatis à populo acceperūt, fuerūt (vt dixi) L. Valerius Potitus, & M. Horatius Barbatus qui & ipsi quum essent naturâ suâ populares, & à maioribus hanc reipublicæ administrandæ rationem per successionem accepissent seruantes promissa quæ plebeiis fecerant (quando illis persuaserūt vt arma deponerēt) nempe se omnia quæ essent ere plebis, facturos, leges comitiis centuriatis sanxerūt patriciis quidem id ægre ferentibus, sed tamen præ pudore contradicere non audentibus, cùm alias quasdam, quas à me scribi non est opus, tum eam, quæ iubebat leges quæ à plebe tributis comitiis latæ fuissent ex æquo omnibus Romanis esse latas, & eandem vim habere quàm quæ centuriatis comitiis ferrētur, pœnáque statuta erat in eos qui hāc legem aut abrogassent, aut violassent, si conuicti fuissēt, capitale supplicium, & bonorum publicatio. Hæc lex sustulit controuersias quæ antè erant inter plebeios & patricios, qui legibus latis ab illis parere nolebant, & qui nullo modo ea, quæ tributis comitiis fuissent sancita, pro communi-

communibus totius reipublicæ decretis habebant, sed hæc ad ipsos solos plebeios pertinere existimabant: sed quicquid centuriatis comitiis fuisset statutum, id & pro seipsis, & pro aliis ciuibus statutum putabant. Dictum autem est & antè in tributis comitiis patricios à plebeiis & pauperibus vinci, in centuriatis verò plebeios à patriciis superari licet illi numero aliis essent longè inferiores. Hac lege à consulibus perlata cum aliis quibusdam plebeiis, vt dixi, statim tribuni tempus opportunum rati, quo Appium, eiusque collegas vlciscerentur, diem illis dicendam existimabant, & in ius non omnes simul, ne se mutuò iuuarent: sed singulos vocandos ac ducendos. Ita enim facilius eos capi posse arbitrabantur. Considerantes autem à quonam potissimùm initium ducere deberent, statuerunt primum Appium reum agere, qui cùm aliarum iniuriarum causa plebi erat odiosus, tũ verò ob scelera nouissimè in virginem perpetrata; nam si hunc cepissent, reúmque peregissent, existimabant alios quoque facilè à se capi, reósque perag posse. Sed si ab humilioribus initium fecissent, verebantur ne ira ciuium mollior esset in viros illustrissimos, qui postremo loco rei fierent, si in primo certamine esset vehementior: quod iam sæpe accidit. Hoc igitur consilio capto, cæteros cohibuerunt, sed Virginio mandarunt vt extra sortem Appium accusaret. Post hæc igitur Appius in concione à Virginio accusatus ad populum delatus est, item pisque ad causam dicendam petiit. Abductus autem in carcerem vt vsque ad iudicij diem seruaretur (neque enim vades dandi potestas ei est facta) antequam dies iudicio destinata venisset, in vinculis obiit, idque vt multorum fuit suspicio, tribunorum iussu. vt verò diuulgarat

qui crimen illud diluere volebant, ipse laqueo se suspenderat. Post illum Oppius ad populi iudicium est ductus, ab alio tribuno pl. P. Numitorio, & impetrata causa dicendæ potestate omnibus suffragiis damnatus est: & in vincula coniectus eodem die mortuus est. At reliqui de decemuirorum numero, antequam dies ipsis diceretur se ipsi exilio mulctarunt. Bona autem eorum qui interfecti fuerant, & eorum qui solum verterant, quæstores vrbani occupauerunt, & pecuniam ex illorum venditione redactam in ærarium intulerunt. Dies quoque M. Claudio, qui virginem, vt seruam, abducere ausus fuerat, ab Icilio eius sponso dicta. Ille quum culpam reiiceret in Appium, à quo se iniuriam illam facere iussum dicebat, capitali supplicio est liberatus: sed perpetuo exilio est mulctatus. Ex cæteris verò qui aliquam iniquam operam decemuiris nauarant, nullius publicum iudicium subiit: sed omnibus impunitas data. Istius autem consilij autor fuit M. Duellius, tribunus pl. ciuibus iam molestè eam rem ferentibus, & tandem se quoque pro hostibus habitum iri putantibus. Sedatis autem vrbanis tumultibus, S. C. fecerunt quæ iubebant quàm celerrimè in hostes exercitum educi. Quum autem S. C. plebiscito confirmatum fuisset, Valerius alter consul cum dimidia copiarum parte profectus est in Aequos & Volscos. Hæ enim duæ gentes in vnum conuenerunt. Quum autē sciret Aequos ex superioribus victoriis spiritus sumpsisse, & cum magna Romanarum copiarum contemptione venisse, eorum animos magis efferre volebat, eósque audaciores reddere non veram opinionem præbens, quā si præ metu manus cum illis conserere nō auderet, atque omnia timentis signa dabat. Nam & locum castris ponē

dis editum,

dis editum, & accessu difficilem delegit, & fossam profundam circunduxit, altumque vallum erexit. Hostibus autem eum sæpius ad pugnam prouocantibus, eique ignauiam exprobrantibus, hoc perferebat & sequiete continebat: sed vbi cognouit hostilium copiarum præstantissimam partem ad populandum Hernicorum & Latinorum agrum profectam, & in castris præsidio neque magno neque firmum reliquum, ratus hoc esse tempus illud opportunum, exercitum acie instructa eduxit, eumque tanquam ad prælium ad eorum castra admouit. Sed nullo prodeunte illum diem copias continuit: postridie verò ad eorum castra nõ valde munita copias duxit. Quo autẽ paulò antè egressi fuerant ad suburbanorum locorum populationẽ, cognita castrorum suorum obsidione, venerunt: sed nõ simul neque ordine: sed sparsi & rari prout singulis contigerat vt in conspectum mutuum venirent. Et qui in castris erant, vbi suos aduentantes conspexerunt, audaciores facti, conferto agmine sunt egressi, atque cum magna vtrorũque cæde ingens prælium cõmissum est, in quo Romani victores, & eos qui cominus pugnabant, in fugam verterunt, & eos qui fugiebant insequuti, partim interfecerunt, partim viuos ceperunt. Valerius igitur his peractis iã impunè hostilem agrum incursionibus vastabat, M. verò Horatius, qui ad bellum Sabinũ missus fuerat, vbi res à collega gestas cognouit, ipse quoque copijs suis ex vallo productis, celeriter cum totis viribus cõtra Sabinos, numero non inferiores, & artis militaris peritissimos est profectus. Spiritus enim audaciámque magnã ob superiores victorias aduersarijs ostenderunt, & vniuersi, & singuli: sed præcipuè dux eorũ: nam non solùm bonus imperator, sed etiam manu strenuus bellator erat

Cæterùm, quum equites in pugna valde alacrem operã nauassent, clarissimam victoriã reportauit, multis hostibus cæsis: sed longè pluribus captis, & ipsis castris desertis potitus, in quibus magnum hostium apparatum inuenit, & omnẽ prædã quam ex agro Romano abegerant. Permultos etiam captiuos de suis reperit: & incolumes recepit. Sabini enim, quòd hostẽ cõtemnerent, prædã domum nondum tulerant. Res igitur hostium militibus in prædam cõcessit: sed ex manubiis antè exemit quicquid diis consecraturus erat: reliquam verò prædam reddidit suis dominis qui ea spoliati fuerãt. His rebus gestis in vrbem copias reduxit: & eodem tempore Valerius venit: & vterque ob partas victorias magnificè de se sentiens, sperabat se insignes triumphos acturum: res tamen illis vt sperarant, minimè successit. Nam senatus ipsorũ causa, qui extra vrbẽ in campo Martio castra posuerãt, coactus, vbi res ab vtroque gestas cognouit, eos sacrificiũ ob partam victoriam diis facere non est passus. Quibus cùm multi alij aduersati sunt palam, tum verò præcipuè C. Claudius (hic enim, vt dixi, erat patruus Appij illius qui decemuiratum constituerat, & qui nuperrimè à tribunis plebis interfectus fuerat) qui leges ab illis latas proferebat quibus senatus potentiam imminuerant, & alia quæcunque ipsi in reipublicæ administratione perpetuò egerant. Postremò autem decemuirorum, quos tribunis prodiderant, aliorum quidem interitum, aliorum verò publicationem bonorũ cõtra iusiurandũ & pacta cõmemorauit: dixitque, pacta super hostiis inter patricios & plebeios facta fuisse, vt omnibus impunitas daretur, omniúmque præteritarum iniuriarum memoria deponeretur, Appióque mortem nõ propriis ipsius manibus allatam:

latam: sed tribunorum insidiis sublatum hominem ante iudicij diem, ne reus factus causæ dicendæ potestatem impetraret, néue misericordiam consequeretur, quia si in iudicium venisset vir generis dignitate insignis, cuius multa beneficia in rempublicam collata extabant, & iusurandum, atque fidem imploraſſet, (qua homines freti cõueniunt, pacémque faciunt) & liberos atque cognatos secum adduxiſſet, & cum ipso humili habitu eò veniſſet, multáque alia tuliſſet, quæ multitudinis misericordiã conciliant, damnatus non fuiſſet. Quũ igitur C. Claudius hæc in eos effudiſſet, & ipsi adeſſent, iudicarunt patres, debere eos existimare præclare secum agi si pœnas nullas darẽt: & dixerunt eos nullomodo dignos eſſe qui aut triumphum agerent, aut aliquid istiusmodi impetrarent. Triumpho autem ipsis à senatu denegato, Valerius eiúsque collega id iniquo animo ferentes, & se grauí contumelia affectos arbitrantes, multitudinem ad cõcionem conuocarunt, quúmque longa oratione senatũ accuſſassent, & tribuni ipsis patrocinati fuiſſent, eósque iuuiſſent, ac rogationem tuliſſent à populo triumphãdi potestatem impetrarunt, & primi omnium Romanorum hanc cõsuetudinem in rempublicam induxerunt. Posteà verò rursus discordiæ, & expostulationes inter plebeios & patricios sunt exortæ: eos autem tribuni quotidianis concionibus instigabant. Multitudinem verò maximè irritabat suspicio (quam illi data opera valde confirmarãt) in certis rumoribus & coniecturis nõ paucis auctã, quòd nimirum patricij leges abrogare statuiſſent, quas Valerius & Horatius consules tulerant, ac sanxerãt, vehemẽnsque opinio, nec à fide longè remota plebis animos occuparat, & in iis insederat. Atque hæc his consu-

libus sunt gesta. Sequenti verò anno, consules creati Lucius Herminius, & T. Virginius: ipsisque successerunt M. Geganius Macerinus. Illis autem nihil respondentibus, sed indignantibus, Sc. ptius in concionem iterum progressus {Cōcessum est vobis (inquit) Quirites, ab ipsis aduersarijs eos vestrum agrum sibi vendicare, ad quos nullo modo is pertineat. Hæc considerantes decernite ea quæ iusta, & sancta sunt.} Hæc Scaptio dicente, pudor consules subiit, quòd cogitarent neque iustum neque honestum illius iudicij finem futurum, si pro pop. rom. indecto electus agrum aliquem controuersum, quem nunquam sibi vendicasset, ipsis litigatoribus ereptum sibi adiudicaret, plurimaque verba tam à consulibus quàm à senatus principibus ad rem eam auertendam frustrà sunt facta. Nam qui in suffragia missi fuerant, magnæ stultitiæ esse dicentes pati res suas ab alijs detineri, nec pium finem iudicio se imposituros arbitrantes si agrum controuersum Aricinæ aut Ardeatibus adiudicassent, quòd iurassent se eum illis, ad quos eum pertinere comperissent, adiudicaturos, & litigatoribus infensi, quòd eos, à quibus eo priuabantur, iudices eligere, ac habere voluissent, vt ne in posterum quidem sibi ampliùs liceret agrum suū recuperare, quem ipsi iurati, iudicantes aliorum esse pronūciassent. Hæc igitur considerantes, & iniquo animo ferentes, tertium iusserunt, vrnam in vnaquaque tribu poni, in quam calculi pro pop. Rom. conicerentur. omnibusque suffragijs pop. Rom. agri controuersi dominus declaratur. Atque hæc his consulibus, sunt gesta.

II ¶ MARCO autem Minucio & C. Quintio consulibus, ciuiles discordiæ iterum sunt excitatæ, plebeis hominibus postulantibus vt omnibus Romanis ciuibus consulatum

latum capere liceret. Nam ad illam vsque diem soli patricij, comitiis centuriatis designati, consulatum petebãt, & qui tunc tribuni erant præter vnum C. Furium, cæteri omnes communi consensu legem de comitiis consularibus accuratè scriptam promulgabant, qua lege populi arbitrio permittebant vt quotannis cognosceret vtrum à patricijs an à plebeijs cõsulatum peti vellet. Ob quæ indignabantur qui senatorij ordinis erant, quia potentiam suam hoc modo tolli videbant, & quiduis sibi antè patiendum putabant, quàm permittendum vt ea lex perferretur. Quúmque in priuatis cœtibus, & in publicis conuentibus omnes patricij animo ab omnibus plebeijs alieno essent, assiduè alteri alteris irascebantur, se mutuò accusabãt, atque alij alijs aduersabãtur. Et multa verba in senatu, multa in concionibus, ab optimatum principibus sunt facta: atque mitiora quidem, ab ijs qui existimabant plebeios ob vtilitatis ignorantiam peccare: asperiora verò ab ijs qui putabant rem totam cõpositam à plebeijs qui sibi insidiabantur & inuidebãt. Quũ autem tempus frustrà protraheretur, nuntij à socijs in vrbem venerunt, qui dixerunt Aequos & Volscos cũ ingenti exercitu contra se venire decreuisse, rogarúntq. vt auxilium sibi celeriter mitteretur, quòd in summo belli discrimine versarentur. Ex Etrusca quoque vicinitates se ad defectionem parare discebantur. Et Ardeates eorum imperio amplius non parebant, irati ob cõtroversum agrum, quem pop. Rom. iudex electus superiore anno sibi adiudicarat Senatus, his cognitis, decernit vt exercitus conscribatur, & consul vterque copias educat. Sed qui legem promulgabant, decretis eorum aduersabantur: (habent enim tribuni potestatem intercedendi

di consulibus) ex manibus eorum eripientes eos qui ad militare sacramentum ab iis ducebantur, neque permittentes vt illi vllas pœnas de contumacibus sumerent. Quum autem senatus magnis precibus postularet vt in præsentia contentionis ambitiosæ pernicaciam deponerent, & bello confecto tunc demum legẽ de comitiis promulgarent, tantum abfuit vt illi temporibus cederet, vt etiam in aliis rebus senatusconsulto se aduersaturos dicerent, nec vllum senatusconsultum de vlla re factũ sanciri passuros, nisi antè de lege, quæ à se promulgabatur, senatusconsultum fieret. Neque solùm in senatu hæc cõsulibus minari sunt ausi: sed etiam in cõcione, iusiurandũ, quod apud eos est maximum, per suam fidem, iurarunt, ne quod suum decretum sibi aliquorum oratione addu ctis rescindere liceret. His autem minis auditis, quid agendũ esset, natu maximi & illustrissimi principes optimatum consultare cœperunt, ipsi separatim in priuatum cœtum à consulibus coacti. Cogitur Claudius, vir minimè popularis, & qui à maioribus hanc reipublicæ administrandæ rationem secutã acceperat, autor erat sententiæ seuerioris, qua nec consulatu, nec vllo alio magistratu plebi cedendũ censebat, & qui contra facere conarentur, armis prohibendos, nisi oratione flecti possent, ita vt nemini parceretur, neque priuato homini, neque magistratum gerenti: omnes enim qui patrias consuetudines, & pristinam atque præclaram reipublicæ formã corrumpere conantur, alienos à ciuitate, ciusque hostes esse dicebat. Sed T. Quintius nõ sinebat vi aduersarios coerceri, neque armis & sanguine ciuili cum plebeiis contendi, præsertim quum tribunos plebis aduersarios essent habituri, quos maiores Romanorum sacrosanctos esse decreuissent,

uissent, diis geniisque factis pactionũ sponsoribus, & maximo iureiurando in suam suorúmque posterorum perniciem si quam pactorum partem violassent, iurato. Quum autem in hanc sententiam iussent aly quoque qui in senatũ aduocati fuerãt, Claudi⁹, oratione suscepta. {NON ignoro (inquit) quantarum calamitatũ in nos omnes fundamentum iaciatur, si plebi permittamus vt de hac lege in suffragia mittatur. Sed quum non habeam quid agã, nec totis viris aduersari possim, vestris cõsiliis cedo. Aequum enim est vt vnusquisque declaret quæ è republica fore existimat. sed pareat iis quæ à pluribus fuerint decreta. Illud tamen habeo de quo vos moneam, vt in rebus difficilibus & aduersis, vt consulatu neque nunc, neque in posterũ cuiquam cedatis, præterquam patriciis, quibus solis pium & fas est. Vbi verò ad necessitatem redacti eritis, vt nunc, alios quoque ciues maximæ potestatis & imperij participes faciatis, & tribunos militum pro consulibus creetis, numerum eorũ quantuncunque volueritis præfinientes. Atque ego quidem octo vel sex sufficere puto. In hoc tamen istorum virorũ numero ne pauciores sint patricij quàm plebeij. Si enim ita feceritis, nec consulatum in abiectos & indignos homines conferetis, nec dominatus iniustos vobis ipsis constituere videbimini, qui plebeios ad nullum magistratũ admiseritis. {Laudata ab omnibus eius sententia, & nullo contradicente, {Audite, inquit, quæ vobis etiã cõsulibus suadere volo. Indicta die ad quam senatusconsultum facturi & sancituri estis, dicendi potestate facite legis suasoribus & dissuasoribus. Verbis autem hinc inde factis quũ ad sententias rogãdas ventũ erit, nec à me, nec ab isto Quintio nec à quoquam aliorum seniorũ, sed ab isto L. Valerio,

qui omnium senatorum est maximè popularis, initium dic
cite: & post eum rogate Horatium si quid velit dicere.
Et vbi illorum sententias exquisieritis, tunc nos senio-
res dicere iubebitis. Ego quam liberrimè sententiam tri
bunis contrariam dicam. Hoc enim reipublicæ cõducit.
Rogationem autem de tribunis militum creandis, si vos
ita volueritis, Tuiste Genutius ferat. Nam erit sententia
decentissima, & suspicionem minimè præbebit, si tuus iste
frater, ô M. Genuti, eã dicat. ¶ Vsus est de his etiã re
ctè monere, atque illis ex conuentu discessserunt. Tribunos
autem timor inuasit ob arcanos illorum congressus, vt in
magnum aliquod plebis malum factos, quòd domi, nõ in
loco aperto & publico consedissent & consilium ha-
buissent. Quinetiam quòd nullum tribunum plebis ad
illud consilium admisissent. Postea ipsi quoque cõcilio i-
terum ex cinibus maximè popularibus conuocato, reme-
dia & præsidia vicissim aduersus insidias, quas sibi à
patricijs structum iri suspicabantur, excogitabant. Quũ
autem tẽpus venisset quo senatusconsultum faciendũ e-
rat, consules cõuocato senatu, post multas de cõcordia &
modestia adhortationes, tribunis legis authoribus primũ
dicendi potestatẽ fecerunt. Quare progressus vnus
ex ipsis C. Canuleius, de legis æquitate aut vtilitate ni-
hil dixit, neque vllam mentionem fecit: sed mirari se di-
xit quòd consules, quum iam inter seipsos priuatim con-
sultassent, & statuissent quid esset faciendum, tamen de
re quasi nondum examinata, & consultationis indigẽte,
ad senatum referre ausi fuissent, & de ea dicendi potesta-
tem cuiuis fecissent, autores dissimulationis, neque suæ æ-
tati conuenientis, neque tanti imperij magnitudinẽ de-
tentis, præ quorumque institutorum initia in rempublicam

eos inuehere dixit, qui occulta concilia in priuatas ædes conuocarent: nec tamen omnes senatores, sed tantum sibi familiarissimos, ad hæc vocarent. Quòd igitur alij senatores ab illo priuato consilio abacti fuissent, minùs se mirari dixit: sed quòd M. Horatius & L. Valerius, qui decemuiratũ sustulerant, viri consulares & nullo minus idonei ad reipublicæ consulendum, indigni fuissent iudicati qui in senatum vocarẽtur. Se ob stupefactum esse, neque posse se conijcere quámnam iustam ob causam id fecissent: se tamen vnam conijcturis assequi, quòd prauarum & pernitiosarum sententiarum contra plebeios autores futuri noluerint ad hæc cõsilia homines plebis studiosissimos aduocare, qui nimirũ iniquo animo id laturi essent, neque passuri vllum iniquum institutum aduersus plebem constitui.

12 ¶ Qvvm talem orationẽ magna cum indignatione Canulcius haberet, & senatores, qui in consilium ad missi non fuerant, rẽ iniquo animo ferrent, progressus alter consul Genutius factum purgare, atque eorum iram lenire conabatur, docens à se amicos assumptos fuisse, nõ vt contra plebem agerent, sed vt cum suis maximè necessariis consultarent, qua ratione neutram factionẽ imminuere viderentur, vtrum celeriter an tardiùs legis ferendæ cognitione senatui permissa. Horatium verò & Valeriũ nulla alia de causa in consilium à se non fuisse assumptos, quàm nequa suspicio de illis cõtra eorum dignitatem inter plebeios oriretur, quasi sententiam mutassent de reipublicæ administrandæ ratione, si in aliorum sententiam iuissent, quæ legis cognitionem in aliud tẽpus magis opportunum differendã censebat: sed quãdo omnibus qui ad id consilium assumpti fuerant cognitio cele

rior quam tardior visa est melior se, vt illis visum est, facere. Quū hæc dixisset & per deos iurasset se vera dicere, dixit etiam omnes senatores qui fuerant aduocati, non verbis, sed factis omnem criminationem diluturos. Postquam autem, qui legē dissuadere aut suadere voluissent, ut ra sua protulissent se primū sententias exquisiturū non ex maximis natu & honoratissimis senatoribus, ad quos ex patria cōsuetudine hic honor defertur, neque ex iis qui plebeiis essent suspecti, quasi nihil boni pro ipsis aut dicturi aut sensuri essent: sed ex iunioribus, qui maximè populares habentur. Hæc autem pollicitus, factá que volentibus dicendi potestate, quum nemo legem dissuasurus aut suasurus prodiret, progressus iterū, rogauit primum Valerium, quid è republica esset, & quid senatui statuendū censeret. Ille verò, quū surrexisset & multa verba de se, deque suis maioribus fecisset, qui pro reipublicæ commodis partium plebeiarum patroni fuerant: & ab initio enumerasset omnia pericula, in quæ respublica inciderat ob eos qui contrariæ factionis erāt, & demonstrasset omnibus plebis inimicis, qui suum in plebē odium declarassent, damnosum id fuisse, & multis laudibus plebem prosequutus fuisset, quòd nō solùm libertatis, verum etiā principatus reipublicæ præcipuus autor fuisset: quū inquā hæc atque his similia oratione persequutus fuisset, tandem dixit fieri non posse vt ea ciuitas sit libera, ex qua æquabilitas sublata est. dixitque videri sibi eā rogationem esse iustā, quæ postularet vt omnes ciues Romani ad cōsulatū admitterentur, ÿ inquam, qui vitā inculpatam vixissent, & qui res hoc honore dignas gessissent: sed tēpus ad ipsius rogationis cognitionē non esse opportunū, dū in bellicis tumultibus respublica versaretur:

faretur. Quare suadebat tribunis vt sinerent milites cõscribi, nec eos qui fuissent conscripti impedirẽt quominus ad militiam proficiscerentur: consulibus verò, vt post optimum finem bello impositũ primùm & antè omnia S. C. de rogatione promulgarent. Hæc autem iam scribenda, & sponsione ab vtrisque cõfirmanda censebat. Hac sententia à Valerio & ab Horatio post eũ dicta (huic enim secundo dicendi potestatem consules fecerunt) accidit vt non omnes, qui aderant, eodem modo afficerẽtur. Nam qui rogationem tolli cupiebant, dilationẽ eius cognitionis lubenti animo audiuerunt: sed quòd confecto bello sibi senatusconsultum de ea rogatione necessariò faciendum esset, hoc molestè tulerunt. Qui verò eã senatusconsulto ratam fieri cupiebant, quòd confessũ esset eã rogationem esse æquam, id lubenter audiebant: quòd verò in alia tempora senatusconsultum differretur, hoc ini quo animo ferebant. Tumultu autẽ (vt verisimile est) ob eã sentẽtiã exorto, cũ neutris oẽs illius sententiæ partes gratæ essent, cõsul progressus, tertiũ C. Claudiũ sententiã rogauit, qui principum alterius factionis plebi aduersariæ pertinacissimus, & potentissimus habebatur. Is præmeditatam orationẽ contra plebẽ habuit, omnia quæcunque vnquã præclaris, patriisque moribus contraria existimarat cõmemorans. Cuius hæc fuit summa, in qua desiit sententia, ne consules vllam senatui rogationis cognitionem neque in præsentia, neque in posterũ darent, quòd ea ferretur in optimatum dominatus euersionem, & omnem reipub. præclaram disciplinam perturbatura esset. Longè autẽ maiore tumultu ob hanc sententiã secuntus, quartus T. Genutius, alterius consulis frater, vocatus surrexit, qui pauca loquutus de tẽporibus in quæ incide-

rat respub. dixit necesse esse, è duobus grauissimis malis alterum huic euenire, vel vt ob ciuiles contentiones & ambitiosas altercationes res hostium corroboraret, vel si externorum hostium impetū propulsare vellet, male domesticum & ciuile bellum componeret. Quum autē duo essent mala, quorum alterum nec esse esset illos inuitos pati, dixit videri sibi hoc magis expedire, nimirū vt senatus plebi potius concederet vt aliquam partem ornamēti à patria administrandæ reipublicæ ratione auelleret, quàm committeret vt respublica alienigenis, & hostibus esset ludibrio. His dictis sententiam comprobatā ab iis qui in priuato consensu interfuerant in medium protulit, cuius autor fuerat Claudius, quemadmodum dixi, vt pro consulibus tribuni militū tres ex patriciis, & tres ex plebeiis consulari potestate præditi creārentur. qui vbi sui imperij tempus exegissent, & noui magistratus creādi essent, S. P. Q. R. iterum coacti statuerunt vtrū consules an tribunos militum imperium gerere vellent, & quod omnibus post lata suffragia visum fuisset, id ratum esset. Hoc autē senatusconsultum quotannis fieret. Hāc sententiam à Genutio dictam omnes summis laudibus efferre cæperunt: & qui post illum surrexerunt ferè omnes hæc optima esse sunt confessi. senatusconsultum igitur à cōsulibus factum est, eóque accepto tribuni plebis cum ingenti lætitia in forum prodierūt. deinde plebe ad concionem comocata, multis laudibus senatum sunt prosequuti, & iusserunt omnes plebeios, qui vellent, cum patriciis magistratum petere. Cupiditas autem sine ratione res est adeò leuis, & quæ confestim in alteram partem inclinat (præcipuè verò turbæ cupiditas) vt ij qui antè omnino & quauis ratione ad magistratum admitti vo-

lebant,

lebant, & qui nisi à patriciis hoc impetrassent, aut vrbẽ deserturi, vt anteà, aut armis eam occupaturi erant, quũ quod petebant, ipsis concessum fuisset, continuò à sua cupiditate recesserint, & studia sua in alteram partem cõtulerint. Quum igitur multi plebeij tribunatum militum peterent, & magno studio preces adhiberent, illi nullũ hoc honore dignum iudicarunt: sed quum suffragiorũ ius penes se habuissent, patricios qui eum magistratum petebant, viros illustres, tribunos militum creârunt, A. Sempronium Atratinũ, L. Atilium Longũ, & T. Clælium Siculum. Hi primi proconsulare imperium acceperunt tertio anno lxxxiv olympiadis, archontẽ Athenis Diphilo. Id autem per solos septuaginta & tres dies retinuerunt, & ex priscâ patriæ cõsuetudine vltrò post ea deposuerunt, quòd cælestia quædam signa apparuissent, quæ illos rempublicam gerere vetabant. Quum autẽ isti se magistratu eo abdicassent, senatus coactus interreges creauit. Illi indictis comitiis, & populo cognitione permissa, vtrum consules an tribunos militũ creare mallet, quum ille decreuisset in pristina consuetudine manere, omnibus patriciis, qui id vellent, consulatus petendi potestatem fecerunt. Atque iterum ex patriciis consules facti sunt L. Papyrius Mugilanus, & L. Sempronius Atratinus frater vnius eorum qui tribunatum militũ deposuerunt. Hi duo magistratus qui maximam potestatem haberent, Romæ eodem anno fuerunt, non tamen in omnibus Romanis annalibus vterque magistratus extat: sed in aliis soli tribuni militum, in aliis consules, in paucis vterque magistratus. Quibus nos non sine ratione assentimur: sed fidẽ adhibemus sacrorum & reconditorum librorum testimoniis. His igitur consulibus, nullæ

aliæ res dignæ quæ memoriæ proderẽtur, aut foris aut domi sunt gestæ: fœdus tamen ictum est cum Ardeatibus, & amicitia ac societas cum *iis unita. Miserant enim legatos, per quos, depositis de agro expostulationibus, amicitiam & societatem pop. rom. petebant. Hæc fœdera cõsilium collegium rata fecit.* ANNO *autem sequenti, quũ populus decreuisset vt consules iterum crearentur consulatum iniuerunt, idibus Decembris M. Geganius Macerinus iterum, & T. Quintius Capitolinus V. His senatum docuerunt cum multas alias res ob continuas consulum expeditiones fuisse neglectas, tum verò id, quod omnium maximè erat necessarium, institutum, nimirum census fortunarum, ex quibus cognoscebatur & numerus eorum qui ætate militari essent, & facultatum magnitudo, pro quarum modo oportebat vnumquemque tributa ad bellicos vsus conferre, nullo censu intra septendecim annos habito à L. Cornelij, & Q. Fabij consulatu, ita vt viri probi, & vtiles censerentur, & in expeditionibus versarentur, flagitiosissimi verò & improbissimi quique incensi relinquerentur, & alium locum priore mutato caperent, vbi pro arbitrio ipsis viuere liceret.*

FINIS.

INDEX

INDEX NOMINVM ET rerum quæ in Dionysij Halicarnass. antiquitatum libris x I. occurrunt.

Numerus paginam denotat.

A

Aberrigines dicti aborigines 12
Aborigines Romam Siculis ereptam occupãt 11
Aborigines cur sic dicti 16
Accius Nauius augur celeberrimus 302. eius de cote & nouacula mirum augurium 304
Acies Romanorũ quomodo dispositæ 331.332
Acrostichi versus Sibyllini 388
Aduenæ cur non sunt reiiciendi à Politarchis 136.137
Adulterium morte punitum apud veteres Rom. 146
Ædiles quando primùm creati 614
Ælius Tubero grauis historicus 103
Æmiliæ Vestalis mirum factum 194
Æneæ in Italiam aduentus & res gestæ 53.54. &c.
Æneas Troiã Græcis prodidisse dicitur 58
Æneæ maiores 77
Æneas rex Latij 79
Æneas secundus Latij rex quintus 87
Æqui à Romanis ad Volscos deficiunt 733
Aequi debellantur 957
Aesymnetæ, quid apud Græcos 500
Agathyllus poeta 59
Agathyllus, antiquus historicus 89
Ager publicus populo diuisus 327.329
Agonales sacerdotes 195
Agrippa, Latij rex duodecimus 88
Agrippa ad pacem cum populo faciendam Senatum hortatur 565
Alba, Latij rex Septimus 88
Alba vrbs, à quibus condita 54. 82
Alba vrbs à Romanis diruta 259
Albanorum ambitio 221
Albanorum proditio de-

tecta, & de coniuratis sumptam supplicium 251,252.&c.
Albictæ populi à Volscis expugnati 760
Allades, tyrannus& impius,Latij rex decimus tertius 88
Ambitio humana 183
Amphyctionum consiliũ à quo institutum 343
Amulius, Latij rex decimus sextus 88
Amulius tyrannus 95 &c.occisus 109
Anaxilaus historicus reprehenditur 2
Ancus Martius 4.Roman. rex 267. eius gesta 268 bellum gerit contra Latinos & contra Fidenates 268.269.270.271.cõtra Veientes 272. contra Volscos & Sabinos 273.eius res domi gestæ 274.275.moritur placidè 276
Annonæ caritas grauis 623
Annonæ caritas 868
Annonæ caritas 999
Antigonus hist. Romanæ Scriptor 8
Antiochus Syracusanus antiquiss.historicus 15. 92
Antistius petro proditorie à Tarquinij filio è viuis sublatus 382.383
Antium,nobilissima Volscorum vrbs 719
Apices 195
Apiolani à Tarquinio debellati 279.280
Appius Claudius Sabinus populo Rom. minimè fauet 490.&c.
Appius Claudius egenis minimè fauens 537
Appius Claudius in iudicium vocatus manus sibi affert. 905
Appius Claudius decemuir populi Rom.hostis 1006.tyrannidem inuehit 1007.bellũ aduersus Æquos & Sabinos suadet 1015.cui Senatores quidem resistunt 1018. ad eum oratio C.Claudij 1020. insano Virginiæ amore captus, ea potiri mitis artibus conatur 1045.&c. spe eius ad cogitationes pessimas se conuertit 1056. &c. A Virginio accusatur,& in vincula coniectus eodem die moritur 1068.
Appius Herdonius Sabinus Rempub. euertere conatur & Capitolium occupat 946. &c. telorum multitudine obruitur 951

Aqua & igne interdicere 175
Aquæ ductus 299
Ara Herculis 49
Ara quid, 613
Aratinus, antiquissimus poeta 84
Arcades Italiâ coluerũt 13
Arcades veteres Romæ coloni 37
Ardea vrbs à Tarquinio Superbo obsessa 389
Argenti magna vis in vrbe capta 376
Aristodemus Cumarum tyrannus ad viuum depictus, & expressa tyrãnidis effigies 626. 627. eiusdem tragicus vitæ exitus 637
Aristoteles citatus 89. 90
Artes illiberales ac sedentariæ à quibus exercebantur 149
Artes quibus principũ & populorum beneuolentia facilè captatur 279
Artes ad regni sceptrum capessendum 320. 324. &c.
Artes tyrannorum expulsorum 420
Aruspex 141
Aruspices 714
Ascanius rex Latinorum 80
Assyriorũ Monarchia exigua 4
Asylum institutum 153
Athenienſium dominatio qualis & quanta fuerit 4
Athletæ 709
Augures 188
Augures Romæ robur & imperium perpetuum pollicentur 302
Auentinus, Latij rex decimus quartus 88
Auentinus mons qualis 274
Aurunci victi à Romanis 547
Auspicia 127
Auxilia verbosa 482

B

Bellum Rom. cum Cæcinensib. Antẽnẽsib. & Crustumeriis 153. &c.
Bellum Rom. contra Sabinos 159, 160
Bellum contra Veientes 176. 177
Bellum contra Albanos 208. &c.
Bellum contra Fidenates 241. 260
Bellum T. Hostilij contra Fidenates 260. contra Sabinos. 261. 262. 263. cõtra Latinos 264
Bellum Anci Martij contra Latinos & Fidenates 268. 269. 270. 271. Cõtra Veientes. 272. cõtra Volscos & Sabinos 273

Bella Tarquinij adu. varios populos 279. 280. 281. &c.
Belli prætextus 294
Bellum 20. annorum adu. Etruscos 346
Bellum adu. Sabinos 369 375. &c.
Bellum adu. Gabinos 378 379. &c.
Bona tyrannorum populo adiudicata 429
Bellum adu. tyrannos Tarquinios 432
Bellum adu Sabinos 454 455. &c. 462. 469.
Bellum inter Rom. & Latinos euentum 511 &c.
Bellum adu. Volscos 538. 543. adu. Sabinos. 545 adu. Aurunços 547. iterum adu. Sabinos 548
Bolani Romanorum socij à Volscis expugnati 738
Bolæ à Marcio vi expugnatæ 740
Bellum aduersus Aequos, Etruscos, 835. contrà Veientes memorabili & multiplici cum euentu 838. &c. instauratum cũ Aequis & Veientibus 850 &c.
Bellum in Volscos, Aequos & Veientes 854. 856. contra Etruscos, in quo Fabia gens deleta 859
Bellum contra Etruscos 868 tandem feliciter cõfectum 881
Bellum adu. Aequos & Volscos 898
Bellum instauratum contra Aequos & Volscos qui cladem à Romanis accipiunt 915. 916. &c.
Bellum cum Aequis & Volscis 955
Bellum adu. Aequos & Sabinos 964. &c. 970
Bellum adu. Aequos, Sabinos, & Volscos 1069
Brutus tyrannorum hostis infensissimus. 393 cur hoc cognomen adeptus. 394. Apollinis ambiguo oraculo confirmatus 395. orationem aduersus Tarquinios habet 396. consilium subministrat vt eiiciantur 397. De reipublicæ forma in posterum cõstituenda cõsilium 398. 399. eius oratio ad populum aduersus tyrannidem Tarquiniorum 403. Reipublicæ reformatio ab eodem instituta 411. filios læsæ maiestatis reus curat capitis affici supplicio 423. eius magnanimitas 426.

426. in acie primus aduersus Tarquinij filium Duello certans fortiter occumbit 432. funeratur & laudatur publica oratione 434

C.

CAcus latro ab Hercule interfectus 46. 47. 51
Cadoli 141
Callias historicus 90
Cæremoniæ à pacem petentibus obseruatæ 529
Cæreris templum 38
Callistratus historicus 84
Capetus Latij rex decimus 88
Candidati 125
Capetus, Latij rex octauus 88
Capita hostium lanceis præfixa 377
Capys, Latij rex nonus 88
Camerini à Romulo dicti 176
Camerini Tarquinio vrbes suas dedunt 283
Camilli Sacerdotes 141
Capua à quo condita 59
Caput humanum inuentum in terra, Capitolio nomen dedit 384. &c.
Capitolium vnde dictum 386
Carmenta 35
Cassius tumultus Romæ excitans propter leges agrarias, capite damnatur 797. 768. 802. 806. 810. &c.
Castor & Pollux pro Romanis in prælio 523. 524
Causæ seditionum 491
Celeres 132
Census Romæ institutus 330
Census Romanorum ciuium 337
Census populi Rom. à dictatore fieri iussus. 503
Centuriæ Rom. militares 333
Centuriones 333
Centuriæ Romanæ quot, & quomodo suffragia ferebant 693
Cephalon Gergithius scriptor antiquiss. 89
Certamen de principatu inter tergeminos fratres consobrinos, Curiatios Albanos, & Horatios Romanos 233 234. &c.
Certamen equestre 716

Circei à Volscis vrbs capta in bello contra Romanos 733
Circus sedilibus ornatus descriptus 300
Ciuitatum augẽdarum ratio 337
Classes militares & vrbanæ 333
Claudia tribus, vnde 459
Claudius, Appij Leno, exilio perpetuo mulctatus 1068
Cluilius Albanus 208. Romanorum hostis 209. mortuus repertus 212
Fossæ Cluiliæ 211
Clementiæ exemplum 286. 292
Cloacæ publicæ 299
Cloeliavirgo strenua 450. ab hoste laudata 451. remunerata 452
Cloelij consulis modestia 499
Clientes 128. 129.
Cœlius mõs à quo dictus 158.
Comitia tributa & centuriata 692
Cœtus publici à tyranno tolluntur 368
Cœnæ Dijs appositæ 142
Collatini à Tarquinio debellati 281
Collatinus Tarquiniis fauens pro concione grauiter obiurgatus 426. 427. in exilium eiectus 428.
Coloniæ quomodo primis temporibus emittebantur 18. 19
Coloniæ à Tarquinio superbo conditæ 389
Comitia Curiata & centuriata 335
Commentarij Theologici Varronis 388
Confarreatio, quid 145
Confusio politici status descripta 341
Coniugij cura quæ apud veteres ethnicos 144
Coniugia firmissima inter veteres Romanos 145. 146
Coniuratio Romæ facta à multis seruis repressa 472
Coniuratio Romæ adu. optimates, opera Tarquinij 475. detecta & repressa 475. 476. &c.
Coniurati multi adu. Rõ. libertatem capitali supplicio affecti. 474. 480
Consilia violenta à quibus oriuntur 471
Consilia violenta quo modo elusa 584
Consilium malum consulori pessimum 459. 460. 461
Consualia 152
Consus Deus 152. 115
Consti-

Consules quãdo primùm nominati 402. 415
Consulum quorundã eximia virtus 499
Consulum Rom. prudentia in turbato rerum statu 584
Consulum Rom. dignitas & authoritas maxima 663
Consules tribunis pl. contradicunt 929. 930. &c.
Consules tribunus pl. infensi 970
Consules & Patricij adu. Tribunos & plebem 973. &c.
Consultatio de seditione nascente tollenda 487. &c.
Consultatio habita de modo belli gerendi adu. Veientes 852
Contentiones inter Tribunos pl. & consules 970
Coriolani Volscis se dedunt 739
Cornicines 332
Corniculani à Tarquinio debellati 282
Contractus 202
Coronati, qui 716
Corpora deuota 130
Crustumerini Tarquinio se dedunt 280
Cures vrbs, à quo condita 470
Curetes 196
Curetes armati saltantes 711
Curiatij fratres cum Horatiis pugnant memorabili duello 227. 233. 234. &c.
Curetes 141
Curiæ, quid 126. 127. 142
Curiones, qui 127
Cursores 716
Cursus quadrigarum trigarum, bigarum, & equorum singularium 715. 716
Cursus pedestris 716
Curtius lacus à quo sic dictus 165
Chori saltatorum 710
Citharistæ in ludis Rom. 710
Crotone, Vmbriæ ciuitas à quibus ædificata 30

D

DAmastes vetus scriptor 89
Decemuiri creati 790
Decemuiri quomodo bellum foris & Rempub. domi administrarint 1038. &c. Siccium militum Rom. fortissimum interficiendum curauit 1040. &c. ab iis milites alienantur & de defectione cogitare incipiũt 1044. de eorum tyranni de conquestio 1057

1060. & à militibus deseruntur & decem tribunis committitur rerum summa 1064
Decemuiri creati qui leges instituerent 1002. qualem Reipubli. formam constituerint 1003 horum coniuratio 1006 tyrannidem inuehunt 1007. 1008. ideò, in odium populi incurrunt 1012. &c.
Deditiones quomodo fiebant 280. 281
Defectionis autores capitali supplicio affecti 462. 470.
Demagoras antiquus scriptor 89
Denates, pro Penates 84
Dianæ templum 345
Dictator placidus creatus in turbato rerũ statu 553
Dictator primus Romæ, & cur sic dictus 500
Dictaturæ commoda 505
Diis quid charissimum 27
Diligentia in bello quàm necessaria 469
Dionysius Chalcidensis historicus 90
Dionysij Halicarnass. in scribenda historia consilium, & adminicula 239
Discordia hostes audaciores reddit 555
Discordiæ qua ratione sedandæ 897
Diti sacer quis 130
Diuites, pacis amantes 473
Diuitum Rom. priuilegia 335
Dodonæ oraculum quale 17
Dolus mirandus 380. 381
Dolus pessimus 721. 722
Dona hosti reconciliato missa 452
Dorienses, sapientes politici 343
Duces belli veteres modesti 483
Duumuiratus quando Romæ constitutus 411

E.

EBrietas cur grauiter à Romulo punita 146
Eclipsis solis in natiuitate & morte Romuli 180
Edicta, quid 500
Egeni qui subleuandi 495
Egeria nympha 184
Egerius, quis 282
Egestas pessima consultrix 487
Epula sacra 142
Eques virgini datus 452
Equites ignoti Romanos in cruento prælio iuuant 553
Eratosthenes Chronographus 92
Etrusci, vnde Etru-

Etruſci prodigiorum cele berr. interpretes 384. 385
Etruſci perfidi ſocij 486
Etruſci caſtris exutià Valerio 881
Euander filius Mercurij & Carmentæ ex Græcia cum claſſe in Italiam venit 35
Eutipus circum eingens 300
Euxenus, vetus poeta 40
Excurſiones bellicæ deſcriptæ 731.&c.
Exempla politicæ prudentiæ quàm vtilia 478
Exemplum antiquæ modeſtiæ 483
Exemplum prudentiæ & modeſtiæ 498.499
Exemplum ſumniæ humanitatis 504. quanta cõmoda Reipubl. peperit 505.
Expeditiones bellicæ variæ aduerſus Sabinos, Æquos & Volſcos 908 909.&c.
Exploratores quàm neceſſarij 460
Experientia audaciæ mater 486
Exquilinus mons 327
Exteri Romæ recepti 337
Exulum Rom. falſa delatio 615

F.

FAbiorum magnanimitas 853
Fabij deleti in bello aduerſus Etruſcos 859.&c.
Fabri ferrarij & lignarij in Rom. exercitu 332
Fabulæ de diis ethnicorum 138
Fabularum Græcarum vtilitas quæ 139
Faunus 36
Fauſtulus Romulum & Remum educat 101
Feciales, viri ſacri 23. horum autoritas 198. ceremoniæ in fontibus repetendis & bello edicendo 199.200
Feronia Dea 171
Fidei templum 202
Fidenæ incendio conſumptæ 269
Fidenates à Romulo victi 175.176
Fidenates debellati à Tullo Hoſtilio 260
Fidenates debellati ab Anco Martio 269.&c.
Fidenates vrbes nobiles Tarquinio dedunt 283
Fidenates à Romanis deficiunt 472
Fidenates tyrannis fauentes bello premuntur à Rom. 481.482
Fidenates tandem Romanis ſe dedunt, & quo-

modo tractati sunt 483
Fides publica largiter remunerata 538
Fides populi Romani 451
Filios vendere patri concessum 148
Flamines 188
Flamma ex humano Capite emicans 311
Flammæ emicantes inopinatò 465
Fœdus inter Romanos & Sabinos initum 168
Fœderis monimentum 384
Fœdus Rom. cum Latinis & eius formula 619
Fœneratores crudeles 474
Fons Castori & Polluci dicatus 524
Fortunæ virilis templum 347
Fortunæ muliebris templum 784
Forum Rom. à quibus cõstructum 172
Fraudes horrendæ 372. 373
Fulgura à sinistra ad dextram Romanis cur fausta 124

G.

Gabini à Tarquinio. debellati 294.296. &c.
Gabini à Tarq. Superbo miris dolis debellati 377.380.381.&c.
Gallorum expeditio & Romæ direptio 93
Gloria præmiis fouetur 487
Græca monarchia nõ diu floruit 4
Græcia quomodo gubernata 591
Græci historiæ Romanæ ignari 6
Græcorum Priscorum scripti c. in nominibus à vocali incipientibus 21

H.

Harmostæ, quid 501
Hellanicus Lesbius historicus 35.37
Herculis ex Hispania in Italiam aduentus 36
Hercules Saturni sacrificia cruenta mutat 45
Herculis aduentus in Italiam & res gestæ 46.47 &c.
Hernici, perfidi socij 486
Hernici à Romanis debellati 796.797.&c.
Herssilia, egregia mulier 168
Hetrusci à Tarquinio debellati 289.290.&c.
Hieronymus Cardianus, Romanarum antiquitatũ scriptor 8
Historia Romana Græcis ignota 6
Historiæ diligenter scriptæ

ptæ vtilitas 8. Scopus 9
Historiæ Halicarnassej forma & summa 10
Hist. rici præclari partes 2
Honores mulieribus collati 169
Honoratij fratres Romani cum Curiatiis Albanis fratribus certant memorando duello 227. 233. 234. &c.
Horatius victor à duello rediens sororem, à qua obiurgatus est, interficit 238
Horatius ob sororis cædē accusatur & mulctatur 240. 241
Horatius Cocles, miles fortissimus Romam tuetur 440. 441. gloriam sua virtute immortalem sibi comparat 442
Horatius barbatus Appio & decemuiris restitit 1016
Humanitatis exemplū 504

I.

IAniculus mons 275
Ignis cur Vestæ dicatus 191
Immolatio 714
Imperatorum officium 504
Imperij Romani præstantia 3
Inachus, Sophoclis tragedia 29
Ingenui quomodo à seruis differant 338
Ingratitudo fugienda 9
Inopes benignitate & munificentia vincuntur 488
Interregnum Romæ post Romuli mortem 180
Iones sapientes politici 343
Irruptiones in agros hostiles descriptæ 735
Italiæ tractus quantus 12
Italia à quo sic dicta 40. 41. 42
Italiæ laudes 42. 43. Cur Saturno sacra putata est 44. 45
Italus rex, à quo Italia & Itali nomen sumpserūt 15
Iudicia ciuilia & criminalia 150
Iugum quid apud Romanos 241
Iuniorum Romanorum modestia 676
Iuno Lucina ærarium habet Romæ 330
Iupiter Capitolinus in somniis cuidam apparet, & quid inde sequutum 705. 706. &c.
Iupiter Feretrius 155
Iupiter Fidius 384
Iupiter stator 272
Iupiter Terminalis 201

Iurisiurandi religio inter Romanos 560
Ius belli 729
Ius patronatus 129
Ius populi Romani 335
Iuuenes primum locum in acie tenebant 511
Iuuenes sæpe stolidi & feroces 557.558
Iumenta dea loco cedere recusat 502
Iuuentus dea 330

L.

LAbicani Romanorum socij à Volscis expugnati 739
Lacedæmoniorũ domina tus qualis & quãtus 4. 5
Lacus mirabilis 18
Laocoon, Sophoclis tragedia 58
Largius Consul Rom. magnanimus & modestus 483
Largij Consulis modestia 499. dictatura 500
Largij dictatoris humanitas summa 504
Lar familiaris patet Seruij Tulli 311
Lares Romæ Dij habiti 328
Lars. Vide Porsena.
Latini bellum gerunt cũ Aneo Martio 268. &c.
Latini à Romanorũ amicitia deficiunt 470
Latini populi belli fœdus ineunt aduer. Romanos 484
Latini ad triginta tria millia in prælio cadunt 523
Latinorum septem oppida à Martio Romano, Volscorum duce, intra mensem capta 760
Latinus rex quo tempore regnauit 11
Latinus rex Italiæ, paulò post Troiam captam 53
Latinus secundus, Latij rex Sextus 88
Lauinium vrbs 73. 77
Lauinium à Marcio expugnatum 741
Laurentia, Romuli & Remi nutrix, cur lupa dicta 109. 110
Legati ad populum pacis publicæ conciliandæ gratia 588
Legati Rom. à Volscis inhumaniter excepti 625
Leuatio Volscorum ad Romanos, vnde cruentum bellum exoritur 729. &c.
Legationes variæ Romanorum ad Marcium Coriolanum irritæ 762.
Leges non scriptæ & scriptæ 143
Leges aduer. fœneratores 322.

322.323
Leges à tyranno abrogãtur 368
Legionarij 333
Leleges, qui 12
Lenitas intempestiua, perniciosa 492
Lex de coniugio 145
Lex contra mulieres vinipotatrices & adulteras 146
Lex de liberorum reuerẽtia & pietate erga parẽtes 146.147
Lex de aedibus sedentariis ac illiberalibus 149
Libationes veterũ Rom. 142
Liberalitas principum populos allicit 323
Liberalitas illiberalis, coacta 494
Libertorũ priuilegia 338
Libitina Venus dicta 330
Libri Sibyllini 387. igne absumpti 388
Lictores 150
Lictores cum securibus & fascibus ante dictatorẽ incedentes 503
Ligures, qui populi 12
Ligures ab Hercule debellati 51
Lista metropolis aborigi num 17
Litetæ Græcæ in Italiam à quibus allatæ 39
Longula, vrbs, à Marcio expugnata 760
L. Cincius hist. Romanæ scriptor 8. 92
L. Iunius, vide Brutus.
Lucretia, formosa & pudica, à Tarquinij filio dolose stupratur 391. seipsã interficit 392
Luctatores 716
Lucumo Tarquinius Romam contendit, vbi tandem rex creatur 277. &c.
Ludi & Ludiones vnde dicti 197
Ludi Romani vnde origi nem duxerunt 707. à quo primum instituti 708. à quibus celebrabantur 709. quales erãt 710. 711. 712. 713
Lupercal 37
Lupercalia 103
Lustrum ciuium Rom. 480
Lustrum exercitus Rom. quomodo fiebat 337
Lycæus Pan Græcis, Lupercal Romanis 37
Lycurgus sapiens legislator 142

M.

MAcedonum imperiũ non diu floruit 4
Magister equitum à dictatore constitutus 502
Magistratus quid metuere debeant 488

Magistratus nouus institutus ad seditionem tollendam 496
Magistratus populi pater 590
Maiestas regia 294
Mamilius Tarquinij gener in prælio occisus 522
Mamurius, egregius Faber 197
Mancipiorum misera conditio 600
Manlius Torquatus Seuerus pater 148
Manumissio ex seruitute 341
M. Valerius populi Rom. patronus 488. 489
M. Valerij oratio pro concordia & pace publica inter patricios & populum conseruanda 685. 687. &c.
Marcius cognomine Coriolanus, vir fortiss. 615 616. 619
Marcius Coriolanus plebis Rom. aduersarius 648. aduersus plebem concionatur 649. tribunis minatur 653. in periculũ incidit 654. pro eodem Minucius orationem habet ad populum 655. acriter in plebeios inuehitur 662. iterum in capitis periculum incidit 663. citatur à Tribunis 666. eius defensio 690. iterum citatur vt de affectata tyrannide diem dicat 692 accusatur, defenditur, damnatur, in exilium pellitur 695. 696. 697. &c. ad Volscos deficit. 719. in eorum comitiis de belli Romanis inferendi iusta causa habet orationem 726. 727. &c. de ratione belli cũ collega consultat 732. variis cladibus Romanos afficit 733. 734. &c. Romam cum exercitu contendit eámque obsidet 742. eiusdem ad prolixã Minutij orationẽ respõsio 751 &c. indu ciis populo Rom. cõcessis Latinorum septẽ vrbes expugnat 760. ad Veturiæ matris orationem responsio 772. ad alteram matris orationem responsio qua vincitur 782. exercitum reducit 783. indicta causa deinde à coniuratis interficitur 718 triumphali funere decoratur, 719. eiusdem virtutes & vitia 720
Martis oraculum vetus in Italia 17

Masculæ prolis diligens educatio Romæ 134
Matrimonium nullū dissolutū apud Rom. per 520. annos 146
Matris magnæ sacra 139
Matronæ Romanæ Marcium interfectum per annum integrum lugēt 791
Medorum Monarchia nō diu durauit 4
Menecrates Xanthius historicus 58
Menenij Agrippæ obitus & funus 620. 621
Mercenarij seditiosi 495
Mezentius 80. 81
Migrationes variæ ex Italia 28
Milites Romæ quādo primùm detecti 331
Milites leuis armaturæ 333
Militiæ ordo inter Romanos 331
Militis strenui præmia 618
Minerua saltans armata 711
Minturna Romanorū colonia 11
Mittere sub iugum, quid 241
Moderationis exemplum 286
Modestiæ veteris exemplum 483
Monarchiarum præcipuarum enumeratio 4
Monumenta Æneæ in Italia 67
Mors Tulli Hostilij 265
Morgetes Itali olim dicti 15. 92
Mors Romuli 178. 179
Mos tyrannorum 406
Mosynæci populi cur sic appellati 30
Mulcta irrogata 178
Mulier libros Sibyllinos venundans 387
Mulier vinum bibens cur capitalis 146
Mulieres Romam lubenter incolunt 509
Multitudo. vide Populus.
Musica instrumenta in Italiā à quibus primùm allata 39
Metius Suffetius Albanorum dictator 212. de pace habet orationes 215. 221. Albanos ad cruētā proditionem follicitat 243. 244 à binis bigis in partes contrarias tractus laceratur 259
Mutius vir fortis, pro patriæ salute regem Porsenam interficere conatur 445. quid illi accidit 446. 447. &c.
Myrsilus Lesbius historicus 27. 33

N.

NEptuni Hippij templum 38
Nobilitas plebi suspecta 648
Nomentani Tarquinio se dedunt 281
Nomina ciuiũ Rom. quãdo primùm scripta 331
Nouæ tabulæ rempub. euertunt 512
Numa: eius modestia 183 regnum acceptat, & sapiãter regit 184.185. &c. eius instituta vt Remp. beatam redderet 187. 188. &c. ceremoniæ ab eo institutæ 188. &c. leges ad frugalitatem & temperantiam spectantes 201. 202. &c. leges ad Annonæ curam 203. pacis amor & mors eiusdem admodum placida 204
Numa Pompilius, 2. Rex Rom. creatus 181
Numitor, Latij rex decimus octauus 89
Nundinæ quid apud Romanos 691
Nuptiæ apud Rom. quales 145

O.

OBsides 300. morte mulctati 544
Occasiones belli 729
Ocrisia mater Seruij Tullij modo mirando 310
Octauius Mamilius Tarquinij gener, Romanorum hostis 470.471
Oenotrus Italiæ nomen dedit 13.14
Opimia Vestalis, corrupta, viua defossa 829
Oppida Aboriginum in Italia 16.17
Oracula Sibyllina 387. igne absumpta 388
Oratio animi character 3
Oratio Æneæ ad Latinum Italiæ regem 72
Oratio Romuli de constituenda Reipub. forma 121
Orationes Suffetij & T. Hostilij de pace inter Romanos & Albanos sanciẽda 215.218.221
Oratio, de proditione excogitata à Suffetio adu. Romanos 243.244. &c.
Oratio Tanaquilis ad Seruium de regno occupando 313.314, &c.
Oratio Seruij Tullij ad populum contra Patricios 320.324
Oratio Seruij Tullij in libertorum gratiam 338
Oratio Seruij Tullij in eõ cordiæ laudem 344
Oratio Tulliæ adu. Patrẽ Seruium Tulliũ 349

Oratio Tarquinij adu. Seruium Tullium pro regno recuperando 352. & Seruij defensio 354
Oratio populis gratissima quæ 410
Oratio funebris quando Romæ habita 434
Ordines quàm diligenter in bello seruandi 462
Oratio M. Valerij in egenorum gratiam 488. 489
Oratio Postumij dictatoris ad milites, ante prælium 514
Oratio Largij de pace victis concedenda 530
Oratio Appij Claudij adu. populum debita persoluere recusantem 537
Oratio Appij Claudij Sabini adu. pop. 490. &c.
Oratio Agrippæ Menenij de Seditione componenda 565. &c. Manij Valerij 574. Appij Claudij plebis Romanæ aduersarij 576. 586
Oratio M. Valerij ad populum pro pace cum patriciis 589
Oratio Sicinnij pro populo adu. patricios 590. & L. Iunij cognomine Bruti 591
Oratio Largij adu. L. Iunium pro pace inter patricios & plebem 602 & Menenij Agrippæ 604
Oratio Minucij consulis ad populum & tribunos, pro annonæ caritate 655. & Marcium excusantis 657
Oratio Appij Claudij adu. plebem & tribunos plebis 677
Oratio Minucij pro Marcio Coriolano 695
Oratio Marcij Coriolani pro salute sua 697. Lucij adu. Marcium 698
Oratio Marci Coriolani ad Volscos qua ratione belli gerendi aperit 724 725. &c.
Oratio Minucij ad Marcium Coriolanum de pace ineunda 743
Marcij ad eam responsio 751
Oratio pro lege agraria 808. 809
Oratio Virginij ad pop. 940. ad eam Claudij consulis responsio 943
Oratio Siccinnij Dentati pro lege agraria 977. ad eam Icilii responsio 982
Oratio Romilii de legum latione 995. 996
Oratio C. Claudii in Senatu ad Appium & decemuiros 1020. ad eam M.

Cornelij Decemuiri re
sponsio 1027. oratio L.
Cornelij qua ad decem
uirorum postulata re-
spondet 1028
Oratio Valerij Potiti in
qua suam de postulatis
Decemuirorum senten-
tiã profert 1031. cui Cor-
nelius & Appius ad-
uersantur, & eiuium ani
mos magis ac magis à se
alienant 1034. 1035. &c.
Orationes variæ de con-
sulatu 1073. &c.
Ostentum. vide Prodi-
gium
Ostentum turpe 310
Ostia Romanorũ colonia
11
Ostiæ portus à quo pri-
mùm ædificatus 275
Ouatio, quid 466

P.

PAganalia 330
Pagi & eorundẽ præ-
fecti 203
Palantium, nunc palatiũ,
quid 36
Pan, quis 37
Panici terrores cui adscri
pti 433
Papauerum capita deie-
cta, tyrannicum Symbo
lum 381
Patricidarum ingenium
351
Patres conscripti 132
Pater filios capitali suppli
cio afficit 423
Pater pro filio mulctam
persoluit 938
Patres 127
Patriciorum Rom. mune-
ra publica 128
Patricij 127
Patricij duplicati 169
Patricij Seruio Tullio cur
exosi 320
Patriciorum officiũ 490
Patriciorum Rom. auda-
cia grauiter perstricta
593. 594. &c.
Patricij populo aduersan-
tur 741
Patricij Tribunis pl. cõtra
dicunt 929. 930. &c.
Patroni 128. 129
Patronatus 129
Patrũ authoritas in filios
Romæ 147
Pauperes à reipu. admini-
stratione remoti 336
Paupertas ex luxu orta
describitur 493
Pax inter Romanos & Sa-
binos à mulieribus con
ciliata 167. &c.
Pax fœdifragis concessa
345
Pax Sabinis cõcessa quib.
conditionibus 469
Pax Latinis concessa 529
Pelasgorum variæ sedes
20. 21 22. excidium 26
84
Penates Per-

Persarum monarchia ducentos annos viguit 4
Pestis grauissima 887
Pestis ex agro in vrbe irruens atrocissimè sæuit 921
Pestis atrocissima Romæ 998
Peucetius Græcus, Italiæ parti nomen dedit 13. 14
Piaculum expiatum 480
Pila Horatia 242
Pilei totundi Saliorum 195
Pilei impuri 341
Pinarij, qui 49
Pinaria Vestalis mortis supplicio propter stuprum affecta 299
Pherecydes Athenienſis, genealogiarum scriptor 15
Philistius Syracusanus historicus 25
Plaustris vecti 713
Plebeij 127
Plebeiorum Rom. munera publica 128
Plebis Rom. authoritas 135
Polusani à Volscis expugnati 760
Politici viri quid cauere debeant 488
Polybius historicus 93
Pompa ludorum 709
Pons Sublicius 276
Pontifices, vnde dicti 276
Pontifices Rom. & horũ dignitas 200
Populus Romanus quando primùm capitalis iudicij potestatem adeptus 241
Populus promissis facilè allicitur 322
Populus Rom. quibus priuilegiis gaudebat 335
Populus à tyranno opprimitur 368
Populus ege ius, metuendus admodum 474
Populus quomodo tractãdus 488. 489
Populi ingenium 492
Populus à Senatu decipitur 497
Populus patriciis inuitis vrbem deserit 561
Populus Rom. de seditione componenda à Senatu rogatus 588
Populi Romani gesta exposita 593. 594. &c.
Populi Romani magnanimitas 761. 775
Porcius Cato Italicarum vrbium origines collegit 13 92
Porsena rex in Tarquinio rum gratiam bello certat contra Romanos 438. 439. Romam arctè obsidet 443. Tarquinios iubet in regnum

recipi 444 à Mutio Scevola aggressus & ferè interfectus 445. inducias facit 449 pace initâ Tarquiniorum defensio nē deferit 452
Portenta. Vide Prodigia.
Portentum fœdum 310
Potestas populi Romani examinata 701.702
Potitij qui 49
Præsagium regni 278
Prælium. Vide Bellum.
Prælium cruentum inter Romanos & Latinos 284.285
Præmia bellica quàm necessaria 487
Priuilegia libertorum 338
Procas, Latij rex decimus quintus 88
Prodigia 74.83
Prodigia 194.195
Prodigium 384
Prodigium 365
Prodigium 389
Prodigium 455
Prodigium 523
Prodigi minimè subleuâdi 493
Prodigia 705.706
Prodigia 785
Prodigia 828
Prodigia 887
Prodigia 930
Prodiriones miris dolis consutæ 380.381.382
Prouidentiæ diuinæ Romanam custodientis testimonium 475
Prudentia summa in re militari 334.335
Prudentiæ politicæ pars maxima 489
Prudentiæ politicæ exemplum 477
Puer prodigiosè strenuus 311
Pugna inter cæteras memoranda 433
Publicolæ mors & elogia 467.468
Pugiles 716
Pugna cruenta inter Romanos & Sabinos 163
Pugnæ tergeminorū descriptio. 233. 234. &c.
P. Valerius consul post Tarquinios electus 429
P. Valerius. vide Publicola
Pyrriche, quid 781

Q.

Q. Cincinnatus eausam fili apud populum agit 934
Q. Cincinnatus conatus tribunorum pl. reprimit 952.953 &c.
Q. Cin. dictator creatus de Æquis subactis triumphat 962.963
Q. Fabius hist. Romanæ scriptor 8
Quirinus, quis Deus 170

R.

Rea Ilia, Romuli & Remi mater 95. &c.
Reges quo nomine vocati ab Homero 501
Regis Rom. munia publica 133
Regium nomen veterib. inuisum 501
Regius Dominatus Romæ sublatus 412
Regum veterum insignia 293
Remissio debitorum proposita 488
Remus in pugna cæsus 114
Remus. vide Romulus
Repulsa magnis viris admodum odiosa 649
Respublica Romana quata 5
Reipublicæ forma à Romulo constituta 126
Reipublicæ conseruatio in quo consistat 143
Respublica corpori humano similis 492
Respub. humano corpori assimilata 608
Rex Sacrorũ Romæ 413
Rixæ inter tribunos plebis & consules 888
Roma innumeros viros virtute præditos protulit 7
Romæ territorium 11
Roma quo tempore & à quibus condita 89. &c.
Romæ reges à Romuli tẽpore 94
Romæ situs 119. eius coloni initio quot 121
Roma quo artificio aucta à Romulo 135
Roma suos peculiares ritus habuit 138.139
Romæ robur & imperiũ 302
Roma in 4. regiones à Seruio Tullio diuisa 328
Roma à quibus custodiebatur tempore belli 330.331
Roma Italiæ caput prædicta ab Etrusco vate 386
Roma à Volscis obsessa 742
Romanorum Ambitio 210
Romani veteres pro patriæ libertate conseruãda in liberos suos seueri 239
Romanorum veterum cãdor 452. liberalitas 453. humanitas 454
Romani à socijs in bello contra tyrannos defecerunt 443
Romanorum liberalitas erga T. Claudium gentis Sabinum 458.459
Romanorum iusta seueritas 462

Romanorum fortitudo in bello 463.464.465
Romanorum magnanimitas 476. æquitas in coniuratione reprimenda 477
Romanorum fortitudo & imperterritus animus 485.486
Romanorum in subleuandis egenis moderatio 495
Romanorũ magnanimũ responsum 546
Romani frumentum è Sicilia petunt 623.624
Romanorum magnanimitas 730
Romani ad Iouem Capitolinum in summo periculo constituti confugiunt 763
Romanorum magnanimitas 761.775
Romani à variis hostibus exagitati 1013. &c. quid consilii capiunt 1015
Romanum Imperium. Vide Imperium.
Romilius, damnatus, multam sibi à tribunis remissam accipere recusat 997
Romulus & Remus Romæ conditores 90
Romuli & Remi partus 95.&c.100.&c.
Romuli oratio de constituenda Reipub. forma 121
Romulus sapiens legislator 130.131
Romulus cultus deorum studiosus 138.139.&c.
Romuli bella 153.154.155.159
Romuli I. Rom. regis gesta 175.176.&c.
Romuli mors 178.179
Romulus inter deos relatus 187
Rustici 127
Rutuli perfidi socij 486

S.

SAbinorum origo 171
Sabini debellati à Tullo Hostilio 261.262.263
Sabini debellati ab Anco Marcio 273
Sabini à Tarquinio superbo victi 376.377
Sabini à Romanis prorsus debellantur 469
Sabini à Romanis pulsi & debellati 545.546
Sabini debellati 556
Sabini castris exuti à Valerio 880
Sacerdotes 140
Sacerdotes, à quibus eligebantur 141
Sacra magnæ matris 139
Sacrificia Rom. à fare cur inchoabantur 145
Sacrificia expiatoria & Auerruncatoria 475

Sacrificia Rom. 714. 715
Sacrificium mulierũ pro populo 784
Salij sacerdotes 195
Saltatio armata 711
Saltator nõ egregius 706 707
Saltatores à Saliis dicti 196
Saltationes Saliorum 197
Saltatores in ludis Romæ 710.711
Satellitium tyranni 365
Satricani à Volscis, duce Marcio, expugnati 760
Saturno homines olim immolati 45
Satyristæ in ludis Rom. 712.713
Satyrus, priscus fabularũ collector 841
Sceleratus vicus cur sic dictus 363
Scriptores Rom. historiæ varij 2.8.92
Scutum è cœlo delapsum 196
Secures cur ante reges de ferri solitæ 295
Seditiosorum ingenium 351
Seditionum origo 474
Seditio an nouis tabulis tollatur 490
Seditionis tollendæ noua ratio quæsita 496
Seditio inter Romanos ob æs alienum exoriturꝰ, 534. huius tollendæ ratio 535.536
Seditio propter æs alienum & pauperum oppressionem recrudescit 540.541.&c.
Seditio Romæ inter populum & patricios 549. de ea tollenda orationes & consultationes variæ 550.551 &c.
Seditio populi adu. patricios 560
De Seditione illa tollenda consultationes 562. &c.
Seditio Romæ, ob annonæ caritatem 640
Seditio Romæ ob Marciũ iectum 733. sedata 734.
Seditio inter Volscos & Æquos 792
Seditio propter cõsulum electionem 832.
Seditio Romæ periculosiss. 839.840.&c.
Seditio Romæ propter fruméti penuriam 868
Seditio Romæ propter tẽ agrariam 888
Seditio renouata propter rem agrariam 887
Seditio Romæ propter Reip. statum 965
Seditio propter rem priuatorum 972
Sempronius Romanæ historiæ scriptor 15

Senatores 131
Senatores trecenti quando instituti 299
Senatus Romanus, quomodo & ex quibus compositus 131
Senatus Rom. Authoritas 133
Senatus nouus à Tarquinio Superbo cõstitutus 367
Senatus Rom. prudentia & moderatio summa 498.499
Senatus prudentia in turbato rerum statu 553
Sententia de re agraria variæ inter tribunos pl. & consules 900.&c.
Serui libertate donati ius ciuitatis obtinent 338
Serui qualis horum conditio apud veteres Rõ. 340
Seruitiorum res qualis apud Romanos 340
Serv. Tullius, Sextus rex Romanorum 309. eius natales 310. res gestæ ante regnum 311. virtutes 312 ad eum Tanaquilis oratio 313. post regni procurationẽ acceptam populum sibi conciliat 320.321.322.323. aduersus patricios habet orationem 324. multa ad Reipub. administrationem & amplificationem sapienter constituit. 327. &c. eiusdem bella aduersus Hetruscos 345.346. templa fortunæ ædificat 347. filiæ suæ infidiis sublatus perit 348. 349 350.&c.362
Seruus quàm duriter ab hero tractatus 706
Setia vrbs à Marcio expugnata 760
Sextus Tarquinij filius Lucretiæ stuprum infert 390.391
Sextus Tarquinij filius hostis Reipub. Romanæ 457. eius vatij conatus 458. 459.&c. confunditur 461
Sextus Tarquinius Romanos bello nequicquam fatigat 481
Sextus Tarq. in prælio occisus. 522
Sibyllæ libri venales Tarquinio propositi 387
Sibyllini libri consulti 528
Sicani, gens Hispana, ex Sicilia à Siculis, qui nunc eam incolunt, eiecti 25
Sicilia cur olim Trinacria dicta 25
Sicinnius, tribunus plebis vafer 661. potestate sua violenter vtitur 663
Sincinnius Dentatus vir fortis-

fortissimus hostes castris exuit 990. &c. Cōsules accusat 993
Siculi barbari primi omniū Romam tenuerunt 11
Siculi à quibus Italia eiecti 24
Siculi Legatos Rom. vt exploratores excipiunt 625
Silenus hist. Romanæ scriptor 8
Simulachra de ponte in Tibetim deiecta 45
Simulachra Deorum in ludis Rom. 713
Simulachrum ligneum loquitur 785
Somnia impios torquent 475
Speculatores tyrannorū 368
Spectra. vide prodigia
Spolia hostium templis & foris dicata 736
Sp. Caruilius primus Rom. vxorem repudiauit 146
Statua lignea inaurata in medio igne cōseruatur 365
Statua virgini strenuæ erecta 452
Sterilitas maxima vnde in Italia olim 26. 27
Stipendia nulla olim Rō. ex ærario accipiebāt 334
Stratagema 270. 271. 272
Stratagema 285. 287
Stratagema 295. 296
Stratagema 376. 380
Stratagema detectū exercitus internecio 459. 460. 461
Stratagema 469
Stratagema politicū 478 479. 480
Stratagema ad fouendam inter ciues Rom. discordiam 731
Subiugare, vide iugum.
Subuersio Reip. vnde 255
Suessa à Tarquinio Sup. vi capta 375
Suffragia quomodo ferebantur 693
Superbia tyrannis conueniens 366
Supplicandi mos 719
Supplicia 350
Supplicium Vestalium à quo excogitatum 299
Sylla dictaturam in tyrannidem conuertit 505
Syluius, 4. Latij rex 86
Symbolum tyranni 381

T.

TAnaquil Tarquinij vxor 278
Tarpeia Virgo Capitoliū prodit 160. &c.
Tarquinius Hetruscus belli dux egregius 270 272
quintus rex Romā. creatus 276. eius natales 277
Romæ aduentus & fu-

turæ potẽtiæ præsagiũ 278.279. eius bella contra Apiolanos Cruſtumerinos, Nomentanos Collatinos: Cornieulanos, Latinos, Fidenates, Hetruſcos, Sabinos, Veientes Cæretanos, variis cum euentibus, à pag. 280. ad 298 eius geſta in ciuitatis adminiſtratione 298. 299. &c per inſidias oppreſſus, violenta morte ſenex interiit 305 306. 307

Tarquinius, cognomine Superbus, tyrãnicis artibus regnum occupat. 365. tyrãnidem exercet 366. 367. nouum Senatũ conſtituit 368. populum opprimit 369. Sabinos bello aggredi cogitat 370. Turnum Herdonium virum illuſtrem peſſimis artibus tollit è medio 371. 372. 373. Sabinos debellat. 375 377 Gabinos tractat clemẽter 381. 383. eius ædificia publica, inter quæ Capitolium 384. 386. Libros à Sibylla emit 387. Colonias deducit 389. obſtuprum à Sexto filio Lucretiæ illatum Roma eiicitur, regiáque dignitate ſpoliatur 391. 412 varias artes adhibet vt reſtituatur 417, &c. ad Porſenam confugit, cuius auxilio Romanos vexat 437. ſpe fruſtratur 450. fugitor agitur 451. nouæ eius molitiones 470. &c.

Tarquinius nouis artibus vtitur, vt regiam dignitatem recuperet 473. 474

Tarquinius pecunia ſibi viam parat ad regni recuperationem 474

Tarquinius ſpe excidit, reprefſis coniuratis qui ei fauebant 480

Tarquinius tandẽ Cumas confugit 14. exilij ſui anno, vbi nonagenarius moritur 534

Tarquinij plebis ſententia in exilium perpetuũ acti 411

Tatius rex, per inſidias extinctus 175

Templa à Tarquinio Superbo ædificata 384

Templa à Tarquinio conſtructa 301

Tẽplũ Victoriæ, & Neptuni Hippij, & Cæteris 38

Templum Fidei 202

Templum fortunæ virilis 347.

Templum fortunæ muliebris 784

Tem-

Templum Iouis Capitolini absolutum 453
Templum pacis & concordiæ 345
Templum Vestæ 191
Terentius Varro, antiquitatum scriptor 16
Tergemini fratres. Curiatij & Horatij de summa rerum duello certant 227.233.234.&c.
Terminales Dij 202
Terminalia 201
Terminorum apud Rom. Sacra conseruatio 101
Terminus Deus loco cedere recusat 302
Theopompus historicus reprehenditur 2
Thuribulifeti 713
Thusci, vnde 35
Tiburinus, Latij rex vndecimus 88
Tiberis portus à quo edificatus 274.275
Tibicines in ludis Rom. 710
Timæus Siculus historiæ Romanæ scriptor 8.92
T. Latinus somnia narrans Ludos Romanos curat celebrati 705. 776.&c.
Tolerini, Romanorum soccij à Volscis expugnati 736
Trabeæ, vestes 195
Transfuga vtilis 460
Triarii, qui milites 433
Tribunatus damnatus à Marcio 650
Tribuni militares pro Cõsulibus creati 1081
Tribuni, qui 127
Tribuni Celerum 188
Tribuni primùm instituti 612. horum dignitas quãta 613
Tribuni plebis ciuitatem turbant 929
Tribuni pl. seditiosi 952 &c.
Tribuni pl. Consulib. infensi 970
Tribus, quid 126.127
Trinacria, olim Sicilia dicta 25
Triptolemus, Sophoclis tragedia 14
Triumphus maior 466
Triumphus Romuli 1255
Triumphus. Vide Bellum.
Troia à quo, Græcis prodita 58
Troianorum in Italiam aduentus 53.54.&c.
Troianorum sub Ænea peregrinationes 60.62. &c.
Tibicines 332
Tuciæ Vestalis mirum factum 194.395
Tullia Serui filia in patrẽ coniurat 349.&c.
Tullia, in patrem viuum & mortuũ sæuit 362.363

Tullus Hostilius, 3. Roman. Rex 206. eius gesta 207. bellum contra Albanos 208. &c. orationes de pace sancienda 218. 219. &c. prudens & fortis in prælio adu. Fidenates 249. sapienter occultat consilia sua 251 oratio in proditores 253 254. &c. prudentia in supplicio afficiēdis proditoribus 257. 258. &c. de Fidenatibus victis triumphum reportat 260. Sabinos tertio prælio factos superat & ad pacem recipit 261. 262. rebellantes iterum, debellat 263 bellum & pacem init cum Latinis 264. 265. igne fortuito correptus vel tactus fulmine moritur 265
Tumultus. Vide Seditio.
Turnus bellum init adu. Æneam 79
Turnus Herdonius Tarquinij Superbi artibus & dolis de medio sublatus 371. 373
Tyrannidis comites 420
Tyrannidis Tarquiniorū fautores in exilio pereunt 534
Tyrannidis expressa effigies 632. &c.
Tyranni simulationes 383
Tyrannorum ingenium 365. 366. &c.
Tyrannorum mores 406
Tyrannos tollere, bellum prælariſsimum 420
Tyrannorum confusio & subuersio mira 412
Tyrrheni quales populi 29. 34. 35. vnde sic dicti 30

V.

VAleria Romanā Rem pub. salutari consilio seruat 764
Valerius Potitus decem viris restitit 1015
Valerius publicola, vir eximius 436. 437
Varro antiquitatum RO. peritissimus 140
Varro polyhistor commentarios theologicos edidit 388
Vaticinia, trepidarum mētium asyla 475
Veientes à Romulo victi 176. 177
Veientes debellati ab Aūco Martio 272
Veientes à Manlio Consule debellati 882
Venonius scriptor Romanus 329
Venus ærariū habuit Romæ 330
Vestæ templum 189. 190
Vestalis stuprum 887
Vestales Virgines quæ 91

Vestales. Canephoris Græcorum similes 141
Vestales stupratæ, viuæ sepeliebantur, & quo modo 179
Vestales 188. 192
Vestalium numerus auctus 299
Vitæ stratæ 299
Victimæ quomodo immolabantur 714
Veturia pacis ineundæ causa cum mulieribus Rō. ad Marciū legatur 768. 769. quomodo excipitur 771. eius oratio ad filium 772. filij responsio 773. altera Veturiæ oratio pathetica 774. Supplicatio eiusdem & filij responsio 775
Victoriæ templum 38
Victoria animum attollit 292
Victoria memoranda 433
Victoriæ obtinendæ rationes 515
Viminalis mons 327
Vim vi repellere æquum 275
Vindicius tyrannorum artes percipit & detegit 421. 422. libertate donatur 419
Virgines raptæ à Romanis coniugij causa 151
Virgines obsides fugiunt 450
Virginia, casta Rom. puella, ab Appio CC. decemuiro, amata, 1045. conseruatur 1047 à patre Virginio ne violaretur, interficitur 1056. vnde sequuta mutatio status Reip. 1058. &c. 1064. 1065. &c.
Virtus remunerata 452
Virtus eximia consulum Rom. 499
Visio memoranda 523. 524
Visiones horrendæ 475
Vitæ futuræ qualis opinio inter veteres Rom. 781 791
Volsci debellati ab Anco Martio 273
Volsci perfidi socii 486
Volsci perfidi & proditores deteguntur 526. 527
Volsci à Romanis debellātur 538. seueriſſimè puniuntur 543. 544
Volsci debellati 556
Volsci debellati & eorū vrbes captæ à Romanis 614. &c.
Volsci perfidi pestilentia oppressi Romanis manus dare coguntur 638
Volsci bello Romanos aggrediuntur 731. &c.
Volsci à Romanis debellati 798. 799. &c.
Volsci debellantur 957

Vrbes Italiæ Græciæ instituta retinentes 23
Vrbes quibus ritibus dedi tionē faciebant 280.281
Vulgi ingenium 736
Vulgus, vide Populus.
Vulcani templum, locus Comitiorum 172
Vulcanus existimatus pater Seruij Tulli 311
Vxores & liberi Herculis in Italia 52

X.

Xenagoras historicus 90

Z.

Zenodotus Trœzenius historicus 270

FINIS.

BIBLIOTEKA * KÓRNICKA *

BIBLJOTEKA KÓRNICKA
13915


D 6.